ARCANA COEL.
IN
GENESI
Pars III in,
No. 2760—4055

VOL. III.

Arcana Cœleſtia,

QUÆ IN

SCRIPTURA SACRA,

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

Hic quæ in

G E N E S I

Una cum Mirabilibus,

Quæ viſa ſunt

In Mundo Spirituum, & in Cœlo Angelorum.

PARS TERTIA.

MDCCLI.



PRÆFATIO.

Quantum hallucinantur illi, qui in ſolo Senſu literæ manent, nec exquirunt Senſum Internum ab aliis locis, ubi ille in Verbo explicatur, conſtare manifeſte poteſt, a tot Hæreſibus, quarum unaquævis ſuum dogma ex Literali Senſu Verbi confirmat; imprimis ex Magna illa, quam veſanus & infernalis amor ſui & mundi induxit, ex Domini verbis ad Petrum, "Ego tibi dico, quod tu ſis Petrus, & ſuper hac petra ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferni non prævalebunt ei: & dabo tibi claves Regni Cœlorum, & quicquid ligaveris ſuper terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid ſolveris ſuper terra, erit ſolutum in cœlis," Matth: XVI: 15. 16. 17. 18. 19: *qui Senſum literæ premunt, putant quod hæc dicta ſint de Petro, & quod illi tanta poteſtas data ſit; tametſi norunt, quod Petrus fuerit homo admodum ſimplex, & quod ille nuſquam talem poteſtatem exercuerit, & quod exercere illam contra Divinum ſit; uſque tamen, quia ex veſano & infernali amore ſui & mundi, ſibi arrogare volunt ſummam poteſtatem in terra & in cœlo, & ſe deos facere, hoc ſecundum literam explicant, & acriter defendunt; cum tamen Senſus Internus eorum Verborum eſt, quod ipſa* FIDES *in Dominum, quæ ſolum eſt apud eos qui in amore in Dominum & in charitate erga proximum ſunt, illam poteſtatem habeat, & uſque non Fides, ſed* DOMINUS

a Quo Fides; *per* Petram *ibi intelligitur illa Fides, ut ubivis alibi in Verbo*; *ſuper Illa ædificatur Eccleſia, & contra Illam portæ inferni non prævalent*; *& illi Fidei ſunt Claves Regni Cœlorum, claudit Illa cœlum, ne mala & falſa intrent, & aperit Illa cœlum pro bonis & veris*; *hic eſt Senſus Internus horum verborum: Duodecim Apoſtoli, ſicut Duodecim Tribus Iſraelis, non aliud repræſentarunt, quam omnia Fidei talis, n:* 577. 2889. 2129. 2130 *f*; *Petrus ipſam Fidem, Jacobus charitatem, & Johannes bona charitatis, videatur Præfatio ad Cap:* XVIII *Geneſ: ſimiliter ac Ruben, Simeon, & Levi, primogeniti Jacobi, in Eccleſia Repræſentativa Judaica & Iſraelitica, quod ex mille locis in Verbo conſtat*; *& quia Petrus referebat Fidem, illa verba ad eum dicta ſunt. Ex his patet, in quas tenebras conjiciunt ſe, & ſecum alios, qui explicant omnia ſecundum literam, ut qui illa verba ad Petrum, quibus derogant Domino, & ſibi arrogant, poteſtatem ſalvandi Genus humanum.*





PARS TERTIA

LIBRI *GENESEOS*

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

2760. APUD Johannem in Apocalypsi describitur ita Verbum quoad Sensum Internum, "*Vidi Cœlum apertum, & ecce* EQUUS ALBUS, *& qui Sedens super illo, vocabatur fidelis & verus, & in justitia judicat & pugnat: oculi Ipsius flamma ignis; & super capite Ipsius diademata multa; habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse: & circumindutus vestimento tincto sanguine; & vocatur Nomen Ipsius* VERBUM DEI. *Et exercitus, qui in cœlis, sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo mundo; & habet super vestimento & super femore suo, Nomen scriptum,* REX REGUM, & DOMINUS DOMINORUM," xix: 11. 12. 13. 14. 16: quid singula hæc involvunt, nemo scire potest, nisi ex Sensu Interno; manifestum est, quod unumquodvis aliquod repræsentativum & significativum sit, nempe Cœlum quod apertum, Equus qui albus, Sedens super illo quod fidelis & verus, & in justitia judicans & pugnans, quod Oculi Ipsius flamma ignis, quod super capite diademata multa, quod nomen haberet quod nemo novit nisi Ipse, quod circumindutus vestimento tincto sanguine, quod exercitus qui in cœlo sequerentur Ipsum super equis albis, quod illi induti byssino albo mundo, & quod super vestimento & super femore haberet nomen scriptum; apertis verbis dicitur,

tur, quod sit Verbum, & quod sit Dominus qui Verbum, nam dicitur, "*Vocatur nomen ipsius Verbum Dei,*" dein "*habet super vestimento & super femore suo nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominorum:*" Ex interpretatione singularum vocum patet, quod hic describatur Verbum quoad sensum internum; quod cœlum sit apertum, repræsentat & significat, quod Internus Sensus Verbi non videatur quam in Cœlo, & ab illis quibus cœlum est apertum, hoc est, qui in amore & inde fide in Dominum sunt; *Equus* qui *albus* repræsentat & significat intellectum Verbi quoad interiora illius, quod Equus Albus id sit, patebit a sequentibus; Sedens super illo, quod sit Verbum & Dominus qui Verbum, constat; Qui fidelis & ex justitia judicans vocatur ex bono, ac verus & ex justitia pugnans ex vero; super capite Ipsius diademata multa, significant omnia fidei; habens nomen scriptum quod nemo novit nisi Ipse, significat quod quale sit Verbum in sensu interno nemo videat quam Ipse, & cui Ipse revelat; circumindutus vestimento tincto sanguine, significat Verbum in litera; Exercitus in cœlis qui sequebantur Ipsum super equis albis, significant illos qui in intellectu Verbi quoad interiora sunt; induti byssino albo mundo, significat eosdem in amore & inde fide; super vestimento & super femore nomen scriptum, significat verum & bonum: ex his, & ex illis ibi quæ præcedunt & sequuntur, patet, quod circa ultimum tempus Sensus Internus Verbi aperietur; sed quid tunc eveniet, etiam describitur ibi Vers: 17. 18. 19. 20. 21.

2761. Quod Equus albus sit intellectus Verbi quoad interiora illius, seu quod idem, Verbi Sensus Internus, constat a significatione Equi, quod sit Intellectuale; in Propheticis Verbi multoties nominatur Equus & Eques, sed hactenus nemini notum fuit, quod Equus Intellectuale, & Eques Intelligentem, significet; ut in Prophetia Jacobi tunc Israelis, de Dane, "Dan serpens super via, serpens jaculus super "semita, mordens *calcaneos Equi*, & cadet *Eques* ejus retrorsum; sa-"lutem tuam exspecto Jehovah, Genes: XLIX: 17. 18; quod serpens sit qui ratiocinatur ex sensualibus & scientificis de arcanis Divinis, videatur n: 195; quod via & semita sit verum, n: 627. 2333; Calcaneus quod sit infimum naturale, n: 259; Equus quod sit intellectus Verbi & Eques quod docens; inde patet quid hæc prophetica significant, nempe qui ex sensualibus & scientificis ratiocinatur de veris fidei, quod modo in infimis naturæ hæreat, & sic nihil credat, quod est cadere retrorsum, quare adjicitur, salutem tuam exspecto Jehovah. Apud Habakuk, "Deus, *Equitas* super *Equis tuis*, Currus tui salus, "calcare

" calcare fecisti in mari *Equos tuos,*" III : 8. 15. ubi Equi pro Divinis Veris, quæ in Verbo, currus pro doctrina inde, mare pro cognitionibus, n : 28. 2120, quæ quia sunt intellectus Verbi ex Deo, dicitur, calcare fecisti in mari equos tuos, tribuuntur hic Equi Deo, sicut in Apocalypsi supra, Cui non tribui possent, absque quod significent similia. Apud Davidem, " Cantate Deo, canite Nomine Ipsius, ex- " altate *Equitantem* in nubibus, in Jah, Nomen Ipsius," Psalm : LXVIII : 5 ; Equitare in nubibus pro intellectu Verbi quoad interiora, seu sensu interno, quod Nubes sit Verbum in litera, in quo sensus internus, videatur Præfatio ad Cap : XVIII Genes : ubi explicatur, quid significat, quod Dominus venturus in nubibus cœlorum cum virtute & gloria. Apud Eundem, " Jehovah inclinavit cœlos, & descendit, " & caligo sub pedibus Ipsius, & *Equitavit* super Cherub," Psalm : XVIII : 10. 11 ; caligo hic pro nubibus, equitare super Cherub pro Providentia Domini, ne homo ex se intret in mysteria fidei quæ in Verbo, n : 308. Apud Sachariam, " In die illo erit super *tintinna-* " *bulis Equi*, sanctitas Jehovæ," XIV : 20 ; tintinnabula Equi pro intellectu Spiritualium Verbi, quæ sancta. Apud Jeremiam, " Ingre- " dientur per portas civitatis hujus Reges & Principes, sedentes super " throno Davidis, *Equitantes* in Curru & *super Equis* illi, & Prin- " cipes illorum, vir Jehudæ, & habitatores Hierosolymæ, & habita- " bitur civitas hæc in æternum," XVII : 25. 26. Cap : XXII : 4 ; Civitas Hierosolyma pro Regno & Ecclesia Domini Spirituali ; Reges pro veris, n : 1672. 2015. 2069 ; Principes pro primariis præceptis veri, n : 1482. 2089 ; David pro Domino, n : 1888 ; Vir Jehudæ & Habitatores Hierosolymæ pro illis qui in bono amoris, charitatis & fidei, n : 2268. 2451. 2712 ; ita Equitare super curru & super equis pro esse instructi doctrina veri ex Verbi intellectu interno. Apud Esaiam, " Tunc delectaberis super Jehovah, & *Equitare te faciam* " super excelsa terræ, & comedere te faciam hæreditatem Jacobi," LVIII : 14 ; Equitare super excelsa terræ pro Intelligentia. Apud Davidem, " Canticum amorum, accinge gladium tuum super femore, " Vir potens, gloriam & decus tuum, & decore tuo procede, *Equita* " *super Verbum veritatis*, & mansuetudinis justitiæ, & docebit te " mirabilia dextra tua," Psalm : XLV : 1. 5 ; equitare super verbum veritatis manifeste pro intelligentia veri, & super verbum mansuetudinis justitiæ pro sapientia boni. Apud Sachariam, " In die illo, " dictum Jehovæ, percutiam *omnem Equum* stupore, & *Equitantem* amentia ;

" amentia; & ſuper domum Jehudæ aperiam oculos meos, & *omnem* " *Equum populorum* percutiam cæcitate," XII : 4. 5; ubi etiam manifeſte Equus pro intellectu, qui percuteretur ſtupore & cæcitate, & Equitans pro intelligente qui percuteretur amentia. Apud Hoſcheam, " Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & retribuemus ju- " vencos labiorum noſtrorum; Aſchur non ſalvabit nos, *ſuper Equo* " *non equitabimus*, & non dicemus amplius, Deus noſter, operi ma- " nuum noſtrarum," XIV : 3. 4; Aſchur pro ratiocinatione, n: 119. 1186; Equus pro intelligentia propria: præter perplurimis aliis in locis.

2762. Quod *Equus* intellectuale ſignificet, non aliunde venit quam ex repræſentativis in altera vita, multoties ibi in mundo Spirituum videntur Equi, & hoc cum multa varietate, & quoque inſidentes equis, & quoties apparent, ſignificant Intellectuale; ſunt talia Repræſentativa continua apud Spiritus: ex repræſentativo Equi, quod ſit Intellectuale, eſt, quod cum memorantur Equi in Verbo, Spiritus & Angeli, qui apud hominem, illico ſciant, quod ſit Intellectuale de quo agitur: inde etiam eſt, quod quibuſdam Spiritibus, ex quodam orbe aliunde, cum imbuti intelligentia & ſapientia e mundo ſpirituum elevantur in cœlum, appareant Equi lucidi ſicut ignei; qui etiam mihi, cum illi ſublati, viſi ſunt; inde quid per *Currum Igneum* & *Equos Igneos*, qui viſi Eliſæo, cum Elias aſcendit per turbinem in cœlos, ſignificatur, mihi conſtare potuit; tum quoque quid per exclamationem Eliſæi tunc, " *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus*," 2 Reg: ii: 11. 12; & per quod Joas Rex Iſraelis ſimiliter dixerit ad Eliſæum cum moreretur, " *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus*," 2 Reg: XIII: 14; quod per Eliam & Eliſæum repræſentatus ſit Dominus quoad Verbum, alibi, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur, nempe Doctrina Amoris & Charitatis ex Verbo per *Currum Igneum*, & Doctrina fidei inde per *Equos igneos*; Doctrina fidei eſt idem ac intellectus Verbi quoad interiora, ſeu ſenſus internus. Quod Currus & Equi appareant in Cœlis apud Spiritus & Angelos, conſtare non ſolum poteſt ex eo, quod viſi Prophetis, ut Sachariæ, Cap: I: 8. 9. 10. Cap: VI: 3. 4. 5. 6. 7; & aliis, etiam puero Eliſæi, de quo ita in Libro Regum, " Aperuit Jehovah oculos pueri Eliſæi, & vidit, & ecce Mons plenus *Equis*, & *Currus ignei* circum circa Eliſæum," 2 Reg: VI: 17; Præterea, ubi in Mundo Spirituum manſio eſt intelligentium & ſapientum, currus & equi

equi continue apparent, ex caufa, ut dictum, quia per Currus & Equos repræfentantur illa quæ fapientiæ & intelligentiæ funt: quod refufcitati poft mortem, qui intrant in alteram vitam, repræfentatum fibi videant juvenem infidentem Equo, & dein defcendentem ex Equo, & quod per illud fignificetur, quod cognitionibus boni & veri, antequam in cœlum venire poffint, inftruendi, videatur in Parte Prima n: 187. 188. Quod Currus & Equi illa fignificaverint, notiffimum fuit in Ecclefia Antiqua, ut quoque conftare poteft a Libro Hiobi, qui eft Liber Antiquæ Ecclefiæ, ubi hæc, "Oblivifci fecit eum Deus *Sapientiam*, & non impertitus eft ei *Intelligentiam*, juxta tempus in altum elevavit fe, deridet *Equum* & *Equitem illius*," XXXIX: 17. 18. 19. Ex Antiqua Ecclefia, fignificatio Equi quod fit Intellectuale, derivata eft ad Sapientes circumcirca, etiam in Græciam; inde habuerunt, cum defcriberent Solem, per quem fignificatus eft Amor, n: 2441. 2495, quod pofuerint ibi fapientiæ fuæ & intelligentiæ deum, & ei tribuerint currum & quatuor Equos igneos; & cum defcriberent deum maris, quia per Mare fignificatæ funt fcientiæ in communi, n: 28. 2120, quod etiam illi dederint equos: & cum defcriberent ortum fcientiarum ex Intellectuali, quod finxerint Equum volantem qui ungula rupit fontem, ubi virgines quæ fcientiæ; & per Equum Trojanum nec aliud fignificatum fuit, quam artificiale ex intellectu eorum deftruendi muros: hodie quidem, cum defcribitur Intellectuale, ex recepto ab Antiquis illis more, defcribi folet per Equum volantem feu pegafum, & eruditio per fontem, fed vix aliquis novit, quod Equus in fenfu myftico fignificet intellectum, & fons verum; minus quod fignificativa illa ab Ecclefia Antiqua ad gentiles derivata fint.

2763. Ex his nunc patet, unde Repræfentativa & Significativa in Verbo, quod nempe ex Repræfentativis quæ exiftunt in altera vita; inde venerunt illa ad homines Antiquiffimæ Ecclefiæ qui Cœleftes fuerunt, & cum Spiritibus & Angelis fimul fuerunt cum vivebant; Repræfentativa illa ab illis emanarunt ad pofteros, & tandem ad illos qui non fciebant præter quod talia fignificarent; fed quia ab antiquiffimis temporibus fuerunt, & in cultu eorum Divino, venerata funt & fancta habita. Præter Repræfentativa, etiam funt correfpondentia, quæ prorfus aliud in Mundo Naturali, quam in Mundo Spirituali, fonant, & quoque fignificant, ficut quod Cor affectionem boni, Oculi Intellectum, Aures Obedientiam, Manus potentiam, præter innume-

rabilia alia; hæc non ita repræſentantur in Mundo Spirituum, ſed correſpondent, ſicut Naturale Spirituali; inde eſt, quod unumquodvis verbum quoad omnium minimam jotham in Verbo involvat ſpiritualia & cœleſtia; & quod ita inſpiratum ſit Verbum, nempe cum legitur ab homine, quod tunc Spiritus & Angeli illico percipiant illud ſpiritualiter ſecundum repræſentationes & correſpondentias. Sed Scientia hæc, quæ tantum exculta & æſtimata fuit ab Antiquis poſt diluvium, & per quam illi cum Spiritibus & Angelis cogitare potuerunt, hodie prorſus obliterata eſt, in tantum, ut vix aliquis credere velit, quod ſit; & qui credunt, non aliter vocant quam quoddam myſticum nullius uſus, & hoc ex cauſa, quia homo prorſus mundanus & corporeus factus eſt, uſque adeo, ut cum nominatur ſpirituale & cœleſte, repugnantiam, & quandoque faſtidium, imo nauſeam, ſentiat; quid tunc faciet in altera vita, quæ in æternum manet, ubi non eſt mundanum & corporeum, ſed modo ſpirituale & cœleſte, quod facit vitam in cœlo.

CAPUT XXII.

1. ET fuit poſt verba illa, & DEUS tentavit Abrahamum, & dixit ad illum, Abraham, & dixit, ecce ego.

2. Et dixit, accipe quæſo filium tuum, unicum tuum, quem amas, Jiſchakum, & vade tibi ad terram Moriah, & offer eum ibi in holocauſtum ſuper uno montium, quem dico ad te.

3. Et mane ſurrexit Abraham in matutino, & inſtravit aſinum ſuum, & accepit duos pueros ſuos ſecum, & Jiſchakum filium ſuum, & ſidit ligna holocauſti, & ſurrexit, & ivit ad locum, quem dixit ei DEUS.

4. In die tertio, & ſuſtulit Abraham oculos ſuos, & vidit locum e longinquo.

5. Et dixit Abraham ad pueros ſuos, manete vobis hic cum aſino, & ego & puer ibimus uſque illuc, & incurvabimus nos, & revertemur ad vos.

6. Et accepit Abraham ligna holocauſti, & poſuit ſuper Jiſchako filio ſuo; & accepit in manu ſua ignem & cultrum, & iverunt ambo illi ſimul.

7. Et dixit Jischak ad Abrahamum patrem suum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce ego, fili mi, & dixit, ecce ignis & ligna, & ubi pecus in holocaustum.

8. Et dixit Abraham, DEUS videbit sibi pecudem in holocaustum, fili mi, & iverunt ambo illi una.

9. Et venerunt ad locum, quem dixit ei DEUS, & ædificabat ibi Abraham altare, & disposuit ligna, & ligavit Jischakum filium suum, & posuit illum super altare desuper ligna.

10. Et misit Abraham manum suam, & accepit cultrum ad mactandum filium suum.

11. Et clamavit ad eum Angelus JEHOVÆ e cœlo, & dixit, Abraham, Abraham, & dixit, ecce ego.

12. Et dixit, ne mittas manum tuam ad puerum, & ne facias illi quicquam, quia nunc novi, quod timeas DEUM tu, & non cohibuisti filium tuum, unicum tuum, a Me.

13. Et sustulit Abraham oculos suos, & vidit, & ecce aries post detentus in perplexo cornibus suis; & ivit Abraham, & accepit arietem, & obtulit illum in holocaustum loco filii sui.

14. Et vocavit Abraham nomen loci illius, JEHOVAH videbit, quod dicitur hodie, in monte JEHOVAH videbit.

15. Et clamavit Angelus JEHOVÆ ad Abraham secundo e cœlo.

16. Et dixit, in Me juravi, dictum JEHOVÆ, quia propterea quod fecisti verbum hoc, & non cohibuisti filium tuum, unicum tuum,

17. Quod benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum, tanquam stellas cœlorum, & tanquam arenam quæ super litore maris, & hæreditabit semen tuum portam hostium tuorum.

18. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, propter quod auscultasti voci meæ.

19. Et reversus est Abraham ad pueros suos; & surrexerunt, & iverunt simul ad Beerschebah; & habitavit Abraham in Beerschebah.

20. Et fuit post verba illa, & indicatum est Abrahamo, dicendo, ecce peperit Milkah etiam illa filios Nachori fratri tuo.

21. Uz primogenitum suum, & Bus fratrem ejus, & Kemuel patrem Arami.

22. Et Kesed, & Chaso, & Pildasch, & Jidlaph, & Bethuel.

23. Et Bethuel genuit Rebeccam: octo illos peperit Milkah Nachori fratri Abrahami.

24. Et concubina illius, & nomen ejus Reumah, & peperit etiam illa Thebach, & Gacham, & Thachafch, & Maachah.

CONTENTA.

2764. AGitur in hoc Capite in fenfu interno de graviffimis & intimis Tentationibus Domini, per quas Effentiam Humanam univit Divinæ: & de falvatione illorum qui Spiritualem Domini Ecclefiam conftituunt, per unionem illam.

2765. Agitur de Tentationibus graviffimis & intimis Domini, Verf: 1. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. De unitione Effentiæ Humanæ cum Divina, feu Glorificatione, per illas, Verf: 2. 11. 12. 16. De falvatione Spiritualium ex Divino Humano Domini, illorum qui in charitate & fide funt, intra Ecclefiam, Verf: 2. 7. 8. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19: Et illorum, qui in bono funt, extra Ecclefiam, Verf: 20. 21. 22. 23. 24.

SENSUS INTERNUS.

2766. VERS. 1. *Et fuit poft verba illa, & Deus tentavit Abrahamum, & dixit ad eum, Abraham, & dixit, ecce ego.* Fuit poft verba illa, fignificat res tranfactas: & Deus tentavit Abrahamum, fignificat tentationes graviffimas & intimas Domini: & dixit ad eum, Abraham, fignificat perceptionem Domini ex Divino Vero: & dixit, ecce ego, fignificat cogitationem & reflexionem.

2767. Fuit poft verba illa, quod fignificet res tranfactas, conftat abfque explicatione. Res, de quibus actum eft, funt de Abimelecho & Abrahamo, quod fœdus pepigerint in Beerfchebah; & ultimo quod Abraham ædificaverit lucum in Beerfchebah, quibus fignificatum, quod rationalia humana adjuncta fint Doctrinæ fidei, quæ in fe eft Divina; hic nunc agitur de tentatione Domini quoad Rationale, quod fignificatur per Ifacum; per Tentationes enim Dominus Humanum fuum, ita Rationale, in quo humanum inchoat, n: 2106. 2194, Divinum fecit, caftigando & expellendo omne quod in Rationali mere humanum, feu humanum maternum fuit; hic eft nexus rerum præcedentis Capitis, cum his quæ in hoc Capite, unde dicitur, "Fuit poft verba illa, & Deus tentavit Abrahamum."

2768. Et Deus tentavit Abrahamum, quod fignificet tentationes graviffimas & intimas Domini, conftat ab illis quæ fequuntur; quod per Abrahamum

mum repræſentetur, & in ſenſu interno intelligatur Dominus, ex omnibus illis, quæ præcedunt, ubi de Abrahamo actum, patet: quod Tentationes graviſſimæ & intimæ Domino fuerint, quæ in ſenſu interno in hoc Capite deſcribuntur, conſtabit. Quod autem dicatur, quod Deus tentaverit, eſt ſecundum ſenſum literæ, in quo tentationes & plura tribuuntur Deo, at ſecundum ſenſum internum eſt, quod Deus neminem tentet, jugiter tunc liberando a tentationibus, quantum poſſibile ſeu quantum liberatio non malum faciat, & jugiter tunc ſpectando bonum, in quod ducit illum qui in tentationibus; Deus enim nunquam aliter concurrit cum tentationibus; & tametſi prædicatur de Ipſo quod permittat, uſque non eſt ſecundum ideam, quam homo de permiſſione habet, nempe quod concurrat permittendo, non enim aliter capere poteſt homo, quam qui permittit, etiam velit, ſed eſt malum apud hominem quod facit, etiam quod inducit in tentationem, cujus cauſa nulla eſt in Deo, ſicut nulla eſt in Rege aut in Judice, quod homo faciat malum, & propterea luat pænas; qui enim ſe ſeparat a legibus ordinis Divini, quæ omnes ſunt Boni & inde Veri, ſe conjicit in leges ordini Divino oppoſitas, quæ ſunt mali & falſi, & inde punitionum & cruciatuum.

2769. Et dixit ad eum, Abraham, quod ſignificet perceptionem Domini ex Divino Vero, conſtat a ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2619; & a repræſentatione Abrahami quod ſit Dominus. Quod perceptio fuerit ex Divino Vero, conſtare poteſt ex eo, quia Deus nominatur non Jehovah; ubi enim in Verbo agitur de Vero, ibi nominatur Deus, at ubi de Bono, nominatur Jehovah, videatur n: 2586; inde eſt, quod Deus dicatur in hoc Verſu, tum in ſequentibus uſque ad Verſ: 11, ob cauſam quia ibi de tentatione agitur; & quod in Verſ: 11 & in illis qui ſequuntur, dicatur Jehovah, eſt quia ibi agitur de liberatione; ex Vero enim eſt omnis tentatio & damnatio, ex Bono autem eſt omnis liberatio & ſalvatio; quod Verum damnet & Bonum ſalvet, videatur n: 1685. 2258. 2335.

2770. Et dixit, ecce ego, quod ſignificet cogitationem & reflexionem, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit percipere n: 2769, hic autem cogitare & reflectere, quia eſt reſponſi, omnis enim cogitatio & inde reflexio venit a perceptione, n: 1919. 2515. 2552.

2771. Verſ: 2. *Et dixit, accipe quæſo filium tuum, unicum tuum, quem amas, Jiſchakum, & vade tibi ad terram Moriah, & offer eum ibi in holocauſtum, ſuper uno montium, quem dico ad te.* Dixit, accipe quæſo filium tuum, ſignificat Divinum Rationale ab Ipſo genitum: unicum tuum quem amas, ſignificat ſolum in univerſo, quo ſalvaturus genus humanum: Jiſchakum, ſignificat quale ejus: & vade tibi ad terram Moriah, ſignificat locum & ſtatum tentationis: & offer eum ibi in holocauſtum, ſignificat quod ſanctificaret ipſum Divino: ſuper uno montium, ſignificat amorem Divinum: quem dico tibi, ſignificat ſicut percepturus ſit.

2772. Dixit, accipe quæso filium tuum, quod significet Rationale Divinum ab Ipso genitum, constat a significatione filii quod sit Rationale, de qua n: 2623, hic Rationale Divinum, quia per filium intelligitur Jischakus, qui quod Rationale Divinum Domini repræsentet, n: 1893. 2066. 2083. 2630, ostensum est: & quia Dominus Rationale suum ex propria potentia Divinum fecit, ut sæpius prius dictum, per filium tuum, etiam significatur, quod ab Ipso genitum sit, videatur n: 1893. 2093. 2625.

2773. Unicum tuum, quem amas, quod significet solum in universo, quo salvaturus genus humanum, constat ex significatione unici, quod sit solus, & quidem in universo, quia agitur de Domino, qui solus quoad omne Humanum Deus, seu Divinus factus.

2774. Jischakum, quod significet quale ejus, nempe quod sit bonum veri & verum boni, hoc est, Conjugium Divinum quoad Humanum Domini, constat ex denominatione Jischaki, de qua Cap: præc: xxi: Vers. 6. 7.

2775. Et vade tibi ad terram Moriah, quod significet locum & statum tentationis, constare potest a significatione terræ Moriæ; quod terra Moriæ sit locus tentationis, patet ex eo, quod Abraham justus sit illuc ire, & in holocaustum ibi offerre filium suum, & sic subire ultimum tentationis: quod in terra illa fuerit Hierosolyma, ubi ipse Dominus ultimum tentationis sustinuit, constare potest ex eo, quod in monte Moriæ sit ædificatum a Davide Altare, & postea a Salomone Templum, ut patet ex Libro Chronicorum, "Cæpit Schelomah ædificare domum Jehovæ in Hierosolyma, in *Monte Moriæ*, qui visus fuit Davidi patri ejus, quem paravit in loco David in area Arnanis (Arasnæ:) Jebusitæ," 2 Chron: iii: 1. confer 1 Chron: xxi: 16 ad 28, cum 2 Sam: xxiv: 16 ad 25: inde satis constare potest, quod hæc, quæ de immolatione Jischaki dicuntur, sint repræsentativa Domini; alioquin potuisset hoc fieri ubi Abraham morabatur, nec juberetur abinde proficisci itinere pæne trium dierum.

2776. Quod offer eum in holocaustum, significet quod sanctificaret ipsum Divino, constat a repræsentatione holocausti apud gentem Hebræam, & in Ecclesia Judaica, quod fuerit sanctissimum eorum cultus; erant holocausta & erant sacrificia, quæ quid repræsentaverunt, videatur n: 922. 923. 1823. 2180; sanctificationes eorum fiebant per illa, inde est, quod hic per offerre in holocaustum, significetur sanctificari Divino, Dominus enim Ipse Se sanctificavit Divino, hoc est, univit Humanum Divino per tentationum pugnas & victorias, videatur n: 1663. 1690. 1691 f: 1692. 1737. 1787. 1812. 1813. 1820. Communis fides hodie est, quod Holocausta & Sacrificia significaverint Passionem Domini, & quod Dominus per illam expiaverit omnium iniquitates, imo quod in Se illas derivaverit & sic sustulerit; ita se justificari & salvari credentes, modo cogitent, si vel foret in ultima mortis hora, quod Dominus pro illis passus sit, utcunque per totum vitæ suæ curriculum vixerint; sed res non ita se habet, Passio crucis fuit ultimum tentationis Domini, per quam plenarie univit Humanum Divino, & Divinum Humano,

Humano, & ſic ſe glorificavit; ipſa illa unio eſt, per quam ſalvari poſſunt illi qui fidem charitatis in Ipſum habent; nam ipſum Supremum Divinum non potuit amplius pertingere ad humanum genus, quod ſe tantum removit a cœleſtibus amoris & ſpiritualibus fidei, ut illa ne quidem magis agnoſcerent, minus perciperent; idcirco, ut Supremum Divinum potuiſſet deſcendere ad hominem talem, Dominus venit in mundum, & Humanum univit Divino in Se; quæ unio non potuit aliter fieri, quam per graviſſimas tentationum pugnas & victorias, & tandem per ultimam, quæ erat crucis: inde eſt, quod Dominus ex Divino Humano illuminare poſſit mentes etiam a cœleſtibus amoris remotiores, modo in fide charitatis ſint; Dominus enim in altera vita cœleſtibus angelis apparet ut Sol, & Spiritualibus ut Luna, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 2441. 2495, omnis lux cœli eſt inde; Lux cœli talis eſt, ut, cum illuminat viſum Spirituum & Angelorum, etiam ſimul illuminet intellectum, hoc ineſt luci illi, ſic ut quantum lucis externæ alicui in cœlo eſt, tantum lucis internæ, hoc eſt, tantum intellectus illi ſit, inde patet, in quo lux cœli a luce mundi differt; Divinum Humanum Domini eſt, quod illuminat & viſum & intellectum Spiritualium, quod non fieret, niſi Dominus univerit Eſſentiam Humanam Divinæ; & niſi univerit, nec fuiſſet aliquod intellectuale & perceptivum boni & veri amplius homini in mundo, imo nec Angelo ſpirituali in cœlo, ita nec illis aliquid beati & felicis, conſequenter nec aliquid ſalutis; inde conſtare poteſt, quod Genus humanum non ſalvari potuerit, niſi Dominus aſſumſerit Humanum, & hoc glorificaverit. Inde nunc quiſque concludere poteſt, quomodo ſe habet cum hoc, quod ſalventur, ſi modo cogitent ex interiore quadam commotione, quod Dominus paſſus ſit pro illis, & peccata eorum ſuſtulerit, utcunque vixerint, cum tamen lux cœli ex Divino Humano Domini ad alios non poteſt pertingere, quam ad illos, qui in bono fidei, hoc eſt, in charitate vivunt, ſeu quod idem, qui conſcientiam habent; ipſum planum, in quod lux illa operari poteſt, ſeu receptaculum lucis illius, eſt bonum fidei, ſeu charitas, ita conſcientia: quod Spiritualibus ex Divino Humano Domini ſit ſalus, videatur n: 1043. 2716. 2661. 2718.

2777. Super uno montium, quod ſignificet amorem Divinum, conſtat ex ſignificatione montis, quod ſit Amor, de qua n: 795 796. 1430, hic Amor Divinus, quia prædicatur de Domino, qui amor qualis, videatur n: 1690. 1691 f: 1789. 1812. 1820. 2500. 2077. 2253. 2527: quia Amor Divinus fuit, ex quo Dominus in tentationibus pugnavit & vicit, & ex quo ſe ſanctificavit & glorificavit, hic dicitur Abrahamo, quod offerret Jiſchakum in holocauſtum ſuper uno montium in terra Moriæ. Hoc Repræſentativum elucidatur per id, quod Altare a Davide, & Templum a Salomone, ædificatum ſit ſuper monte Moriæ, n: 2775; Altare enim, ſuper quo holocauſta & ſacrificia, fuit principale repræſentativum Domini, & dein Templum; quod Altare, videatur n: 921, & conſtat apud Davidem, "Deducent me ad *montem ſanctitatis tuæ*, & ad habitacula tua, & ingrediar ad *Altare Dei*, ad

ad *Deum*, lætitiam exultationis meæ," Pfalm: XLIII: 3. 4: quod Templum, conftat apud Johannem, " Jefus dixit, folvite *Templum* hoc, & in tribus diebus exfufcitabo illud: Ipfe loquebatur de *Templo corporis fui*," II: 19. 21.

2778. Quem dico tibi, quod fignificet ficut percepturus fit, conftat a fignificatione dicere, quod fit percipere, de qua fupra n: 2769.

2779. Verf: 3. *Et mane furrexit Abraham in matutino, & inftravit afinum fuum, & accepit duos pueros fuos fecum, & Jifchakum filium fuum, & fidit ligna holocaufti, & furrexit, & ivit ad locum, quem dixit ei Deus.* Mane furrexit Abraham in matutino, fignificat ftatum pacis & innocentiæ: & inftravit afinum fuum, fignificat naturalem hominem quem præparavit: & accepit duos pueros, fignificat rationale prius quod adjunxit: & Jifchakum filium fuum, fignificat Rationale Divinum a fe genitum: & fidit ligna holocaufti, fignificat meritum juftitiæ: & furrexit fignificat elevationem: & ivit ad locum quem dixit ei Deus, fignificat ftatum tunc fecundum perceptionem.

2780. Mane furrexit Abraham in matutino, quod fignificet ftatum pacis & innocentiæ, conftat a fignificatione mane, tum furgere in matutino, cum prædicatur de Domino, qui hic eft Abraham: Mane in univerfali fenfu fignificat Dominum, & inde Regnum Ipfius, confequenter cœlefte amoris in communi & particulari, ut n: 2333, oftenfum; & quia illa, fignificat ipfum ftatum, in quo funt, qui ftatus eft Pacis & Innocentiæ; Status Pacis in cœlis fe habet ficut ftatus auroræ in terris; in ftatu Pacis in cœlis exiftunt omnia cœleftia & fpiritualia, & inde trahunt omne fuum fauftum, beatum, & felix, ficut in ftatu auroræ in terris exiftunt omnia coram homine ut jucunda & læta; fingularia enim ab affectione communi trahunt quod talia fint, videatur n: 920. 2384: fimiliter fe habet cum ftatu innocentiæ, hic exiftit in ftatu Pacis, & eft commune afficiens omnia quæ funt amoris & fidei, hæc nifi in fe habeant innocentiam, carent fuo effentiali; inde eft, quod nemo poffit in cœlum venire, nifi aliquid innocentiæ habeat, Marc: x: 15: inde patet, quid mane fignificat in fenfu interno, & magis cum dicitur mane furrexit in matutino; & quia in fupremo fenfu Mane eft Dominus, & ex Ipfo ftatus efficiens & afficiens illa, quæ in Regno Ipfius funt, etiam mane & mane furgere fignificat plura quæ in ftatu illo exiftunt, & hoc prædicate ad ea, quæ in fenfu interno confequuntur.

2781. Et inftravit afinum, quod fignificet naturalem hominem quem præparavit, conftat ex fignificatione Afini, de qua fequitur: funt apud hominem voluntaria, & funt intellectualia, ad voluntaria pertinent illa quæ boni funt, ad intellectualia illa quæ veri; funt varii generis beftiæ, per quas voluntaria, quæ boni, fignificantur, ut funt Agni, Oves, Hœdi, Capræ, Juvenci, Boves, videatur n: 1823. 2179. 2180; & funt quoque beftiæ, per quas fignificantur intellectualia, quæ veri, nempe Equi, Muli, Onagri, Cameli, Afini, præter quoque Aves; quod per Equum fignificetur intellectuale,

tuale, supra n: 2761. 2762, ostensum est; quod per Onagrum, verum separatum a bono, videatur n: 1949; quod per Camelum, scientificum in communi; & per Asinum, scientificum in particulari, videatur n: 1486: sunt duo, quæ constituunt Naturale apud hominem, seu quod idem, Naturalem hominem, nempe bonum naturale & verum naturale, bonum naturale est jucundum profluens ex charitate & fide, verum naturale est scientificum eorum: Quod Verum naturale sit quod significatur per Asinum, & Verum rationale per Mulum, constare potest ab his locis; apud Esaiam, "Propheticum *bestiarum meridiei:* in terra angustiæ & coarctationis, Leo & Tigris, & ex illis Vipera & Prester volans, ferent super *humero Asellorum* facultates suas, & super *gibbo Camelorum*, thesauros suos, super populo non proderunt; & Ægyptii vane & inaniter auxiliabuntur," xxx: 6. 7; bestiæ meridiei vocantur illi, qui in cognitionibus boni & veri sunt, sed qui faciunt illas non vitæ sed scientiæ, de quibus dicitur, quod ferant super humero asellorum facultates suas, & super gibbo camelorum thesauros suos, ex causa, quia aselli significant scientifica in particulari, & cameli scientifica in communi; quod Ægyptii sint scientiæ, videatur n: 1164. 1165. 1186, de quibus dicitur, quod vane & inaniter auxiliabuntur; quod propheticum hoc sensum internum habeat, & quod absque illo a nemine intelligatur, cuivis patet, nam absque sensu interno non sciri potest, quid sit propheticum bestiarum meridiei, quid leo & tigris, quid vipera & prester volans, & quid quod illæ bestiæ ferrent super humero asellorum facultates suas, & super gibbo camelorum thesauros suos, & cur immediate sequitur, quod Ægyptii vane & inaniter auxiliabuntur: simile per Asinum intelligitur in prophetia Israelis de Jisaschare, apud Mosen, "Jisaschar *asinus ossis* cubans inter sarcinas," Genes: XLIX: 14. Apud Sachariam, "Hæc erit plaga, qua percutiet Jehovah omnes populos, qui pugnabunt contra Hierosolymam; erit plaga *Equi, Muli, Cameli,* & *Asini,* & omnis bestiæ," XIV: 12. 15; quod per equum, mulum, camelum, & asinum, significentur intellectualia apud hominem, quæ plaga afficientur, constat ab omnibus & singulis ibi quæ præcedunt & sequuntur, agitur enim de plagis, quæ præcedent ultimum judicium seu consummationem sæculi, de quibus etiam Johannes in Apocalypsi multis, & reliqui prophetæ passim; ii qui tunc pugnaturi contra Hierosolymam, hoc est, Ecclesiam spiritualem Domini, & ejus vera, significantur per animalia illa, qui quoad intellectualia plagis afficientur. Apud Esaiam, "Beati vos serentes juxta omnes aquas, mittentes pedem *Bovis* & *Asini,*" XXXII: 20; serentes juxta omnes aquas, pro illis qui se in spiritualibus instrui patiuntur, quod aquæ sint spiritualia, ita intellectualia veri, videatur n: 680. 739. 2702; mittentes pedem bovis & asini, pro naturalibus quæ inservitura, quod bos sit naturale quoad bonum, n: 2180. 2566, Asinus est naturale quoad verum. Apud Mosen, "Ligans ad vitem *Asellum suum,* & ad vitem nobilem *filium asinæ suæ*; lavit in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum velamen suum," Genes: XLIX: 11, ibi propheticum Jacobi, tunc Israelis, de Domino; vitis & vitis nobilis pro Ec-

 clesia

clesia spirituali externa & interna, n: 1069, Asellus pro vero naturali, filius asinæ pro vero rationali; quod filius asinæ sit verum rationale, inde est, quia asina significat affectionem veri naturalis, n: 1486, cujus filius quod sit verum rationale, videatur n: 1895. 1896. 1902. 1910. Judex olim equitabat super Asina, & filii ejus super Asellis, ex causa quia Judices repræsentabant bona Ecclesiæ, & filii eorum vera inde; Rex autem equitabat super Mula, filii ejus super mulis, ex causa quia Reges & filii illorum repræsentabant vera Ecclesiæ, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069; quod Judex equitaverit super Asina, constat in Libro Judicum, "Cor meum ad *Legislatores Israelis* spontaneos in populo, benedicite Jehovæ, Equitantes super *Asinabus candidis*, sedentes super Middin," v: 9. 10: quod filii Judicum equitaverint super Asillis, "Fuit Jairo Judici super Israelem triginta *filii*, *equitantes* super triginta *Asellis*," Jud: x: 3. 4: & alibi, "Abdoni Judici Israelis fuit illi quadraginta *filii*, & triginta filii filiorum, *equitantes* super septuaginta *Asellis*," Jud: xii: 14: quod Rex equitaverit super Mula, "Dixit David eis, accipite vobiscum servos Domini vestri, & *Equitare* faciatis Salomonem filium meum super *Mula*, quæ mihi; & *equitare* fecerunt Salomonem super *Mula Regis* Davidis, & unxerunt eum Sadoch sacerdos & Nathan propheta in Regem in Guichon," 1 Reg: i: 33. 38. 44. 45: quod filii Regis super Mulis, "Surrexerunt omnes *filii Regis* Davidis, & *equitaverunt* quisque super *Mulo* suo, & fugerunt pro Absalome," 2 Sam: xiii: 29; inde patet, quod equitare super Asina fuerit insigne Judicis, & equitare super Mula fuerit insigne Regis; & equitare super Asello fuerit insigne Filiis Judicis, & super Mulo Filiis Regis, ex causa, ut dictum, quia Asina repræsentabat & significabat affectionem boni & veri naturalis, Mula affectionem veri rationalis, Asinus seu Asellus ipsum verum naturale, & Mulus ut & Filiis Asinæ verum rationale: inde patet, quid intelligitur per Prophetica de Domino apud Sachariam, "Exulta filia Zionis, jubila filia Hierosolymæ, ecce *Rex tuus* veniet tibi justus & salvatus ille, humilis & *Equitans* super *Asino*, & super *Asello filio asinarum*; dominium Ipsius a mari usque ad mare, & a fluvio usque ad fines terræ," ix: 9. 10; quod Dominus voluit, cum ad Hierosolymam veniret, equitare super illis, notum est apud Evangelistas, de quo ita apud Matthæum, "Jesus misit duos discipulos, dicens illis, abite in villam, quæ contra vos, & statim invenietis *Asinam* alligatam, & *Pullum* cum ea, solvite & adducite Mihi: hoc factum ut impleretur quod dictum per Prophetam dicentem, dicite filiæ Zionis, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, fedens super *Asina*, & super *Pullo filio subjugalis*; & adduxerunt *Asinam* & *Pullum*, & imposuerunt super eis vestimenta sua, & collocarunt Ipsum super illis," xxi: 2. 4. 7; equitare super Asino, insigne erat quod subordinatum esset Naturale, & equitare super Pullo filio asinæ, quod subordinatum esset Rationale; quod filius asinæ simile ac Mulus significet, supra ad locum Genes: xlix: 11, ostensum est, inde, & quia summi Judicis & Regis erat super illis equitare, utque simul repræsentativa Ecclesiæ implerentur, placuit hoc Domino; de hoc ita apud Johannem, "Postero die multa

multa turba, quæ venerat ad feftum, cum audiviffet, quod veniret Jefus Hierofolymam, acceperunt ramos palmarum, & iverunt obviam Ipfi, & clamaverunt, Ofanna Benedictus qui venit in Nomine Domini, *Rex Ifraelis:* inveniens autem Jefus *Afellum*, fedit fuper eum; ficut fcriptum eft, ne time filia Zionis, ecce *Rex tuus* venit fedens fuper *Pullo afinæ:* hæc vero non cognoverant difcipuli Ipfius primum, fed quando glorificatus eft Jefus, tunc recordati funt, quod hæc effent de Ipfo fcripta, & hæc feciffent Ipfi," XII: 12. 13. 14. 15. 16. Marc: XI: 1 ad 12. Luc: XIX: 28 ad 41. Ex his nunc conftet, quod omnia & fingula in Ecclefia illius temporis fuerint repræfentativa Domini, & inde Cœleftium & Spiritualium quæ in Regno Ipfius, & hoc ufque ad Afinam & Afinæ pullum, per quos repræfentabatur Naturalis homo quoad bonum & verum; caufa repræfentationis fuit, quod Naturalis homo fervire debeat Rationali, & hic Spirituali, hic autem Cœlefti, & hic Domino; talis ordo fubordinationis eft. Quia per Bovem & Afinum fignificabatur Naturalis homo quoad bonum & verum, ideo plures leges latæ funt, in quibus Boves & Afini memorantur, quæ Leges primo afpectu apparent non dignæ memoratu in Verbo Divino; at cum evolvuntur quoad fenfum internum, apparet fpirituale multi momenti, quod inibi; ficut hæ apud Mofen, "Cum aperuerit quis foveam, vel cum foderit quis foveam, & non operuerit eam, & ceciderit illuc *Bos* vel *Afinus*, dominus foveæ rependet argentum domino, & mortuum erit fibi," Exod: XXI: 33. 34. Cum occurreris *Bovi* inimici tui, vel *Afino* ejus erranti, reducendo reduces eum illi: cum videris *Afinum* oforis tui cubantem fub onere fuo, & cefaveris a removendo illud, & removendo removebis ab illo," Exod: XXIII: 4. 5. Deut: XXII: 1. 3. "Non videbis *Afinum* fratris tui vel *Bovem*, cadentes in via, & abfcondis te ab illis, erigendo eriges," Deut: XXII: 4. "Non arabis *Bove* & *Afino* pariter; non veftias te textura mixta lana & lino fimul," Deut: XXII: 10. 11. "Sex diebus facies opera tua, & in die feptimo quiefces, propterea & requiefcat *Bos tuus*, & *Afinus tuus*, & filius ancillæ tuæ, & peregrinus," Exod: XXIII: 12; ibi Bos & Afinus in fenfu fpirituali nihil aliud fignificant quam bonum & verum naturale.

2782. Et accepit duos pueros, quod fignificet Rationale prius quod adjunxit, conftat a fignificatione puerorum; puer & pueri in Verbo fignificant varia, quia prædicantur tam de filiis domus quam de filiis alienigenæ, tum etiam de fervis, hic de fervis: quod per fervos in Verbo fignificentur etiam naturalia hominis, quæ infervitura Rationali, videatur n: 1486. 1713. 2541. 2567; hic autem, quia non dicuntur fervi fed pueri, fignificatur Rationale prius feu mere humanum, quod inferviturum Rationali Divino; ut quoque conftare poteft ab ipfa ferie rerum.

2783. Et Jifchakum filium fuum, quod fignificet Rationale Divinum a fe genitum, conftat a repræfentatione Jifchaki, quod fit Rationale Divinum Domini, de qua fæpe prius; quod ab Ipfo genitum, intelligitur per filium fuum, ut fupra n: 2772.

2784. Et fidit ligna holocaufti, quod fignificet meritum juftitiæ, conftat a fignificatione lignorum & findere ligna; quod ligna fignificent bona quæ operum, & quæ juftitiæ, & findere ligna quod fignificet meritum ponere in bonis quæ operum, at findere ligna holocaufti meritum juftitiæ, apparet remotius, quam ut fciri queat abfque revelatione: quod findere ligna fit meritum ponere in bonis quæ operum, conftare mihi potuit ex illis quæ vifa funt & defcripta in Parte Prima n: 1110 de Sectoribus lignorum, quod fint illi, qui per bona, quæ fecerunt, mereri voluerunt falutem, præterea etiam funt alii antrorfum fuperne paulo ad dextrum, ex quodam orbe, qui pariter omne bonum fibi vindicarunt, & apparent fimiliter fecare & findere ligna; hi quandoque cum laborare fibi videntur, lucent facie ex igne quodam fatuo, quod eft bonum meriti quod fibi tribuunt; caufa quod ita appareat, eft quia Lignum eft repræfentativum boni, ut fuit omne Lignum quod in Arca, & in Templo, tum quoque omne Lignum fuper Altari cum holocaufta & facrificia fiebant; qui autem bonum fibi tribuunt & meritorium faciunt, ii etiam in Verbo dicuntur adorare lignum aut fculptile ex ligno.

2785. Quod furrexit, fignificet elevationem, conftat a fignificatione furgere, quod, ubi occurrit in Verbo, aliquam elevationem involvit.

2786. Et ivit ad locum quem dixit ei Deus, quod fignificet ftatum tunc fecundum perceptionem, conftat a fignificatione loci, quod fit ftatus, de qua n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 2625; & ex fignificatione dicere Deus, quod fit percipere ex Divino, de qua n: 2769. 2778. Quod ipfum ftatum attinet, defcribitur ille in hoc Verfu, nempe ftatus, quem fufcepit Dominus cum tentationes fubiret, hic quem cum tentationes graviffimas & intimas; præparatio prima ad illum ftatum fuit, quod induerit ftatum Pacis & Innocentiæ, tum quod præparaverit Naturalem hominem apud fe, ut & Rationalem, ut infervirent Rationali Divino, quodque adjunxerit meritum juftitiæ, ac ita elevaverit fe: hæc nufquam explicari poffunt ad captum, aut fifti ideæ alicujus, qui nefcit, quod plures ftatus fimul fint, & illi inter fe diftincti, tum qui nefcit quid ftatus pacis & innocentiæ, quid naturalis homo, & quid rationalis, tum quid meritum juftitiæ, diftinctam enim omnium illorum ideam primum habebit, & quoque fciet, quod Dominus ex Divino quofcunque Ipfi placuit ftatus fibi inducere potuerit, & quod præparaverit fe per inductos plures ftatus ad tentationes; hæc tametfi in obfcuro quafi noctes funt apud homines, ufque in claro quafi diei funt apud Angelos, qui quia in luce cœli a Domino, innumerabilia in his & fimilibus diftincte vident, & ex influente affectione tunc ineffabile gaudium percipiunt: inde, quantum intellectuale & perceptivum humanum diftet ab intellectuali & perceptivo Angelico, conftare poteft.

2787. Verf: 4. *In die tertio, & fuftulit Abraham oculos fuos, & vidit locum e longinquo.* In die tertio fignificat completum & principium fanctificationis: & fuftulit Abraham oculos fuos & vidit, fignificat cogitationem

nem & intuitionem ex Divino: locum e longinquo, fignificat ftatum quem prævidit.

2788. In die tertio, quod fignificet completum & principium fanctificationis, conftat a fignificatione diei tertii; dies in Verbo fignificat ftatum, n: 23. 487. 488. 493. 893, ficut etiam annus, in genere omnia tempora, ut hora, dies, feptimana, menfis, annus, fæculum, ut & mane, meridies, vefpera, nox; ac ver, æftas, autumnus, hyems; quibus cum additur tertia vel tertius, fignificant illius ftatus finem, & fimul ftatus fequentes principium; hic quia de fanctificatione Domini agitur, quæ per tentationes, dies tertius fignificat completum, & fimul principium fanctificationis, ut quoque fequitur ab illis quæ præcedunt; caufa fignificationis eft, quia Dominus, cum omnia impleviffet, die tertio refurgeret, nam quæ a Domino, dum vixit in mundo, facta funt, feu quæ fierent, in Ecclefiæ repræfentativis fuerunt ficut facta, ut quoque in fenfu interno Verbi, in Deo enim fieri & effe idem eft, imo omne æternum eft Ipfi præfens; inde numerus ternarius repræfentativus fuit, non modo in Antiqua Ecclefia & in Judaica, fed etiam apud varias gentes, videantur quæ de hoc numero dicta funt, n: 720. 901. 1825, quod ex illa origine, conftat apud Hofcheam, "Revertentur ad Jehovam, quia Ille fauciavit, & fanabit nos, percuffit, & obligabit nos, vivificabit nos a duobus diebus, *in die tertio fufcitabit nos*, ut vivamus coram Ipfo," VI: 1. 2, ubi dies tertius pro adventu Domini & refurrectione: Et a Jona, quod in vifceribus pifcis fuerit *Tres dies*, & *Tres noctes*," Jon: ii: 1; de quibus ita Dominus apud Matthæum, "Quemadmodum fuit Jonas in ventre ceti *Tribus diebus* & *Tribus noctibus*, fic erit Filius hominis in corde terræ *Tribus diebus* & *Tribus noctibus*," XII: 40: fciendum eft, quod in fenfu interno Verbi, Tres dies, & Tertius dies, idem fignificent, ut quoque in locis quæ fequuntur, Tria & Tertium: apud Johannem, "Dixit Jefus Judæis, folvite Templum hoc, in *Tribus* tamen *diebus* exfufcitabo illud; Ipfe loquebatur de Templo corporis fui," ii: 19. 20. 21. Matth: XXVI: 61. Marc: XIV: 58. Cap: XV: 29; quod Dominus Tertio die refurrexerit, notum eft: ideo etiam Dominus diftinxit tempora vitæ fuæ in Tria, apud Lucam, "Euntes dicite vulpi ifti, ecce ejicio dæmonia, & fanationes perficio hodie & cras, fed *Tertio die* confumor," XIII: 32: "Etiam ultimam Tentationem, quæ erat crucis, fuftinuit Dominus *Hora Tertia* diei," Marc: XV: 25; "& poft *Tres horas* tenebræ factæ funt fuper univerfam terram, feu *Hora Sexta*," Luc: XXIII: 44; "& poft *Tres horas*, feu *hora nona*, finis," Marc: XV: 33. 34. 37: "Mane autem *Tertio die* refurrexit," Marc: XVI: 1. 2. 3. 4. Luc: XXIV: 7; videatur Matth: XVI: 21. Cap: XVII: 22. 23. Cap: XX: 18. 19. Marc: IX: 31. Cap: VIII: 31. Cap: X: 33. 34. Luc: XVIII: 33. Cap: XXIV: 46. inde, & imprimis ex Refurrectione Domini die Tertio, numerus Ternarius repræfentativus & fignificativus fuit, quod fuerit, conftare poteft ab his in Verbo locis, "Cum Jehovah defcenderet fuper monte Sinai, dixit ad Mofen, ut fancti-

ſanctificaret populum *hodie & cras*, & ut lavarent veſtes ſuas, & eſſent parati in *diem Tertium*, quia in *die Tertio* deſcendet Jehovah," Exod : XIX : 10. 11. 15. 16. "Cum profecti a monte Jehovæ itinere *Trium dierum*, Arca Jehovæ proficiſcebatur coram iis itinere *Trium dierum* ad inveſtigandum iis requiem," Num : X : 33 : "præterea quod fuerit caligo in omni terra Ægypti *Tres dies*, & non viderit vir fratrem ſuum *Tres dies*, ab filiis Iſraelis fuerit lux," Exod : X : 22. 23. "Quod caro ſacrificii votivi & ſpontanei comederetur *primo & ſecundo die*, nihil relinqueretur ad *diem Tertium*, ſed combureretur, quia abominatio; pariter caro ſacrificii Euchariſtici, & ſi comederetur *die Tertio*, non placaretur, ſed anima iniquitatem ſuam portaret," Levit : VII : 16. 17. 18. Cap : XIX : 6. 7. "Quod tangens mortuum ſe expiaret *die Tertio*, & die ſeptimo mundus eſſet; ſi non, exſcinderetur anima illa ex Iſraele : & quod ſpargeret aquam mundus ſuper immundum *die Tertio* & die ſeptimo," Num : XIX : 12. 13. 19. "Qui in prælio occiderunt animam, & tetigerunt confoſſum, quod purificarent ſe *die Tertio*, & die ſeptimo," Num : XXXI : 19. "Quod fructus, cum venirent in terram Canaanem, *Tribus annis* eſſet præputiatus, & non comederetur," Levit : XIX : 23. "Quod a fine *Trium annorum* educerent omnes decimas proventus ſui in *anno iſto*, & reponerent in portis, ut levita, peregrinus, pupillus, & vidua, comederent," Deut : XIV : 28. 29. Cap : XXVI : 12. "Quod *Tribus vicibus in anno*, feriarentur Jehovæ : & *Tribus vicibus in anno* compareret omnis maſculus ante faciem Domini Jehovæ," Exod : XXIII : 14. 17. Deut : XVI : 16. "Quod Joſua diceret ad populum, quod in *Tres dies* tranſirent Jordanem, & hæreditarent terram," Joſ : I : 11. Cap : III : 2 : "Quod Jehovah clamaverit ad Samuelem *Tribus vicibus*, & ille *Tertia vice* reſponderet," 1 Sam : III : 8. "Cum Saul occidere vellet Davidem, quod David ſe occultaret in agro ad *veſperam Tertiam* : Jonathan diceret ad Davidem, explorabo patrem meum tempore *craſtino Tertio* : quod Jonathan *Tres ſagittas* ad latus lapidis jacularetur : quodque David coram Jonathane tunc ceciderit ſuper faciem ſuam ad terram, & incurvaverit ſe *Tribus vicibus*," 1 Sam : X : 5. 12. 19. 20. 35. "Quod David eligeret ex *Tribus* unum; vel ſeptem annos famis in terra; vel *Tribus menſibus* fugeret coram hoſtibus : vel *Tribus diebus* peſtem in terra," 2 Sam : XXIV : 12. 13. "Quod fames, diebus Davidis, *Tribus annis* fuerit, anno poſt annum," 2 Sam : XXI : 1. "Quod Elias ſe menſus ſuper puero mortuo *Tribus vicibus*, & vivificaverit illum," 1 Reg : XVII : 21. "Elias, cum ædificaverat altare Jehovæ, quod diceret, ut effunderent aquas ſuper holocauſtum, & ſuper ligna *Tribus vicibus*," 1 Reg : XVIII : 34. "Quod ignis conſumſerit præfectos ſuper quinquaginta miſſos ad Eliam *Binis vicibus*, non autem miſſum *Tertia vice*," 2 Reg : I : 13. "Quod eſſet ſignum Chiſkiæ Regi, quod comederent eo anno ſponte natum, in anno ſecundo ultro creſcens, *anno* autem *Tertio* ſererent, meterent, plantarent vineas, & comederent fructum eorum," 2 Reg : XIX. "Quod Daniel ingreſſus domum ſuam, & feneſtræ apertæ illi in cœnaculo verſus Hiero-

Hierosolymam, ubi *Tribus vicibus in die*, benediceret super genubus, & oraret," Dan: VI: 11. 14. "Quod Daniel lugeret *Tribus septimanis dierum*, panem desideriorum non comedens, nec vinum bibens, nec se ungens, usque dum implerentur *Tres Septimanæ dierum*," Dan: X: 2. 3. "Quod Esaias iret nudus & discalceatus *Tribus annis*, in signum & prodigium super Ægypto & super Kuscho," Esai: XX: 3. "Quod ex Candelabro exirent *Tres* calami utrinque, & *Tres Schyphi* amygdalati in quovis calamo," Exod: XXV: 32. 33. "Quod in Urim & Thumim essent *Tres Lapides pretiosi* in quovis ordine," Exod: XXVIII: 19. "Quod in Novo Templo erunt Thalami portæ *Tres* hinc & *Tres* illinc, mensura una *Ternis illis*; ad porticum domus latitudo portæ *Tres* ulnæ hinc & *Tres* ulnæ illinc," Ezech: XL: 10. 21. 48. "Quod in Nova Hierosolyma erunt *Tres* portæ ad septentrionem, *Tres* ad orientem, *Tres* ad meridiem, & *Tres* ad occidentem," Ezech: XLVIII: 31. 32. 33. 34. Apoc: XXI: 13. Similiter in his "Quod Petrus *Ter* abnegaverit Jesum," Matth: XXVI: 34. 69 seq: "Quod Dominus dixerit Petro *Tribus vicibus*, amasne Me," Joh: XX: 17. "Tum in Parabola, quod homo, qui plantavit vineam, *Tribus vicibus* miserit servos, tandem Filium," Luc: XX: 12. Marc: XII: 2. 4. 5. 6. "Qui laborabant in vinea, quod conducti hora *Tertia*, horâ *Sexta*, hora *Nona*, & hora undecima," Matth: XX: 1 ad 17. "Et de Ficu, quia non ferret fructum per *Tres annos*, quod exscinderetur," Luc: XIII: 6. 7. "Sicut *Trinum* & *Tertium* erat repræsentativum, etiam erat *Tertia pars*; ut quod minchæ de similagine duæ decimæ mixtæ esset oleo *Tertia hinis parte*; & vinum in libamen esset *Tertia hinis*," Num: XV: 6. 7. Ezech: XLVI: 14. apud Ezechielem, "Quod traduceret novaculam super caput suum, & super barbam suam, & dein divideret crines, & *Tertiam partem* igne combureret, *Tertiam* percuteret gladio circum eam, & *Tertiam* dispergeret in ventum," V: 1. 2. 11. Apud Sachariam, "Quod in universa terra, duæ partes exscinderentur, & *Tertia* relinqueretur, sed duceretur *Tertia* per ignem, & probaretur," XIII: 8. 9 Apud Johannem, "Cum clanxit Angelus primus, facta est grando, & ignis mixtus sanguine, & cecidit super terram, ita ut *Tertia pars* arborum combusta sit. Secundus Angelus clanxit, & quasi mons magnus igne ardens projectus est in mare, & facta est *Tertia pars* maris, sanguis, unde mortua *Tertia pars* creaturarum in mari habentium animas; & *Tertia pars* navium corrupta est. Tertius Angelus clanxit, & cecidit e cœlo stella magna ardens sicut lampus, & cecidit super *Tertiam partem* fluviorum, nomen stellæ absinthium. Quartus Angelus clanxit, ita ut percussa sit *Tertia pars* solis, & *Tertia pars* lunæ, & *Tertia pars* stellarum, ut obtenebraretur *Tertia pars* earum, & dies non luceret *Tertia sui parte*, noxque similiter," Apoc: VIII: 7. 8. 9. 10. 11. 12. "Soluti sunt quatuor Angeli, ut occiderent *Tertiam partem* hominum," Apoc: IX: 15. "A *Tribus* his occisi sunt *Tertia pars* hominum, ab igne, fumo, & sulphure, quod exibat ex ore equorum," Apoc: IX: 18. "Draco cauda traxit *Tertiam partem* stellarum cœli, & projecit in terram," Apoc: XII: 4: Sed Tertia pars significat aliquid, & non-

nondum plenum; at Tertium & Trinum completum, & hoc pro malis malum, & pro bonis bonum.

2789. Et sustulit Abraham oculos & vidit, quod significet cogitationem & intuitionem ex Divino, constat a significatione oculorum, quod sit intelligentia, de qua n: 2701, inde tollere oculos, quod sit elevare illam, ita cogitare; & a significatione videre, quod sit intueri ex Divino, quia prædicatur de Domino.

2790. Locum e longinquo, quod significet in statum quem prævidit, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 2625; & a significatione videre e longinquo, quod sit prævidere.

2791. Vers: 5. *Et dixit Abraham ad pueros suos, manete vobis hic cum asino, & ego & puer ibimus usque illuc, & incurvabimus nos, & revertemur ad vos.* Dixit Abraham ad pueros suos, manete vobis hic cum asino, significat separationem Rationalis prioris cum naturali tunc: & ego & puer ibimus usque illuc, significat Divinum Rationale in statu veri accinctum gravissimis & intimis tentationum pugnis; puer est Rationale Divinum in tali statu: & incurvabimus nos, significat submissionem: & revertemur ad vos, significat conjunctionem dein.

2792. Dixit Abraham ad pueros suos, manete vobis hic cum asino, quod significet separationem Rationalis prioris cum naturali tunc, constat a significatione manere vobis hic, quod sit separari tamdiu; a significatione puerorum, quod sit Rationale prius, de qua supra n: 2782; & a significatione Asini, quod sit naturalis homo seu naturale, de qua etiam supra n: 2781.

2793. Et ego & puer ibimus usque illuc, quod significet Divinum Rationale in statu veri accinctum gravissimis & intimis tentationum pugnis; & quod puer sit Rationale Divinum in tali statu, constare potest a repræsentatione Jischaki, quod sit Rationale Divinum, hic autem quia non dicitur Jischakus, nec filius meus, ut prius, sed puer, quod sit Rationale Divinum in tali statu, de qua mox sequitur.

2794. Et incurvabimus nos, quod significet submissionem, constare potest absque explicatione.

2795. Et revertemur ad vos, quod significet conjunctionem dein, etiam constare potest absque explicatione: quia in hoc Capite agitur de gravissimis & intimis tentationibus Domini, describuntur omnes status, quos suscepit, cum illas subiret; primus status describitur Vers: 3; alter status in hoc Versu, tertius status in Versu mox sequente, & cæteri dein; sed illi ad captum vulgarem exponi nequeunt, nisi plura prius sciantur, non modo de Divino Domini, quod hic per Abrahamum repræsentatur, sed etiam de Humano Divino Ipsius quod per Jischakum, & de statu hujus Rationalis cum pugnas tentationum iniret & subiret, quod hic est puer; præter quid & quale Rationale prius, ut & Naturale quod isti, tum qualis status cum adjunctum unum alteri, & qualis status cum separata magis & minus; insuper

fuper fcientur plura de Tentationibus, ut quid Tentationes exteriores & interiores, inde quid Tentationes intimæ & graviffimæ quæ Domino, de quibus in hoc Capite; quamdiu hæc ignorantur, nufquam defcribi ad captum poffunt illa quæ in hoc Verfu; & fi defcriberentur, etiam clariffime, ufque apparebunt obfcura; Angelis, quia in luce cœli a Domino, funt hæc omnia manifefta & clara, imo beata, quia cœleftiffima. Hic modo dicendum, quod Dominus nufquam potuit tentari, cum fuit in ipfo Divino, Divinum enim eft infinite fupra omnem tentationem, fed potuit quoad Humanum; hæc caufa eft, quod, cum graviffimas & intimas tentationes fubiret, adjunxerit fibi humanum prius, nempe ejus rationale & naturale, ut in Verf: 3, defcribitur, & dein quod feparaverit fe ab illis, ut in hoc Verfu dicitur, at ufque quod retinuerit tale, per quod tentari poffet, quæ caufa eft, quod hic non dicatur Jifchakus filius meus, fed puer, per quem quod intelligatur Rationale Divinum in tali ftatu, nempe in ftatu veri accinctum graviffimis & intimis tentationum pugnis, videatur n: 2793: quod non ipfum Divinum, nec Divinum Humanum poffet tentari, unicuivis conftare poteft, folum ex eo, quod ne quidem Angeli ad Divinum approximare poffint, minus fpiritus, qui tentationes inducunt, & adhuc minus inferna; inde patet, cur Dominus in mundum venit, & ipfum humanum ftatum cum infirmo ejus induit, fic enim potuit quoad humanum tentari, & per tentationes fubjugare inferna, ac omnia & fingula ad obedientiam, & in ordinem, redigere, ac falvare humanum genus, quod tam longe fe removit a fupremo Divino.

2796. Quod induitiones variorum ftatuum a Domino attinet, de quibus hic agitur, non poffunt non ignotæ effe homini, quia nufquam fuper mutationes ftatuum reflectit, cum tamen hæ continuæ funt, tam quoad intellectualia feu cogitationes, quam quoad voluntaria feu affectiones; quod fuper has non reflectat, caufa eft, quia credit omnia & fingula apud fe naturali ordine confequi, & nihil effe fuperius quod dirigit; cum tamen ita fe habeat, quod omnia & fingula difponantur per fpiritus & angelos apud eum, & quod omnes ftatus & ftatuum mutationes inde fint, & fic dirigantur a Domino ad fines in æternum, quos folus Dominus prævidet; quod ita fe res habeat, mihi per plurium nunc annorum experientiam, notiffimum factum eft; tum fcire & obfervare datum, quinam fpiritus & angeli apud me effent, & quofnam ftatus inducerent; & hoc afseverare poffum, quod omnes ftatus ufque ad minima eorum inde veniant, & quod a Domino ita dirigantur; tum fcire & obfervare datum, quod in unoquovis ftatu fint perplures alii, qui non apparent, & qui cum fimul funt apparent ut communis unus, & quod illi ftatus difpofiti fint ad ftatus qui ordine in fua ferie fequuntur: hæc apud hominem fiunt a Domino; at apud Ipfum Dominum, cum vixit in mundo, fiebant ab Ipfo, quia Divinus erat, & ipfum Effe vitæ Ipfius fuit Jehovah. Mutationes ftatus quoad intellectualia & voluntaria apud hominem, & quo ordine confequuntur, tum

D per

per quas feries labuntur, & fic quomodo flectuntur a Domino ad bonum quantum poffibile, fcire, angelicum eft, Angelorum fapientia talis eft, ut minutiffima talia percipiant, inde eft, quod hæc, quæ de mutationibus ftatus apud Dominum in fenfu interno revelata funt, angelis, quia in luce cœli a Domino, clare & diftincte perceptibilia fint, etiam aliquantum intelligibilia homini qui in fimplici bono vivit; fed folum obfcura, & velut nulla illis, qui in malo, tum qui in fapientiæ deliriis funt, hi enim naturale & rationale fuum lumen, per plura, quæ tenebras induxerunt, obfcurarunt & exftinxerunt, utcunque hi credunt fe in luce effe præ aliis.

2797. Verf: 6. *Et accepit Abraham ligna holocaufti, & pofuit fuper Jifchako filio fuo, & accepit in manu fua ignem & cultrum, & iverunt ambo illi fimul.* Accepit Abraham ligna holocaufti, fignificat meritum juftitiæ: & pofuit fuper Jifchako, fignificat quod adjunctum Rationali Divino: & accepit in manu fua ignem & cultrum, fignificat bonum amoris & verum fidei: & iverunt ambo illi fimul, fignificat unitionem quantum poffibile.

2798. Accepit Abraham ligna holocaufti, quod fignificet meritum juftitiæ, conftat ex illis quæ fupra n: 2784 dicta & oftenfa funt, ita abfque ulteriore explicatione. Et pofuit fuper Jifchako, quod fignificet quod adjunctum Rationali Divino, nempe meritum juftitiæ, conftare poteft a repræfentatione Jifchaki, quod fit Rationale Divinum Domini, de qua fæpe prius; & ex fignificatione ponere fuper illo, quod fit adjungere; filius fuus dicitur, quia Divinum Humanum Domini non modo conceptum, fed etiam natum eft a Jehovah; quod Dominus conceptus a Jehovah, notiffimum eft a Verbo Domini, inde vocatur Filius Altiffimi, Filius Dei, & Unigenitus Patris, Matth: II: 15. Cap: III: 16. 17. Cap: XVI: 13. 14. 15. 16. 17. Cap: XVII: 5. Cap: XXVII: 43. 54. Marc: I: 10. Cap: IX: 7. 9, Cap: XIV: 61. 62. Luc: I: 31. 32. 35. Cap: III: 21. 22. Cap: IX: 35. Cap: X: 22. Joh: I: 14. 18. 50. Cap: III: 13. 16. 17. 18. Cap: V: 20 ad 27. Cap: VI: 69. Cap: IX: 34. 35. 38. Cap: X: 35. 36. Cap: XX: 30. 31, præter plurimis aliis in locis, ubi Jehovam Patrem fuum nominat; quod natus a virgine Maria, etiam notum eft, fed ut homo alius; verum cum iterum natus feu Divinus factus, fuit a Jehovah Qui in Ipfo, & Qui Ipfe quoad ipfum Effe vitæ; unitio Divinæ & Humanæ Effentiæ facta eft mutuo & viciffim, fic ut Divinam Effentiam univerit Humanæ, & Humanam Divinæ, videatur n: 1921. 1999. 2004. 2005. 2018. 2025. 2083. 2508. 2523. 2618. 2628. 2632. 2728. 2729; inde conftare poteft, quod Dominus ex propria potentia in Se Humanum Divinum fecerit, & fic Juftitia factus: Meritum Juftitiæ fuit, quod adjunctum Rationali Divino, cum intimas tentationes fubiret, ex quo tunc pugnavit, & contra quod pugnarunt mali genii, ufque dum illud quoque glorificaverit. Hæc funt, quæ in fenfu interno intelliguntur per quod Abraham ligna holocaufti pofuerit fuper Jifchako filio fuo, & hæc funt quæ ab Angelis percipiuntur, cum hæc verba leguntur.

2799.

2799. Et accepit in manu sua ignem & cultrum, quod significet bonum amoris & verum fidei, constat a significatione ignis, quod sit bonum amoris, de qua n: 934; & a significatione cultri, quod sit verum fidei: quod culter, qui adhibebatur in sacrificiis ad victimas, significaverit verum fidei, constare potest a significatione gladii seu gladioli in Verbo, loco enim Cultri gladiolus dicitur, uterque ejusdem significationis est, sed cum differentia, quod culter, qui ad victimas, significaverit verum fidei, sed gladius verum pugnans; & quia culter raro nominatur in Verbo, ex causa arcana, de qua infra, licet ostendere quid Gladius significat: Gladius significat in sensu interno Verum fidei pugnans, tum Vastationem veri; & in opposito sensu Falsum pugnans, & Punitionem falsi. I. *Quod Gladius significet Verum fidei pugnans*; constare potest ab his locis; apud Davidem, "Accinge Te *Gladio tuo super femur*, potens, gloria & honore tuo prosperare, *equita super verbum veritatis*, & docebit te mirabilia dextra tua," Psalm: XLV: 4. 5, ubi de Domino, Gladius pro vero pugnante: apud Eundem, "Exultabunt misericordes in gloria, cantabunt super cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorum, & *Gladius acierum in manu eorum*," Psalm: CXLIX: 5. 6. Apud Esaiam, "Jehovah ab utero vocavit Me, a visceribus matris meæ meminit nominis mei, & *posuit os meum sicut gladium acutum*, & posuit Me in sagittam purgatam," XLIX: 1. 2. Gladius acutus pro vero pugnante, sagitta purgata pro vero doctrinæ, videatur n: 2680. 2709: apud Eundem, "Cadet Aschur *Gladio non viri*, *gladius non hominis comedet eum*, & fugiet sibi coram *Gladio*, & juvenes ejus in tributum erunt," XXXI: 8, Aschur pro ratiocinatione in Divinis, n: 119. 1186, gladius non viri & non hominis pro falso, gladius coram quo fugiet pro vero pugnante. Apud Sachariam, "Convertimini ad munitionem vincti exspectatione, etiam hodie indicans duplum reddam tibi, qui extendi mihi Judah arcum, implevi Ephraim, & excitavi filios tuos Zion super filios tuos Javan, & *ponam te velut Gladium fortis*, & Jehovah super eis apparebit, & exibit sicut fulgur jaculum Ipsius," VIII: 12. 13. 14, Gladius fortis pro vero pugnante. Apud Johannem, "In medio septem candelabrorum similis Filio hominis, habebat in dextra sua stellas septem, *ex ore Illius Gladius anceps acutus exiens*, & aspectus Ipsius sicut Sol lucens in virtute sua," Apoc: I: 13. 16; porro "Hæc dicit, qui habet *Gladium ancipitem acutum*, veniam tibi cito, & *pugnabo* cum illis *gladio oris mei*," Apoc: II: 12. 16, Gladius anceps acutus manifeste pro vero pugnante, quod repræsentatum ideo sicut Gladius ex ore: apud Eundem, "*Ex ore* sedentis super equo albo *exibat gladius acutus*, & per illum percutiet gentes: & occisi sunt *Gladio sedentis super equo*, *qui exibat ex ore illius*," Apoc: XIX: 15. 21, ubi quod Gladius ex ore sit verum pugnans, patet; Sedens super equo albo, quod sit Verbum, ita Dominus Qui Verbum, videatur supra n: 2760. 2761. 2762. 2763: inde est, quod Dominus dicit apud Matthæum, "Ne igitur existimate quod venerim ad mittendum pacem super terram, non veni mittere pacem, sed *Gladium*," X: 34; & apud Lucam, "Nunc qui

habet crumenam tollat, similiter etiam peram, qui vero non habet, vendat vestimenta sua, & *emat Gladium*; illi dixerunt, Domine, ecce *Gladii hic duo*, sed Jesus dixit, sufficit," XXII: 36. 37. 38; ubi per Gladium non aliud intelligitur quam Verum, ex quo & pro quo pugnarent. Apud Hoscheam, "Pangam eis fœdus in die illo cum fera agri, & cum avi cœlorum, & reptili humi, & *arcum*, & *gladium*, & *bellum* frangam de terra, & faciam cubare eos confidenter," II: 18, ubi de Regno Domini, per frangere arcum, gladium, & bellum, significatur, quod nulla ibi pugna de doctrina & vero. Apud Josuam, "Josua levavit oculos suos, & vidit, & ecce vir stans e regione ejus, & *Gladius evaginatus in manu ejus*; dixit ad Josuam, Ego princeps exercitus Jehovæ; & cecidit Josua super faciem suam ad terram," V: 13. 14, hæc, quando Josua cum filiis Israelis ingressus in terram Canaanem, per quæ intelligitur introitus fidelium in Regnum Domini, Verum pugnans, quod Ecclesiæ, est Gladius evaginatus in manu principis exercitus Jehovæ. Quod autem per gladiolos seu cultros, significetur Verum fidei, constare potest inde, tum quod adhiberentur non modo in Sacrificiis, sed etiam in Circumcisione, in hac fuerunt ex lapide, & dicti gladioli petrarum, ut patet apud Josuam, "Dixit Jehovah ad Josuam, fac tibi *gladiolos petrarum*, & itera, circumcide filios Israelis secundo: & fecit sibi Josua *gladiolos petrarum*, & circumcidit filios Israelis ad collem præputiorum," V: 2. 3; quod Circumcisio fuerit repræsentativum purificationis ab amore sui & mundi, videatur n: 2039. 2632, quæ purificatio, quia fit per vera fidei, ideo gladioli petrarum, n: 2039 f. 2046, f. II. *Quod Gladius significet vastationem veri*, constat ab his locis, apud Esaiam, "Duo hæc evenient tibi, quis condoleat tibi, *Vastatio* & Contritio, & fames & *Gladius*, quis consoletur te; filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum," LI: 19. 20, fames pro vastatione boni, & gladius pro vastatione veri, jacere in capite omnium platearum pro orbari omni vero, quod platea sit verum, n: 2336; quid vastatio, videatur, n: 301. 302. 303. 304. 407. 408. 410. 411: apud Eundem, "*Numerabo vos gladio*, & omnes vos mactationi incurvabitis vos, propterea quod vocavi, & non respondistis, loquutus sum, & non audivistis," LXV: 12: apud Eundem, "In *igne* Jehovah judicabit, & in *Gladio*, omnem carnem, & multi erunt confossi Jehovæ," LXVI: 16, confossi Jehovæ pro vastatis. Apud Jeremiam, "Super omnes colles in deserto venerunt *vastatores*, quia *Gladius Jehovæ* devorans ab extremo terræ, & usque ad extremum terræ, non pax ulli carni, seminaverunt tritica, & spinas messuerunt," XII: 12. 13; Gladius Jehovæ manifeste pro vastatione veri: apud Eundem, "Mentiti sunt in Jehovam, & dixerunt, non Ipse, & non veniet super nos malum, & *Gladium* & famem non videbimus; & prophetæ erunt in ventum, & sermo nullus in eis," V: 12. 13: apud Eundem, "Ego visitans super eos, juvenes *morientur Gladio*, filii eorum & filiæ eorum *morientur fame*," XI: 22: apud Eundem, "Cum offerunt holocaustum & mincham, non Ego propitiabo illa, quia *Gladio* & *Fame*, & Peste, Ego consumens eos; & dixi, ah ah Domine Jehovih,

Jehovih, ecce prophetæ dicentes eis, non videbitis *Gladium*, & fames non erit vobis," XIV : 12. 13 : apud Eundem, " Urbs data eft in manum Chaldæorum pugnantium contra illam, a coram *Gladio*, & *Fame*, & *Pefte*," XXXII : 24. 36 : apud Eundem, " Mittam in eos *Gladium*, *Famem*, & *Peftem*, ufque ad confumere eos defuper humo, quam dedi eis & patribus eorum" XXXIV : 10 ; in quibus locis Vaftatio defcribitur per Gladium, famem, & peftem, per Gladium vaftatio veri, per famem vaftatio boni, per peftem graffatio ufque ad confumtionem. Apud Ezechielem, " Fili hominis, accipe *Gladium acutum*, novaculam tonforum, accipias illam tibi, & tranfire facias fuper caput tuum, & fuper barbam tuam, & accipias tibi lances ponderis, & dividas ea ; tertiam partem igne comburas in medio urbis ; tertiam partem percutias *Gladio* circumcirca eam ; & tertiam partem difpergas in ventum, & *Gladium evacuabo poft eos.* Pars tertia *pefte* morientur, & *fame* confumentur in medio, & tertia pars *gladio cadet* circumcirca, & tertiam partem in omnem ventum difpergam, & *gladium evacuabo poft eos*," V : 1. 2. 12. 17, ibi de Vaftatione Veri naturalis, quæ ita defcribitur : apud Eundem, " *Gladius* foris, & *fames* & *peftes* intus, qui in agro *gladio morietur*, & qui in urbe, fames & peftis comedet eum," VII : 15 : apud Eundem, " Dicas humo Ifraelis, fic dixit Jehovah, ecce Ego ad te, & *educam Gladium meum e vagina fua*, & exfcindere faciam ex te juftum & improbum : propterea ut exfcindere faciam ex te juftum & improbum, ideo *exibit Gladius meus e vagina fua*, non revertetur amplius. Fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo, fili hominis propheta & dicas, fic dixit Jehovah, dic, *Gladius*, *Gladius exacutus*; & etiam *terfus*, ad mactandum mactationem *executus* ; ut fit ei fulgur *terfus* eft. Fili hominis, propheta & dicas, fic dixit Dominus Jehovih ad filios Ammonis, & ad opprobrium eorum, & dicas, *Gladius*, *Gladius apertus* ad mactationem, & terfus ad confumendum propter fulgur, in videndo tibi vanitas, in divinando tibi mendacium," XXI : 3. 4. 5. 8. 9 10. 28. 29 ; ibi per gladium nihil aliud fignificatur quam vaftatio, ut patet a fingulis in fenfu interno : apud Eundem, " Rex Babelis turres tuas *deftruit Gladiis fuis*, præ copia equorum operiet te pulvis eorum, præ voce equitis & rotæ, & currus, commovebuntur muri tui, ungulis equorum fuorum conculcabit omnes plateas tuas," XXVI : 9. 10. 11 ; quid Babel videatur n : 1326, quod vaftet n : 1327 : apud Davidem, " Si non converfus fuerit, *Deus Gladium fuum* acuet, arcum fuum tendet, & præparabit illum," Pfalm : VII : 13 : apud Jeremiam, " Dixi, Ahah Domine, vere imponendo impofuifti populo ifti & Hierofolymæ, dicendo, pax erit vobis, & *pertigit Gladius ufque ad animam*," IV : 10. apud Eundem, " Annuntiate in Ægypto, & audiri facite in Migdal, fifte & præpara te, quia devorabit *Gladius* circuitus tuos," XLVI : 14 : apud Eundem, " *Gladius* fuper Chaldæos, & ad habitatores Babelis, & ad præfectos ejus, & ad fapientes ejus : *Gladius* ad nugatores, & infanient : *Gladius* ad fortes ejus, & conffernabuntur : *Gladius* ad equos ejus, & ad currum ejus, & ad omnem promifcuam turbam quæ in medio ejus, & erunt in mulieres :

lieres: *Gladius* ad thesauros ejus, & diripientur; siccitas ad aquas ejus, & arescent," L: 35. 36. 37. 38, Gladius manifeste pro vastatione veri, nam dicitur gladius ad sapientes, ad nugatores, ad fortes, ad equos & currum, ad thesauros, & quod siccitas ad aquas, & arescent: apud Eundem, "Ægypto dedimus manum, Aschuri ad satiandum pane; servi dominati sunt in nos, liberans nemo e manu eorum, in anima nostra adducebamus panem nostrum, *a coram Gladio deserti*," Thren: V: 9: apud Hoscheam, "Non revertetur ad terram Ægypti, & Aschur ille Rex ejus, quia renuerunt reverti ad Me, & *impendet Gladius in urbibus ejus*, & consumet vectes ejus, & comedet propter consilia eorum," XI: 5. 6: apud Amos, "Misi in vos Pestem in via Ægypti, *interfeci Gladio* juvenes vestros cum captivitate equorum vestrorum," IV: 10; in via Ægypti pro scientificis quæ vastant, cum ex illis ratiocinantur in Divinis; captivitas equorum pro intellectuali deprivato sua dote. III. *Quod Gladius in opposito sensu significet falsum pugnans*, constare potest apud Davidem, "Anima mea in medio leonum cubo inflammantium filios hominis, dentes eorum lancea & jacula, *& linguæ eorum Gladius acutus*," Psalm: LVII: 5: apud Eundem, "Ecce eructant ore suo, *Gladii in labiis eorum*, quia quis audiens," LIX: 8: apud Esaiam, "Tu projectus e sepulchro tuo ut stirps abominabilis, vestimentum occisorum *perforatorum gladio*, descendentium ad lapides foveæ velut cadaver conculcatum," XIV: 19, ubi de Lucifero. Apud Jeremiam, "In vanum percussi filios vestros, disciplinam non receperunt, *comedit Gladius vester prophetas vestros*, tanquam leo corruptor, o generatio, vos videte verbum Jehovæ, num desertum fui Israeli," ii: 30. 31: apud Eundem, "Ne exeas agrum, & in via ne ambules, quia *Gladius inimico*, pavor a circumcirca," VI: 25. 26: apud Eundem, "Sume populum vini furoris, & propinare facias illum omnibus gentibus, ad quas Ego mitto te, & bibent, & commovebuntur, & *insanient coram Gladio*, quem Ego mittens inter vos: bibite & inebriemini, & vomite & cadite, & non resurgatis *coram Gladio*," XXV: 16. 27: apud Eundem, "Ascendite equi, insanite currus, egrediantur fortes, Chusch & Puth prehendentes scutum, & Ludii prehendentes tendentes arcum, & dies ille Domino Jehovih exercituum, dies ultionis, & *devorabit Gladius*, & saturabitur, & inebriabitur de sanguine eorum," XLVI: 9. 10. Apud Ezechielem, "Exuent te vestimentis tuis, & capient vasa gloriæ tuæ, & relinquent te nudam & discoopertam, & ascendere facient super te cœtum, & lapidabunt te lapide, *perfodient te gladiis suis*," XVI: 39. 40, ubi de abominationibus Hierosolymæ: apud Sachariam, "Væ pastori vani, desertor gregis, *Gladius super brachium ejus*, & *super oculum dextrum*, brachium ejus arescendo arescet, & oculus dexter ejus caligando caligabit," XI: 17: apud Hoscheam, "Contra me cogitaverunt malum, *cadent gladio principes eorum propter iram linguæ eorum*, ista subsannatio eorum in terra Ægypti. Apud Lucam, "Erit Angustia magna super terra, & ira in populo hoc, *cadent namque ore gladii*, & captivabuntur inter omnes gentes, tandem Hierosolyma erit conculcata a gentibus," XXI:

23.

23. 24, ubi Dominus de consummatione sæculi, in sensu literæ de Judæis quod dispergendi, & de Hierosolyma quod destruenda; at in sensu interno de statu Ecclesiæ ultimo, per cadere ore gladii significatur quod amplius non verum sed mere falsum, per omnes gentes significantur omnis generis mala, inter quæ captivabuntur, quod gentes sint mala, videatur n: 1259. 1260. 1849. 1868; quod Hierosolyma sit Ecclesia, n: 2117, quæ sic conculcata. IV. *Quod Gladius etiam significet punitionem falsi*, constat apud Esaiam, "In die illo, visitabit Jehovah *gladio suo duro*, & *magno*, & *valido*, super Leviathanem serpentem oblongum, & super Leviathanem serpentem tortuosum, & occidet cetos qui in mari, XXVII: 1, ubi de iis, qui per ratiocinia ex sensualibus & scientificis intrant in mysteria fidei, gladius durus, magnus, & validus, pro punitionibus falsi inde. Ubi legitur, quod devoti & occisi sint *ore gladii*, quandoque a viro ad mulierem, a puero ad senem, ad bovem, pecudem, & asinum, in sensu interno significatur pœna damnationis falsi, ut Jos. VI: 21. Cap: VIII: 24. 25. Cap: X: 28. 30. 37. 39. Cap: XII: 10. 11. 12. 14. Cap: XIII: 22. Cap: XIX: 47. Jud: I: 8. 25. Cap: IV: 15. 16. Cap: XVIII: 27. Cap: XX: 37. 1 Sam: XV: 8. 11. 2 Reg: X: 25, & alibi; inde mandatum, quod Urbs, quæ coleret alios deos, *percuteretur Gladio*, devoveretur, & combureretur igne, & esset in cumulum æternum," Deut: XIII: 13. 19, Gladius pro pœna falsi, ignis pro pœna mali. Quod Angelus Jehovæ cum *Gladio evaginato* in via steterit contra Bileamum, Num: XXII: 22. 31, significabat verum quod obstaret falso in quo erat Bileamus, quare etiam is *Gladio occisus* est, Num: XXXI: 8. Quod Gladius significet in genuino sensu Verum pugnans, & in opposito falsum pugnans, tum vastationem veri & punitionem falsi, originem ducit a repræsentativis in altera vita; ibi enim, cum aliquis loquitur, quod novit esse, falsum, illico tunc super caput ejus sicut gladioli delabuntur & terrefaciunt; & præterea Verum pugnans repræsentatur per illa quæ sunt acuminata instar ensium, siquidem verum absque bono tale est, at cum bono est glomeratum & lene: quia talis origo est, inde est, quoties nominatur culter, seu lancea, seu gladiolus sive gladius in Verbo, obveniat Angelus Verum pugnans. At quod Culter in Verbo vix nominetur, est causa, quia in altera vita sunt spiritus mali, qui vocantur Cultrarii, quorum ad latus apparent Cultri penduli, ex causa, quod iis talis natura ferina ut unumquemvis cultro jugulare velint; inde est, quod Cultri non memorentur, sed gladioli & gladii, hi enim, quia in pugnis usitati, ideam belli, ita veri pugnantis, excitant. Quia notum fuit Antiquis, quod gladiolus, lanceola, & culter significaret verum, inde gentiles, ad quos per traditionem hoc venit, circa sacrificia solebant se gladiolis, lanceolis aut cultris, usque ad sanguinem pungere & lacerare, ut legitur de sacerdotibus Baalis, "Sacerdotes Baalis clamabant voce magna, & *incidebant se juxta morem suum gladiis & lanceolis*, usque ad effundere sanguinem, 1 Reg: XVIII: 28. Quod omnia arma belli in Verbo, significent illa quæ sunt pugnæ spiritualis, & quodlibet aliquod speciale, videatur n: 2686.

2800.

2800. Et iverunt ambo illi fimul, quod fignificet unitionem quantum poffibile, conftare poteft abfque explicatione.

2801. Verf: 7. *Et dixit Jifchak ad Abraham patrem fuum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce ego fili mi, & dixit, ecce ignis & ligna, & ubi pecus in holocauftum.* Dixit Jifchak ad Abraham patrem fuum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce ego fili mi, fignificat colloquutionem Domini ex Amore Divini Veri cum Divino Bono; Divinum Verum eft filius, Divinum Bonum eft pater: & dixit, ecce ignis & ligna, fignificat quod amor & juftitia adfint: ubi pecus ad holocauftum, fignificat ubi illi ex humano genere qui fanctificentur.

2802. Dixit Jifchak ad Abraham patrem fuum, & dixit pater mi, & dixit, ecce ego fili mi, quod fignificet colloquutionem Domini ex amore Divini Veri cum Divino Bono, conftat ex fignificatione Jifchaki filii, quod fit Divinum Verum, & ex fignificatione Abrahami patris, quod fit Divinum Bonum, de quibus mox fequitur; & ex affectione quæ in his verbis, quod fit utrinque ex amore; inde patet, quod fit colloquutio Domini cum Patre Ipfius: quod in his verbis plura arcana lateant, quam quæ ad humanam perceptionem venire poffint, conftare poteft ex eo, quod *Dixit* quater in hoc Verfu recurrat; ufitatum eft in Verbo, cum novum quid inchoatur, quod dicatur, *& dixit*, videatur n: 2061. 2238. 2260; tum ex eo, quod verba fint amoris, quæ cum ad cœleftium Angelorum, qui in fenfu intimo funt, perceptionem veniunt, cœleftiffimas ideas inde fibi formant, illi enim ex affectionibus in Verbo formant fibi idearum luces, at Angeli fpirituales ex vocum & rerum fignificationibus, n: 2157. 2275, ita ex his, ubi quatuor diftinctæ periodi & affectionis amoris, talia, quæ nufquam ad captum humanum defcendere, nec in voces dari poffunt, & hoc copia & varietate ineffabili; inde conftare poteft, quale eft Verbum in fenfu fuo interno, etiam ubi in litera ficut fimplex apparet, ut in hoc Verfu.

2803. Quod Divinum Verum fit filius, & Divinum Bonum fit pater, conftare poteft ex fignificatione filii, quod fit Verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2633; & patris, quod fit Bonum; tum ex conceptione & nativitate Veri; quod fit ex Bono; aliunde Verum quam ex Bono effe & exiftere nequit, ut pluries oftenfum: hic quod Filius fit Divinum Verum, & Pater Divinum Bonum; eft quia unio Divinæ Effentiæ cum Humana, & Humanæ cum Divina, eft Conjugium Divinum Boni cum Vero, & Veri cum Bono, ex quo Conjugium cœlefte; in Jehovah enim feu Domino nihil eft nifi Infinitum, & quia infinitum, non capi poteft aliqua idea, modo quod fit Effe & Exiftere omnis Boni & Veri, feu ipfum Bonum & ipfum Verum; ipfum Bonum eft Pater, & ipfum Verum eft Filius; fed quia Conjugium Divinum eft, ut dictum, Boni & Veri, & Veri & Boni, eft Pater in Filio, & Filius in Patre, ut Ipfe Dominus docet, apud Johannem, "Jefus dicit ad Philippum, nonne credis, *quod Ego in Patre & Pater in Me*, credite Mihi, *quod Ego in Patre & Pater in Me*," XIV: 10. 11; & alibi apud Eundem

undem Evangeliſtam, "Jeſus dixit ad Judæos, ſi utique Mihi non creditis, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quod *Pater in Me, & Ego in Patre*," x: 36. 38: & alibi, "Ego pro illis oro, *omnia* namque *Mea Tua ſunt*, & *Tua Mea*, utque omnes unum ſint, ſicut *Tu Pater in Me, & Ego in Te*," xvii: 9. 10. 21: & alibi, "Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus in Ipſo; ſi Deus glorificatus eſt in Ipſo, etiam Deus glorificabit Ipſum in Se Ipſo: *Pater glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te*," xiii: 31. 32. Cap: xvii: 1: inde conſtare poteſt, qualis eſt unio Divini & Humani in Domino, quod nempe ſit mutuo & viciſſim, ſeu reciproca, quæ Unio eſt, quæ vocatur Conjugium Divinum, ex Quo deſcendit Conjugium cœleſte, quod eſt ipſum Regnum Domini in cœlis, de quo ita apud Johannem, "In illo die cognoſcetis, quod Ego in Patre meo, & *Vos in Me, & Ego in Vobis*," xiv: 20: & alibi, "Pro his oro, ut omnes unum ſint, ſicut *Tu Pater in me & Ego in Te*, ut etiam illi in Nobis unum ſint, *Ego in illis & Tu in Me*; ut *amor*, quo amaſti Me, *in illis ſit, & Ego in illis*," xvii: 21. 22. 23. 26: quod Conjugium hoc cœleſte ſit boni & veri, ac veri & boni, videatur n: 2508. 2618. 2728. 2729 ſeq: Et quia Divinum Bonum nuſquam eſſe & exiſtere poteſt abſque Divino Vero, & Divinum Verum nuſquam abſque Divino Bono, ſed unum in altero mutuo & viciſſim, inde manifeſtum eſt, quod Conjugium Divinum fuerit ab æterno, hoc eſt, Filius in Patre, & Pater in Filio, ut Ipſe Dominus docet apud Johannem, "Nunc glorifica Me, Tu Pater, apud Te Ipſum, gloria, quam habui antequam mundus eſſet, apud Te," v: 5. 24; ſed Divinum Humanum, quod fuit natum ab æterno, naſcebatur etiam in tempore, & quod natum in tempore, & glorificatum, idem eſt; inde eſt, quod toties Dominus dixerit, quod iret ad Patrem, qui miſit Ipſum, hoc eſt, quod ad Patrem rediret; & apud Johannem, "In principio erat Verbum: (Verbum eſt ipſum Divinum Verum:) & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt: cæterum Verbum caro factum, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipſius, gloriam ſicut Unigeniti a Patre, plenus gratia & veritate," i: 1. 2. 3. 14: videatur etiam Joh: iii: 13. Cap: vi: 62.

2804. Dixit, ecce ignis & ligna, quod ſignificet quod amor & juſtitia adſint, conſtat ex ſignificatione ignis, quod ſit amor, de qua n: 934; & ex ſignificatione lignorum holocauſti, quod ſit meritum juſtitiæ, de qua n: 2784.

2805. Ubi pecus ad holocauſtum, quod ſignificet ubi illi ex genere humano qui ſanctificentur, conſtat ex repræſentatione Sacrificiorum, imprimis Holocauſtorum; quod Holocauſta & Sacrificia fuerint repræſentativa cultus interni, videatur n: 922. 923; & quod facta ex grege & ex armento; dum ex Grege, quod ex agnis, ovibus, capris, hædis, arietibus, hircis, cum ex Armento, quod ex bovibus, juvencis aut vitulis, quæ quod cœleſtium & ſpiritualium varia genera ſignificaverint, videatur n: 922. 1823. 2180; &

quod per illa ſanctificarentur, n: 2776; inde conſtare poteſt, quod per interrogationem Jiſchaki, *ubi pecus ad holocauſtum*, ſignificetur, ubi illi ex genere humano qui ſanctificentur; quod manifeſtius patet a ſequentibus, nempe a reſponſo Abrahami patris, *Deus videbit ſibi pecudem in holocauſtum*, Verſ: 8, quibus ſignificatur, quod Divinum Humanum providebit illos qui ſanctificentur; & ex eo, quod dein viſus aries poſt detentus in perplexo cornibus, qui oblatus in holocauſtum, Verſ: 13, quibus ſignificantur illi ex Genere humano, qui a ſpirituali Domini Eccleſia ſunt, & præterea ex illis quæ ſequuntur a Verſ: 14 ad 17.

2806. Verſ: 8. *Et dixit Abraham, Deus videbit ſibi pecudem in holocauſtum, fili mi; & iverunt ambo illi una.* Dixit Abraham, Deus videbit ſibi pecudem in holocauſtum, fili mi, ſignificat reſponſum quod Divinum Humanum providebit illos qui ſanctificentur: & iverunt ambo illi una, ſignificat unitionem adhuc arctiorem quantum poſſibile.

2807. Dixit Abraham, Deus videbit ſibi pecudem in holocauſtum, fili mi, quod ſignificet reſponſum quod Divinum Humanum providebit illos qui ſanctificentur, conſtat ex ſignificatione videre ſibi, cum prædicatur de Deo, quod ſit Prævidere & Providere; Videre enim in ſenſu proxime interno eſt intelligere, n: 2150. 2325; in ſenſu autem adhuc interiori, eſt fidem habere, n: 897. 2325; at in ſenſu Supremo, eſt Prævidere & Providere: tum ex ſignificatione pecudis in holocauſtum, quod ſint illi qui ex Genere humano ſanctificentur, de qua mox ſupra n: 2805: quod per Pecudem in holocauſtum hic intelligantur Spirituales, ex ſequentibus patet: Pecudes in holocauſtum & ſacrificium, varia ſignificabant, aliud nempe Agnus, aliud Ovis, aliud Hædus & capra, aliud Aries & Hircus, & quoque aliud Bos, tum Juvencus & Vitulus; aliud etiam pulli columbarum & turtures; quod aliud ſignificaverint, conſtare poteſt manifeſte ex eo, quod definitum ſit expreſſe, quodnam genus ſacrificarent ſingulis diebus, ſingulis feſtis, in expiationibus, in mundationibus, in inaugurationibus, & in cæteris; quæ genera nuſquam tam expreſſe definita fuiſſent, niſi unumquodvis aliquid ſpeciale ſignificaverit. Manifeſtum eſt, quod omnes Ritus ſeu Cultus externi, qui fuerunt in Eccleſia Antiqua, & poſtea in Judaica, repræſentaverint Dominum, ita imprimis Holocauſta & Sacrificia, quia illa fuerunt principalia cultus apud Gentem Hebræam; & quia Dominum, etiam ſimul repræſentaverunt apud homines illa quæ Domini ſunt, nempe cœleſtia amoris & ſpiritualia fidei, conſequenter ipſos homines qui tales erant, ſeu tales eſſe deberent, inde eſt, quod per pecudem hic ſignificentur Spirituales, hoc eſt, illi qui a ſpirituali Domini Eccleſia ſunt. Quod Deus videbit ſibi pecudem in holocauſtum fili mi, ſignificet quod *Divinum Humanum* providebit, conſtare poteſt ex eo, quod non dicatur hic quod Jehovah videbit, ſed quod Deus videbit; cum uterque nominatur, ut in hoc Capite, per Jehovam tunc intelligitur idem quod per Patrem, & per Deum idem quod per Filium, ita hic *Divinum Humanum*; & hoc quia de Spirituali homine agitur, cui quod ex Divino Humano ſalus, videatur n: 2661. 2716.

2808.

2808. Iverunt ambo illi una, quod ſignificet unitionem adhuc arctiorem quantum poſſibile, conſtare poteſt abſque explicatione; quod hic ſignificet unitionem arctiorem, eſt quia iterum dicitur, videatur n: 2800.

2809. Verſ: 9. *Et venerunt ad locum, quem dixit ei Deus, & ædificabat ibi Abraham altare, & diſpoſuit ligna, & ligavit Jiſchakum filium ſuum, & poſuit illum ſuper altari, deſuper ligna.* Venerunt ad locum, quem dixit ei Deus, ſignificat ſtatum tunc ſecundum perceptionem ex Divino Vero: & ædificabat ibi altare, ſignificat præparationem Humani Divini Domini: & diſpoſuit ligna, ſignificat juſtitiam quæ illi adjuncta: & ligavit Jiſchakum filium ſuum, ſignificat ſtatum Rationalis Divini ſic quoad Verum ſubituri tentationis ultimos gradus: & poſuit illum ſuper altari, deſuper ligna, ſignificat in Humano Divino Cui Juſtitia.

2810. Venerunt ad locum quem dixit ei Deus, quod ſignificet ſtatum tunc ſecundum perceptionem ex Divino Vero, conſtat a ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua ſupra n: 2786, & ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere, de qua ſæpe prius; hic dicere Deus, eſt percipere ex Divino Vero, quia Deus dicitur non Jehovah, n: 2586. 2807 f:

2811. Et ædificabat ibi Abraham altare, quod ſignificet præparationem Humani Divini Domini, conſtat a ſignificatione Altaris, & ædificare Altare: Altaria ſignificabant omnem cultum in genere, quia erant primaria cultus Eccleſiæ repræſentativæ, n: 921; & quia omnem cultum in Genere, ſignificabant Divinum Humanum Domini, eſt enim Divinum Humanum Domini omnis cultus & omnis doctrina, uſque adeo ut ſit ipſe cultus & ipſa doctrina, ut conſtare quoque poteſt a Sacra Cœna, quæ ſucceſſit altaribus, ſeu holocauſtis & ſacrificiis, n: 2165. 2187. 2343. 2359, hæc eſt primarium cultus externi, quia eſt Divinum Humanum Domini, quod ibi donatur. Ædificare altare, quod ſit præparare Humanum Divinum, conſtare poteſt inde, ita abſque explicatione. De ultima præparatione Humani Divini Domini ad ſubeundos tentationis ultimos gradus, in hoc Verſu agitur, & deſcribitur per quod Abraham diſpoſuerit ligna, ligaverit Jiſchakum filium ſuum, & poſuerit ſuper altari deſuper ligna.

2812. Et diſpoſuit ligna, quod ſignificet juſtitiam quæ illi adjuncta, conſtat a ſignificatione lignorum holocauſti, quod ſint meritum juſtitiæ, de qua ſupra n: 2784. 2798; & diſponere ligna ſuper altari, quod ſit illud adjungere Humano Divino; adjungitur meritum juſtitiæ, cum ibi eſt, & ex vero confidentia quod ſit Illi.

2813. Ligavit Jiſchakum filium ſuum, quod ſignificet ſtatum Rationalis Divini ſic quoad verum ſubituri tentationis ultimos gradus, conſtare poteſt a ſignificatione ligare, tum Jiſchaki filii ſui; ligare quod ſit induere ſtatum ſubeundi tentationis ultimos gradus, conſtare poteſt inde, quod qui in tentationis ſtatu eſt, non aliter ſit ac ligatus aut vinctus; quod Jiſchakus filius ſit Rationale Divinum Domini, hic quoad Verum, videatur n: 2802. 2803; omne Rationale genuinum conſiſtit ex bono & vero; Rationale Divinum Do-

mini quoad bonum non potuit pati, seu subire tentationes, ad Bonum enim Divinum nullus genius aut spiritus inducens tentationes potest accedere, & supra omnem tentationis conatum; at Verum Divinum ligatum, erat quod potuit tentari, fallaciæ enim sunt, & magis falsa, quæ illud infringunt, & ita tentant; de Vero enim Divino potest formari aliqua idea, sed non de Bono Divino nisi ab illis qui perceptionem habent, & sunt Angeli cœlestes: Verum Divinum erat, quod non amplius agnoscebatur, cum Dominus venit in mundum, quare illud erat ex quo Dominus subiit & sustinuit tentationes: Verum Divinum in Domino est, quod vocatur *filius hominis*, Bonum Divinum autem in Domino, quod vocatur *Filius Dei*; de Filio hominis pluries dicit Dominus quod passurus, nusquam autem de Filio Dei: quod de Filio hominis seu Vero Divino, constat apud Matthæum, "Ecce ascendimus Hierosolymam, & *Filius hominis* tradetur principibus sacerdotibus, & scribis, & condemnabunt *Illum*, & tradent *Illum* gentibus ad illudendum & flagellandum *Illum*, & crucifigendum," XX: 18. 19: apud Eundem, "Jesus dixit discipulis suis, ecce adest hora, & *Filius hominis* tradetur in manus peccatorum," XXVI: 45: apud Marcum, "Jesus cœpit docere illos, quod oporteat *Filium hominis* multa pati, & reprobari a senioribus, & principibus sacerdotum, ac scribis, & occidi, post tres tamen dies resurgere," VIII: 31: apud Eundem, "Scriptum de *Filio hominis* est, quod multa patietur, & contemnetur: & *Filius hominis* tradetur in manus hominum, qui occident *Illum*, sed occisus tertia die resurget," IX: 12. 31: apud Eundem, "Ecce ascendimus Hierosolymam, & *Filius hominis* tradetur principibus sacerdotum & scribis, qui condemnabunt *Illum* mortis, tradent *Illum* Ethnicis, hi illudent *Illum*, & exspuent in *Illum*, & occident *Illum*, tertia tamen die resurget," X: 33. 34: apud Eundem, "Venit hora, ecce tradetur *Filius hominis* in manus peccatorum," XIV: 41: apud Lucam, "Oportet *Filium hominis* multa pati, & reprobari a senioribus & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere," IX: 26. 44: apud Eundem, "Ascendimus Hierosolymam, ubi perficientur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de *Filio hominis*, tradetur gentilibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur, & flagellantes occident *Illum*, die tamen tertio resurget," XVIII: 32. 33. 34: apud Eundem, "Angelus ad mulieres, mementote quod loquutus est vobis, cum adhuc esset in Galilæa, dicens, quod oportet *Filium hominis* prodi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertio die resurgere," XXIV: 7. In omnibus his locis per *Filium hominis* intelligitur Dominus quoad Verum Divinum, seu quoad Verbum in sensu suo interno, quod a principibus sacerdotum & scribis, reprobaretur contumeliis afficietur, flagellaretur, exspueretur, & crucifigeretur, ut constare potest manifeste ex eo, quod Judæi omnia & singula sibi applicuerint & arrogaverint secundum literam, nec scire voluerint quicquam de spirituali sensu Verbi, & de Regno cœlesti, credentes Messiam venturum ad evehendum regnum eorum super omnia regna terræ, sicut etiam hodie credunt; inde patet, quod Verum Divinum fuerit, quod ab illis reprobatum, contumeliis affectum, flagellatura & cruci-

crucifixum; five dicas Verum Divinum, five Dominum quoad Verum Divinum, idem eft, nam Dominus eft ipfum Verum, ficut eft ipfum Verbum, n: 2011. 2016. 2533 f. Quod Dominus tertia die refurrexerit, etiam involvit, quod Verum Divinum, feu Verbum quoad fenfum internum, ficut intellectum fuit Antiquæ Ecclefiæ, in confummatione fæculi, quæ quoque eft Tertia dies, n: 1825. 2788, refufcitabitur, quare dicitur quod tunc apparebit Filius hominis, hoc eft, Verum Divinum, Matth: xxiv: 30. 37. 39. 44. Marc: xiii: 26. Luc: xvii: 22. 24. 25. 26. 30. Cap: xxi: 27. 36. Quod Filius hominis fit Dominus quoad Verum Divinum, ex allatis locis conftat, & porro ab his; apud Matthæum, "Qui feminat bonum femen eft *Filius hominis*, ager eft mundus; in confummatione fæculi mittet *Filius hominis* angelos fuos, & colliget e Regno Ipfius omnia offendicula," xiii: 37. 41. 42, ubi bonum femen eft Verum, mundus funt homines, feminans illud eft Filius hominis, offendicula funt falfa: apud Johannem, "Dixit turba, nos audivimus ex Lege, quod Chriftus manet in æternum, quomodo ergo tu dicis, oportet exaltari *Filium hominis*, quis eft hic *Filius hominis:* refpondit illis Jefus, breve tempus *Lux* vobifcum eft, ambulate quoufque *Lucem* habetis, ne tenebræ vos apprehendant, nam qui ambulat in tenebris, non fcit quorfum vadit, quoufque *Lucem* habetis, credite in *Lucem*, ut filii *Lucis* fitis," xii: 34. 35; ubi cum quærunt, quis Filius hominis, refpondit Jefus de Luce, quæ eft Verum, & quod Ipfe fit Lux feu Verum, in quod crederent; de Luce, quæ a Domino, quæ eft Divinum Verum, videatur n: 1503. 1521. 1529. 1530. 1531. 1619 ad 1632. Quod autem Filius Dei, feu Dominus quoad Bonum in Humano Divino, non potuerit tentari, ut fupra dictum, patet etiam a refponfo Domini ad tentatorem, apud Evangeliftas, "Dixit tentator, fi *Filius es Dei*, mitte Te Ipfum deorfum, fcriptum enim eft, Angelis fuis præcipiet de Te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: dixit illi Jefus, iterum fcriptum eft, *non tentabis Dominum Deum tuum*," Matth: iv: 6. 7. Luc: iv: 9. 10. 11. 12.

2814. Et pofuit illum fuper altari defuper ligna, quod fignificet in Humano Divino Cui Juftitia, conftat ex fignificatione Altaris, quod fit Divinum Humanum Domini, de qua mox fupra, n: 2811; & ex fignificatione lignorum holocaufti, quod fint meritum juftitiæ, de qua n: 2784. 2798. 2812. Verum Divinum in Humano Divino Domini, quod tentationes fubiit, de quo actum, non eft ipfum Divinum Verum, hoc enim eft fupra omnem tentationem; fed eft Verum rationale, quale eft Angelis, confiftens in apparentiis veri, & eft quod vocatur Filius hominis fed ante glorificationem; Divinum autem Verum in Divino Humano Domini glorificato, eft fupra apparentias, nec ufquam ad aliquem intellectum, minus ad captum hominis, ne quidem ad Angelorum, venire poteft, ita nufquam ad aliquid tentationis; apparet in cœlis ut Lux quæ a Domino. De Divino hoc Vero, feu Filio hominis glorificato, ita apud Johannem, "Dixit Jefus, nunc glorificatus eft *Filius hominis*, & Deus glorificatus in Ipfo; fi Deus glorificatus eft in Ipfo, etiam

etiam Deus glorificabit Ipſum in Se Ipſo, & ſtatim glorificabit Ipſum," XIII : 31. 32. Ut diſtincta idea arcaniſſimi hujus habeatur, licet Verum apud Dominum, quod tentari potuit, & quod ſubiit tentationes, appellare *Verum Divinum in Humano Divino Domini*, at Verum quod non tentari potuit, ſeu aliquam tentationem ſubire, quia glorificatum, appellare *Divinum Verum in Divino Humano Domini*; ut quoque in antecedentibus paſſim eſt obſervatum.

2815. Verſ: 10. *Et miſit Abraham manum ſuam, & accepit cultrum, ad mactandum filium ſuum.* Miſit Abraham manum ſuam, ſignificat tentationem uſque ad ultimum potentiæ: & accepit cultrum, ſignificat quoad Verum: ad mactandum filium ſuum, ſignificat uſque dum mortuum quicquid ex mere humano.

2816. Miſit Abraham manum ſuam, quod ſignificet tentationem uſque ad ultimum potentiæ, conſtat ex rerum ſerie; agitur enim de graviſſimis & intimis tentationibus Domini; in Verſibus qui præcedunt, de præparatione Humani Divini ad illas admittendas & ſuſtinendas, hic de actu, qui exprimitur in ſenſu literæ, per quod miſerit Abraham manum ſuam; per manum quod ſignificetur potentia, videatur n: 878, hic ultimum potentiæ, quia nihil niſi quam actus defuit. Secundum ſenſum internum eſt, quod Divinum Domini induxerit Humanum in graviſſimas tentationes, per Abrahamum enim intelligitur Dominus quoad Divinum; & hoc uſque ad ultimum potentiæ; hoc ita ſe habet, quod Dominus admiſerit Tentationes in Se, ut expelleret inde omne quod mere humanum eſſet, & hoc uſque dum nihil niſi quam Divinum ſupereſſet; quod Dominus admiſerit in Se tentationes, etiam ultimam, quæ erat crucis, conſtare poteſt ab Ipſius Domini verbis, apud Matthæum, " Cæpit Jeſus oſtendere diſcipulis, quod oporteret Ipſum multa pati, & occidi: tunc ad ſe accipiens Ipſum Petrus, cæpit increpare illum dicens, parce Tibi Domine, ut non fiat Tibi hoc; Ipſe vero converſus dixit Petro, abi poſt Me, ſatana, ſcandalum Mihi es, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum ſunt," XVI : 21. 22. 23: & manifeſtius apud Johannem, " Nemo tollet animam a Me, ſed Ego pono a Me Ipſo, poteſtatem Ego habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus accipiendi eam," X : 18; & apud Lucam, " Nonne hæc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam ſuam," XXIV : 26.

2817. Et accepit cultrum, quod ſignificet quoad verum, conſtat ex ſignificatione cultri, quod ſit verum fidei, de qua ſupra n: 2799; & quod tentatio Domini fuerit quoad Verum Divinum, n: 2813. 2814.

2818. Ad mactandum filium ſuum, quod ſignificet uſque dum mortuum quicquid ex mere humano, conſtare poteſt ex ſenſu interno horum verborum, ſignificant enim graviſſimas & intimas tentationes Domini, quarum ultima fuit Crucis, in qua quod mere humanum etiam mortuum ſit, conſtat; hoc non potuit repræſentari per filium Abrahami ſeu Jiſchakum, quia ſacrificare filios abominatio fuit, ſed quantum potuit, repræſentatum fuit, nempe uſque ad

ad conatum, non autem ad actum; inde constare potest, quod per hæc verba, quod Abraham acceperit cultrum ad mactandum filium suum, significetur usque dum mortuum sit omne mere humanum. Quod Dominus venturus in mundum, & quod passurus mortem, ab antiquissimo tempore notum fuisse, manifeste sciri potest ex eo, quod invaluerit mos apud gentiles, sacrificare liberos suos, sic credentes se expiari, & propitiari Deo; in quo more abominabili non posuissent religiosissimum suum, nisi acceperint ab Antiquis, quod Filius Dei venturus sit, qui, ut credebant, sacrificium fieret; ad hanc abominationem etiam filii Jacobi inclinaverunt, & quoque Abraham, nemo enim tentatur nisi per id ad quod inclinat, quod filii Jacobi, constat apud Prophetas; sed ne in eam abominationem ruerunt, permissum fuit holocausta & sacrificia instituere, videatur n: 922. 1128. 1241. 1343. 2180.

2819. Quod Tentationes Domini in genere attinet, fuerunt illæ exteriores & interiores, & quo interiores, eo graviores; intimæ descriptæ sunt, Matth: XXVI: 37. 38. 39. 42. 44. Cap: XXVII: 46. Marc: XIV: 33. 34. 35. 36. Cap: XV: 34. Luc: XXII: 42. 43. 44; sed videantur, quæ de Tentationibus Domini prius dicta sunt, nempe, quod Dominus primum pugnaverit ex bonis & veris, quæ apparebant ut bona & vera, n: 1661. Quod pugnaverit contra mala amoris sui & mundi, ex Amore Divino erga universum genus humanum, n: 1690. 1691 f. 1789. 1812. 1813. 1820. Quod Solus ex Amore Divino pugnaverit, n: 1812. 1813. Quod omnia inferna pugnaverint contra Domini amorem, qui fuit salus universi generis humani, n: 1820. Quod Dominus omnium gravissimas tentationes sustinuerit, n: 1663. 1668. 1787. Quod Dominus per tentationes & victorias ex propria potentia factus Justitia, n: 1813. 2025. Quod facta unio Essentiæ Humanæ cum Divina a Domino per tentationes & victorias, n: 1737. 1813. 1921. 2025. 2026. Videantur etiam quæ prius de Tentationibus in genere dicta sunt, n: 59. 63. 227. 847. Quod Tentatio sit pugna de potestate, num bonum vel malum, verum vel falsum imperaturum, n: 1923. Quod in tentationibus sint indignationes, & plures affectiones, n: 1917. Quod Tentationes sint cœlestes, spirituales & naturales, n: 847. Quod in Tentationibus mali genii & spiritus aggrediantur illa quæ sunt amoris, ita quæ sunt vitæ hominis, n: 847. 1820. Quid efficiunt tentationes, n: 1692 pr: 1717. 1740. Quod Tentatio ideo, ut domentur corporea, n: 857. Quod mala & falsa apud hominem, qui regeneratur, per tentationes domentur, non aboleantur, n: 868. Quod verum sit primum pugnæ, n: 1685. Quod homo ex bonis & veris pugnat, quæ per cognitiones imbuit, tametsi in se non bona & vera sint, n: 1661. Quod spiritus & genii mali excitent falsa & mala apud hominem, & quod inde tentationes, n: 741. 751. 761. Quod homo in tentationibus putet Dominum abesse, cum tamen tunc præsentior est, n: 840. Quod homo nequaquam ex se possit sustinere pugnas tentationum, quia sunt contra omnia inferna, n: 1692 f. Quod Dominus solus apud hominem pugnet, n: 1661. 1692. Quod per tentationes mali genii & spiritus depriventur potentia malum agendi

di & falsum inspirandi apud hominem, n: 1695. 1717. Quod tentationes fiant apud eos qui conscientiam habent, & acutiores apud eos qui perceptionem, n: 1668. Quod hodie raro fiant tentationes, sed anxietates, quæ aliæ & aliunde, n: 762. Quod homines spiritualiter mortui non possint sustinere pugnas tentationum, n: 270. Quod omnes tentationes secum habeant desperationem de fine, n: 1787. 1820. Quod post tentationes fluctuatio, n: 848. 857. Quod boni per tentationes discant, quod non sint nisi malum, & quod omnia sint misericordiæ, n: 2334. Quod per tentationes conjungantur arctius bona veris, n: 2272. Quod non salventur per tentationes si succumbunt, nec si putant per eas meruisse, n: 2273. Quod in omni Tentatione sit liberum, fortius quam extra tentationes, n: 1937.

2820. Vers: 11. *Et clamavit ad eum Angelus Jehovæ e cælo, & dixit, Abraham, Abraham, & dixit ecce ego.* Clamavit ad eum Angelus Jehovæ e cœlo, significat consolationem ex Ipso Divino tunc; & dixit, Abraham, Abraham, & dixit ecce ego, significat perceptionem consolationis in Divino Bono Rationalis post tentationem.

2821. Clamavit ad eum Angelus Jehovæ e cœlo, quod significet consolationem ex Ipso Divino tunc, constare potest ex significatione clamare e cœlo, quod sit consolari, ut quoque patet ab illis quæ proxime præcedunt, & quæ mox sequuntur; & ex significatione Angeli Jehovæ, cum Angeli in Verbo nominantur, quod per eos intelligatur aliquid in Domino, sed quid Domini, quod appareat ex serie, videatur n: 1925: similiter legitur de Domino, cum tentationem gravissimam sustinuit in Gethsemane, quod visus sit Ipsi *Angelus de cœlo* confortans Ipsum, Luc: XXII: 43; per Angelum e cœlo ibi in sensu interno etiam intelligitur Divinum quod in Ipso.

2822. Et dixit Abraham, Abraham, & dixit ecce ego, quod significet perceptionem consolationis in Divino Bono Rationalis post tentationem, constare potest a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua sæpius prius; hic quod sit perceptio in Divino Bono Rationalis, inde est, quia hic per Abrahamum, significatur Divinum Bonum Rationalis seu Humani Domini: quid sit perceptio in Divino Bono Rationalis, non ad captum explicari potest; antequam enim explicatur, formata erit idea de Divino Humano Domini ex cognitione plurium, quæ antequam formata est, caderent omnia, quæ explicationis essent, in ideas vel vacuas vel obscuras, quæ vera vel perverterent vel inferrent incongruis; in hoc Versu de primo statu post tentationem Domini agitur, qui est status consolationis, quare nunc non amplius dicitur Deus, sed Jehovah, Deus enim dicitur, cum agitur de Vero, ex quo pugna, Jehovah autem cum de bono, ex quo consolatio, n: 2769; omnis consolatio post tentationem insinuatur in bonum, nam ex bono omne gaudium, ex bono transit in verum; hic ideo per Abrahamum significatur Divinum Bonum Rationalis, ut alibi etiam passim, & tunc cum Jehovah in eodem Versu nominatur.

2823. Vers: 12. *Et dixit, ne mittas manum tuam ad puerum, & ne facias illi quicquam, quia nunc novi, quod timeas Deum tu, & non cohibuisti filium tuum,*

tuum, unicum tuum a Me. Dixit ne mittas manum tuum ad puerum, significat quod non ulterius admitterit tentationem in Verum Divinum, quod Rationali: & ne facias illi quicquam, ſignificat liberationem: quia nunc novi quod timeas Deum tu, ſignificat glorificationem ex Amore Divino: & non cohibuiſti filium tuum, unicum tuum, a Me, ſignificat unitionem Humani cum Divino per ultimum tentationis.

2824. Et dixit ne mittas manum tuam ad puerum, quod ſignificet quod non ulterius admitteret tentationem in Verum Divinum quod Rationali, conſtat a ſignificatione mittere manum, quod ſit tentatio uſque ad ultimum potentiæ, de qua mox ſupra n: 2816, & a ſignificatione pueri, ſeu Jiſchaki hic, quod ſit Rationale quoad Verum Divinum, in quod admiſſæ tentationes, de qua n: 2803. 2813. 2814. 2817.

2825. Et ne facias illi quicquam, quod ſignificet liberationem, conſtare poteſt abſque explicatione; cum enim dicitur quod nihil ei faciet, eſt quod actus intermittetur, ita quod liberabitur.

2826. Quia nunc novi quod timeas Deum tu, quod ſignificet glorificationem ex Amore Divino, conſtat a ſignificatione noſſe cum prædicatur de Divino Domini, quod non aliud ſit quam uniri, ſeu quod idem, glorificari, uniebatur enim Humano Divino per tentationes, n: 1737. 1813; & a ſignificatione timere Deum, ſeu timoris Dei, quod hic ſit Amor Divinus; qui quia prædicatur de Rationali Divino Domini quoad verum, dicitur hic timere Deum, non timere Jehovam, cum enim agitur de Vero dicitur Deus, cum de Bono Jehovah, n: 2586. 2769. 2821; quod Amor Divinus ſit, per quem Dominus univit Eſſentiam Humanam Divinæ & Divinam Humanæ, ſeu quod idem, ſe glorificavit, videatur n: 1812. 1813. 2253. Quid *Timere Deum* ſignificet in Verbo, conſtare poteſt a locis ibi plurimis quoad ſenſum internum intellectis; Timor Dei ibi ſignificat cultum, & quidem cultum vel ex timore, vel ex bono fidei, vel ex bono amoris; cultum ex timore cum agitur de non regeneratis, cultum ex bono fidei cum de regeneratis ſpiritualibus, & cultum ex bono amoris cum de regeneratis cœleſtibus; Quod I. *Timor Dei in genere ſignificet cultum*, patet in Libro Regum, "Filii Iſraelis *Timuerunt deos alios*, & ambulaverunt in ſtatutis gentium: gentes miſſæ in Samariam principio *non Timuerunt Jehovam*, quare miſit Jehovah in eos leones; & venit e ſacerdotibus, quos captivos fecerunt in Samaria, & habitabat in Bethel, & fuit docens eos, *quomodo Timerent Jehovam*, Pepigerat Jehovah fœdus cum filiis Iſraelis, & præceperat eis, non *Timebitis Deos alienos*, nec incurvabitis vos eis, & non ſervietis eis, nec ſacrificabitis eis, ſed *Jehovam timebitis*, & Ipſi incurvabitis vos, & Ipſi ſacrificabitis," 2 Reg: XVII: 7. 8. 24. 28. 32. 33. 35. 36. 37. 41; ubi timere manifeſte pro colere: apud Eſaiam, "Propterea quod appropinquavit populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis honoraverunt Me, & cor eorum elongavit ſe a Me, *& fuit Timor eorum pro Me* mandatum hominum edoctum," XXIX: 13, ubi timor eorum pro Me, pro cultu in genere, nam dicitur quod Timor ille fuerit mandatum hominum: apud Lucam, "Judex quidam erat in urbe aliqua, *Deum non*

timens,

timens, & hominem non reverens," XVIII: 2, Deum non timens pro non colens. II. *Quod Timor Dei significet cultum ex timore cum agitur de non regeneratis*, patet ab his locis: apud Mosen, "Cum promulgaretur Lex super monte Sinai, dixit populus ad Mosen, loquere tu nobiscum, & audiemus, & ne loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur, & dixit Moses ad populum, quia propter tentare vos venit Deus, & propter *ut sit Timor Ipsius super facies vestras*, ne peccetis," Exod: XX: 19. 20; & alibi, "Nunc quare moriemur, quia comedit nos ignis magnus hic, si addentes nos audire vocem Jehovæ Dei nostri amplius, & moriemur; appropinqua tu, & audi omne, quod dicet Jehovah Deus noster, & tu loquere ad nos, omne quod dicet Jehovah Deus noster ad te, & audiemus, & faciemus: & Jehovah dixit ad Mosen, quis dabit, & erit cor eorum hoc illis ad *Timendum Me*, & ad custodiendum omnia præcepta mea, omnibus diebus," Deut: V: 22. 24. 26; ibi Timor Dei super facies vestras peccetis, & cor ad timendum Me, & ad custodiendum omnia præcepta mea, significat cultum ex timore respective ad illos quia tales; qui enim in cultu externo sunt, nullo interno, per Timorem ad observantiam legis & obsequium feruntur, sed usque non veniunt in cultum internum seu in timorem sanctum, nisi in bono vitæ sint, & sciant quid internum & credant: apud Eundem, "Si non serves ad faciendum omnia verba Legis hujus scripta in Libro hoc, ad *Timendum Nomen honorabile & terribile hoc* Jehovam Deum tuum, mirabiles reddit Jehovah plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & certas, & morbos malos & certos, & reducet in te omnem languorem Ægypti, *a quibus times tibi*, & hærebunt in te," Deut: XXVIII: 58. 59. 60; hic quoque timere nomen honorabile & terribile Jehovam Deum, est colere ex timore, quod ut esset apud tales, omnia mala usque ad maledictiones tribuebantur Jehovæ, n: 592. 2335. 2395. 2447. Apud Jeremiam, "Castigabit te malitia tua, & aversiones tuæ corripient te, & scito & vide, quod malum & amarum relinquere te Jehovam Deum tuum, & non *Pavorem Mei esse in te*," II: 19. Apud Lucam, "Dico vobis, ne *Timete vobis ab iis*, qui occidunt corpus, postea autem non habent amplius quid facere; monstrabo autem vobis, *quem Timere debeatis*, *Timete Ipsum*, qui postquam occidit, potestatem habet injiciendi in gehennam, imo dico vobis, *Hunc timete*," XII: 4. 5. Matth: X: 28; hic quoque timere Deum involvit cultum ex aliquo timore, quia timor adigebat eos ad obsequium, ut dictum. III. *Quod timere Deum seu Jehovam significet cultum ex bono fidei, ubi agitur de regeneratis spiritualibus*, patet ex his locis, apud Mosen, "Rex scribet sibi exemplar Legis hujus super Libro coram Sacerdotibus Levitis, & erit cum illo, & leget in illo omnibus diebus vitæ suæ, propterea ut discat *Timere Jehovam Deum suum*, ad servandum omnia verba Legis hujus, & statuta hæc ad faciendum illa," Deut: XVII: 19; Rex in sensu interno pro vero fidei, Regium enim repræsentabat Regnum Domini spirituale, n: 1672. 1728. 2015. 2069, inde timere Jehovam Deum suum, est colere Ipsum ex vero fidei, quod quia inseparabile est a bono charitatis, describitur per servare verba legis, & statuta ad faciendum illa: apud Samuelem,

muelem, "Ecce dedit Jehovah ſuper vos Regem, ſi *Timueritis Jehovam*, & ſerviveritis Ipſi, & auſcultaveritis voci Ipſius, eritis etiam vos, & etiam Rex qui regnat ſuper vos, poſt Jehovam Deum veſtrum," 1 Sam: XII: 14; hic quoque in ſenſu interno timere Jehovam pro colere ex bono & vero fidei, ut prius, quia agitur de Rege ſeu Regio. Apud Joſuam, "Nunc *Timete Jehovam*, & ſervite Ipſi in integritate & veritate, & removete deos, quibus ſerviverunt patres veſtri," XXIV: 14, ubi etiam timere Jehovam pro colere ex bono & vero, quod eſt hominis ſpiritualis, integritas enim prædicatur de bono fidei, n: 612, veritas de vero fidei. Apud Jeremiam, "Erunt Mihi in populum, & Ego ero eis in Deum, & dabo eis cor unum, & viam unam, *ad Timendum Me* omnibus diebus, ad bonum eis & filiis eorum poſt illos, & pangam eis fœdus ſæculi, quod non revertar a poſt illos, ad benefaciendum eis, & *Timorem meum* dabo in cor eorum, pro non recedere a Me," XXXII: 39. 40; quod hic timere Deum ſit colere ex bono & vero fidei, conſtare poteſt a ſerie, & ex eo quod dicatur populus ac Deus, quod populus prædicetur de illis qui in vero fidei ſunt, videatur n: 1259. 1260, quod Deus dicatur ubi agitur de vero, n: 2586. 2769. 2807 f. Apud Eſaiam, "Honorabunt Te populus robuſtus, urbs gentium validarum *Timebunt Te*," XXV: 3, ubi etiam timere Deum pro colere ex vero ſpirituali; prædicatur enim de populo & de urbe, quod urbs ſit doctrinale verum, videatur n: 402. 2268. 2450. 2451. Apud Davidem, "Quis hic vir *Timens Jehovæ*, docebit illum viam, quam eligat," Pſalm: XXV: 12, ubi vir timens Jehovæ, pro colente Ipſum, quod de ſpirituali homine, patet inde, quod dicatur, docebit illum viam, quod via ſit verum, videatur n: 627. 2333: apud Eundem, "Beatus omnis *Timens Jehovæ*, ambulans in viis Ipſius," Pſalm: CXXVIII: 1, ſimiliter, apud Eundem, "*Timentes Jehovam* glorificabunt Ipſum, omne ſemen Jacobi glorificabunt Ipſum, & *metuent ab Ipſo* omne ſemen Iſraelis," Pſalm: XXII: 24, ubi metuere ab Ipſo pro colere ex vero fidei, ſemen enim Iſraelis eſt ſpirituale Eccleſiæ, ſeu bonum & verum fidei, n: 1925. 1447. 1610. Apud Moſen, "Nunc Iſrael, quid Jehovah Deus tuus petens a te, quin ad *Timendum Jehovam Deum tuum*, ad ambulandum in omnibus viis Ipſius, & ad amandum Ipſum, & ad ſerviendum Jehovæ Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua, ad ſervandum præcepta Jehovæ, & ſtatuta Ipſius," Deut: X: 12. 13; ibi deſcribitur, quid eſt Timere Deum apud ſpiritualem hominem, qui eſt Iſrael, nempe quod ſit ambulare in viis Jehovæ, amare Ipſum, ſervire Ipſi, & ſervare præcepta & ſtatuta. Apud Johannem, "Vidi Angelum volantem in medio cœli, habentem evangelium æternum, dicentem voce magna, *Timete Deum*, & date Ipſi gloriam, quia venit hora judicii Ipſius," Apoc: XIV: 6. 7, ibi timere Deum pro cultu ſancto ex bono & vero fidei: apud Lucam, "Jeſus dixit paralytico, ſurge & tollens lectum tuum abi in domum tuam, unde ſtupor invaſit omnes, & glorificabant Deum, & *impleti ſunt timore*," V: 24. 25, ubi timor pro timore ſancto, qualis illorum qui per verum fidei initiantur in bonum amoris. IV. *Quod Timere Deum ſeu Jehovam, ſignificet cul-*

tum ex bono amoris, cum agitur de regeneratis cœlestibus, apud Malachiam, "Foedus meum fuit cum Levi vitarum & pacis, & dedi ea illi *Timore*, & *Timuit Me*, & pro Nomine meo contritus est Ille, lex veritatis fuit in ore Illius, & perversitas non in labiis Ejus, in pace & rectitudine ambulavit Mecum," ii: 5. 6, ubi de Domino, Qui hic est Levi in sensu interno; Levi significat sacerdotium, & significat amorem, timor ibi pro bono Divini amoris, lex veritatis pro vero illius, pax & rectitudo pro utroque: apud Esaiam, "Egredietur virga e stirpe Jischaii, & surculus e radicibus ejus crescet, & requiescet super Ipso spiritus Jehovæ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & *Timoris Jehovæ*, & odorari Ipsius in *Timore Jehovæ*," xi: 1. 2. 3, ubi etiam de Domino; spiritus scientiæ & timoris Jehovæ pro Divino amore veri, odorari Ipsius in timore Jehovæ, pro Divino amore boni: apud Davidem, "Præcepta Jehovæ recta, lætificantia cor, præceptum Jehovæ purum illuminans oculos, *Timor Jehovæ mundus* stans in perpetuum, judicia Jehovæ veritas, justificata una," Psalm: xix: 9. 10, ubi timor Jehovæ mundus pro amore, judicia Jehovæ veritas pro fide, quod justitia prædicetur de bono quod est amoris, judicia de vero quod est fidei, videatur n: 2235, quæ justificata una dicuntur, cum verum sit bonum, seu cum fides sit charitas: apud Eundem, "Ecce oculus Jehovæ ad *Timentes Ipsum*, ad exspectantes misericordiam Ipsius," Psalm: xxxiii: 18; & alibi, "Jehovah non in fortitudine equi delectatur, non in cruribus viri placet, placitum Jehovæ in *Timentibus Ipsum*, & exspectantibus misericordiam Ipsius," Psalm: cxlviii: 12, fortitudo equi pro propria potentia verum cogitandi, quod equus sit intellectuale, videatur n: 2760. 2761. 2762, crura viri pro propria potentia bonum faciendi, Timentes Jehovam pro colentibus Ipsum ex amore veri, & exspectantes misericordiam Ipsius pro colentibus ex amore boni; ubi apud Prophetas de bono, etiam de vero, & ubi de vero etiam de bono, dicitur, ob conjugium cœleste boni & veri in singulis, videatur n: 683. 793. 801. 2516. 2712. 2713: apud Eundem, "Jehovah benedicet domui Israelis, benedicet domui Aharonis, benedicet *Timentibus Jehovam* parvis cum magnis," Psalm: cxv: 13. 14, hic timentes Jehovam pro colentibus ex bono fidei, quod est domus Israelis, & ex bono amoris, quod est domus Aharonis, utrumque ob conjugium cœleste in singulis Verbi, ut dictum: apud Esaiam, "Erit veritas temporum tuorum robur salutem, sapientia & scientia, & *Timor Jehovæ* ipse thesaurus," xxxiii: 6, ubi sapientia & scientia pro bono fidei conjuncto cum ejus vero, timor Jehovæ pro bono amoris: apud Eundem, "Quis in vobis *Timens Jehovæ*, auscultans voci servi Ipsius," l: 10, timens Jehovæ pro colente ex amore, auscultans voci servi Ipsius pro colente ex fide; cum unum est alterius, tunc est conjugium cœleste. Ex his quæ allata sunt ex Verbo, constare potest, quod Timor Dei sit cultus vel ex timore, vel ex bono fidei, vel ex bono amoris; ast quanto plus timoris est in cultu, tanto minus est fidei, & tanto adhuc minus amoris; & vicissim, quanto plus fidei est in cultu, & adhuc magis

quanto

quanto plus amoris, tanto minus timoris eſt; ineſt quidem omni cultui timor, ſed ſub alia ſpecie & alio habitu, eſt *Timor ſanctus*; ſed Timor ſanctus, non ita eſt timor pro inferno & pro damnatione, ſed ne quicquam faciant aut cogitent contra Dominum, & contra proximum, ita ne quicquam contra bonum amoris & verum fidei, eſt averſatio, quæ eſt limes ſancti fidei & ſancti amoris ab una parte: & quia non timor pro inferno & damnatione, ut dictum, eſt illis qui in bono fidei, minus qui in bono amoris, hoc eſt, qui in Domino, ideo V, *Timere etiam ſignificat diffidere, aut fidem & amorem non habere*, ut apud Eſaiam, "Sic dixit Creator tuus, Jacob, & Formator tuus Iſrael, *ne Timeto*, quia redemi te, vocavi nomine tuo, mihi tu," XLIII: 1. 5. Cap: XLIV: 8: apud Lucam, "Juramentum, quod juravit Abrahamo patri noſtro, daturum nobis, ut *ſine Timore* e manu hoſtium noſtrorum erepti, ſerviamus Ipſi in ſanctitate & juſtitia coram Ipſo," I: 73. 74: apud Eundem, "*Ne time tibi*, parve grex, quia placuit Patri veſtro dare Regnum," XII: 32: apud Marcum, "Jeſus dixit Archiſynagogo, *ne Timeto*, modo crede," V: 36. Luc: VIII: 49. 50; apud Eundem, "Jeſus dixit, *quid Timidi eſtis adeo*, quomodo non habetis fidem," IV: 40: apud Lucam, "Pili capitis veſtri numerati ſunt, *ideo ne Timete*, multis paſſeribus præſtantiores eſtis," XII: 4; in his locis Timere eſt diffidere, ſeu, fidem & amorem non habere.

2827. Et non cohibuiſti filium tuum, unicum tuum, a Me, quod ſignificet unitionem Humani cum Divino per ultimum tentationis, conſtare poteſt a ſignificatione Filii tui, nempe Jiſchaki, quod ſit Divinum Rationale, de qua prius, ſeu Divinum Humanum, hoc enim in Rationali inchoat, n: 2106. 2194, hoc unicum dicitur, quia unigenitum, videatur n: 2772; & a ſignificatione non cohibere a Me, quod ſit facere ut uniatur, nempe Ipſi Divino: quod unitio facta ſit per ultimum tentationis, ex omnibus illis, quæ præcedunt, patet.

2828. Verſ: 13. *Et ſuſtulit Abraham oculos ſuos, & vidit, & ecce aries poſt detentus in perplexo cornibus ſuis; & ivit Abraham, & accepit arietem, & obtulit illum in holocauſtum loco filii ſui.* Suſtulit Abraham oculos ſuos & vidit, ſignificat Domini cogitationem & intuitionem ex Divino: & ecce aries, ſignificat ſpirituales ex humano genere: poſt detentus in perplexo, ſignificat implicatus ſcientifico naturali: cornibus ſuis, ſignificat omni potentia quoad vera fidei: & ivit Abraham & accepit arietem, ſignificat liberationem eorum ex Divino Humano Domini: & obtulit illum in holocauſtum loco filii ſui, ſignificat ſanctificationem eorum & adoptationem.

2829. Suſtulit Abraham oculos ſuos & vidit, quod ſignificet Domini cogitationem & intuitionem ex Divino, videatur ſupra n: 2789, ubi eadem verba. Cogitatio & intuitio ex Divino, eſt in omnia & ſingula, quæ fient, in æternum, cum Divina Providentia.

2830. Et ecce aries, quod ſignificet ſpirituales ex humano genere, conſtat ex ſignificatione Arietis, de qua ſequitur: notum eſt intra Eccleſiam, quod Holo-

Holocausta & Sacrificia in Ecclesia repræsentativa Judaica & Israelitica, significaverint Divinum Humanum Domini, sed aliud holocausta & sacrificia ex Agnis, aliud ex ovibus & capris, etiam aliud ex hædis, arietibus, hircis, ex bovibus, juvencis, vitulis, & ex turturibus & pullis columbarum, similiter minchæ & libamina; in genere significarunt Divina Cœlestia, Divina Spiritualia, & Divina Naturalia, quæ Domino, & indè significarunt cœlestia, spiritualia, & naturalia, quæ ab Ipso in Regno Ipsius, consequenter in unoquovis qui est Regnum Domini; quod etiam constare potest a Sancta Cœna, quæ holocaustis & sacrificiis successit, ibi Panis & Vinum significant Divinum Humanum Domini, Panis Divinum cœleste, Vinum Divinum spirituale Ipsius, consequenter significant amorem Ipsius erga universum genus humanum, & vicissim amorem generis humani in Dominum, n: 2343. 2359; inde patet, quod holocausta & sacrificia involverint cultum cœlestem ex amore in Dominum, & cultum spiritualem ex charitate erga proximum, & inde ex fide in Dominum, n: 922. 923. 1823. 2180: quid cœleste & quid spirituale, seu quid cœlestes & spirituales in Regno Domini seu in Ecclesia Ipsius, sæpius dictum, videatur, n: 1155. 1577. 1824. 2048. 2088. 2184. 2227. 2669. 2708. 2715. Quod nunc Aries significet Divinum Spirituale Domini, & consequenter spirituale apud hominem, seu quod idem, Spirituales ex genere humano, constare potest ex holocaustis & sacrificiis, quæ fiebant ex arietibus; "Ut cum Aharon & filii ejus sanctificarentur ad fungendum ministerio, seu cum inaugurarentur, quod offerrent *Juvencum* unum in peccatum, cujus sanguis spargeretur super cornua altaris, & reliquum ad fundamentum ejus; tum quod *Aries* unus mactaretur, & ejus sanguis spargeretur circum altare, & dein *Aries* adoleretur totus *in holocaustum*; & *alterius Arietis* mactati sanguis spargeretur super auriculam, & pollicem manus & pedis Aharonis, & postquam is agitatus esset, adoleretur super holocausto," Exod: xxix: 1 ad 35. Levit: viii: 1 ad f. Cap: ix: 2 seq. quod omnes hi ritus sancti fuissent, constat, sed sancti inde quia sancta repræsentabant & significabant; alioquin mactare juvencum, spargere sanguinem ejus super cornua, & reliquum ad fundamentum altaris; & mactare arietem unum, & ejus sanguinem spargere circum altare, & dein illum adolere, & alterius arietis sanguinem spargere super auriculam & pollicem manus & pedis Aharonis, tum agitare illum, & adolere super holocausto; omnia hæc fuissent nullius sanctitatis, ita nullius cultus, nisi sancta repræsentavissent; quid autem singula repræsentaverint, nemini constare potest nisi ex sensu interno; quod Juvencus qui in peccatum significaverit Divinum Naturale Domini, & Aries Divinum Spirituale, & quod quoque Spirituales ex genere humano, ex significatione Juvenci & Arietis in Verbo, constare potest; inaugurationes in sacerdotium fiebant per spiritualia, nam per spiritualia introducitur homo in cœlesta, seu quod idem, per vera fidei in bonum amoris: similiter cum Aharon intraret in Sanctum, offerret *Juvencum* in peccatum, & *Arietem* in holocaustum," Levit: xvi: 2. 3. Quod Naziræus, cum implerentur dies Naziræatus

ziræatus ejus, offerret *Agnum* filium anni integrum unum in holocauſtum, & *Agnam* unam filiam anni integram in peccatum, & *Arietem unum integrum* in pacifica," Num : vi : 13. 14. 16. 17, erat, quia Naziræus repræſentabat Cœleſtem hominem, qui eſt ſimilitudo Domini, n : 51. 52. 1013, cœleſtis homo talis eſt, quod ſit in cœleſti amore, hoc eſt, in amore in Dominum, & inde in cœleſti vero, n : 202. 337. 2069. 2715. 2718, ideo ſacrificare debebat Agnum & Agnam, per quæ ſignificabatur Cœleſte ; tum Arietem, per quem ſignificabatur ſpirituale. In feſtis ſacrificabantur juvenci, arietes, & agni, ut in primo die feſti azymorum, duo juvenci, *unus Aries*, & ſeptem agni, cum mincha eorum, in holocauſtum," Num : xxviii : 18. 19. 20 : " In die primitiarum, etiam duo juvenci, *unus Aries*, & agni ſeptem, cum mincha eorum, in holocauſtum," Num : xxviii : 26. 27. 28 : " In Noviluniis, juvenci duo, *Aries unus*, & agni ſeptem, cum mincha eorum, in holocauſtum," Num : xxviii : 10. 11 : In menſe ſeptimo, in primo menſis, juvencus unus, *Aries unus*, agni ſeptem, cum mincha eorum : In decimo quinto die menſis ſeptimi, juvenci tredecim, *Arietes duo*, agni quatuordecim ; & ſic porro, videatur Num : xxix : 12. 13. 14. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 26. ad 36 ; Juvenci & Arietes ſignificabant Spiritualia, Agni vero cœleſtia ; nam in feſtis ſanctificari debebant, & per ſpiritualia introduci. Quia Arietes ſignificabant Divinum Spirituale Divini Humani Domini, tum ſpiritualia apud hominem, ideo, ubi agitur de Novo Templo & de Nova Hieroſolyma, hoc eſt, de Regno Spirituali Domini, dicitur apud Ezechielem, " Cum ibi abſolveris expiare Altare, offerrent *Juvencum* in peccatum, & *Arietem* in holocauſtum, & quod ſeptem diebus facerent *Hircum* peccati in die, & *Juvencum* & *Arietem*," xliii : 23. 24. 25 : & quod Princeps in die hoc pro omni populo faceret Juvencum peccati, & ſeptem diebus feſti *ſeptem Juvencos*, & *ſeptem Arietes*, cum mincha, in holocauſtum," xlv : 22. 23. 24 : " Et in die ſabbathi, faceret ſex *Agnos* & *Arietem*," xlvi : 4. 6. Quod per Novum Templum & Novam Hieroſolymam in ſenſu univerſali ſignificetur Regnum Domini, videatur n : 402. 940, in ſpecie Nova Eccleſia, n : 2117, quod ibi non holocauſta & ſacrificia, cuivis notum eſſe poteſt, inde patet, quod per illa ſignificentur cœleſtia quæ ſunt amoris, & ſpiritualia quæ ſunt fidei, nam hæc ſunt Regni Domini, ita hic ſimilia per Juvencos, Arietes, Agnos ; quod Juvenci & Arietes ſignificent ſpiritualia, conſtat & ſingulis ibi in ſenſu interno, in genere ex eo, quod per Novum Templum & Novam Hieroſolymam ſignificetur in ſpecie Regnum Spirituale Domini, per Zionem autem Regnum cœleſte. Quod Aries ſignificet Spirituale, ſeu, quod idem eſt, Spirituales, patet etiam apud Danielem, " Quod illi viſus *Aries* ſtans ante flumen, cui duo cornua ; dein *Hircus caprarum*, qui illum percuſſit, fregit cornua ejus, & conculcavit," vii : 3. 4. ſeq : ubi per *Arietem* non aliud intelligitur, quam Eccleſia ſpiritualis, & per *Hircum* caprarum illi qui ſunt in fide ſeparata a charitate, ſeu in vero ſeparato a bono, qui ſucceſſive ſe extollunt contra bonum, & demum contra Dominum, quod etiam deſcribitur. Apud Samuelem, " Samuel dixit ad Schaulem, num complacet Jehovæ in holocauſtis & ſacri-

facrificiis, ficut aufcultando voci Jehovæ, ecce aufcultare præ facrificio bonum, & obedire *præ adipe Arietum*," 1 Sam : xv : 22 ; ubi quia agitur de obedientia, ita de vero quod eft fpirituale, & illa erant ad Regem, per quem etiam Verum fignificatur, n : 1672. 2015. 2069, ideo non dicitur præ adipe boum feu agnorum, fed præ adipe arietum. Apud Davidem, " Cum exiret Ifrael ex Ægypto, domus Jacobi e populo barbarico, factus eft Jehudah in fanctuarium ejus, Ifrael dominia ejus ; Mare vidit & fugit, & Jordan avertit fe retrorfum, *Montes faltaverunt ficut Arietes*, colles ficut filii gregis, quid tibi Mare quod fugias, Jordan avertas te retrorfum, *Montes faltetis ficut Arietes*, colles ficut filii gregis, a coram Domino parturis terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit petram in lacum aquarum, & filicem in fontem ejus aquarum," Pfalm : cxiv : 1 ad f ; agitur ibi in fenfu interno de bono fpirituali poft regenerationem, eft defcribitur quale eft, ejus cœlefte fpirituale per Montes quod faltaverint ficut arietes, & cœlefte naturale per quod colles ficut filii gregis ; quod montes fint cœleftia quæ amoris, videatur n : 795. 1430 ; quifque fcire poteft, quod in his, ficut in cæteris Davidis, fancta fint, fed in fenfu interno, & quod aliquid fignificet, quod montes faltaverint ficut arietes, & colles ficut filii gregis, & quod coram Domino parturiat terra, quæ abfque fenfu interno funt voces nullius rei : Similiter etiam hæc, apud Mofen, " Equitare faciet eum fuper excelfis terræ, & comedere faciet proventus terræ, & fugere faciet mel e rupe, & oleum e filice petræ, butyrum armenti, & lac gregis, cum adipe Agnorum, *& Arietum filiorum Bafchanis*, & hircorum cum adipe renum tritici, & fanguinem uvarum bibes merum," Deut : xxxii : 13. 14. 15, Arietes filii Bafchanis pro cœleftibus fpiritualibus, quid cœleftia fpiritualia, videatur n : 1824. Apud Davidem, " Holocaufta medullatorum offeram Tibi *cum fuffitu Arietum*, faciam bovem cum hircis," Pfalm : lxvi : 15, holocaufta medullatorum pro cœleftibus quæ funt amoris, fuffitus arietum pro fpiritualibus quæ funt fidei. Apud Ezechielem, " Arabia & omnes principes Kedar, hi negotiatores manus tuæ, in Agnis, in *Arietibus* & Hircis," xxvii : 21, ubi de Tyro, per quam fignificantur illi qui in cognitionibus boni & veri funt, n : 1201 ; Arabia pro fapientia eorum, Principes Kedar pro intelligentia eorundem, Agni pro cœleftibus, Arietes pro fpiritualibus, hirci pro naturalibus, quæ ordine fuccedunt. Apud Efaiam, " Omnis grex Kedar congregabuntur Tibi, *Arietes Nebajoth* miniftrabunt Tibi, afcendent ad beneplacitum Altare meum, & domum decoris mei decorabo," lx : 7, ibi de Domini Divino Humano ; grex Kedar pro Divinis cœleftibus, Arietes Nebajoth pro Divinis fpiritualibus. Ex his omnibus nunc conftare poteft, quod Aries in fenfu interno fignificet Divinum Spirituale Domini, & inde Spirituale apud hominem, feu, quod idem, Spirituales ex genere humano.

2831. Poft detentus in perplexo, qood fignificet implicatos in fcientifico naturali, conftat a fignificatione detineri hic quod fit implicari ; & ex fignificatione perplexi aut implexi, quod fit fcientificum, de qua fequitur. Quod Spirituales detineantur implicati in fcientifico naturali quoad vera fidei, ita fe habet ;

habet; Spirituales non habent perceptionem boni & veri, ficut cœleftes, fed loco ejus confcientiam, quæ formata eft a bonis & veris fidei, quæ ab infantia a parentibus & magiftris, & dein a doctrina fidei, in quam nati funt, haufernt; qui non perceptionem boni & veri habent, ii non poffunt aliter quam confirmari a fcientificis, quifque aliquam ideam fibi facit de illis quæ didicit, etiam de bonis & veris fidei, abfque idea non manet quicquam in memoria, aliter quam ut res vacua, confirmantia accedunt & implent ideam rei, ex cognitionibus aliis, etiam a fcientificis; ipfa idea confirmata a pluribus facit, ut non modo hæreat in memoria, & evocari inde poffit in cogitationem, fed etiam ut fides ei infinuari poffit. Quod *Perceptionem* in genere attinet, quia pauci norunt quid Perceptio, dicendum; eft Perceptio boni & veri in cœleftibus & fpiritualibus, eft Perceptio jufti & æqui in vita civili, & eft Perceptio honefti in vita morali; quod Perceptionem boni & veri in cœleftibus & fpiritualibus, concernit, hanc habent Angeli interiores a Domino, & hanc habuerunt homines Ecclefiæ Antiquiffimæ, & hanc habent Cœleftes qui in amore in Dominum funt, fciunt illico ex interna quadam animadvertentia, num bonum fit & num verum, Dominus enim infinuat hoc, quia Domino funt amore conjuncti; at Spirituales homines non habent talem perceptionem boni & veri in rebus cœleftibus & fpiritualibus, fed loco ejus habent confcientiam, quæ dictat, fed confcientia formata eft ex cognitionibus boni & veri, quas haufernt a parentibus & magiftris, ut dictum, & dein ex proprio ftudio in doctrina & in Verbo, illis fidem adjungunt tametfi non forent ita bona & vera; inde eft quod confcientiam habere poffint homines ex quacunque doctrina, etiam confcientiæ non abfimile Gentiles ex fuo religiofo; quod Spirituales non habeant perceptionem boni & veri fidei, fed dicant & credant verum effe, quod didicerunt & captarunt, conftare fatis poteft ex eo, quod unufquifque dicat fuum dogma effe verum, magis hæretici quam alii, & quod ipfum verum non videre, minus agnofcere poffint, tametfi millia dictarent; exploret quifque fe, an percipere aliunde poffit num verum, & annon cum veriffimum ei manifeftatur, ufque non agnofcat; ut pro exemplo, qui fidem effentialem falutis facit, non amorem, tametfi coram illo omnia illa legerentur quæ Dominus de amore & charitate loquutus, videantur n: 2373, & fciat ex Verbo, quod omnis Lex, & omnes Prophetæ, ab amore in Dominum & charitate erga proximum, pendeant, ufque tamen manebit in idea fidei, & dicet illam folam falvare; aliter illi, qui in perceptione cœlefti & fpirituali funt. Quod autem Perceptionem Jufti & Æqui in vita civili attinet, hanc habent illi in mundo, qui rationales funt, & quoque perceptionem honefti in vita morali; quoad illam & hanc diftinguit fe unus homo ab altero; fed iidem nufquam ideo habent perceptionem boni & veri fidei, quia hæc perceptio eft fuperior feu interior, & influit per intimum rationalis a Domino. Caufa quoque, cur Spirituales non habent perceptionem boni & veri fidei, eft, quia bonum & verum non implantatum eft in parte eorum voluntaria, ut apud homines cœleftes, fed in parte intellectuali, videatur n: 863. 875. 927. 1023. 1043. 1044.

G 2256;

2256; inde eſt, quod Spirituales non poſſint ad primum lucis, in qua ſunt cœleſtes, venire, n: 2718, ſed quod illis obſcurum ſit reſpective, n: 1043. 2078 pr: 2715; quod Spirituales implicati ſint ſcientifico naturali quoad vera fidei, inde ſequitur. Quod perplexum ſeu implexum in ſenſu interno ſignificet ſcientificum naturale, hoc eſt, illud ſcientificum, quod in Memoria exteriore hæret, conſtare etiam poteſt ab aliis locis in Verbo; apud Ezechielem, "Ecce Aſchur cedrus in Libano, pulchra fronde, & nemus umbroſum, & excelſa altitudine, *& inter implexa fuit ramus ejus*," xxxi: 3, ubi de Ægypto, quæ eſt ſcientia, n: 1164. 1165. 1186. 1462: Aſchur pro rationali, n: 119. 1186, quod etiam eſt cedrus, tum Libanus, in Verbo; inter implexa pro inter ſcientifica, rationale enim humanum fundatur in ſcientificis ejus: apud Eundem, "Sic dixit Dominus Jehovih, quoniam elatus es altitudine, & *dedit ramum ſuum ad inter implexa*, & elatum factum eſt cor ejus in elatione ſua, exſcindent eum alieni, violenti gentium, & dejicient eum," xxxi: 10. 12, de Ægypto, dare ramum inter implexa, pro hærere in ſcientificis, & inde ſpectare ſpiritualia, cœleſtia, & Divina: apud Eundem, "Propterea ut extollant ſe in altitudine ſua omnes arbores aquarum, & *non dent ramum ſuum ad inter implexa*, & non ſtent ſuper illis in altitudine ſua omnes bibentes aquas, quia omnes illi dabuntur morti, ad terram inferiorem in medio filiorum hominis ad deſcendentes foveam," xxxi: 14. ubi de illis, qui per ratiocinia ex ſcientificis, intrare volunt in myſteria fidei, qui quod prorſus occæcentur, videatur n: 215. 232. 233. 1072. 1911. 2196. 2203. 2568. 2588; ratiocinari ex ſcientificis, eſt dare ramum ad inter implexa: apud Eundem, "Fuerunt illi plantæ roboris ad ſceptra dominantium, & extulit ſe altitudo ejus *ſuper inter implexa*," xix: 11, ſimiliter: apud Eundem, "Confoſſi Iſraelis in medio idolorum eorum, circum altaria eorum, & ſub omni arbore viridi, & *ſub omni quercu implexa*," vi: 13, agitur de cultu quem ſibi fingunt, fidem habentes ſibi, ita illis quæ ex ſcientificis ſuis excludunt; quercus implexa pro ſcientificis in tali ſtatu, quod quercus ſint apperceptiones ex ſcientificis, videatur n: 1442. 1443. 2144: ſimiliter alibi apud Eundem, "Viderunt omnem collem altum, & omnem *arborem implexam*, & ſacrificabant ibi ſacrificia ſua," xx: 28; arbor implexa pro illis quæ non dictat Verbum, ſed ſcientificum proprium; quod cultus fieret in lucis, & ſignificativus eſſet ſecundum arborum qualitates, videatur n: 1722. Apud Eſaiam, "Ardet ſicut ignis malitia, ſenticetum & vepretum comedet, & incendet *implexa ſylvæ*," ix: 17; ſenticetum & vepretum pro falſitate & cupiditate, implexa ſylvæ pro ſcientificis: apud Eundem, "Jehovah Zebaoth excidet *implexa ſylvæ* ferro, & Libanus per magnificum cadet," x: 34; implexa ſylvæ pro ſcientificis, Libanus pro rationalibus. Apud Jeremiam, "Tollite ſignum verſus Zionem, quia malum Ego adducens e ſeptentrione, & confractionem magnam, aſcendit leo *ex perplexo ſuo*, & perditor gentium profectus exivit e loco ſuo, ad ponendum terram tuam in vaſtitatem, urbes tuæ deſtruentur, ut nullus habitator," iii: 6. 7, ex perplexo pro ex ſcientifico, ex quo quod

aſcendit

afcendit in arcana Divina, ponit terram in vaftitatem, hoc eft, Ecclefiam vaftat. Quod fcientifica in Verbo dicantur Perplexa, eft caufa quia refpective talia funt, imprimis cum cupiditates amoris fui & mundi, & principia falfi, adfpirant; amor cœleftis & fpiritualis, eft qui fcientifica, quæ funt memoriæ exterioris, difponit in ordinem, at amor fui & mundi pervertit ordinem, & perturbat omnia quæ ibi; hæc non animadvertit homo, quia in perverfo ordine ponit ordinem, in malo bonum, & in falfo verum, inde funt illa in perplexo; etiam ex eo, quod illa, quæ funt Memoriæ exterioris, ubi fcientifica, ad illa quæ in Memoria interiore, ubi rationalia, fint refpective in perplexo, aut ficut in opaca fylva; quam umbrofum, opacum, & tenebrofum fit ibi refpective, non fcire poteft homo, quamdiu in corpore vivit, putat enim tunc, quod omnes fapientia & intelligentia fit inde, fed fciet in altera vita, quando in illa quæ funt memoriæ interioris, venit, quod in Memoria exteriore, quæ propria eft homini cum vivit in mundo, nihil minus fit quam lux fapientiæ & intelligentiæ, fed quod refpective ibi tenebrofum, inordinatum, & perplexum, videatur n: 2469 ad 2494.

2832. Cornibus fuis, quod fignificet omni potentia quoad vera fidei, conftat a fignificatione cornuum; Cornua in Verbo paffim memorantur, & ibi fignificant potentiam Veri quod ex bono, & in oppofito fenfu potentiam falfi quod ex malo; hic loci, quod Spirituales, qui per Arietem fignificantur, implicati fint fcientifico naturali omni potentia quoad verum, & inde quod deprivati potentia percipiendi vera; quo plus enim aliquis fcientifica naturalia confulit, & illis animo & mente inhæret, quoad illa quæ funt vera fidei, eo magis lucem veri amittit, & cum lucem, etiam vitam veri; quifque hoc ab experientia fcire poteft, fi attendat & reflectat, ex illis qui dicunt, fe nihil credere poffe, nifi per fenfualia vel per fcientifica capiant quod ita fit, fi exploraveris illos quales funt, comperies quod ne hilum credant, & præterea quod illis nihil fapientius videatur, quam naturæ omnia & fingula tribuere; funt etiam plures, qui dicunt fe credere tametfi non capiunt, & tamen ufque in occulto apud fe æque ac alii ex fenfualibus & fcientificis ratiocinantur de veris fidei num ita fit, hi vel perfuafivum quoddam habent infufflatum ex amore fui & mundi, vel prorfus non credunt; quales funt, patet a vita eorum; illi & hi quidem funt in Ecclefia fpirituali Domini, fed non ab Ecclefia; qui ab Ecclefia, in vita boni funt, & fidem veris habent; fed Spirituales tum aliis veris, quam quæ impreffa fibi habent ab infantia, & confirmata dein fibi ex doctrina vel aliunde; talis ftatus eft fpiritualium, qui ftatus hic defcriptus eft per Arietem detentum in perplexo cornibus fuis, videatur mox fupra n: 2831. *Quod Cornu fignificet potentiam Veri quod ex bono*, conftat ab his locis; apud Davidem, "Decus roboris eorum Tu, & in beneplacito tuo *exaltabis cornu noftrum*, quia Jehovah fcutum noftrum, & Sancto Ifraelis Rex nofter; *Veritas mea* & mifericordia mea cum Ipfo, & in Nomine meo *exaltabitur Cornu Ipfius*, & ponam in Mari manum Ipfius, & in fluviis dextram Ipfius," Pfalm: LXXXIX: 18. 19. 25, ubi Cornu noftrum, & cornu Ipfius, manifefte pro potentia veri; agitur ibi de Regno Spirituali

Domini; Sancto Israelis Rex noster, pro quod Domino Divinum verum, quod Rex sit verum, & Regium Domini sit Divinum Verum, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069; ponere in mari manum & in fluviis dextram, pro quod robur in scientiis & cognitionibus veri, quod manus & dextra sit robur, n: 878, & quod mare & fluvii sint scientiæ & cognitiones, n: 28. 2702: apud Eundem, "Amabo Te, Jehovah, robur meum, Jehovah petra mea, & propugnaculum meum, & ereptor meus, Deus meus, rupes mea in qua confido, scutum, & *Cornu salutis*," Psalm: XVIII: 2. 3. 2 Sam: XXII: 2. 3, Cornu salutis pro vero quoad potentiam, ibi robur, petra, propugnaculum, Deus, rupes, scutum, sunt omnia significativa potentiæ veri: apud Eundem, "In Zione *germinare faciem cornu Davidi*, disponam lucernam Uncto meo; hostes illius induam pudore," Psalm: CXXXII: 17, ubi de Domino, Qui est David, n: 1888, cornu pro potentia veri, lucerna, pro luce veri. Apud Samuelem, "Exultavit cor meum in Jehovah, *exaltavit se cornu meum* in Jehovah, dilatatum est os meum contra hostes meos, quia lætata sum in salute tua: Jehovah dabit robur Regi suo, & *exaltabit cornu uncti sui*," 1 Sam: ii: 1. 10; propheticum Channæ; cornu pro potentia veri. Apud Mosen, "Primogenitus bovis ejus honor illi, & *cornua monocerotis*, *cornua ejus*, illis populos *cornuferiet* una, ad fines terra," Deut: XXXIII: 17, propheticum Israelis de Josepho, ubi cornua monocerotis pro magna potentia veri, ut patet quoque ex eo, quod illis populos feriet ad fines terræ: similiter apud Davidem, "*Exaltabis*, sicut Monocerotis, *cornu meum*," Psalm: XCII: 11: & apud Eundem, "Jehova salva me ex ore leonis, & *ex Cornibus Monocerotis responde mihi*," Psalm: XXII: 22, Vera Divina ex altitudine cornua monocerotum dicta sunt; inde exaltari cornu toties dicitur, exaltatio enim significat potentiam ex interiori, quod internum exprimatur per altum, videatur n: 1735. 2148. Apud Jeremiam, "Dominus abscidit in excandescentia *omne cornu Israelis*, reduxit retro dextram ejus a coram hoste," Thren: II: 3, abscindere omne cornu Israelis, pro deprivare vero cui potentia, quod etiam est reducere dextram a coram hoste. Apud Ezechielem, "In die illo *crescere faciam cornu domui Israelis*, & tibi dabo apertionem oris in medio eorum," XXIX: 21, crescere facere cornu domui Israelis, pro multiplicare vera Ecclesiæ spiritualis, quæ est Israel, apertio oris pro confessione eorum. Apud Habakuk, "Deus e Themane veniet, & Sanctus de monte Paran, texit cœlos honor Ipsius, & laude Ipsius impleta est terra, & splendor sicut lux erit; *Cornua e manu Ipsius Ipsi*, & ibi *occultatio roboris Ipsius*," III: 4, ubi de Domino, Cornua e manu Ipsius Ipsi, & ibi occultatio roboris Ipsius, manifeste pro potentia veri; mons Paran quod sit Divinum Spirituale sive Divinum Verum Humani Domini, videatur n: 2714, quod etiam est splendor & lux: Divinum Verum Humani Domini apud Johannem ita describitur, "Vidi, cum ecce in medio throni, & quatuor animalium, Agnus stans tanquam mactatus, *habens cornua septem*, qui sunt septem Dei spiritus emissi in omnem terram," Apoc: V: 6, Cornua septem pro Veris sanctis seu Divinis; quod septem sint sancta, videatur n: 716.

n: 716. 881; septem spiritus emissi in omnem terram, sunt sanctæ prædicationes eorundem verorum. Cornua altarium nec aliud quam Verum cui potentia significabant, de quibus ita apud Mosen, "Facies *Cornua super quatuor Angulis Altaris, ex illo erunt Cornua ejus*," Exod: xxvii: 2. Cap: xxxviii: 2: similiter super altari suffimenti, *& quod ex illo cornua essent*," Exod: xxx: 2. Cap: xxxvii: 25; quod altare esset principale repræsentativum Domini, & cultus Ipsius, videatur n: 921; Altare erat repræsentativum Divini Boni Ipsius, Cornua erant repræsentativa Divini veri Ipsius, quod ex Bono esset Verum repræsentabatur per quod Cornua essent ex illo seu ex altari; quod non aliud verum sit quam quod ex bono, videatur n: 654. 1608. 1162. 1176. 2063, 2261. 2419; inde patet quod cornua in genuino sensu significent potentiam veri quod ex bono. Quod Aharon & filii ejus, cum initiarentur ministerio, acciperent de sanguine juvenci, & darent super *Cornua Altaris* digito," Exod: xxix: 12. Levit: viii: 15; "& quod Aharon expiaret *super Cornibus Altaris* semel in anno," Exod: xxx: 10; "& quod Sacerdos cum peccaret, offerret juvencum, & daret de sanguine *super cornua altaris suffimenti*," Levit: iv: 37: tum quod Princeps cum peccaret, offerret holocaustum, & sanguis spargeretur *super cornua altaris holocausti*," Levit: iv: 22. 25: "pariter si anima peccaret," ibid: Vers: 27. 30. 34; ut & cum altare expiaretur," Levit: xvi: 18. 19, significabant Vera ex bono; omnes enim sanctificationes, inaugurationes, & expiationes, fiebant per vera, quia vera introducunt ad Bonum, n: 2830: quod Cornua altaris significaverint vera quæ ex bono, constare etiam potest apud Johannem, "Sextus Angelus clanxit, tunc audivi *vocem unam* ex *quatuor cornibus Altaris aurei*, quod coram Deo," Apoc: ix: 13, cornua altaris aurei manifeste pro veris ex bono, nam inde vox, quod aurum sit bonum, n: 113. 1551. 1552, magis adhuc altare aureum. Apud Amos, "In die visitavero prævaricationes Israelis super illum, visitabo super altaria Bethelis, & exscindentur *Cornua Altaris*, & cadent in terram," iii: 14; cornua altaris quod exscindentur, erat, quod ibi non repræsentaretur amplius Verum ex bono, Bethel est Bonum Divinum, vocatur ideo sanctuarium Regis, & domus Regni, Amos vii: 13. Quod Reges ungerentur Oleo ex Cornu, 1 Sam: xvi: 1. 13. 1 Reg: i: 39, repræsentabat similiter ex Bono Verum, Oleum erat Bonum n: 886, Cornu autem verum, ipsum Regium in sensu interno est tale verum, n: 1728. 2015, cui potentia. *Quod Cornu in opposito sensu significet potentiam falsi quod ex malo*, constat a sequentibus locis; apud Amos, "O lætantes ad non quicquam, dicentes, annon in robore nostro accepimus nobis *Cornua*," vi: 13, Cornua ibi pro potentia falsi: apud Sachariam, "Sustuli oculos meos, & vidi, & ecce *quatuor Cornua*, & dixi ad Angelum loquentem in me, quid hæc, & dixit ad me, hæc *Cornua* quæ disperserunt Jehudam, Israelem & Hierosolymam, & ostendit mihi Jehovah quatuor fabros, & dixi, quid hi venientes ad faciendum, & dixit dicendo, *hæc Cornua* quæ disperserunt Jehudam, adeo ut vir non tollat caput suum,

ſuum, & venerunt hi ad terrendum, ad dejiciendum *cornua gentium*, attollentium *cornu* ad terram Jehudæ, ad diſpergendum eam," II: I. 2. 3. 4, Cornua pro potentia falſi, quod vaſtat Eccleſiam. Apud Ezechielem, "Latere & humero impellitis, & *cornibus veſtris feritis omnes infirmas*, uſque dum diſperſeritis eas foras," XXXIV: 21, ibi de paſtoribus, qui per falſa ſeducunt, cornua pro potentia falſi, humerus pro omni potentia, n: 1085: apud Jeremiam, "Jehovah deſtruxit, & non pepercit, & lætificavit ſuper te hoſtem, *exaltavit cornu inimicorum tuorum*," Thren: ii: 17: apud Eundem, "Exciſum eſt *Cornu Moabi*, & brachium ejus confractum eſt," XLVIII: 25, cornu ibi pro potente falſo. Apud Davidem, "Dixi gloriantibus, ne gloriemini, & *impiis ne attollatis cornu*, *ne attollatis in altum cornu veſtrum*, ne loquamini collo duro, omnia *cornua impiorum* exſcindam, exaltabuntur *cornua juſti*," Pſalm: LXXV: 5. 6. 11, cornua impiorum pro potentia falſi ex malo, cornua juſti pro potentia veri ex bono. Apud Danielem, "Viſa beſtia quarta, terribilis & formidabilis, robuſta valde, cui dentes ferri, comedit & contrivit, & reliquum pedibus conculcavit; erant *decem cornua illi*: attendens fui ad *cornua*, & ecce *cornu aliud parvum* aſcendit inter ea, & tria de *cornibus prioribus* eradicata ſunt a coram eo, & ecce oculi ſicut oculi hominis in *cornu hoc*, & os loquens magna: videns fui tunc propter vocem verborum magnorum, quæ *cornu loquens*. Cupivi certitudinem de beſtia quarta, & de *cornibus decem* quæ in capite ejus, & de *alio* quod aſcendit, & caderent a *coram eo tria*, & de *Cornu eodem*, quod oculi ei, & os loquens magna: videns fui, quod *Cornu idem* faceret bellum cum ſanctis; & dixit, quod ad beſtiam quartam, regnum quartum erit in terra, quod diverſum erit ab omnibus regnis, & comedet omnem terram, & conculcabit eam, & conteret eam; quod ad *Cornua decem*, ex eodem regno decem reges ſurgent, & alius ſurget poſt eos, qui diverſus erit a prioribus, & tres reges humiliabit, verba contra Altiſſimum loquetur, & ſanctos atteret, poſt judicium ſedebit," VII: 7. 8. 11. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25; agitur ibi in ſenſu interno de ſtatu Eccleſiæ perverſo; quæ ibi viſa ſunt Danieli, ut beſtia, dentes ferri, cornu in quo oculi, & cornua loquentia, & quæ bellum facerent cum ſanctis, & quod loqueretur contra Altiſſimum, ſignificant ſtatum falſi & hæreſium intra Eccleſiam; quod cornua falſum potens & prævalens ſignificent, conſtare poteſt ſolum ex eo, quod eis tribuantur oculi, hoc eſt, intellectuale, n: 2701, & quod loquuta, etiam contra Altiſſimum; per Regna & Reges non ſignificantur regna & reges, ſed doctrinalia falſi, ut conſtare poteſt ab eorum ſignificatione in Verbo, quod ſint doctrinalia veri, & in oppoſito ſenſu doctrinalia falſi, videatur n: 1672. 2015. 2060, 2547. Alibi apud Danielem, "Viſus ei Aries ſtans ante flumen, *cui duo cornua*, *cornua* autem *alta*, unum tamen altum præ altero, ſed altum aſcenderat poſterius; vidi Arietem *cornuferientem* verſus occidentem, & verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, ita ut omnes feræ non conſiſterent coram eo, nec liberans e manu ejus, unde

unde fecit fecundum placitum, & magnum fe faciebat. Cum effem attentus, ecce Hircus caprarum venit ab occidente fuper facies omnis terræ; huic Hirco *cornu inter duos oculos*, venit ad Arietem *Dominum Cornuum*, & cucurrit ad eum furore roboris fui, percuffit eum, & fregit *duo Cornua ejus*, nec erant vires in Ariete confiftendi coram eo: poftea Hircus caprarum magnum fe fecit valde, fed cum invaluit, *fractum eft Cornu magnum*, & afcenderunt *quatuor Cornua* loco ejus; mox ex uno de illis *exivit Cornu unum de exiguo*, & crevit valde verfus meridiem, & verfus ortum, & verfus decus, & crevit ad exercitum cœlorum, & dejecit in terram de exercitu, & de ftellis, & conculcavit eas. Aries cum *duobus Cornibus* funt Reges Mediæ & Perfiæ, Hircus rex Græciæ, *quatuor Cornua loco unius*, funt quatuor regna ex gente," VII: 1 ad f: ibi agitur in fenfu interno de ftatu Ecclefiæ fpiritualis, quæ eft Aries, n: 2830, & defcribitur ftatus illius Ecclefiæ, quomodo fucceffive declinat & pervertitur; hircus caprarum funt illi, qui in fide feparata a charitate, feu in vero feparato a bono, funt, qui incipiunt fe efferre contra bonum, tandem contra Dominum; cornua arietis funt vera Ecclefiæ fpiritualis interna & externa; cornua hirci caprarum funt vera, quæ degenerantur fucceffive in falfa; per regna & reges ibi, nec fignificantur regna & reges, fed vera & falfa, ut modo dictum, Verbum enim Domini in fua effentia non agit de mundanis & terreftribus, fed de fpiritualibus & cœleftibus. Apud Johannem, "Vifum eft aliud fignum in cœlo, ecce draco magnus rufus, habens capita feptem, & *cornua decem*, & fuper capitibus diademata feptem, cauda ejus traxit tertiam partem ftellarum cœli, & projecit eas in terram," Apoc: XII: 3. 4: & alibi, "Vidi ex mari beftiam afcendentem, quæ habebat Capita feptem, & *Cornua decem*, & fuper *Cornubus fuis decem* diademata, fuper capitibus fuis nomen blafphemiæ; datum eft illi bellum facere cum fanctis, & vincere eos. Deinde vidi aliam beftiam afcendentem e terra, quæ habebat *cornua duo* fimilia agno," Apoc: XIII: 1. 2. 7, 11: iterum apud Eundem, "Vidi mulierem fedentem fuper beftia coccinea plenam nominibus blafphemiæ, & habebat capita feptem, & *Cornua decem*; erat Babylon magna; feptem capita funt montes feptem, ubi mulier fedet fuper illis, & reges feptem funt; *decem Cornua* decem reges funt," Apoc: XVII: 3. 5. 7. 9. 12. 13, quod hic per Cornua fimiliter ac apud Danielem fignificentur potentiæ falfi, conftare poteft.

2833. Et ivit Abraham & accepit arietem, quod fignificet liberationem eorum ex Divino Humano Domini, conftat ex repræfentatione Abrahami, quod fit Dominus hic quoad Divinum Humanum, cum enim Jehovah feu Angelus Jehovæ loquitur cum Abrahamo, tunc Jehovah feu Angelus Jehovæ eft Ipfum Divinum, & Abraham Divinum Humanum; & a fignificatione Arietis; quod fint fpirituales, n: 2830; inde patet, quod ivit Abraham, & accepit Arietem detentum in perplexo cornibus fuis, fignificet liberationem Spiritualium ex Divino Humano Domini: quod Spirituales abfque adventu Domini in mundum nufquam falvari potuerint, videatur n: 2661. 2716, & quod

quod illis ſalvatio & liberatio ex Divino Humano Domini, n : 2716.

2834. Et obtulit illum in holocauſtum loco filii ſui, quod ſignificet ſanctificationem eorum & adoptationem conſtat ex ſignificatione offerri in holocauſtum, quod ſit ſanctificari, de qua n : 2776 ; & a ſignificatione loco filii ſui, quod ſit adoptari, nempe a Divino Humano Domini, quod hic eſt Abraham, n : 2833. adoptatio Spiritualium deſcribitur apud Johannem, " Jeſus dixit, Ego ſum Vitis, vos palmites, qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam," xv : 5, quod Vitis ſit Eccleſia Spiritualis, videatur n : 1069.

2835. Verſ : 14. *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Jehovah videbit, quod dicitur hodie, in monte Jehovah videbit.* Et vocavit Abraham nomen loci illius, ſignificat quale ſtatus eorum ex Divino Humano Domini : Jehovah videbit, ſignificat Domini Providentiam : quod dicitur hodie, ſignificat perpetuum : in monte Jehovah videbit, ſignificat charitatem, per quam a Domino pro viſum ut ſalventur.

2836. Vocavit Abraham nomen loci illius, quod ſignificet quale ſtatus illorum, nempe Spiritualium, ex Divino Humano Domini, conſtat a ſignificatione vocare nomen, quod ſit noſſe qualis eſt, ſeu quale, de qua n : 144. 145. 1754. 1896. 2009 ; ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua n : 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 2625 ; & a repræſentatione Abrahami, quod ſit Dominus quoad Divinum Humanum, de qua n : 2833, inde patet, quod vocavit Abraham nomen loci illius, ſignificet quale ſtatus ſpiritualium ex Divino Humano Domini. Quod Spirituales per adventum Domini in mundum ſalventur, n : 2661. 2716, oſtenſum eſt ; & quod illis illuminatio ex Divino Humano Domini, n : 2716 ; & quod proviſum ſit, quod illi ſalventur, qui in fide charitatis, hoc eſt, in charitate ſunt, in hoc Verſu ſequitur ; hic ſtatus eſt, qui per illa verba ſignificatur.

2837. Jehovah videbit, quod ſignificet Domini Providentiam, conſtat ex ſignificatione videre, cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit prævidere & providere, de qua n : 2807, quod Jehovah ſit Dominus, videatur n : 1343. 1736. 2156. 2329. In ſenſu literali eſt denominatio loci, in ſenſu autem interno eſt qualitas ſtatus qui deſcribitur ; tempora enim & ſpatia ſunt mere naturæ, quare cum ſenſus literæ Verbi tranſit a natura in cœlum, idea naturalis illorum prorſus perit, & ſit idea ſpiritualis illis correſpondens.

2838. Quod dicitur hodie, quod ſignificet perpetuum, conſtat a ſignificatione Hodie in Verbo, de qua ſequitur : aliquoties legitur in Verbo, *uſque ad hunc diem*, ſeu ad hodie ; ut prius, " Hic pater Moabi *ad hunc uſque diem* ; & pater Ammonis *ad hunc uſque diem*," Gen : xix : 37. 38 ; & dein " Nomen urbis Beerſchebah *uſque ad hunc diem*," Gen : xxvi : 33 : tum " Non edunt filii Iſraelis nervum emoti, qui ſuper vola femoris, *uſque ad diem hunc*," Gen : xxxii : 32. ut & " Hæc ſtatua ſepulchri Rachelis, *uſque ad diem*," Gen : xxxv : 20. " Poſuit Joſephus in ſtatutum, *uſque ad diem hunc*," xlvii : 26 ; hæc in ſenſu hiſtorico ſpectant tempus quando Moſes vixit, ſed in ſenſu interno per hunc diem, & per hodie, ſignificatur ſtatus perpetuum & æternum,

num, quod dies sit status, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893, ita quoque hodie, quod est tempus præsens; quod temporis est in mundo, hoc æternum est in cœlo, ut hoc significaretur, adjectum est *hodie*, vel ad *hunc diem*, tametsi appareat iis, qui in sensu historico sunt, tanquam nihil præterea involveret; similiter dicitur alibi in Verbo, ut Jos: IV: 9. Cap: VI: 25. Cap: VII: 26. Jud: I: 21. 26, & aliis in locis. Quod Hodie significet perpetuum & æternum, constare potest apud Davidem, "Narrabo statutum, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, *Ego Hodie genui Te*," Psalm: ii: 7, ubi manifeste hodie pro æterno: apud Eundem, "In *æternum* Jehovah, Verbum tuum consistit in cœlis, in *generationem & generationem* veritas tua; stabilivisti terram, & stat, ad judicia tua stant *Hodie*, Psalm: CXIX: 89. 90. 91, ubi etiam manifeste Hodie pro æterno: apud Jeremiam, "Antequam formavi Te in ventre, novi Te, & antequam exires ex utero, sanctificabam Te, Prophetam gentibus dedi Te, præfeci Te *die hoc* (hodie:) super gentes & super regna; & dedi Te *Hodie* in urbem munitam, & in columnam ferri, & in muros æris," I: 5. 10. 18, ibi in sensu literæ agitur de Jeremia, sed in sensu interno intelligitur Dominus; præfeci Te die hoc seu hodie super gentes & super regna, & dedi Te hodie in urbem munitam, pro ab æterno, de Domino non aliud quam æternum prædicari potest. Apud Mosen, "Vos stantes *Hodie* omnes vos coram Jehovah Deo vestro, ad transeundum in fœdus Jehovæ Dei tui, & in adjuramentum Ipsius, quod Jehovah Deus tuus, excidit tecum *Hodie*, propterea ut constituat te *Hodie* sibi in populum, & Ipse erit tibi in Deum; & quidem non cum vobis solis, sed cum qui hic cum nobis stant *Hodie* coram Jehovah Deo nostro, & cum qui non cum nobis *Hodie*," Deut: XXIX: 9. 11. 12. 14, hic in sensu literæ est Hodie tempus præsens cum Moses loquutus ad populum, sed usque quod involvat tempus sequens & perpetuum constare potest, nam pangere fœdus cum aliquo, & cum illis qui ibi & non ibi, involvit perpetuum, ipsum perpetuum est quod intelligitur in sensu interno. Quod quotidie & hodie significent perpetuum, constat etiam a sacrificio quod fiebat quovis die, hoc propter significationem *diei*, *quotidie* & *hodie*, dicebatur sacrificium juge, seu perpetuum, Num: XXVIII: 3. 23. Dan: VIII: 13. Cap: XI: 31. Cap: XII: 11. Hoc adhuc evidentius patet a manna, quæ pluebat ex cœlo, de qua ita apud Mosen, "Ecce Ego pluere faciens panem e cœlo, & exibit populus, & colligent rem *die in diem*, & non relinquetur de eo ad mane: quod relinquerunt ad mane, produxit vermes, & computruit, præter quod die ante sabbathum," Exod: XVI: 4. 19. 20. 23; hoc ideo, quia manna significabat Divinum Humanum Domini, Joh: VI: 31. 32. 49. 50. 58; & quia Divinum Humanum Domini, significabat cibum cœlestem, qui non alius est, quam amor & charitas cum fidei bonis & veris; hic cibus in cœlis quovis momento Angelis a Domino datur, ita in perpetuum & in æternum, videatur n: 2493: hoc quoque est, quod intelligitur in Oratione Domini, per, Panem nostrum *quotidianum* da nobis *hodie*," Matth: VI: 11. Luc: XI: 3, hoc est, omni instanti in æternum.

2839. In monte Jehovah videbit, quod significet charitatem, per quam a Domino provisum ut salventur, nempe Spirituales, constat ex significatione montis, quod sit amor & charitas, de qua n: 795. 796. 1430; quod Jehovah videbit sit Domini Providentia, seu a Domino provisum, mox supra n: 2836, dictum est: hic charitas dicitur non amor, ob differentiam, quæ est inter charitatem & amorem, de qua n: 2023. Quod Spirituales per Charitatem salventur, non per fidem separatam a charitate, constat ex multis locis in Verbo: ita se habet cum charitate & cum fide, charitas absque fide non est genuina charitas, & fides absque charitate non est fides; ut charitas sit erit fides, & ut fides erit charitas, at ipsum essentiale est charitas, non enim alii humo implantari potest semen quod est fides; ex conjunctione unius & alterius mutuo & vicissim est conjugium cœleste, hoc est, Regnum Domini; fides nisi implantata charitati est mere scientia, non enim vadit e memoria ulterius, nam nulla est affectio cordis, quæ recipit; ut fit intelligentia & sapientia, cum implantatur charitati, hoc est, vitæ: charitas absque fide, qualis apud infantes & apud probos gentiles, est modo humus, cui implantatur fides, si non in vita corporis, usque in altera vita, videatur n: 1802. 2280. 2290 ad 2309. 2419. 2589 ad 2604.

2840. Vers: 15. 16. *Et clamavit Angelus Jehovæ ad Abraham secundo e cœlo. Et dixit, in Me juravi, dictum Jehovæ, quia propterea quod fecisti verbum hoc, & non cohibuisti filium tuum, unicum tuum.* Clamavit Angelus Jehovæ ad Abraham secundo e cœlo, significat consolationem Domini adhuc majorem ex Divino; & dixit, in Me juravi, dictum Jehovæ, significat confirmationem ex Divino irrevocabilem: quia propterea quod fecisti verbum hoc, significat rem transactum: & non cohibuisti filium tuum, unicum tuum, significat unitionem Humani cum Divino per ultimum tentationis.

2841. Clamavit Angelus Jehovæ ad Abraham secundo e cœlo, quod significet consolationem Domini adhuc majorem, constat ex significatione clamare e cœlo, quod sit consolari; & ex significatione Angeli Jehovæ, quod sit ipsum Divinum Domini, de quibus supra n: 2821, ubi eadem verba: quod hic dicatur *secundo*, est quia major consolatio; prima consolatio continetur in Vers: 12. 13. 14, ubi agitur de Providentia Divina, quod illi ex humano genere, qui Spirituales dicuntur, adoptarentur; altera consolatio, quæ major, continetur in Versibus, qui sequuntur, 17, 18, seq. ad f, nempe, quod Spirituales multiplicarentur sicut stellæ cœlorum, & sicut arena super litore maris: & quod salvarentur non solum illi, sed etiam omnes qui in bono sunt: hæc fuerunt amoris Domini; quare ex illis consolatio Ipsi; nulla consolatio alicui, nisi ex illis quæ sunt amoris ejus.

2842. Et dixit, in Me juravi, dictum Jehovæ, quod significent confirmationem ex Divino irrevocabilem, nempe de illis quæ sequuntur, constare potest a significatione dicere, in Me jurare, & dicti Jehovæ, quæ omnia involvunt confirmationem, & quidem ex Divino, hoc est, ex Ipso; Divinum nec aliunde quam ex Se Ipso, confirmare potest, & quod confirmat, est irrevocabile, quia veritas æterna; quicquid Jehovah seu Dominus loquitur, est veritas

veritas æterna, Matth: XXIV: 35, nam ex ipſo Eſſe Veri venit; at quod juramento quaſi confirmet, ut hic, & alibi in Verbo, non ideo eſt, quod magis verum ſit, ſed eſt ideo, quia ad tales, qui non recipiunt Verum Divinum, niſi ita confirmatum; non enim aliam ideam de Jehovah ſeu Domino habent, quam de homine, qui dicere poteſt, & mutare, ſicut pluries in Verbo legitur, ſed in ſenſu interno id aliter ſe habet: quod Jehovah ſeu Dominus nuſquam aliquid juramento confirmet, quiſque ſcire poteſt, at cum ipſum Divinum Verum, & ejus confirmatio, delabitur ad hominem talem, vertitur in ſimile juramenti; ſe habet hoc, ſimul ignis comedens & fumus, qui apparuit ſuper monte Sinai, coram oculis populi, cum deſcendit Jehovah ſeu Dominus, Exod: XIX: 18. Deut: IV: 11. 12. Cap: V: 19. 20. 21, gloria Ipſius in cœlo, imo ipſa miſericordia, ita apparuit coram populo ibi, qui in malo & falſo, videatur n: 1861, ſimiliter ſe habet cum multis, quæ a Jehovah dicuntur dicta & facta, de quibus in Verbo; inde conſtare poteſt, quod, in Me juravi, dictum Jehovæ, ſit ſignificativum confirmationis ex Divino irrevocabilis. Quod jurare, ubi prædicatur de Jehovah, ſignificet confirmare apud hominem qui talis, conſtare poteſt a pluribus aliis locis in Verbo, ut apud Davidem, "Jehovah recordatur in æternum *fœderis* ſui, verbi præcepit in mille generationes, quod pepigit Abrahamo, & *Juramenti* ſui Jiſchako," Pſalm: CV: 8. 9; ſimiliter ſe habet cum fœdere ac cum juramento, quod Jehovah ſeu Dominus non pangat fœdus cum homine, ſed cum agitur de conjunctione per amorem & charitatem, ſiſtitur illud etiam actualiter ut fœdus, videatur n: 1864: apud Eundem, "*Juravit Jehovah*, & non pænituit Ipſum, Tu Sacerdos in æternum, juxta verbum meum, Malchizedech," Pſalm: CX: 4, ubi de Domino, juravit Jehovah pro confirmatione ex Divino irrevocabili, hoc eſt, quod veritas æterna ſit: apud Eundem, "Pepigi fœdus Electo meo, *juravi Davidi* ſervo meo, uſque æternum firmabo ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem thronum tuum," Pſalm: LXXXIX: 3, ubi etiam de Domino; pangere fœdus Electo, & jurare Davidi, pro confirmatione irrevocabili ſeu veritate æterna, David pro Domino, n: 1888, pangere fœdus ſpectat Divinum Bonum, jurare Divinum Verum: apud Eundem, "Non prophalabo fœdus meum, & enuntiatum labiorum meorum non mutabo, ſemen *juravi in ſanctitatem meam*, ſi Davidi mentiar," Pſalm: LXXXIX: 35, ubi etiam David pro Domino; fœdus quoque ibi ſpectat Divinum Bonum, enuntiatum labiorum Divinum verum, & hoc ob conjugium boni & veri, quod eſt in ſingulis Verbi, de quo n: 683. 793. 801. 2516. 2712: apud Eundem, "*Juravit Jehovah Davidi veritatem*, a qua non recedet, de fructu ventris tui ponam in ſolio tibi, ſi cuſtodiverint filii tui fœdus meum, & teſtimonium meum, quod doceo eos," Pſalm: CXXXII: 12; juravit Jehovah Davidi veritatem, manifeſte pro veritatis æternæ confirmatione, quare dicitur, e qua non recedet; per Davidem quod intelligatur Dominus, dictum eſt; juramentum uſque erat Davidi, quia talis, quod crediderit de ſe &

de posteritate sua confirmatum esse, erat enim David in amore sui & posteritatis suæ, & inde credidit, quod de illo, nempe, ut supra, quod in æternum firmaretur semen ejus, & in generationem & generationem thronus ejus, cum tamen de Domino dictum. Apud Esaiam, "Aquæ Noachi hoc Mihi, quod *Juravi* non transire aquas Noachi amplius super terram, ita *Juravi* non succensere tibi," LIV; 9, ubi jurare pro fœdus pangere & juramento confirmare, quod fœdus fuerit, non juramentum, videatur Genes: IX: 11: apud Eundem, "*Juravit Jehovah*, dicendo, si non, quemadmodum cogitavi, ita erit," XIV: 24: apud Eundem, "*Juravit Jehovah in dextram suam*, & in brachium roboris sui," LXII: 8: apud Jeremiam, "Audite Verbum Jehovæ omnis Jehudah, habitantes in terra Ægypti, ecce Ego *juravi in Nomen meum magnum*, dixit Jehovah, si erit amplius Nomen meum invocatum in ore omnis viri Jehudæ, dicentis, vivus Dominus Jehovih in omni terra Ægypti," XLIV: 26: apud Eundem, "*In Me juravi, dictum Jehovæ*, quod in desolationem erit Bozra," XLIX: 13: apud Eundem, "*Juravit Jehovah Zebaoth in animam suam*, si non implevero te homine sicut brucho," LI: 14: apud Amos, "*Juravit Dominus Jehovih in sanctitatem suam*, quod ecce dies venientes," IV: 2: apud Eundem, "*Juravit Jehovah in celsitudinem Jacobi*, si oblitus fuero in æternum omnium factorum eorum," VIII: 7; in illis locis, quod Jehovah juraverit per dextram suam, per Nomen suum magnum, per Se, per animam suam, per sanctitatem suam, per celsitudinem Jacobi, significant confirmationem quæ in Jehovah seu Domino, confirmatio a Jehovah non dabilis est quam ex Ipso; dextra Jehovæ, Nomen magnum Jehovæ, Anima Jehovæ, Sanctitas Jehovæ, Celsitudo Jacobi, significant Divinum Humanum Domini, per ipsum, fuit confirmatio. Quod Jehovah seu Dominus juraverit dare terram Abrahamo, Isaco & Jacobo, seu posteris eorum, in sensu interno significat confirmationem quod daret Regnum cœleste illis, qui in amore & fide sunt in Ipsum; ii sunt qui intelliguntur in Verbi sensu interno per filios & posteros Abrahami, Isaci & Jacobi, seu Patrum; quod etiam actualiter repræsentatum per id, quod posteris eorum data sit terra Canaan, & quod Ecclesia tunc apud eos repræsentaret Regnum Domini cœleste, ut quoque ipsa terra, quod terra & terra Canaan in sensu interno sit Regnum Domini, videatur n: 1413. 1437. 1607, inde est, quod dicatur apud Mosen, "Propterea ut prolongetis dies *super humo, quam juravit Jehovah patribus vestris*, ad dandum illis, & semini eorum, *terram* fluentem lacte & melle: propterea ut multiplicentur dies vestri, & dies filiorum vestrorum super *humo, quam juravit Jehovah patribus vestris*, ad dandum illis, juxta dies cœlorum super *terra*," Deut: XI: 21; ex his locis nunc constare potest, quod jurare Jehovæ fuerit repræsentativum confirmationis, & quidem irrevocabilis; ut manifestius adhuc patet apud Esaiam, "*In Me juravi*, exivit ex ore meo justitiæ verbum, & non revertetur, quod Mihi incurvabit se omne genu, *jurabit omnis lingua*," XLV: 23. Præterea injunctum fuit illis,

illis, qui ab Ecclefia repræfentativa Judaica, cum juramento confirmarent fœdera, pariter vota, ut & promiffa, tum vadimonia, quod jurarent in Nomen Jehovæ; quod hoc illis injunctum fuerit, tametfi modo permiffum, erat caufa, ut fic quoque repræfentaretur confirmatio Interni hominis; ita ut juramenta tunc in Nomen Jehovæ, effent ficut cætera, nempe repræfentativa; quod injunctum, hoc eft, permiffum, conftat apud Mofen, "Jehovam Deum tuum timebis, & Ipfi fervies, & *in Nomen Ipfius jurabis*, non ibitis poft deos alios," Deut: VI: 13. 14: alibi apud Eundem, "Jehovam Deum tuum timebis, Ipfi fervies, & Ipfi adhærebis, & *in Nomen Ipfius jurabis*," Deut: X: 20: apud Efaiam, "Qui benedicit fibi in terra, benedicet in Deo veritatis, & *qui jurat in terra, jurabit in Deum veritatis*," LXV: 16: apud Jeremiam, "Si reverteris Ifrael, *dictum Jehovæ*, ad Me revertaris, & fi removes abominationes a faciebus meis, ne vacilles, & *Jura, vivit Jehovah*, in veritate, in judicio, & in juftitia," IV: 1: apud Eundem, "Si difcendo difcant vias populi mei, *ad jurandum in Nomen meum*, & ædificabuntur in medio populi mei," XII: 16: Quod etiam juraverint in Nomen Jehovæ, feu juraverint Jehovæ, apud Efaiam, "Audite hoc domus Jacobi, vocati nomine Ifraelis, & ex aquis Jehudæ exiverunt, *Jurantes in Nomen Jehovæ*, & Deum Ifraelis memorarunt, non in veritate, & non in juftitia," XLVIII: 1: apud Eundem, "In die illo erunt quinque urbes in terra Ægypti, loquentes labiis Canaanis, & *Jurantes Jehovæ Zebaoth*," XIX: 18: apud Jofuam, "*Jurarunt* principes congregationis Gibeonitis, *per Jehovam Deum Ifraelis*," IX: 18. 19; inde conftat, quod permiffum illis jurare per Nomen Jehovæ, feu per Jehovam; fed quod id nihil aliud fuerit, quam repræfentativum confirmationis Interni hominis, conftat; notum autem eft, quod Interni homines, hoc eft, qui confcientiam habent, non opus habeant aliquid per juramentum confirmare, & quod nec confirment, juramenta illis funt pudori; dicere quidem poffunt cum aliqua affeveratione, quod ita fit, ut & veritatem confirmare per rationes, fed jurare quod ita fit nequeunt, habent internum vinculum, quo ligati, nempe confcientiæ, illi fuperaddere vinculum externum, quod eft juramentum, eft ficut illis irrogare, quod non recti corde fint; Internus homo etiam talis eft, ut ex libero amet loqui & agere, non autem ex coacto, Internum enim apud eos cogit Externum, non autem viciffim; quare qui confcientiam habent, non jurant, minus adhuc qui perceptionem boni & veri, hoc eft, cœleftes homines, hi ne quidem per rationes apud fe, & inter fe confirmant, fed modo dicunt, quod ita fit, vel non ita fit, n: 202. 337. 2718, quare hi adhuc remotiores funt a juramento; inde eft, & quia Juramenta inter repræfentativa erant quæ abroganda, quod Dominus doceat, quod omnino non jurandum, his verbis apud Matthæum, "Audiviftis, quod dictum fit, *non pejerabis*, folves vero Domino *Juramenta tua*, Ego vero dico vobis, *non jurabis omnino*, neque per cœlum, quia thronus Dei eft; neque per terram, quia fcabellum pedum Ipfius eft; neque per Hierofolymam, quia urbs eft magni Regis; *neque jurabis* per caput tuum, quia non potes unum pilum album aut

aut nigrum facere; esto vero sermo vester, imo imo, non non, quod ultra hæc est, ex malo est," v: 33. 34. 35. 36. 37; intelligitur per hæc, quod prorsus non jurandum per Jehovam, nec per quicquam quod est Jehovæ seu Domini.

2843. Quia propterea quod fecisti verbum hoc, quod significet rem transactam, constat absque explicatione.

2844. Et non cohibuisti filium tuum, unicum tuum, quod significet unitionem Humani cum Divino per ultimum tentationis, constat ex illis quæ supra n: 2827, dicta sunt, ubi eadem verba, præter quod hic non legatur, a *Me*, per quod significatur, quod adhuc ulterior unitio erit; quod semper ulterior unitio Essentiæ Humanæ Domini cum Divina Ipsius, usque ad plenariam, fuerit, videatur n: 1864. 2033.

2845. Vers: 17. *Quod benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum, tanquam stellas cælorum, & tanquam arenam quæ super litore maris; & hæreditabit semen tuum portam hostium tuorum.* Quod benedicendo benedicam tibi, significat fructificationem ex affectione veri: multiplicando multiplicabo, significat derivationes veri inde: semen tuum, significat spirituales, qui in bono fidei salvantur ex Divino Humano Domini: tanquam stellas cœlorum, significat multitudinem cognitionum boni & veri: & tanquam arenam quæ super litore maris, significat multitudinem scientificorum correspondentium: & hæreditabit semen tuum portam hostium tuorum, significat quod charitas & fides succedet, ubi prius malum & falsum.

2846. Quod benedicendo benedicam tibi, significet fructificationem ex affectione veri, constat a significatione benedici, quod sit locupletari bono cœlesti & spirituali, de qua n: 981. 1096. 1420. 1422, hic fructificari ex bono fidei, seu quod idem, ex affectione veri, quia de spiritualibus agitur. Hic a Jehovah ad Abrahamum dicitur, benedicendo benedicam tibi, & per Abrahamum repræsentatur Dominus quoad Divinum Humanum, ut in hoc Capite prius; Ipse Dominus non potuit benedici, quia est ipsa Benedictio; sed benedici dicitur, cum secundum Ipsius amorem abundant illi qui salvantur, quare in sensu interno illi hic significantur, ut quoque constat ab iis quæ immediate sequuntur: fructificatio hic dicitur, quia hæc prædicatur de affectione, multiplicatio autem, ut sequitur, de veris quæ inde.

2847. Multiplicando multiplicabo, quod significet derivationes veri inde, constat ex prædicatione multiplicari, quod sit de vero, hic ideo, quod sint derivationes veri ex affectione, ut mox supra dictum; quod fructificari prædicetur de bono, & multiplicari de vero, videatur n: 43. 55. 913. 983.

2848. Semen tuum, quod significet spirituales qui in bono fidei salvantur a Divino Humano Domini, constat ex significatione seminis, quod sit charitatis fides, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1941, seu, quod idem, illi ex humano genere, qui in charitatis fide sunt, hoc est, spirituales; illi etiam a Domino vocantur semen, & filii Regni, apud Matthæum, "Qui seminat bonum semen, est Filius hominis, semen vero sunt filii Regni," XIII: 37. 38.

2849 Tanquam ſtellas cœlorum, quod ſignificet multitudinem cognitionum boni & veri, conſtat ex ſignificatione ſtellarum, quod ſint cognitiones boni & veri, de qua n: 1808. 2495. Spirituales ſunt, qui in Verbo paſſim comparantur ſtellis, & hoc a cognitionibus boni & veri, quæ illis, non autem cœleſtes, quia his non cognitiones ſed perceptiones; & præterea quia ſtellæ illuminant noctem, eſt enim ſpiritualibus lux nocturna qualis a luna & ſtellis reſpective ad lucem diurnam in qua ſunt cœleſtes; quod ſpiritualibus obſcurum reſpective, videatur n: 1043. 2708 pr: 2715.

2850. Et tanquam arenam quæ ſuper litore maris, quod ſignificet multitudinem ſcientificorum correſpondentium, conſtat ex ſignificatione maris, quod ſint ſcientifica in communi ſeu congregatio eorum, de qua n: 28. 2120, & a ſignificatione arenæ, quod ſint ſcientifica in ſpecie & particulari; ſcientifica comparantur Arenæ, quia lapelli, ex quibus arena, in ſenſu interno ſunt ſcientifica, n: 643. 1298: utrumque hic dicitur, nempe quod multiplicabuntur ſicut ſtellæ cœlorum, & ſicut arena litoris maris, quia ſtellæ ſeu cognitiones ſe referunt ad Rationale, arena vero litoris maris ſeu ſcientifica ad Naturale; cum illa quæ ſunt rationalis hominis, nempe bona & vera cognitionum, concordant cum illis quæ ſunt naturalis hominis, nempe cum ſcientificis, ſic ut unum faciant, ſeu ſe mutuo confirment, tunc correſpondent; ad hanc correſpondentiam redigit Dominus rationalia & naturalia hominis, cum illum regenerat, ſeu ſpiritualem facit; ex hac cauſa eſt, quod tam ſtellæ cœlorum, quam arena litoris maris hic memorentur, alioquin unum ſatis fuiſſet.

2851. Quod hæreditabit ſemen tuum portam hoſtium tuorum, ſignificet quod charitas & fides ſuccedet loco ubi prius malum & falſum, conſtat ex ſignificatione hæreditare, quod ſit vitam Domini accipere, de qua n: 2658, hic ſuccedere, quia cum charitas & fides loco ubi prius malum & falſum, tunc vita Domini ſuccedit; ex ſignificatione ſeminis, quod ſit charitas & fides, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1941; a ſignificatione portæ, de qua ſequitur; & a ſignificatione hoſtium, quod ſint mala & falſa, ſeu quod idem, qui in malo & falſo, hi ſignificantur per hoſtes & inimicos in ſenſu interno Verbi. Quod ſignificationem *Portæ* attinet, ſunt in genere binæ portæ apud unumquemvis hominem, una patet ad infernum, quæ aperta eſt malis & falſis inde, in illa porta ſunt infernales genii & ſpiritus; altera porta patet verſus cœlum, quæ aperta eſt bonis & veris inde, in illa porta ſunt Angeli; ita eſt porta quæ ducit ad infernum, & porta quæ ducit ad cœlum: porta inferni aperta eſt illis, qui ſunt in malo & falſo, & tantum per rimas circumcirca ſuperne aliquid lucis e cœlo intrat, per quam poſſint cogitare & ratiocinari; porta autem cœli aperta eſt illis, qui ſunt in bono & vero inde: ſunt enim binæ viæ, quæ ducunt in mentem hominis rationalem, via ſuperior ſeu interna, per quam intrat bonum & verum a Domino, & via inferior ſeu externa, per quam malum & falſum ſubintrat ab inferno, ipſa mens rationalis, eſt in medio ad quam tendunt viæ; mens illa, a bonis & veris quæ ibi, in Verbo comparatur urbi, & vocatur urbs, & quia comparatur urbi & vocatur

catur urbs, designantur illi portæ, & describitur passim, quod hostes, hoc est, mali genii & spiritus illam urbem obsideant, & quod impugnent, & quod Angeli a Domino, hoc est, Dominus illam defendat; infernales genii & spiritus, cum malis & falsis, non ulterius venire possunt, quam ad portam inferiorem seu externam, & nusquam in urbem, si potuissent in urbem, seu in mentem rationalem, foret prorsus actum cum homine; at cum eo usque veniunt, ut urbem illam expugnavisse sibi videantur, tunc clauditur illa, sic ut non influat bonum & verum amplius in illam e cœlo, solum, ut dictum, aliquid per rimas circum circa, inde est quod tales non amplius aliquid charitatis nec aliquid fidei habeant, sed ponant in malo bonum & in falso verum, inde etiam est, quod illi non amplius vere rationales sint, tametsi sibi videantur esse, n: 1914. 1944; & inde est, quod dicantur homines mortui, tametsi se præ aliis vivere credant, n: 81. 290 f: hæc ex causa, quia porta cœli illis clausa est; quod illis clausa, manifeste apparet & appercipitur in altera vita; tum quoque vicissim, quod porta cœli aperta sit illis qui in bono & vero: quod *Portam hostium*, de qua in hoc versu, in specie attinet, est illa apud hominem in mente ejus naturali, illam, cum prorsus naturalis est homo seu non regeneratus, occupant mala & falsa, seu, quod idem, in illam influunt mali genii & spiritus cum cupiditatibus mali & persuasionibus falsi, videatur n: 687. 697. 1692; cum autem homo spiritualis fit, seu regeneratur, tunc mala & falsa, seu quod idem, genii & spiritus mali, ab illa porta, seu ab illa mente, expelluntur, quibus expulsis succedunt bona & vera, seu charitas & fides, quæ significantur per quod hæreditabit semen tuum portam hostium suorum; hoc fit in particulari apud unumquemvis hominem cum regeneratur, similiter in altera vita illis qui in Regnum Domini veniunt, & hoc quoque fit in communi, seu in Ecclesia, quæ est plurium: repræsentatum hoc fuit, per quod filii Israelis expulerint gentes a terra Canaane; hoc in sensu literali intelligitur per quod hæreditabit semen tuum portam hostium, at in sensu interno significantur illa quæ dicta sunt: inde antiquis temporibus solenne factum ita dicere, cum benedicerentur illi qui conjugium inirent, ut quoque patet a benedictione Labanis & Rebeccam sororem, cum hæc desponsata iret ad Jischakum, "Soror nostra, tu esto in millia myriadis, & *hæreditet semen tuum portam osorum tuorum*," Genes: XXIV: 60: quod talia per portam hostium seu osorum in Verbo significentur, constare potest a sequentibus locis; apud Esaiam, "Interimam fame radicem tuam, & reliquias tuas occidam; *ejula Porta*, clama urbs, liquefacta Philistæa tota tu, quia e septentrione fumus venit," XIV: 30. 31; interimere fame radicem & reliquias occidere, pro auferre bona & vera, quæ a Domino interius recondita sunt, quod reliquiæ sint illa, videatur n: 468. 530. 560. 561. 562. 661. 798. 1050. 1738. 1906. 2284; porta pro aditu ad interiora seu ad mentem rationalem; urbs pro illa mente, seu, quod idem, pro bonis & veris ibi, n: 402. 2268. 2450. 2451. 2712; Philistæa pro scientia cognitionum fidei, seu, quod idem, pro iis qui in scientia earundem sunt, sed non in bonis fidei, n: 1197. 1198; e septentrione fumus pro quod ab inferno falsum, quod

quod fumus ſit falſum ex malo, n: 1861: apud Eundem, "Frangetur *urbs* inanitatis, claudetur omnis domus ab intrando; clamor ſuper vino in plateis, deſolabitur omnis lætitia, exulabit gaudium terræ, reliquum in *urbe* deſolatio, & *vaſtatione percutietur porta*, nam ita erit in medio terræ, in medio populorum," XXIV: 10. 11. 12. 13; urbs inanitatis quæ frangetur pro mente humana quod deprivata vero, omnis domus quod claudetur pro quod abſque bono, quod domus ſit bonum, n: 2233. 2234; clamor ſuper vino in plateis pro ſtatu falſi, quod clamor prædicetur de falſis, n: 2240; quod vinum ſit verum, de quo clamor quod non ſit, n: 1071. 1798; quod plateæ ſint quæ ducunt ad vera, n: 2336; lætitia quæ deſolatur, prædicatur de vero, gaudium terræ quod exulat, de bono; inde patet quid ſignificat, quod reliquum in urbe deſolatio, & quod vaſtatione percutietur porta; vaſtata dicitur porta cum non niſi quam mala & falſa regnant. Apud Jeremiam, "Viæ Zionis lugentes, ut non veniant ad feſtum ſtatum, omnes *Portæ ejus deſolatæ*, ſacerdotes ejus gemunt, virgines ejus anxiæ, & illi amarum; facti *hoſtes ejus* in caput, *inimici ejus* ſecuri, quia Jehovah anxietate affecit, ſuper multitudinem prævaricationum ejus, infantes ejus abiverunt captivi coram *hoſte*," Thren: I: 4. 5; viæ Zionis lugentes pro quod non amplius vera ex bono, quod viæ ſint vera n: 189. 627. 2333; omnes portæ deſolatæ, pro quod omnes aditus occupati a falſis; facti hoſtes in caput, pro quod mala regnent: apud Eundem, "Jehovah lugere fecit antemurale, & murum filiæ Zionis, ſimul languent, *demerſæ in terram portæ ejus*, perdidit & fregit *vectes ejus*; rex ejus & principes ejus in gentibus; non lex, etiam prophetæ non invenerunt viſionem a Jehovah; aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui, exſibilarunt & frenduerunt dente, dixerunt, abſorbſimus, utique hic dies eſt quem exſpectavimus, invenimus, vidimus," Thren: II, 8. 9. 16; demerſæ in terram portæ, pro quod mens naturalis occupata a malis & falſis; rex ejus & principes in gentibus, pro quod vera immerſa malis, quod rex ſit verum in genere, n: 1672. 1728. 2015. 2069; quod principes vera primaria, n: 1482. 2089; quod gentes ſint mala, n: 1259. 1260. 1849. 1868. 2588. Apud Moſen, "Gens a longinquo, ab extremitate terræ, *anguſtabit te in omnibus portis ſuis*, in tota terra tua, ita anguſtabit te *hoſtis tuis*," Deut: XXVIII: 52, 53, inter maledictiones, quas Moſes prædixit populo, ſi non permanerent in præceptis & ſtatutis; gens a longinquo ab extremitate terræ, in ſenſu interno pro malis & falſis, ſeu illis qui in malo & falſo; anguſtare in omnibus portis, pro ſecludere omnem aditum bono & vero; Apud Nahum, "Ecce populus tuus mulieres in medio tui, *inimicis aperiendo apertæ ſunt portæ terræ tuæ*, comedit ignis *vectes tuos*, aquas obſidii hauri tibi, confirma munimenta tua, intra in cœnum, & calca bitumen, confirma fornacem lateritiam," III: 13. 14; inimicis apertæ portæ terræ, pro quod mala occupent locum, ubi erunt bona. In Libro Judicum, "Ceſſarunt viæ, & iverunt ſemitas, iverunt vias tortuoſas, ceſſarunt vici in Iſraele, elegit deos novos, *tunc oppugnari portas*, clypeus ſi viſus, vel haſta in quadraginta millibus Iſraelis," V: 6. 7. 8; Propheticum Deboræ & Baraki;

 oppug-

oppugnari portas pro quod bona & vera. Apud Davidem, "Excogitant in me *habitatores Portæ*, modulantur bibentes ficeram," Pfalm : LXIX : 13, habitatores portæ pro malis & falfis, tum pro infernalibus. Apud Ezechielem, "In vifionibus Dei deductus *ad oftium portæ interioris* fpectans verfus feptentrionem, ibi vidit abominationes magnas domus Ifraelis: etiam deductus ad *oftium portæ domus Jehovæ* fpectans verfus feptentrionem, ibi etiam abominationes," VIII : 3. 6. 14. 15; oftium portæ interioris fpectans verfus feptentrionem, pro loco ubi interiora falfa; oftium portæ domus Jehovæ verfus feptentrionem, ubi interiora mala; quod falfa & mala interiora fint, & quod fit interior fphæra in qua tales fpiritus & genii, videatur n: 2121. 2122. 2123. 2124. Apud Davidem, "Ecce poffeffio Jehovæ filii, merces fructus ventris, ficut tela in manu validi, ita filii primitiarum, beatus vir qui implevit pharetram fuam ab illis, non pudefient, quia *loquentur cum hoftibus in porta*," Pfalm : CXXVII : 3. 4, loqui cum hoftibus in porta, pro nihil timere mala & falfa, ita nec infernum. Apud Efaiam, "In die illo erit Jehovah Zebaoth in fpiritum judicii fedenti ad judicium, in fortitudinem *avertentibus prælium ad portam*, & etiam hi vino infaniunt, & ficera errant," XXVIII : 5. 6. 7: apud Eundem, "Exfcindentur peccare facientes homines verbo, & *corripientem in porta illaqueant*, & declinare faciunt in inane juftum," XXIX : 20. 21: apud Eundem, "Elam fuftulit pharetram in curru hominis, equites, Kir denudavit fcutum, & fuit electio vallium tuarum plena curru & equitibus, *ponendo pofuerunt ad portam*, & fpectavit in die illo ad armamentarium domus fylvæ," XXII : 6. 7. 8. Apud Jeremiam, "Luxit Jehudah, & *porta ejus languefactæ*, atruerunt ad terram, & clamor Hierofolyma afcendit, magnates miferunt minores ad aquas, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas," XIV : 1. 2. 3: apud Eundem, "*Seniores a Porta cefarunt*, juvenes a modulatione fua," Thren : V: 14: ex his conftare poteft, quid fignificat porta hoftium, quod nempe infernum, feu infernales, qui continue impugnant bona & vera, eorum fedes eft apud hominem, ut dictum, in mente ejus naturali; fed cum homo talis eft, ut admittat bona & vera, ita angelos, tunc a Domino abiguntur infernales a fede illa, quibus abactis aperitur porta cœli feu cœlum; hæc porta etiam in Verbo paffim memoratur; ut apud Efaiam, "Canticum in terra Jehudæ; urbs valida nobis, falus ponet muros & antemurale; *aperite portas*, & ingredietur gens jufta, cuftodiens fidelitates," XXVI : 1. 2: apud Eundem, "Sic dixit Jehovah Uncto fuo Chorefcho, cujus apprehendi dextram, ad defcendere faciendum coram illo gentes, & lumbos regum aperiam, ad aperiendum coram illo *valvas*, & *Portæ non occludentur*: Ego coram te ibo, & tortuofa rectificabo, *valvas æris* confringam, & *vectes ferri* concidam," XLV : 1. 2: apud Eundem, "Ædificabunt filii alienigenæ muros tuos, & reges eorum miniftrabunt tibi, *aperient portas tuas jugiter*, diu & noctu non occludentur: non audietur amplius violentia in terra tua, vaftitas & confractio in terminis tuis, & vocabis falutem muros tuos, & *Portas tuas* laudem," LX : 10. 11. 18: apud Eundem, "Tranfite, *tranfite Portas*, parate viam populo, fternite, fternite femitam, dicite filiæ Zionis,

Zionis, ecce ſalus tua venit," LXII : 10. 11. 12 : apud Micham, "*Tranſibunt per Portam*, & exibunt per illam, & tranſibit Rex eorum coram illis, & Jehovah in principio eorum" II : 13 : apud Davidem, "*Attollite Portæ capita veſtra*, & extollimini *oſtia æterna*, & intrabit Rex gloriæ ; quis hic Rex gloriæ, Jehovah fortis & heros, Jehovah heros belli, *attollite Portæ capita veſtra*, attollite *oſtia æterna*," Pſalm : XXIV : 7. 8. 9. 10 : apud Eundem, " Celebra Hieroſolyma Jehovam, lauda Deum tuum Zion, *quia firmat vectes portarum tuarum*, benedicit filiis tuis in medio tui," Pſalm : CXLVIII : 12. 13 : ex his patet, quod Porta cœli ſit ubi Angeli apud hominem, hoc eſt, ubi influxus boni & veri a Domino ; ita quod binæ portæ ſint, ut dictum : de binis portis ita Dominus apud Matthæum, " *Intrate per anguſtam portam*, quia *lata Porta* & ſpatioſa via quæ abducit ad interitum, & multi ſunt qui intrant per eam ; quia anguſta & ſtricta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam," VII : 12. 13. 14. Luc : XIII : 23. 24. Præterea de Portis ad Novam Hieroſolymam, & de Portis ad Novum Templum, multis agitur apud Ezechielem, etiam apud Johannem in Apocalypſi, per quas nec aliud intelligitur, quam aditus ad cœlum ; de quibus videatur, Ezech : XL : 6 ad 49. Cap : XLIII : 1. 2. 4. Cap : XLIV : 1. 2. 3. Cap : XLVI : 1 ad 9. 12. Cap : XLVIII : 31. 32. 33. 34. Apoc : XXI : 12. 13. 21. 25. Cap : XXII : 14. Eſai : LIV : 11. 12 : inde Hieroſolyma appellatur Porta populi," Mich : I : 9. Obad. 13.

2852. Verſ : 18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, propter quod auſcultaſti voci meæ.* Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, ſignificat ſalvationem omnium qui in bono ſunt : propter quod auſcultaſti voci meæ, ſignificat per unionem eſſentiæ Humanæ cum Divina Ipſius.

2853. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quod ſignificet ſalvationem omnium qui in bono ſunt, conſtat a ſignificatione benedici, quod ſit locupletari bono cœleſti & ſpirituali, de qua n : 981. 1096. 1420. 1422, & quia illi ſunt qui ſalvantur hic benedici ſignificat ſalvari ; quod benedici latæ ſignificationis ſit, notum eſt ; ex ſignificatione ſeminis, quod ſit fides charitatis, de qua n : 1025. 1447. 1610 ; & ex ſignificatione gentium terræ, quod ſint illi qui in bono, de qua n : 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849. Præterea hoc arcanum in his verbis etiam continetur, quod per Eccleſiam, quæ hic eſt terra, n : 662. 1066. 1067. 1262, ſalventur illi qui extra Eccleſiam ſunt, ſemen enim tuum, eſt, ut dictum, fides charitatis, in fide charitatis non alii ſunt, quam qui intra Eccleſiam, nam fides charitatis eſt verum doctrinæ adjunctum bono vitæ ; ita enim ſe res habet, Regnum Domini in terris conſiſtit ab omnibus illis qui in bono ſunt, qui tametſi ſparſi per totum terrarum orbem, uſque tamen unum ſunt, & ſicut membra conſtituunt unum corpus ; tale eſt Regnum Domini in cœlis, ibi univerſum cœlum refert unum hominem, qui ideo etiam Maximus Homo vocatur, n : 684. 1276 ; & quod mirabile, & hactenus ignotum, correſpondent omnes partes corporis humani ſocietatibus in cœlo ; quare aliquoties dictum, quod illæ ſocietates pertineant ad provinciam capitis, illæ ad provinciam oculi, aliæ

ad pectoris, & sic porro, de qua Correspondentia, ex Divina Domini Misericordia, seorsim dicetur; similiter se habet cum Ecclesia Domini in terris, ibi Ecclesia est instar Cordis & Pulmonum, & qui extra Ecclesiam referunt partes corporis, quæ a Corde & Pulmonibus sustentantur & vivunt; inde patet, quod absque Ecclesia alicubi in terris non subsistere possit genus humanum, sicut corpus nisi ibi Cor & Pulmones, videatur n: 468. 637. 931. 3054; ex hac causa est, quod quoties aliqua Ecclesia consummatur, hoc est, nulla fit, quia nulla amplius charitas, tunc ex Providentia Domini nova semper exsuscitetur; sicut cum Antiquissima Ecclesia periit, quæ vocata Homo, tunc Nova a Domino creata, quæ dicta Noachus, & fuit Antiqua quæ post diluvium; & cum hæc degeneravit & nulla facta, Ecclesia repræsentativa Judaica & Israelitica instituta est; & cum hæc prorsus exstincta, tunc Dominus in mundum venit, & novam instauravit; & hoc ob causam, ut conjunctio esset cœli cum humano genere per Ecclesiam: hoc quoque est, quod significatur, per quod benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

2854. Propter quod auscultasti voci meæ, quod significet per unionem Essentiæ Humanæ Domini cum Divina Ipsius, constare potest ab omnibus quæ præcedunt, quorum hæc est clausula; auscultare voci, est quod ultimum tentationis subiverit, & sic univerit Essentiam Humanam Divinæ; quod Dominus Humanum Divino & Divinum Humano univerit per continuas tentationes & victorias, videatur n: 1737. 1813, & quod per hanc unionem salvaverit genus humanum, n: 1676 f. 1990. 2016. 2035; omnis salus generi humano est inde. Communis opinio est, quod Pater miserit Filium, ut durissima usque ad mortem crucis pateretur, & sic quod per intuitionem in Illius passionem & meritum generis humani misereretur; sed quisque scire potest, quod Jehovah non per intuitionem aliquam in Filium misereatur, est enim ipsa Misericordia; sed quod Arcanum adventus Domini in mundum sit, quod in Se Ipso uniret Divinum Humano & Humanum Divino, quod non potuit fieri, quam per gravissima tentationum, & sic quod per Unionem illam salus posset pertingere ad genus humanum, in quo non amplius aliquid bonum cœleste & spirituale, ne quidem naturale, residuum erat; hæc Unio est quæ salvat illos qui in charitatis fide sunt; est Ipse Dominus qui miseretur.

2855. Vers: 19. *Et reversus est Abraham ad pueros suos, & surrexerunt, & iverunt simul ad Beerschebah: & habitavit Abraham in Beerschebah.* Reversus est Abraham ad pueros suos, significat conjunctionem iterum cum rationali priori: & surrexerunt, significat elevationis gradum majorem: & iverunt simul ad Beerschebah, significat progressionem in charitatis & fidei Doctrina, quæ Divina, cui adjuncta rationalia humana: & habitavit Abraham in Beerschebah, significat quod Dominus sit ipsa illa Doctrina.

2856. Reversus est Abraham ad pueros suos, quod significet conjunctionem iterum cum rationali priori, constat a significatione puerorum, quod sit rationale prius seu mere humanum quod inserviturum Rationali Divino, de qua

qua ſupra n: 2782. 2792; & a ſignificatione reverti ad eos, quod ſit conjungi, de qua etiam ſupra n: 2795: quod Dominus ſeparavit a Se rationale mere humanum cum graviſſimas tentationes ſubiret, conſtat ab explicatione Verſ: 5, n: 2791. 2792. 2793. 2795; & quod poſt tentationes iterum ſe cum rationali illo conjunxerit, conſtat ab illis quæ prius dicta, n: 2795, & ex his in hoc Verſu.

2857. Et ſurrexerunt, quod ſignificet elevationis gradum majorem, conſtat a ſignificatione ſurgere, quod cum nominatur in Verbo, ſit aliqua elevatio quæ ſignificatur, n: 2401; hic elevatio Rationalis poſt tentationem; poſt enim tentationes, elevatum ſemper fuit Rationale; quod ſit etiam apud hominem, omnis tentatio, in qua vincit homo, elevat ejus mentem & quæ mentis ſunt, confirmat enim bona & vera, & ſuperaddit nova, n: 1692. 1717. 1740. 2272.

2858. Et iverunt ſimul ad Beerſchebah, quod ſignificet progreſſionem in charitatis & fidei doctrina, quæ Divina cui adjuncta rationalia humana, conſtat a ſignificatione Beerſchebah, quod ſit charitatis & fidei doctrina, quæ Divina cui adjuncta rationalia humana, de qua n: 2614. 2723; rationalia humana ſignificantur per pueros, n: 2782. 2792. 2856, & quod Divina cui illa adjuncta ſunt, per quod cum Abrahamo iverunt ſimul, videatur n: 2767.

2859. Quod habitavit Abraham in Beerſchebah, ſignificet quod Dominus ſit ipſa illa doctrina, conſtat ex ſignificatione habitare, ex repræſentatione Abrahami, & ex ſignificatione Beerſchebah, de quibus prius, & ſimul ex illis quæ mox præcedunt: habitare in Beerſchebah, eſt eſſe in doctrina, at cum prædicatur de Domino, eſt eſſe doctrina; ſicut habitare in cœlo, ut quoque dicitur de Domino, non ſolum ſignificat quod ſit in cœlo, ſed etiam quod Ipſe ſit cœlum, eſt enim omne cœli, n: 551. 552: quod Dominus ſit Verbum, notum eſt, ita Dominus eſt Doctrina, n: 2545, nam omnis doctrina eſt ex Verbo; omne doctrinæ in Verbo ex Domino eſt, & de Domino eſt, in ſenſu interno Verbi nihil niſi de Domino & de Ipſius Regno agitur, ut pluries oſtenſum; eſt Divinum Humanum Domini, de quo ſenſus internus Verbi imprimis agit; & omne doctrinæ in Verbo quoad hominem eſt Ipſum colere & Ipſum amare.

2860. Verſ: 20. 21. 22. 23. *Et fuit poſt verba illa, & indicatum eſt Abrahamo, dicendo, ecce peperit Milkah etiam illa filios Nachori fratri tuo. Uz primogenitum ſuum, & Bus fratrem ejus, & Kemuel patrem Arami. Et Keſed, & Chaſo, & Pildaſch, & Jidlaph, & Bethuel. Et Bethuel genuit Rebeccam: octo illos peperit Milkah Nachori fratri Abrahami.* Fuit poſt verba illa, ſignificat res tranſactas ſpectantes illos qui intra Eccleſiam: & indicatum Abrahamo, dicendo, ſignificat perceptionem Domini: ecce peperit Milkah etiam illa filios Nachori fratri tuo, ſignificat illos qui extra Eccleſiam ſunt in fraternitate ex bono: Uz primogenitum, Bus fratrem ejus, & Kemuel patrem Arami, & Keſed, & Chaſo, & Pildaſch, & Jidlaph, & Bethuel, ſignificant

varia

varia religiosa & cultus inde: Bethuel genuit Rebeccam, significat ex bono affectionem veri: octo illos peperit Milkah Nachori fratri Abrahami, significat alteram classem eorum qui salvantur.

2861. Fuit post verba illa, quod significet res transactas spectantes illos qui intra Ecclesiam, constat ex significatione verborum, quod sint res, in lingua originali res dicuntur verba, ita post verba illa est post res transactas. Actum est in præcedentibus a Vers: 13 ad hunc Versum, de Salvatione Spiritualium ex Divino Humano Domini, & quidem illorum qui in bono intra Ecclesiam sunt, illi sunt qui vere spirituales possunt esse, quia Verbum habent, ita vera fidei; per vera doctrinæ conjuncta bono vitæ fit homo spiritualis; omne spirituale est inde: Gentes vero extra Ecclesiam, quia Verbum non habent, ita non vera fidei, quamdiu in mundo vivunt, etiamsi in bono charitatis, usque non sunt vere spirituales, antequam in veris fidei instructi sunt; & quia pleræque Gentes in mundo instrui nequeunt, illi qui in charitate mutua & in obedientia vixerunt, ex Providentia & Misericordia Domini in altera vita instruuntur, & tunc facile recipiunt vera fidei, & fiunt spirituales; quod gentium status & sors in altera vita talis sit, videatur n: 2589 ad 2604. Quia in præcedentibus actum est de illis qui salvantur ex Divino Humano Domini intra Ecclesiam, ideo in his, quæ sequuntur ad finem hujus Capitis, agitur de illis qui salvantur extra Ecclesiam, & significantur per illos qui nati Nachori fratri Abrahami ex Milkah uxore & ex Reumah concubina; hoc etiam sequitur in serie; qui non sensum internum Verbi novit, putaret quod hæc solum genealogica essent domus Therachi, propter Rebeccam quæ facta Jischako uxor, ut & propter Bethuelem, cujus binæ neptes Lea & Rachel factæ uxores Jacobo, verum, ut sæpius dictum, & ostensum, omnia nomina in Verbo significant res, n: 1224. 1264. 1876. 1888; & nisi significarent res, Verbum non foret Divinum sed mundanum; inde etiam constare potest, quod hæc, quæ sequuntur, spectent in serie Ecclesiam spiritualem Domini, sed illam quæ apud gentes est; & hoc per Nachorem fratrem Abrahami, ut significarentur illi, qui in fraternitate sunt ex bono, ut sequitur n: 2863.

2862. Et indicatum Abrahamo, dicendo, quod significet perceptionem Domini, constare potest ex significatione indicari, quod sit cogitare & reflectere; & dicere, quod sit percipere, de qua sæpius prius; reflexio & perceptio Domini, de qua in sensu interno Verbi, non aliter in historicis exprimi potest, quam per indicari & dicere; in se etiam reflexio & perceptio est indicatio & dictatio interna.

2863. Ecce peperit Milkah etiam illa filios Nachori fratri tuo, quod significet illos qui extra Ecclesiam sunt in fraternitate ex bono, constare etiam potest ex illis, quæ prius de Milkah & Nachore n: 1363. 1369. 1370, dicta sunt, fuerunt enim tres filii Theracho, Abraham, Nachor & Haran, qui quod alios deos coluerint, videatur n: 1356; Milkah fuit filia Haranis, quæ facta uxor Nachori, n: 2369; & Haran mortuus super facies Therachi in Ur Chaldæorum, n: 1365. 1366. 1367. 1368; inde constare potest, quid per Milkam

Milkam & Nachorem ſignificatur, nempe per Milkam verum illarum gentium, & per Nachorem bonum. Quod apud gentes vera ſint, a multis conſtare poteſt; notum enim eſt, quod apud Gentes olim ſapientia & intelligentia fuerit, ut quod agnoverint unum Deum, & de Illo ſancte ſcripſerint; etiam quod agnoverint immortalitatem animæ, ac vitam poſt mortem, tum etiam felicitatem bonorum, & infelicitatem malorum; præter quod pro Lege habuerint præcepta decalogi, quod nempe colendus Deus, quod honorandi parentes, quod non occidendum, furandum, adulterandum, & quod non concupiſcenda aliorum; nec contenti quod in externis tales eſſent, ſed quod in internis: ſimiliter hodie, gentes moratiores ex omnibus partibus telluris, de talibus quandoque melius loquuntur quam Chriſtiani, nec ſolum loquuntur, ſed vivunt ſecundum illa: hæc & plura ſunt vera apud gentes, & ſe conjungunt cum bono, quod illis a Domino, ex quibus conjunctis in ſtatu ſunt recipiendi adhuc plura vera, quia unum verum agnoſcit alterum, & ſe facile conſociant, eſt veritatum nexus & ſunt affinitates; inde eſt, quod illi qui in bono fuerunt in mundo, facile recipiant vera fidei in altera vita: falſa apud eos non ſe conjungunt bono, ſed modo ſe applicant, ſed ita ut inde ſeparari poſſint; quæ conjuncta ſunt, manent, quæ vero applicata ſunt, ſeparantur; & ſeparantur tunc, cum vera fidei diſcunt & imbuunt, omne verum fidei removet & ſeparat falſum, uſque tandem ita ut averſetur & fugiat illud. Inde nunc patet, quinam per filios, quos Milkah peperit Nachori fratri Abrahami, ſignificantur, quod nempe illi extra Eccleſiam qui in fraternitate ſunt ex bono.

2864. Uz primogenitum ſuum, & Bus fratrem ejus, & Kemuel patrem Arami; & Keſed & Chaſo, & Pildaſch, & Jidlaph, & Bethuel, quod ſignificent varia religioſa & cultus inde, conſtare poteſt inde quod nomina ſignificent res, ut dictum; res, quas hæc nomina ſignificant, ſunt religioſa & cultus inde, ſicut etiam nomina quæ leguntur Cap: v & xi Geneſ: quid autem hic unumquodvis nomen, & unuſquiſque filius, ſignificat, non ita dici poteſt, quia ſolum nominantur; Uz & Bus quoque nominantur apud Jerem: Cap: xxv: 20. 23, ſed inter plura alia nomina, etiam Uz, Thren: iv: 21. Job: i: 1, de quo Geneſ: x: 23. n. 1233. 1234.

2865. Et Bethuel genuit Rebeccam, quod ſignificet ex bono affectionem veri eorum, conſtare poteſt ex repræſentatione Bethuelis & Rebeccæ, de quibus Cap: ſeq: xxiv.

2866. Octo illos peperit Milkah Nachori fratri Abrahami, quod ſignificet alteram claſſem illorum qui ſalvantur, conſtat ex ſignificatione Octo, & quod iterum dicatur quod Milkah peperit Nachori fratri Abrahami: dies octavus quia primus dies ſequentis ſeptimanæ, inde octo ſignificant aliud quod diſtinctum a priori, videatur n: 2044, hic ideo alteram claſſem; ob quam ſignificationem numerus ille additus eſt. Quod peperit Milkah illos Nachori fratri Abrahami ſignificet illos extra Eccleſiam, qui in fraternitate ſunt ex bono, ſupra n: 2863. 2865, oſtenſum, hic, quia clauſula eſt, ſignificat idem, ac inſuper, quod ſalventur.

2867.

2867. Verf: 24. *Et concubina ejus, & nomen ejus Reumah; & peperit etiam illa Thebach, & Gacham, & Thachafch, & Maachah.* Concubina ejus & nomen ejus Reumah, fignificat gentiles qui in cultu idololatrico & in bono: & peperit etiam illa Thebach, & Gacham, & Thachafch, & Maachah fignificat varia eorum religiofa, hi conftituunt tertiam claffem fpiritualium qui falvantur.

2868. Concubina ejus & nomen ejus Reumah, quod fignificet gentiles qui in cultu idololatrico & in bono, conftare poteft ex illis quæ præcedunt: in priori enim loco funt gentiles, qui fignificati per illos qui nati Nachori ex uxore, in pofteriori qui ex concubina; qui ex uxore, fuerunt, ut oftenfum, illi extra Ecclefiam qui in fraternitate ex bono funt, n: 2863; hi qui extra Ecclefiam in cultu idololatrico & in bono; ita hi non ex tam legitimo toro, ac illi, ufque tamen ficut legitimi, nam tunc temporis liberi qui nafcebantur ex ancillis, ut legitimi adoptabantur, ut conftare poteft ex filiis Jacobi, qui nati funt ex ancilla Bilha & Silpa, Genef: xxx: 4 ad 12, ex quibus æque Tribus, ficut ex illis qui nati ex Lea & Rachele, & quidem abfque differentia; at quod ufque differentia, conftare poteft ex Genef: Cap: xxxiii; 1. 2. 6. 7; ancillæ, quæ tunc dabantur marito ab uxore procreandorum liberorum caufa, vocabantur concubinæ, ut patet ex Bilha ancilla Rachelis, quæ quoque vocatur concubina Jacobi, Gen: xxxv: 22. Quod ex ancillis feu concubinis procrearent liberos, tunc temporis toleratum erat, ut fic repræfentarentur illi qui extra Ecclefiam, tum quoque illi qui in gradu inferiore intra Ecclefiam. Quod dicatur nomen ejus Reumah, involvit quale ejus, n: 1896. 2009, hic exaltationem, quæ fignificatur per Reumah: de ftatu & forte, gentium & populorum, qui extra Ecclefiam, videatur n: 593. 932. 1032. 1059. 1327. 1328. 1346. 2049. 2051. 2284. 2589 ad 2604.

2869. Et peperit etiam illa Thabach, & Gacham, & Thachafch, & Maachah, quod fignificent varia eorum religiofa & cultus inde; & quod hi conftituant tertiam claffem fpiritualium qui falvantur, conftare poteft ab illis quæ fupra n: 2864. 2866. 2868, dicta funt.



De Libero hominis.

2870. *PAuci fciunt, quid Liberum, & quid non Liberum; Liberum apparet omne id quod eft alicujus amoris & ejus jucundi, & non Liberum quod illis contrariatur: quod eft amoris fui & amoris mundi, & illorum cupiditatum, apparet homini ficut Liberum, fed eft Liberum infernale; quod autem eft amoris in Dominum, & amoris erga proximum,* *confe-*

consequenter amoris boni & veri; est ipsum Liberum, & est Liberum cœleste.

2871. *Infernales Spiritus non sciunt, quod aliud Liberum sit, quam quod est amoris sui & amoris mundi, hoc est, cupiditatum imperandi, persequendi & odio habendi omnes qui non serviunt, cruciandi quoscunque, destruendi sui causa, si possent, universum, auferendi & sibi vindicandi quicquid est alterius; cum in his & similibus sunt, in suo Libero, quia in suo jucundo, sunt; in illo Libero consistit vita eorum usque adeo, ut si illud iis auferatur, non plus vitæ iis superstit, quam quantum infanti recens nato: ostensum quoque hoc per vivam experientiam; Spiritus quidam malus in persuasione erat, quod talia potuissent ei auferri, & sic venire in cælum proinde quod potuisset vita ejus miraculose transcribi in vitam cœlestem, quare ei amores illi cum eorum cupiditatibus auferebantur, quod fit in altera vita per dissociationem, & visus tunc manifeste sicut infans natans manibus, quas vix posset movere, & erat simul in statu ut minus quam aliquis infans posset cogitare, nihil prorsus loqui, nec quicquam scire; sed mox restitutus est suo jucundo, & sic Libero: inde patuit, quod impossibile sit, qui ex amore sui & mundi, & consequenter in illorum Libero, vitam sibi comparavit, possit in cælum venire; si enim tali auferretur illa vita, non aliquid cogitationis & voluntatis residuum haberet.*

2872. *Liberum autem cœleste est quod a Domino, in illo sunt omnes Angeli qui in cælis; est, ut dictum, amoris in Dominum, & amoris mutui, ita affectionis boni & veri; quale hoc liberum sit, ex eo constare potest, quod unusquisque qui in illo, suum beatum & felix alteri ex intima affectione communicet, & quod ei beatitudo & felicitas sit ut possit communicare: & quia universum cælum tale est, inde est, quod unusquisque sit centrum beatitudinum & felicitatum omnium, & quod omnes simul sint singulorum; ipsa communicatio fit a Domino, per mirabiles influxus in forma incomprehensibili, quæ est forma cœli: exinde constare potest, quid est Liberum cœleste, & quod a Solo Domino.*

2873. *Quantum distat Liberum cœleste, quod est ex affectione boni & veri, a Libero infernali, quod est ex affectione mali & falsi, constare potest inde, quod Angeli qui in cælis, dummodo cogitant de Libero tali quod est ex affectione mali & falsi, seu, quod idem, ex cupiditatibus amoris sui & mundi, illico corripiantur dolore interno; & vicissim, cum Spiritus mali modo cogitant de Libero, quod est ex affectione boni & veri, seu, quod idem, ex desideriis amoris mutui, illico in angores veniunt; & mirum, ita oppositum est unum Liberum alteri, ut Liberum amoris*

ſui & mundi ſit Spiritibus bonis infernum; & viciſſim, Liberum amoris in Dominum & amoris mutui ſit Spiritibus malis infernum: inde diſtincti ſunt omnes in altera vita ſecundum Libera, ſeu, quod idem eſt, ſecundum amores & affectiones, conſequenter ſecundum jucunda vitæ, quod idem eſt ac ſecundum vitas; nam vitæ non aliud ſunt quam jucunda, & hæc non aliud quam affectiones, quæ ſunt amorum.

2874. *Inde nunc patet, quid Liberum, nempe quod ſit cogitare & velle ex affectione; & quod tale ſit Liberum qualis Affectio: tum quod unum Liberum ſit infernale, & alterum Liberum ſit cæleſte: & quod Liberum infernale ſit ab inferno, Liberum autem cæleſte ſit a Domino. Patet quoque, quod, qui in Libero infernali ſunt, non poſſint venire in Liberum cæleſte, hoc foret ab inferno in cælum, niſi eis auferretur omne vitæ: tum quod in Liberum cæleſte nemo venire poſſit, niſi per reformationem a Domino, & quod tunc introducatur per affectionem boni & veri, hoc eſt, per bonum vitæ cui implantetur verum doctrinæ.*

2875. *Bonum vitæ ſeu affectio boni inſinuatur a Domino per viam internam, homine prorſus neſciente Verum doctrinæ autem, ſeu fides, per viam externam, & infertur memoriæ, inde a Domino ſuo tempore & ſuo ordine evocatur, & affectioni boni conjungitur, hoc fit in Libero hominis, nam Liberum hominis eſt, ut dictum, ex affectione; talis eſt inſeminatio & irradicatio fidei: quicquid fit in Libero, hoc conjungitur, quod autem fit in coacto, non conjungitur; quod conſtare poteſt ex eo, quod nequicquam aliquid conjungi poſſit, niſi quo afficitur, affectio eſt ipſum recipiens; contra affectionem aliquid recipere, eſt contra vitam; inde patet, quod verum doctrinæ ſeu fides non recipi queat niſi ab affectione ejus; ſed qualis affectio, talis receptio; affectio veri & boni eſt ſolum quæ recipit verum fidei, concordant enim, & quia concordant ſe conjungunt.*

2876. *Quia nemo reformari poteſt niſi in Libero, ideo Liberum nuſquam homini aufertur, quantum apparet, æterna lex eſt, ut unuſquiſque in Libero ſit quoad interiora, hoc eſt, quoad affectiones & cogitationes, ut in illo inſinuetur affectio boni & veri.*

2877. *Quoties affectio veri & affectio boni inſinuatur a Domino, quod fit cum homo prorſus neſcit, tum in Libero, quia ex affectione, verum imbuit & bonum agit, quicquid enim ex affectione, hoc, ut dictum, eſt Liberum, & tunc ſe conjungit verum quod eſt fidei, cum bono quod eſt charitatis. Niſi Liberum foret homini in omni quod cogitat & quod vult, nuſquam Liberum cogitandi verum & volendi bonum alicui a Domino inſinuari poſſet; nam homo, ut reformetur, debet verum cogitare ſi-*

cut

cut a ſe, & bonum agere ſicut a ſe, & quod ſicut a ſe eſt in Libero; niſi ita, nuſquam aliqua reformatio nec regeneratio.

2878. *Innumerabiles cauſæ ſunt, ex quibus & propter quas homo amat diſcere verum & velle bonum, ſunt cauſæ e mundo quamplurimæ, ſunt quoque e corpore quamplurimæ, & quandoque tunc non propter cælum, minus propter Dominum; introducitur homo a Domino in verum & bonum ita per affectiones, & unus homo prorſus aliter quam alter, quiſque ſecundum ſuam indolem, connatam & acquiſitam, & quia introducitur in verum & bonum continue per affectiones, ita continue per Libera, & tandem in affectiones veri Spiritualis & boni ſpiritualis, tempora illa & ſtatus illos Solus Dominus novit, & Solus applicate ad cujuſvis genium & vitam diſponit & regit: inde patet, cur homini Liberum.*

2879. *Dominus per intimam hominis influit cum bono, & ibi conjungit verum, in intimo erit radix eorum; niſi homo ſit in Libero interius quoad omnes affectiones & quoad omnes cogitationes, nuſquam diſponi poteſt, ut bonum & verum aliquam radicem agat.*

2880. *Nihil aliud apparet homini ut ſuum, ſeu, quod idem, ut ejus proprium, quam quod fluit ex Libero; cauſa eſt, quia omnis affectio, quæ eſt amoris, eſt ipſiſſima ejus vita, & ex affectione agere eſt ex vita, hoc eſt, ex ſemet, ita a ſuo, ſeu, quod idem, ex proprio: ut itaque homo proprium cæleſte accipiat, quale proprium eſt Angelis in cælo, tenetur homo in Libero, & per Liberum ita, ſicut dictum, introducitur. Notum cuivis eſſe poteſt, quod colere Dominum ex Libero, appareat ut a ſe, ſeu ex proprio; at colere ex coacto, quod ſit non a ſe, ſed a vi extrinſecus aut aliunde ad id faciendum adigente; ita quod Cultus ex Libero ſit ipſe Cultus, & quod cultus ex coacto ſit nullus cultus.*

2881. *Si reformari potuiſſet homo ex coacto, non foret ullus homo in univerſo, qui non ſalvaretur, nihil enim facilius foret Domino quam cogere hominem ad timendum Ipſum, ad colendum Ipſum, imo ad quaſi amandum Ipſum, media ſunt innumerabilia; ſed quia id quod ſit in coacto, non conjungitur, ita non appropriatur, ideo a Domino longiſſime abeſt, ut aliquem cogat. Quamdiu homo eſt in pugnis, ſeu unus ab Eccleſia pugnante, apparet ſicut Dominus cogat hominem, & ſic quod nullum ei Liberum, pugnat enim tunc continue contra amorem ſui & mundi, ita contra Liberum in quod natus eſt & in quod adolevit, inde eſt quod ita appareat; ſed quod in pugnis, in quibus vincit, fortius Liberum ſit quam extra pugnas, ſed Liberum non ex ipſo, ſed a Domino, & uſque apparens ſicut ipſius, videatur n:* 1937. 1947.

2882. *Imprimis credit homo se nullum liberum habere, quia ex se bonum agere & verum cogitare non posse novit; sed ne credat quod usquam aliquis habeat ac habuerit aliquod Liberum cogitandi verum & faciendi bonum ex se, ne quidem homo, qui ex integritate in qua fuit, similitudo & imago Dei dictus; sed Liberum cogitandi verum quod est fidei, & faciendi bonum quod est charitatis, omne influit a Domino; Dominus est ipsum Bonum & ipsum Verum, inde fons: omnes Angeli in tali Libero sunt, imo in ipsa perceptione quod ita sit; angeli intimi percipiunt quantum a Domino, & quantum a semet, at quantum a Domino tantum in felici sunt, at quantum a semet tantum non in felici.*

2883. *Ut itaque homo proprium cœleste accipiat, debet facere bonum a se, & cogitare verum a se, sed usque scire, & cum reformatus est, cogitare & credere, quod omne bonum & omne verum sit a Domino, etiam quoad omnium minimum, & hoc, quia ita est, at quod detur homini putare quod a se, est ut bonum & verum fiat sicut ejus proprium.*

2884. *Liberum amoris sui & mundi, & eorum cupiditatum, nihil minus est quam Liberum, est prorsus servum; sed usque Liberum vocatur, sicut amor, affectio, & jucundum, in utroque sensu, & usque amor sui & mundi nihil minus est quam amor, est odium, consequenter inde affectio & jucundum; secundum quod apparent, non secundum quod sunt, ita nuncupantur.*

2885. *Nemo quid servum & quid liberum sit, scire potest, nisi sciat originem unius & alterius; quam scire nec quisquam potest, nisi ex Verbo; & nisi sciat, quomodo se habet cum homine quoad ejus affectiones quæ sunt voluntatis, & quoad ejus cogitationes quæ sunt intellectus.*

2886. *Cum homine quoad ejus affectiones & quoad ejus cogitationes, ita se habet; nullus quicunque sit, sive Homo, sive Spiritus, sive Angelus, potest velle & cogitare a se sed ab aliis, nec hi alii a se, sed omnes iterum ab aliis, & sic porro, ita singuli a Primo vitæ, Qui est Dominus; quod inconnexum est, non existit; mala & falsa nexum habent cum infernis, inde eorum, qui in illis sunt, velle & cogitare, & inde eorum amor, affectio & jucundum, proinde eorum Liberum; at bona & vera nexum habent cum cælo, inde eorum, qui in illis, velle & cogitare, & inde eorum amor, affectio & jucundum, proinde eorum Liberum: exinde constare potest, unde est Liberum unum, & Liberum alterum: quod ita se res habeat, notissimum est in altera vita, sed hodie prorsus ignotum in mundo.*

2887. *Apud hominem jugiter sunt spiritus mali, & sunt angeli, per spiritus communicat ille cum infernis, & per Angelos cum cælis: si ei spiritus illi & angeli auferrentur, momento foret absque velle & absque cogitare, ita nullius vitæ: quod ita sit, ut paradoxon videri potest, sed est verissimum: sed de Spiritibus & Angelis apud hominem, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicendum.*

2888. *Ita se habet cum vita cujusvis tam hominis, quam spiritus, ut & angeli, quod illa influat solum a Domino, Qui est ipsa Vita, & se diffundat per universum Cælum, etiam per infernum, ita in singulos, & hoc ordine & serie incomprehensibili; sed vita quæ influit, recipitur ab unoquovis secundum ejus indolem; bonum & verum recipitur ut bonum & verum a bonis; at bonum & verum recipitur ut malum & falsum a malis, & quoque in malum & falsum apud hos vertitur: se habet hoc comparative sicut lux solis, quæ se diffundit in omnia objecta telluris, sed recipitur secundum cujusvis objecti qualitatem, & fit pulchri coloris in pulchris formis, & tetri coloris in tetris formis: hoc est arcanum in mundo, sed nihil notius in altera vita: ut scirem quod talis influxus esset, mihi datum est loqui cum spiritibus & Angelis qui apud me, & quoque sentire & percipere influxum, & hoc tam sæpe, ut vices determinare numero nequeam; sed scio quod fallacia auferet, nempe quod credituri, se velle ex se, & se cogitare ex se, & sic vitam habere ex se, cum tamen nihil minus.*

2889. *Spiritus mali haudquaquam capere possunt, quod non vivant ex se, & quod solum organa vitæ sint, minus quod nulla vita sit quam quæ ex bono & vero, adhuc minus quod non vivere incipiant priusquam exstincta sit vita cupiditatum mali & persuasionum falsi, in quibus sunt, credunt si illis privarentur quod nihil vitæ residuum esse possit: cum tamen ita se habet, cum vitam cupiditatum mali & persuasionum falsi amiserint, quod tunc primum vivere incipiant, & quod Dominus cum bono & vero, in quibus unice vita consistit, non prius recipiatur; & quod tunc intelligentia & sapientia, ita ipsissima vita, influat, & dein in immensum augeatur; & hoc cum jucundo, beato & felici, ita cum intimo gaudio, & hoc varietate ineffabili in æternum.*

2890. *Spiritus mali qui apud hominem, per quos homo communicat cum inferno, non aliter considerant eum, quam ut vile mancipium, infundunt enim ei suas cupiditates & suas persuasiones, ita ducunt quocunque volunt: at Angeli, per quos homo communicat cum cælo, considerant eum sicut fratrem, & insinuant ei affectiones boni & veri, & sic per Liberum eum ducunt, non quo volunt, sed quo beneplacet Domino: inde constare potest,*

potest, quale unum & quale alterum, & quod sit servum duci a diabolo, & quod sit Liberum duci a Domino.

2891. *Spiritus recentes maximopere se torquent, quomodo capiant, quod nemo possit facere bonum a se, nec cogitare verum a se, sed a Domino, credentes quod sic forent sicut machinæ nullius rei compotes, & si ita, quod remitterent manus, & paterentur se agi: sed illis dicitur, quod omnino debeant cogitare, velle, & facere bonum a se, & quod aliter non habere possent proprium cæleste, & Liberum cæleste; sed usque agnoscere, quod bonum & verum non sit ab iis, sed a Domino; & instruuntur, quod in tali agnitione, imo in perceptione quod ita sit, omnes Angeli sint; & quo exquisitius percipiunt se duci a Domino, & sic esse in Domino, quod eo magis in Libero sint.*

2892. *Qui in bono vivit & credit, quod Dominus regat universum, & quod ab Ipso Solo omne bonum quod est amoris & charitatis, & omne verum quod est fidei, imo quod ab Ipso Vita, ita quód ab Ipso vivamus, moveamur, & simus, is in tali statu est, ut donari possit Libero cælesti, & cum hoc etiam Pace, nam tunc unice fidet Domino, & curat cætera nihil, & certus est quod tunc omnia ad ejus bonum, beatum & felix in æternum, tendant. At qui credit semet ipsum regere, is continue inquietatur, fertur in cupiditates, in sollicitudines de futuris, & sic in multiplices anxietates; & quia ita credit, etiam cupiditates mali & persuasiones falsi ei adhærent.*

2893. *Mirati valde sunt spiritus boni, quod homo Ecclesiæ hodie non credat, quod omnia mala & falsa apud illum influant ab inferno, & quod omnia bona & vera a Domino, cum tamen hoc novit ex Verbo, & quoque ex Doctrina fidei; & quisque dicit, cum aliquis grande malum fecerit, quod se duci passus sit a diabolo, & cum aliquis bonum egerit, quod se duci passus sit a Domino.*

G E-

GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

2894. APUD Johannem legitur, "*In principio erat* VERBUM, *&* VERBUM *erat apud Deum, & Deus erat* VERBUM. *Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In Ipſo Vita erat, & Vita erat Lux hominum. Lux autem in tenebris apparet, ſed tenebræ illam non comprehenderunt. Et* VERBUM *caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipſius, gloriam ut Unigeniti a Patre, plenus gratia & veritate,*" 1 : 1. 2. 3. 4. 5. 14: Pauci ſciunt, quid hic per Verbum intelligitur; quod Dominus, ex ſingulis conſtat: at Senſus Internus docet, quod Dominus quoad Divinum Humanum per Verbum intelligatur, nam dicitur, quod Verbum Caro factum, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipſius: Et quia Divinum Humanum, per Verbum intelligitur omne Verum, quod de Ipſo, & ex Ipſo, in Regno Ipſius in cœlis, & in Eccleſia Ipſius in terris; inde dicitur, quod in Ipſo Vita erat, & Vita erat Lux hominum, & Lux in tenebris apparet: Et quia Verum, per Verbum intelligitur omnis Revelatio, ita quoque ipſum Verbum ſeu Sancta Scriptura.

2895. Quod VERBUM in ſpecie attinet, hoc fuerat omni tempore, ſed non Verbum quod hodie habemus; aliud Verbum fuerat in Eccleſia Antiquiſſima quæ ante diluvium: aliud Verbum in Eccleſia Antiqua quæ poſt diluvium: Verbum autem ſcriptum per Moſen & Prophetas in Eccleſia Judaica; & denique Verbum ſcriptum per Evangeliſtas in Eccleſia Nova. Quod omni tempore fuerit Verbum, erat, quia per Verbum eſt communicatio cœli cum terra; & quia Verbum agit de Bono & Vero, ex quo homo victurus felix in æternum; & ideo in ſenſu interno agit de Solo Domino, quia ex Ipſo omne bonum & verum.

2896. Verbum in Eccleſia Antiquiſſima, quæ fuit ante diluvium, non fuit Verbum ſcriptum, ſed revelatum unicuivis qui ab Eccleſia, fuerunt enim homines cœleſtes, ita in perceptione boni & veri, ſicut Angeli, cum quibus etiam conſortium habuerunt; ita Verbum habuerunt cordibus ſuis inſcriptum; de quibus videatur, n: 597. 607. 895. 920. 1114 ad 1125. Illi quia cœleſtes fuerunt, & conſortium habuerunt

runt cum Angelis, omnia quæ videbant & aliquo ſenſu capiebant, illis erant repræſentativa & ſignificativa cœleſtium & ſpiritualium, quæ in Regno Domini; ſic ut mundana & terreſtria quidem oculis viderent, aut aliquo ſenſu caperent, ſed ex illis & per illa cogitabant de cœleſtibus & ſpiritualibus; ita non aliter, loqui potuerunt cum Angelis, nam quæ apud Angelos, cœleſtia & ſpiritualia ſunt, & cum ad hominem, in talia quæ apud hominem in mundo ſunt, cadunt; quod ſingula quæ in mundo repræſentent & ſignificent illa quæ in cœlis, hactenus a Primo Capite Geneſeos huc uſque oſtenſum eſt. Inde Repræſentativa & Significativa venerunt, quæ, quando communicatio ceſſare incepit cum Angelis, collecta fuerunt ab illis, quæ per Chanochum intelliguntur, quæ quod ſignificata ſint per hæc verba, Gen: v: 24, *Ambulavit ſibi Chanoch cum Deo, & non amplius, quia ſumſit illum Deus,* videatur n: 521.

2897. Verbum autem in Eccleſia Antiqua quæ poſt diluvium, fuit inde; homo hujus Eccleſiæ quia fuit ſpiritualis non autem cœleſtis, repræſentativa & ſignificativa, quid involverent, ſciebat ſed non percipiebat, & quia involvebant Divina, illis in uſum ceſſerunt, & in Cultu eorum Divino adhibita; & hoc ex cauſa, ut communicationem haberent cum Cœlo; nam, ſicut dictum, omnia, quæ in mundo ſunt, repræſentant & ſignificant talia quæ in Cœlo. Etiam Verbum, habuerunt ſcriptum, quod conſtabat ex *Hiſtoricis* & *Propheticis*, ſicut Verbum Veteris Teſtamenti, ſed illud Verbum ſucceſſu temporis deperditum eſt; Hiſtorica vocata ſunt *Bella Jehovæ*, & Prophetica vocata ſunt *Enuntiata*, ut conſtat apud Moſen, Num: xxi: 14. 27, ubi citantur; Hiſtorica illorum ſcripta fuerunt ſtylo prophetico, & quoad plurimam partem fuerunt Hiſtorica facta, ſicut illa quæ in Geneſ: a i ad xi; ut patet ab illis quæ inde ſunt apud Moſen, ubi hæc, "*Propterea dicitur in* LIBRO BELLORUM JEHOVÆ, *Vahebam in Supha, & fluvios Arnonis, & decurſum fluviorum qui declinavit ad habitari Ar, & innititur termino Moabi,*" Num: xxi: 14. 15. Prophetica illorum fuerunt ſcripta ſicut Prophetica Veteris Teſtamenti, ut quoque patet ab illis, quæ etiam inde apud Moſen, ubi hæc, "*Propterea dicunt* ENUNTIATA: (ſeu Enuntiatores Prophetici,) *venite Cheſbonem, ædificabitur, & firmabitur urbs Sichonis, quia ignis exivit e Cheſbone, flamma ex urbe Sichonis, comedit Ar Moabi, dominos excelſorum Arnonis. Væ tibi Moabe, periiſti popule Kemoſch, dedit filios ſuos evaſores, & filias ſuas in captivitatem regi Emorræi Sichoni; & telis petiimus illos, periit Cheſbon uſque ad Dibonem, & vaſtavimus uſque ad Nophach, quæ*

uſque

usque ad Medebam," Num: XXI: 27. 28. 29. 30. Quod hæc Prophetica involvant arcana cœlestia sicut Prophetica Veteris Testamenti, manifeste patet, non solum ex eo quod exscripta sint a Mose, & applicata ad rerum statum, de quo tunc; sed etiam quod eadem pæne verba legantur apud Ezechielem, & Propheticis apud illum inserta, in quibus quod totidem arcana cœlestia sint, quot verba, ex illis quæ de Interno sensu Verbi dicta sunt, constare potest; illa ita apud Ezechielem, "*Ignis exivit e Cheschone, & flamma exinter Sichonem, & comedit angulum Moabi, & verticem filiorum sonitus: væ tibi Moab, periit populus Kemosch, quia sumti filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem,*" XLVIII: 45. 46: inde etiam patet, quod illud Verbum etiam sensum internum habuerit. De Ecclesia Antiqua quæ post diluvium, videatur n: 640. 641. 765. 1238. 1327. 2385.

2898. Quod apud illos fuerint Prophetica, quæ in sensu interno egerunt de Domino, & de Regno Ipsius, non solum inde constare potest, sed etiam a Propheticis Bileami, qui fuit a Syria, de quibus apud Mosen, Num: XXIII: 7. 8. 9. 10, & 18 ad 25: Cap: XXIV: 3 ad 10, & 15 ad 25, quæ simili stylo dictata sunt, ac cætera Prophetica Verbi, & manifeste prædicunt adventum Domini, his verbis, "*Video Ipsum, & non nunc, intueor Ipsum & non propinquus: Procedet Stella ex Jacobo, & surget sceptrum ex Israele, & franget angulos Moabi, & destruet omnes filios Schethi,*" Num: XXIV: 17; hæc Prophetica similiter dicuntur ENUNTIATA, nam eadem vox, ut videri potest ibi, Cap: XXIII: 7. 18. Cap: XXIV: 3. 15. 20.

2899. Verbum in Ecclesia Judaica postea successit, quod similiter per repræsentativa & significativa conscriptum fuit, ob causam, ut sensum internum intellectum in cœlo in se haberet, & sic per Verbum communicatio esset & uniretur Regnum Domini in cœlis cum Regno Domini in terris; nisi singulæ res quæ in Verbo sunt, repræsentent, & singulæ voces, per quas res conscriptæ sunt, significent Divina quæ Domini, ita cœlestia & spiritualia quæ sunt Regni Ipsius, non est Verbum Divinum; & quia ita, nusquam alio stylo potuit scribi, correspondent enim per hunc stylum, & nusquam per alium, res & voces humanæ cum rebus & ideis cœlestibus quoad minimam jotham: inde est, si modo Verbum legatur ab infante, quod Divina, quæ ibi, ab Angelis percipiantur, videatur n: 1776.

2900. Quod Verbum Novi Testamenti, quod apud Evangelistas, attinet, quia Dominus ex ipso Divino loquutus est, ideo quoque singula, quæ loquutus, repræsentativa & significativa Divinorum, ita

Cœleſtium Regni & Eccleſiæ Ipſius, fuerunt, ut pluries in præcedentibus oſtenſum.

CAPUT XXIII.

1. ET fuerunt vitæ Saræ, centum anni & viginti anni & ſeptem anni, anni vitarum Saræ.

2. Et mortua eſt Sarah in Kiriath Arba, hæc Chebron in terra Canaan, & venit Abraham ad lugendum Saram, & ad deflendum illam.

3. Et ſurrexit Abraham deſuper faciebus mortui ſui, & loquutus eſt ad filios Cheth, dicendo.

4. Peregrinus & incola ego vobiſcum, date mihi poſſeſſionem ſepulchri vobiſcum, & ſepeliam mortuum meum a coram me.

5. Et reſponderunt filii Cheth Abrahamo, dicendo ei.

6. Audi nos, domine mi, princeps DEI tu in medio noſtri, in electo ſepulchrorum noſtrorum ſepeli mortuum tuum, quiſquam e nobis ſepulchrum ſuum non prohibebit a te, a ſepeliendo mortuum tuum.

7. Et ſurrexit Abraham, & incurvavit ſe populo terræ, filiis Cheth.

8. Et loquutus cum illis dicendo, ſi eſt cum anima veſtra ad ſepeliendum mortuum meum a coram me, audite me, & intercedite mihi apud Ephronem filium Zochar.

9. Et det mihi ſpeluncam Machpelæ, quæ illi, quæ in fine agri ejus, in argento pleno det illam mihi, in medio veſtri, ad poſſeſſionem ſepulchri.

10. Et Ephron ſedens in medio filiorum Cheth, & reſpondit Ephron Chittæus Abrahamo, in auribus filiorum Cheth, omnibus intrantibus portam urbis ejus, dicendo.

11. Non, domine mi, audi me, agrum do tibi, & ſpeluncam quæ in illo tibi do illam, ad oculos filiorum populi mei do illam tibi, ſepeli mortuum tuum.

12. Et incurvavit ſe Abraham coram populo terræ.

13. Et loquutus ad Ephronem in auribus populi terræ, dicendo, veruntamen ſi tu, placet, audias me, dabo argentum agri, accipe a me, & ſepeliam mortuum meum ibi.

14. Et reſpondit Ephron Abrahamo, dicendo ei.

15.

15. Domine mi, audi me, terra quadringentorum ſiclorum argenti, inter me & inter te, quid hoc, & mortuum tuum ſepeli.

16. Et audivit Abraham ad Ephronem, & appendit Abraham Ephroni argentum, quod loquutus in auribus filiorum Cheth, quadringentos ſiclos argenti tranſeuntis mercatori.

17. Et conſtitit ager Ephronis, qui in Machpelah, quæ coram Mamre, ager & ſpelunca quæ in illo, & omnis arbor quæ in agro, quæ in omni termino ejus circumcirca.

18. Abrahamo in acquiſitionem ad oculos filiorum Cheth, in omnium intrantium portam urbis ejus.

19. Et poſt ita, ſepelivit Abraham Saram uxorem ſuam, ad ſpeluncam agri Machpela ſuper faciebus Mamre, hæc Chebron in terra Canaan.

20. Et conſtitit ager, & ſpelunca quæ in illo, Abrahamo, ad poſſeſſionem ſepulchri ex filiis Cheth.

CONTENTA.

2901. AGitur hic in ſenſu interno de Nova Eccleſia Spirituali, quæ, poſtquam prior prorſus exſpiravit, exſuſcitata eſt a Domino; & de receptione fidei apud illos qui ab Eccleſia: Sarah hic eſt Verum Divinum quod exſpiravit; ſepultura eſt reſuſcitatio; Ephron & filii Cheth ſunt illi apud quos bonum & verum Eccleſiæ receptum; Machpelah quæ coram Mamre eſt regeneratio; Chebron in terra Canaan eſt Nova Eccleſia.

2902. Agitur de Vero Divino, quod exſpiraverit, Verſ: 1. 2. 3: & quod Dominus Novam Eccleſiam inſtauraret, Verſ: 4: & benigne receptus, Verſ: 5. 6: ex quo gaudium, Verſ: 7. 12: quod ſtatus eorum primus eſſet obſcurus, & crederent a ſemet bonum charitatis & verum fidei, Verſ: 8. 9. 10. 11. 14. 15: ſed inſtructi, quod bonum & verum non ab ipſis, ſed a Domino, Verſ: 13: & quod ſic redemti, Verſ. 16: & regenerati, Verſ: 17. 18: ita Nova Eccleſia, Verſ: 19: ex gentibus, Verſ: 20.

SENSUS INTERNUS.

2903. VERS: 1. *Et fuerunt vitæ Saræ, centum anni & viginti anni & septem anni, anni vitarum Saræ.* Fuerunt vitæ Saræ, significat tempora & status Ecclesiæ quoad vera Divina qui præcesserunt: Centum anni & viginti anni & septem anni, significat plenitudinem illorum: anni vitarum Saræ, significat cum aliquid verum Divinum in terra superesset.

2904. Fuerunt vitæ Saræ, quod significet tempora & status Ecclesiæ quoad vera Divina qui præcesserunt, constare potest a significatione vitarum hic, & a repræsentatione Saræ; Vitæ hic, quia spectant ætatem & ætatis periodos, nempe infantiam, adolescentiam, adultam ætatem, & senectutem, significant status, sicut omnia tempora in communi, videatur n: 2625. 2788. 2837, & quia agitur in sequentibus de Ecclesia, ideo vitæ significant tempora & status Ecclesiæ; quod Sarah sit Verum Divinum, videatur n: 1468. 1901. 2063. 2172. 2173. 2198. 2507, inde sequitur, quod hic per, fuerunt vitæ Saræ, in sensu interno significentur tempora & status Ecclesiæ quoad vera Divina qui præcesserunt. Quod Sarah, cum vixit uxor Abrahamo, repræsentaverit Divinum Verum Domini conjunctum Divino Bono Ipsius, ex locis citatis videri potest; & quia Divinum Verum Domini, ita quoque significat Verum Divinum Ecclesiæ, nam in Ecclesia non aliud Verum datur, quam quod est Domini; Verum quod non ab Ipso, non est verum; ut quoque a Verbo & inde Doctrina fidei constat, ex Verbo apud Johannem, "Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e cœlo," III: 27: & alibi, "Sine Me non potestis facere quicquam," XV: 5; ex doctrina fidei, quod omne fidei a Domino, hoc est, omne verum: repræsentativa & significativa ita se habent in Verbo, quod omnia & singula in supremo sensu spectent Dominum; inde est ipsa vita Verbi; & quia Dominum, etiam spectant Regnum Ipsius, nam Dominus est omne in suo Regno; Divina quæ a Domino in Regno Ipsius, faciunt Regnum; ideo quantum boni & veri Angelus, Spiritus, & Homo, recipit a Domino, & credit quod a Domino, tantum est in Regno Ipsius, quantum autem non recipit nec credit quod a Domino, tantum non est in Regno Ipsius; ita Divina quæ a Domino faciunt Regnum Ipsius seu cœlum, hoc est quod intelligitur per quod Dominus sit omne in suo Regno.

2905. Centum anni & viginti anni & septem anni, quod significet plenitudinem illorum, constat a significatione Centum, quod sit plenum, de qua n: 2636; & a viginti seu bis decem, quod etiam plenum, n: 1988; & a septem, quod sanctum, n: 395. 433. 716. 881, ita quod sit plenitudo seu finis sancti Ecclesiæ, qui hic significatur; quod Numeri in Verbo omnes significent res, videatur n: 482. 487. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. Plenitudo illorum, nempe statuum & temporum Ecclesiæ, significat finem

finem eorum; Ecclesia se habet sicut ætates hominis, quarum prima est infantia, altera est adolescentia, tertia est adulta ætas, quarta est senectus, hæc, nempe senectus, dicitur plenitudo seu finis; etiam se habet sicut tempora & status Anni, quorum primus est Ver, alter est Æstas, tertius est Autumnus, & quartus est Hyems, hæc est finis Anni; se habet etiam sicut tempora est status Diei, primus est Auroræ, alter est Meridiei, tertius est Vesperæ, & quartus est Noctis, cum hæc, est plenitudo seu finis: illis & his quoque in Verbo status Ecclesiæ comparantur, & per eosdem significantur, quia per tempora significantur Status, n: 2625. 2788. 2837: Bonum & Verum apud illos qui sunt ab Ecclesia, ita solet decrescere; & cum nullum amplius bonum & verum, seu, ut dicitur, nulla amplius fides, hoc est, nulla charitas, tunc Ecclesia ad suam senectutem, seu ad suam hyemem, seu ad suam noctem, pervenit, & dicitur ejus tempus & status tunc, Decisio, Consummatio, & Impletio, videatur n: 1857: quod de Domino dicatur, quod venerit in mundum in plenitudine temporum, seu cum plenitudo, idem significat, nam tunc non amplius fuit aliquod bonum, ne quidem bonum naturale, inde nec aliquod verum: hæc sunt quæ in specie significantur per hæc quæ in hoc Versu.

2906. Anni vitarum Saræ, quod significet cum aliquid Verum Divinum superesset, constat ex significatione Anni, quod sit integra periodus quæ Ecclesiæ a principio ad finem, ita Annorum quod sint periodi, de quibus mox supra n: 2905; & a significatione vitarum Saræ, quod sint status quoad Verum Divinum, de qua etiam mox supra n: 2904, ita hic quod terminus cum non amplius aliquid Verum Divinum superesset; quod etiam a mox præcedentibus sequitur. Quod Annus significet integrum tempus status Ecclesiæ a principio ad finem, seu quod idem, integram periodum, & consequenter Anni tempora seu periodos intra communem, constare potest ab his locis in Verbo; apud Esaiam, "Unxit Jehovah Me ad evangelizandum afflictis, misit Me ad obligandum fractos corde, ad proclamandum captivis libertatem, & vinctis apertionem omnimodam, ad proclamandum *Annum beneplaciti Jehovæ*, & diem ultionis Deo nostro," LXI: 2; ubi de Adventu Domini; Annus beneplaciti Jehovæ pro tempore Novæ Ecclesiæ: apud Eundem, "Dies ultionis in corde meo, & *Annus redemtorum meorum* venit," LXIII: 4; similiter de Adventu Domini; Annus redemtorum pro tempore Novæ Ecclesiæ: apud Eundem, "Dies ultionis Jehovæ, *Annus retributionum* propter litem Zionis," XXXIV: 8; similiter. Idem tempus etiam vocatur Annus visitationis, apud Jeremiam, "Adducam malum ad viros Anatoth *Anno visitationis* illorum," XI: 23: apud Eundem, "Adducam super Moabum *Annum visitationis* eorum," XLVIII: 44: manifestius apud Ezechielem, "A diebus multis *visitaberis*, in *posteritate Annorum* veniet super terram reversam a gladio, congregatam e populis multis, super montes Israelis, qui erunt ad vastitatem jugiter," XXXVIII: 8, posteritas annorum pro ultimo tempore Ecclesiæ, quæ tunc nulla

nulla fit, rejectis illis qui prius ab Ecclesia fuerunt, & receptis aliunde aliis: apud Esaiam, "Ita dixit Dominus ad me, in adhuc *Anno*, secundum *Annos mercenarii*, & consumetur omnis gloria Kedaris," XXI: 16; ibi etiam pro ultimo tempore. Apud Ezechielem, "In sanguine tuo quem effudisti, rea facta es, & in idolis tuis quæ fecisti, polluta es, & appropinquare fecisti dies tuos, & *venisti usque ad Annos tuos*, propterea dedi te opprobrium gentibus, & ludibrium omnibus terris," XXII: 4; venire usque ad annos pro ad finem, quando recedit Dominus ab Ecclesia: apud Esaiam, "Nunc loquutus est Jehovah, dicendo, in *tribus Annis*, sicut *Anni mercenarii*, & evilescet gloria Moabi, in omni multitudine, magna, & residuum parum pusillum," XVI: 14; in tribus annis, etiam pro fine Ecclesiæ prioris, quod tres sint completum & principium, videatur n: 1825. 2788: simile etiam significant Septem, tum Septuaginta, n: 720. 728. 901; inde apud Esaiam, "Et erit in die illo, & oblivioni tradetur Tyrus *Septuaginta Annis*, secundum *dies Regis unius*; a *fine Septuaginta Annorum* erit Tyro secundum canticum meretricis. Et erit a *fine Septuaginta Annorum*, & visitabit Jehovah Tyrum, & redibit ad mercedem meretriciam," XXIII: 15. 17; septuaginta anni pro integra periodo, a qua Ecclesia exstitit usque dum exspirat, quæ etiam sunt dies unius Regis, Rex enim significat verum Ecclesiæ, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069: Septuaginta annorum captivitas, in qua Judæi, simile quoddam etiam involvit, de qua quoque hæc apud Jeremiam, "Servient gentes hæ Regi Babelis *Septuaginta Annis*, & erit cum impleti *Septuaginta Anni*, visitabo super Regem Babelis, & super Gentem hanc, dictum Jehovæ, iniquitatem eorum," XXV: 11. 12. Cap: XXIX: 10. Quod Annus tum etiam Anni, sint integra periodus Ecclesiæ, seu tempus ejus durationis, constare adhuc potest, apud Malachiam, "Ecce mittens Angelum meum, & parabit viam coram Ipso, & subito veniet ad templum suum Dominus, Quem vos quærentes, & Angelus fœderis quem vos desideratis, ecce venit, dixit Jehovah Zebaoth, & quis sustinet diem adventus Ipsius; tunc dulce erit Jehovæ munus Jehudæ & Hierosolymæ, secundum *dies sæculi*, & secundum *Annos antiquos*," III: 1. 2. 4; ubi de adventu Domini; dies sæculi pro Antiquissima Ecclesia, Anni Antiqui pro Antiqua Ecclesia; munus Jehudæ pro cultu ex amore cœlesti, & munus Hierosolymæ pro cultu ex amore spirituali; quod hic non Jehuda intellectus, nec Hierosolyma, manifeste patet: apud Davidem, "Cogitavi *dies ab antiquo*, & *annos sæculorum*," Psalm: LXXVII: 6; ubi dies ab antiquo, & anni sæculorum, pro iisdem Ecclesiis: adhuc manifestius apud Mosen, "Recordare *dierum sæculi*, intelligite *annos generationis & generationis*, interroga patrem tuum & indicabit tibi, senes tuos & dicent tibi: cum hæreditatem daret Altissimus gentibus, & separaret Ipse filios hominis," Deut: XXXII: 7. 8. Quod Annus & Anni sit plenum tempus Ecclesiæ, etiam patet apud Habakuk, "Jehovah, audivi famam tuam, timui Jehovah opus tuum, in *medio Annorum* vivifica illud, in *medio Annorum* notum facias; in ira misericordiæ recorderis: Deus e Themane veniet, & Sanctus e monte Paran," III: 2. 3, de adventu Domini; in medio annorum pro in pleni-

plenitudine temporum; quid plenitudo temporum, videatur mox fupra n: 2905. Sicut Annus & Anni fignificant plenum tempus inter utrumque fuum terminum, principium & finem cum prædicantur de Regno Domini in terra, hoc eft, Ecclefia; ita fignificant æternum cum prædicantur de Regno Domini in cœlo; ut apud Davidem, "Deus, in generationem & generationem *Anni tui*, & Tu Ipfe, & *Anni tui* non confumentur; filii fervorum tuorum refidebunt, & femen illorum coram Te firmabitur," Pfalm: CII: 25. 28: apud Eundem, "Dies fuper dies Regis, addes, *Annos Ipfius*, fecundum generationem & generationem; & habitabit æternum coram Deo," Pfalm: LXI: 7. 8; ubi Anni pro æterno, agitur enim de Domino, & de Regno Ipfius. Quod Agni, qui offerebantur in holocauftum & facrificium, effent *filii Anni fui*," Levit: XII: 6. Cap: XIV: 10. Num: VI: 12. Cap: VII: 15. 21. 27. 33. 39. 45. 51. 57. 63. 69. 75. 81, & alibi, fignificabant cœleftia innocentiæ in Regno Domini, quæ æterna; inde etiam holocauftum ex vitulis filii anni, ut gratiffimum, memoratur apud Micham, Cap: VI: 6. Quod Annus in fenfu interno non fignificet annum, etiam conftare poteft inde, quod Angeli, qui in fenfu interno Verbi funt, non habere poffint ideam alicujus anni, fed quia Annus eft temporis plenum in natura quæ mundi, ideo loco Anni ideam habent pleni refpective ad ftatus Ecclefiæ, ac æterni refpective ad ftatus cœli; tempora illis funt ftatus, n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837.

2907. Verf: 2. *Et mortua eft Sarah in Kiriath Arba, hæc Chebron in terra Canaan; & venit Abraham ad lugendum Saram, & ad deflendum illam.* Mortua eft Sarah, fignificat noctem quoad vera fidei: in Kiriath Arba, hæc Chebron in terra Canaan, fignificat in Ecclefia: & venit Abraham ad lugendum Saram & ad deflendum illam, fignificat ftatum doloris Domini.

2908. Mortua eft Sarah, quod fignificet noctem quoad vera fidei, conftat a fignificatione mori, mortui ac mortis, cum prædicantur de Ecclefia, quod fit ultimum ejus tempus, cum omnis fides, hoc eft, charitas exfpiravit, quod tempus in Verbo paffim vocatur Nox, n: 221. 709. 1712. 2353; quod mori fit, quod tale effe definat, videatur n: 494; & ex repræfentatione Saræ, quod fit Verum Divinum, de qua fupra n: 2904; inde patet, quod illa fignificentur.

2909. In Kiriath Arba, hæc Chebron in terra Canaan, quod fignificet in Ecclefia, conftare poteft ex fignificatione Kiriath Arba, quod fit Ecclefia quoad verum; & ex fignificatione Chebronis in terra Canaan, quod fit Ecclefia quoad bonum; in Verbo cumprimis prophetico, ubi agitur de vero etiam agitur de bono, propter conjugium cœlefte in fingulis Verbi, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712, ideo hic cum nominatur Kiriath Arba, etiam dicitur hæc Chebron in terra Canaan; quod terra Canaan fit Regnum Domini, n: 1413. 1437. 1607, & quod loca ibi varie repræfentativa fuerunt, n: 1585. 1866. Quod Kiriath Arbam quæ Chebron, attinet, fuit regio, ubi habitarunt Abrahamus Ifacus & Jacobus; quod Abrahamus, patet a præce-

præcedentibus. "Venit Abraham & habitavit in Mamre, quæ in *Chebrone*, Gen: XIII: 18; quod Jifchakus, patet a fequentibus, "Venit Jacob ad Jifchakum patrem fuum Mamre *Kiriath Arba*, hæc *Chebron*, ubi peregrinatus eft Abraham & Jifchak," Genef: XXXV: 27; quod Jacob, "Jofeph a patre fuo Jacobo miffus ad fratres e *valle Chebronis*," Genef: XXXVII: 14; ex repræfentatione trium illorum, de qua prius, conftat, quod Kiriath Arba, quæ Chebron, repræfentaverit Ecclefiam, prius quam Hierofolyma: quod omnis Ecclefia fucceffu temporis decrefcat, ufque dum nihil fidei & charitatis refiduum habeat, & quod tunc deftruatur, repræfentatum etiam fuit per Kiriath Arbam quæ Chebron, quod nempe poffeffa ab Anakis, per quos fignificatæ funt diræ perfuafiones falfi, n: 581. 1673, quod poffeffa ab Anakis, videatur Num: XIII: 21. 22. Jof: XI: 21. Cap: XIV: 15. Cap: XV: 13. 14. Jud: I: 10; & quod finis feu confummatio ejus, & deftructa; repræfentatum eft per quod omnia ibi a Jofchua devotioni data, Jof: X: 36. 37. Cap: XI: 21, & Anaki percuffi a Jehuda & Chalebo, Jud: I: 10. Jof: XIV: 13. 14. 15. Cap: XV: 13. 14; & quod nova iterum Ecclefia, repræfentatum, per quod cefferit Chalebo in hæreditatem quoad agrum & villas, Jof: XXI: 12; ipfa urbs autem facta urbs refugii, Jof: XX: 7. Cap: XXI: 13, & facerdotalis filiis Aharonis, Jof: XXI: 10. 11; in hæreditate Jehudæ, Jof: XV: 54; inde patet, quod Chebron repræfentaverit Ecclefiam fpiritualem Domini in terra Canaane; ideo quoque David ex mandato Jehovæ ire juffus eft Chebronem, & ibi unctus eft in Regem fuper domum Jehudæ; & poftquam ibi regnaverat feptem annis & fex menfibus, Hierofolymam ivit, & occupavit Zionem, videatur 2 Sam: ii: 1 ad 11. Cap: v: 5. 1 Reg: ii: 11, & tunc primum repræfentari cæpit Ecclefia fpiritualis Domini per Hierofolymam, & cœleftis per Zionem.

2910. Et venit Abraham ad lugendum Saram & ad deflendum illam, quod fignificet ftatum doloris Domini, nempe ob noctem quoad vera fidei in Ecclefia, conftat a repræfentatione Abrahami, quod fit Dominus, de qua n: 1893. 1965. 1989. 2011. 2172. 2501. 2833. 2836; quod lugere & deflere fignificent ftatum doloris, conftat abfque explicatione; lugere fpectat dolorem propter noctem quoad bona in Ecclefia, & deflere quoad vera. In duobus his verfibus actum eft de fine Ecclefiæ; ejus finis eft, cum nulla amplius charitas; de illo in Verbo pluries agitur, imprimis apud Prophetas & apud Johannem in Apocalypfi; Dominus etiam finem illum multis defcribit apud Evangeliftas, & illum vocat confummationem fæculi, ut & noctem: ita enim fe habet cum Ecclefiis; in principio charitas illis fundamentalis eft, quifque tunc alterum amat ut fratrem, & afficitur ex bono non propter fe, fed propter proximum, propter commune, propter Regnum Domini, & fupra omnia propter Dominum, fed temporis tractu charitas incipit frigefcere, & nulla fieri; poftea venit odium unius contra alterum; quod tametfi non apparet in externa forma, quia in focietate civili fub legibus funt, & in vinculis externis quæ cohibent, ufque intus fovetur; vincula externa, quæ cohi-

cohibent, veniunt ex amore sui & mundi, & sunt amor honoris & eminentiæ, amor lucri & inde quoque potentiæ, ita amor famæ; sub his amoribus odium contra proximum se occultat, quod tale est, ut omnibus imperare velint, & omnia quæ alius sunt, possidere, quæ cum oppugnantur, animo recondunt contra proximum illum contemtum, spirant vindictam, sentiunt jucundum in ejus pernicie, imo crudelitates exercent quantum audent; in talia demum abit charitas Ecclesiæ cum ejus finis est, & tunc dicitur de illa, quod nulla amplius fides, nam ubi non charitas nec est fides, quod multoties ostensum: fuerunt plures Ecclesiæ, quæ ex Verbo notæ sunt, quibus talis finis fuit; Antiquissima Ecclesia ita exspiravit circa diluvium; Antiqua Ecclesia quæ post diluvium, similiter; etiam Ecclesia altera Antiqua, quæ Hebræa vocata; demum Ecclesia Judaica, quæ nusquam fuit aliqua Ecclesia a Charitate inchoans; sed modo fuit repræsentativa Ecclesiæ, ob causam, ut per repræsentativa superesset communicatio cum cœlo, antequam Dominus veniret in mundum; dein a Domino exsuscitata est Nova Ecclesia, quæ Gentium dicta, & fuit interna, nam interiora vera a Domino revelata sunt, sed hæc Ecclesia nunc in suo fine est, quia nunc non solum nulla charitas est, sed loco charitatis odium, quod tametsi non externa forma apparet, usque interius est, ac erumpit quoties alicui possibile est, hoc est, quoties externa vincula non cohibent. Præter illas Ecclesias fuerunt perplures, quæ non ita descriptæ sunt, quæ similiter decreverunt & se destruxerunt. Causæ quod ita decrescant & se destruant, sunt plures; una est, quod parentes cumulent mala, & ex frequenti usu & tandem habitu illa inducant naturæ, & sic in prolem suam per hæreditarium transcribunt; nam quod parentes ex actuali vita per frequentem usum imbuunt, hoc irradicatur eorum naturæ, & transfertur hæreditario in posteritatem, quæ nisi reformatur seu regeneratur, continuatur illud in generationes, & tunc semper accrescit; inde voluntas proclivior ad mala & falsa. Sed cum Ecclesia consummatur & perit, tunc Dominus semper novam alicubi exsuscitat, sed raro, si unquam, ex homine prioris Ecclesiæ, verum a gentibus, quæ in ignorantia fuerunt; de his in sequentibus nunc agitur.

2911. Vers: 3. *Et surrexit Abraham desuper faciebus mortui sui, & loquutus est ad filios Cheth, dicendo.* Surrexit Abraham, significat elevationem: desuper faciebus mortui sui, significat in nocte illa: & loquutus est ad filios Cheth, dicendo, significat illos, apud quos nova Ecclesia spiritualis.

2912. Surrexit Abraham, quod significet elevationem, constat a significatione surgere, quod involvat aliquid elevationis, de qua n: 2401. 2785, hic elevationem a dolore, quia nova Ecclesia, loco prioris quæ periit, exsuscitanda. Et desuper faciebus mortui, quod significet in nocte illa, constat a significatione mori, mortis & mortui, quod sit nex quoad statum Ecclesiæ, de qua supra n: 2908.

2913. Et loquutus est ad filios Cheth dicendo, quod significet illos apud quos nova Ecclesia spiritualis, constare potest a significatione Cheth & Chittæi: plures fuerunt incolæ terræ Canaanis, qui passim enumerantur in Verbo,

& inter eos Chittæi, videatur Gen: XV: 20. Exod: III: 8. 17. Cap: XIII: 5. Cap: XXIII: 23. Deut: VII: 1. Cap: XX: 17. Jos: III: 10. Cap: XI: 1. 3. Cap: XII: 8. Cap: XXIV: 11. 1 Reg: IX: 20, & alibi; fuerunt plerique illorum ex Antiqua Ecclesia, quæ quod per plures terras extensa fuerit, & quoque per terram Canaanem, videatur n: 1238. 2385: omnes, qui ab illa Ecclesia fuerunt, pro principali agnoverunt charitatem; & doctrinalia eorum omnia fuerunt charitatis seu vitæ; qui doctrinalia fidei excoluerunt, dicti sunt Canaanitæ, & separati a cæteris incolis terræ Canaanis, Num: XIII: 29, videatur n: 1062. 1063. 1076; inter meliores in terra Canaane fuerunt Chittæi, quod etiam inde constare potest, quod Abraham inter eos habitaret, & postea Jischak & Jacob, & quod sepultura ibi illis, tum quod pie & modeste erga Abrahamum se gererent, ut manifeste patet ab illis quæ in hoc Capite de iis memorantur, imprimis Vers: 5. 6. 10. 11. 14. 15; inde est, quod per illos, ut per gentem probam, repræsentetur & significetur Ecclesia spiritualis, seu Ecclesiæ verum; sed factum est cum his sicut cum reliquis ab Ecclesia Antiqua, quod successu temporis a charitate seu bono fidei desciverint, inde est quod per illos dein significetur Ecclesiæ falsum, ut Ezech: XVI: 3. 45, & alibi; quod usque Chittæi inter honoratiores essent, constare potest ex eo quod Chittæi essent apud Davidem, ut Achimelech, 1 Sam: XXVI: 6; & Uriah, qui Chittæus, 2 Sam: XI: 3. 6. 17. 21, cujus uxor Bathscheba, ex qua Davidi Salomo, 2 Sam: XII: 24: quod Cheth significet cognitiones exteriores quæ spectant vitam, quæ sunt vera Ecclesiæ Spiritualis externa, videatur n: 1202. Agitur in hoc Versu de nova Ecclesia, quam Dominus, cum prior exspirat, instaurat; & in sequentibus de receptione fidei apud illos; non agitur de aliqua Ecclesia apud filios Cheth, sed in communi de resuscitatione Ecclesiæ spiritualis a Domino, postquam prior decedit seu consummatur, filii Cheth sunt modo qui repræsentant & significant. Videantur quæ de Ecclesiis prius dicta sunt; nempe quod Ecclesia temporis tractu decrescat & contaminetur, n: 494. 501. 1327. 2422. Quod recedat a charitate, & producat mala & falsa, n: 1834. 1835. Quod tunc dicatur Ecclesia vastata & desolata, n: 407. ad 411. 2243. Quod Ecclesia apud gentes instauretur, cur, n: 1366. Quod semper aliquid Ecclesiæ, in Ecclesia quæ vastatur, ut nucleus, conservetur, n: 468. 637. 931. 2422. Nisi Ecclesia in tellure, quod Genus humanum periret, ibid: Quod Ecclesia sit sicut cor & pulmo in maximo corpore, hoc est, in genere humano, n: 637. 931. 2054. 2853. Qualis Ecclesia spiritualis, n: 765. 2669. Quod Charitas non fides separata constituat Ecclesiam, n: 809. 916. Quod Ecclesia foret una si omnibus charitas, tametsi quoad doctrinalia & cultus differrent, n: 1285. 1316. 1798. 1799. 1834. 1844. 2385. Quod omnes homines in terris, qui in Ecclesia Domini sunt, tametsi sparsi per orbem, usque sicut unum faciant, ut in cœlis, n: 2853. Quod omnis Ecclesia sit Interna & Externa, & utraque simul unam constituat, n: 409. 1083. 1098. 1100. 1242. Quod Ecclesia Externa nihil sit, si non Interna, n: 1795. Quod Ecclesia comparetur ortui & occasui solis, temporibus anni, tum temporibus diei, n: 1837.

n: 1837. Quod ultimum judicium sit ultimum tempus Ecclesiæ, n: 900. 931. 1850. 2117. 2118.

2914. Vers: 4. *Peregrinus & incola ego vobiscum, date mihi possessionem sepulchri vobiscum, & sepeliam mortuum meum a coram me.* Peregrinus & incola ego vobiscum, significat statum illorum primum, quod tametsi Dominus illis ignotus, usque apud illos esse posset: date mihi possessionem sepulchri vobiscum, significat quod regenerari possent: & sepeliam mortuum meum a coram me, significat quod sic a nocte, quæ apud illos, emergeret & resurgeret.

2915. Peregrinus & incola ego vobiscum, quod significet statum illorum primum, quod tametsi Dominus, illis ignotus usque apud illos esse posset, constat a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua sæpius prius; & a significatione esse peregrinus illis, & esse incola illis, quod sit ignotus esse, & usque apud illos esse; quod hic sensus internus sit, patet ab illis quæ præcedunt, & quæ sequuntur; agitur enim de nova Ecclesia, & in hoc Versu de primo ejus statu, qui talis est, quod omnium primo illis ignotus sit Dominus, sed usque, quia in bono charitatis, & quoad vitam civilem in justo & æquo, & quoad moralem in honesto & decoro, vivunt, tales sunt, ut apud illos Dominus esse possit, præsentia enim Domini apud hominem est in bono, & ideo in justo & æquo, & porro in honesto & decoro: (Honestum est complexus omnium virtutum moralium, Decorum est modo forma illius:) nam hæc sunt bona, quæ succedunt ordine, & sunt plana apud hominem, super quibus a Domino fundatur conscientia, & consequenter intelligentia & sapientia: qui autem in illis non sunt, nempe ex corde aut affectione, illis non inseminari potest aliquid cœli, nullum est planum, nec est humus, ita non recipiens; & quia non inseminari potest aliquid cœli, nec potest ibi Dominus præsens esse; præsentia Domini prædicatur secundum bonum, hoc est, secundum boni qualitatem, qualitas boni secundum statum innocentiæ, amoris & charitatis, cui vera fidei implantata sunt seu implantari possunt.

2916. Quod date mihi possessionem sepulchri vobiscum, significet quod regenerari possint, constat a significatione Sepulchri; sepulchrum in sensu interno Verbi significat vitam seu cœlum, & in opposito sensu mortem seu infernum; quod vitam seu cœlum, causa est, quia Angeli, qui in sensu interno Verbi sunt, nullam ideam sepulchri habeant, quia nullam mortis, quare loco sepulchri non aliud percipiunt quam continuationem vitæ, ita resurrectionem; resurgit enim homo quoad spiritum, & sepelitur quoad corpus, videatur n: 1854; & quia sepultura significat resurrectionem, etiam significat regenerationem, nam regeneratio est prima hominis resurrectio, moritur enim tunc quoad priorem hominem, & resurgit quoad novum; per regenerationem fit homo a mortuo vivus; inde significatio sepulchri in sensu interno; cum idea sepulchri sistitur, quod obveniat Angelis idea regenerationis, patet quoque ab illis, quæ de infantibus, n: 2299, relata sunt. Quod Sepulchrum in opposito sensu significet mortem seu infernum, inde est quia mali resurgunt

non ad vitam; ideo cum agitur de malis, & memoratur ſepulchrum, tunc non alia idea Angelis obvenit quam inferni; ea cauſa eſt, quod etiam infernum in Verbo dicatur ſepulchrum. Quod Sepulchrum ſignificet reſurrectionem tum regenerationem, patet apud Ezechielem, "Propterea propheta, & dicas ad eos, ita dicit Dominus Jehovih, ecce Ego *aperiam Sepulchra veſtra*, & *aſcendere faciam vos e ſepulchris veſtris*, popule mi, & adducam vos ad humum Iſraelis, & cognoſcetis quod Ego Jehovah, in aperiendo Me *Sepulchra veſtra*, & aſcendere faciendo e *ſepulchris veſtris*, popule mi, & dedero ſpiritum meum in vos & vivetis, & collocavero vos ſuper humo veſtra; XXXVII: 12. 13. 14, ubi Propheta agit de oſſibus vivificatis, ac in ſenſu interno de Regeneratione; quod de Regeneratione, manifeſte patet, dicitur enim, cum dedero ſpiritum meum in vos & vivetis, & collocavero vos ſuper humo veſtra; ſepulchra hic pro priore homine, ac ejus malis & falſis, quæ aperire & a quibus aſcendere, eſt regenerari; ita perit & quaſi exuitur idea ſepulchri, cum ſubit idea regenerationis ſeu novæ vitæ. Quod *Sepulchra aperta* ſint, & multa corpora dormientium Sanctorum *reſurrexerint*, & exiverint e *Sepulchris ſuis* poſt Reſurrectionem Domini, & ingreſſi in ſanctam urbem, & apparuerint multis," Matth: XXVII: 52. 53, ſimile involvit, nempe reſurrectionem ex Reſurrectione Domini, & in ſenſu interiori quamlibet reſurrectionem. Quod Dominus exſuſcitaverit Lazarum e mortuis, Joh: XI: 1 ſeq: etiam involvit Novæ Eccleſiæ a gentibus reſuſcitationem, omnia enim miracula, quæ a Domino facta ſunt, quia Divina, ſtatus Eccleſiæ Ipſius involvebant. Etiam ſimile, quod vir, qui conjectus in ſepulchrum Eliſæi, cum tangeret oſſa illius, revixerit, 2 Reg: XIII: 20. 21; per Eliſæum enim repræſentatus eſt Dominus. Quia Sepultura ſignificabat Reſurrectionem in communi & quamcunque, ideo Antiqui de Sepulturis ſuis, & de locis ubi ſepelirentur, maximopere ſolliciti fuerunt, ut Abrahamus quod ſepeliretur in Hebrone in terra Canaan, tum Iſacus & Jacobus, cum uxoribus eorum, Geneſ: XLVII: 29. 30. 31. Cap: XLIX: 30. 31. 32; Joſephus, quod oſſa ejus ab Ægypto in terram Canaanem transferrentur, Gen: L: 25. Exod: XIII: 19. Joſ: XXIV: 32; David & Reges poſt illum, quod ſepelirentur in Sione, 1 Reg: II: 10. Cap: XI: 43. Cap: XIV: 17. 18. Cap: XV: 8. 24. Cap: XXII: 51. 2 Reg: VIII: 24. Cap: XII: 22. Cap: XIV: 20. Cap: XV: 7. 38. Cap: XVI: 20; cauſa erat, quia terra Canaan tum Sion, repræſentabant & ſignificabant Regnum Domini, & Sepultura Reſurrectionem; at quod locus nihil faciat ad reſurrectionem, cuivis conſtare poteſt. Quod Sepultura ſignificet reſurrectionem ad vitam, etiam patet ab aliis repræſentativis, ut quod impii non plangerentur, nec ſepelirentur, ſed projicerentur, Jer: VIII: 2. Cap: XIV: 16. Cap: XVI: 4. 6. Cap: XX: 6. Cap: XXII: 19. Cap: XXV: 33. 2 Reg: IX: 10. Apoc: XI: 9: & quod impii, qui ſepulti, e ſepulchris ejicerentur, Jer: VIII: 1. 2. 2 Reg: XXIII: 16. 17. 18. Quod autem Sepulchrum in oppoſito ſenſu ſignificet mortem ſeu infernum, videatur Eſai: XIV: 19. 20. 21. Ezech: XXXII: 21. 22. 23. 25. 27. Pſalm: LXXXVIII: 5. 6. 11. 12. Num: XIX: 16. 18. 19.

2917.

2917. Quod ſepeliam mortuum meum a coram me, ſignificet quod ſic a nocte, quæ apud illos, emergeret & reſurgeret, conſtat a ſignificatione ſepelire, quod ſit reſurgere, de qua mox ſupra n: 2916, & a ſignificatione mortui, quod ſit ſtatus umbræ ſeu noctis, hoc eſt, ignorantiæ, de qua etiam ſupra, n: 2908. 2912, e quo emergit & reſurgit apud hominem Dominus, cum agnoſcitur, prius eſt in nocte, quia non apparet; reſurgit apud omnem qui regeneratur.

2918. Verſ: 5. 6. *Et reſponderunt filii Cheth Abrahamo, dicendo ei. Audi nos, domine mi, princeps Dei tu in medio noſtri, in electo ſepulchrorum noſtrorum ſepeli mortuum tuum, quiſquam e nobis ſepulchrum ſuum non prohibebit a te, a ſepeliendo mortuum tuum.* Reſponderunt filii Cheth Abrahamo, dicendo ei, ſignificat ſtatum reciprocum apud illos qui ab Eccleſia nova: audi nos, ſignificat receptionem: Domine mi, princeps Dei tu in medio noſtri, ſignificat Dominum quoad bonum & verum Divinum apud illos: in electo ſepulchrorum noſtrorum, ſignificat beneplacitum quoad regenerationem: ſepeli mortuum tuum, ſignificat quod ſic a nocte emergerent & reſuſcitarentur in vitam: quiſquam e nobis ſepulchrum ſuum non prohibebit a te, ſignificat quod omnes parati eſſent ad recipiendam regenerationem: a ſepeliendo mortuum tuum, ſignificat ut a nocte emergerent & reſuſcitarentur.

2919. Reſponderunt filii Cheth Abrahamo dicendo ei, quod ſignificet ſtatum reciprocum apud illos qui ab Eccleſia nova, conſtat a ſignificatione reſpondere cum annuitur ad id quod petitur, quod ſit reciprocum; & a ſignificatione filiorum Cheth, quod ſint illi apud quos nova Eccleſia ſpiritualis, de qua ſupra n: 2913.

2920. Audi nos, quod ſignificet receptionem, conſtat a ſignificatione audi nos, cum eſt formula reſponſoria annuentiæ, quod ſit receptio.

2921. Domine mi, princeps Dei in medio noſtri, quod ſignificet Dominum quoad bonum & verum Divinum apud illos, conſtat a ſignificatione Domini, & principis Dei, & a ſignificatione in medio noſtri: quod Dominus dicatur ubi de bono agitur, conſtat ex Verbo Veteris Teſtamenti, ibi enim Jehovah nunc nominatur Jehovah, nunc Deus, nunc Dominus, nunc Jehovah Deus, nunc Dominus Jehovih, nunc Jehovah Zebaoth, & hoc ex cauſa arcana, quæ non ſciri poteſt niſi a ſenſu interno; in genere cum agitur de cœleſtibus amoris ſeu de bono, tunc dicitur Jehovah, cum autem de ſpiritualibus fidei ſeu de vero, tunc dicitur Deus; cum de utriſque ſimul, dicitur Jehovah Deus, cum autem de potentia Divina boni ſeu omnipotentia, tunc dicitur Jehovah Zebaoth ſeu Jehovah exercituum, tum quoque Dominus, ſic ut Jehovah Zebaoth & Dominus, ejuſdem ſenſus & ſignificationis ſit; inde, nempe ex potentia boni, etiam homines & Angeli dicti ſunt Domini, & in oppoſito ſenſu illi ſervi quibus vel nulla potentia, vel quibus potentia ab illis; ex his conſtare poteſt, quod hic, Domine mi, in ſenſu interno ſignificet Dominum quoad bonum, quod in ſequentibus illuſtrabitur e Verbo: Princeps Dei autem ſignificat Dominum quoad potentiam veri, ſeu quoad verum, ut conſtare poteſt a ſignificatione Principis ſeu Principum, quod ſint primaria vera,

vera, de qua n: 1482. 2089, & ex eo quod princeps Dei dicatur, Deus enim dicitur ubi agitur de vero, & Jehovah ubi de bono, n: 2586. 2769. 2807. 2822: quod in medio noſtri ſit inter illos, ſeu apud illos, conſtat abſque explicatione. Quod in Verbo Veteris Teſtamenti, Jehovah Zebaoth & Dominus ejuſdem ſenſus & ſignificationis ſit, conſtat apud Eſaiam, "Zelus *Jehovæ Zebaoth* faciet hoc; verbum miſit *Dominus* in Jacobum, & cecidit in Iſraele," IX: 6. 7. alibi apud Eundem, "Rex validus dominabitur illis, dictum *Domini, Jehovæ Zebaoth*," XIX: 4: apud Malachiam, "Ecce ſubito veniet ad Templum ſuum *Dominus*, quem vos quærentes, & Angelus fœderis, quem vos deſideratis, ecce venit, dicit *Jehovah Zebaoth*," III: 1. manifeſtius apud Eſaiam, "Vidi *Dominum* ſedentem ſuper throno alto & elato; Seraphim ſtantes deſuper Ipſo, ſenæ alæ ſenæ alæ cuivis; clamavit hic ad hunc, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Jehovah Zebaoth:* væ mihi, quia exciſus ſum, quia Regem *Jehovah Zebaoth* viderunt oculi mei, & audivi vocem *Domini*," VI: 1. 3. 5. 8; ex quibus patet quod Jehovah Zebaoth & Dominus ejuſdem ſenſus ſit; Dominus Jehovih autem dicitur, imprimis ubi de ope omnipotentiæ quæritur & ſupplicatur, ut apud Eſaiam, "Dic civitatibus Jehudæ, ecce Deus veſter, ecce *Dominus Jehovih* in forti veniet, & brachium Ipſius dominabitur Ipſi; ecce merces Ipſius cum Ipſo, & opus Ipſius coram Ipſo, ſicut paſtor gregem ſuum paſcet," XL: 9. 10. 11; quod Dominus Jehovih tunc dicatur, videatur porro, Eſai: XXV: 7. Cap: XL: 10. Cap: XLVIII: 16. Cap: L: 4. 5. 7. 9. Cap: LXI: 1. Jerem: ii: 22. Ezech: VIII: 1. Cap: XI: 13. 17. 21. Cap: XII: 10. 19. 28. Cap: XIII: 8. 13. 16. 18. 20. Cap: XIV: 4. 6. 11. 18. 20. 21. Mich: I: 2. Pſalm: LXXI: 5. 16, & pluries alibi. Præterea in Verbo Veteris Teſtamenti Dominus ſimile involvit ac Jehovah, nempe quod Dominus dicatur cum agitur de bono, quare etiam Dominus ſimiliter diſtinguitur a Deo, ut Jehovah a Deo; ut apud Moſen, "Jehovah Deus noſter, Ipſe *Deus* deorum, & *Dominus* dominorum," Deut: X: 17: apud Davidem, "Confitemini *Deo* deorum, quia in æternum miſericordia Ipſius; confitemini *Domino* dominorum, quia in æternum miſericordia Ipſius," Pſalm: CXXXVI: 1. 2. 3. At in Verbo Novi Teſtamenti, apud Evangeliſtas & in Apocalypſi, nullibi nominatur Jehovah, ſed pro Jehovah dicitur Dominus, & hoc ex arcanis cauſis, de quibus infra: quod in Verbo Novi Teſtamenti, Dominus dicatur pro Jehovah, manifeſte conſtare poteſt apud Marcum, "Jeſus dixit, primarium omnium præceptorum eſt, audi Iſrael, *Dominus Deus* noſter, *Dominus* unus eſt, ideo amabis *Dominum Deum* tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex omnibus viribus tuis," XII: 29. 30; hæc eadem apud Moſen ita, "Audi Iſrael, *Jehovah Deus* noſter, *Jehovah* unus, & amabis *Jehovam Deum* tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis," Deut: VI: 4. 5, ubi patet, quod Dominus dicatur pro Jehovah: pariter apud Johannem, "Vidi, ecce thronus poſitus erat in cœlo, & ſuper throno ſedens: circa thronum quatuor Animalia plena oculis ante & retro, habebat unumquodque pro ſe ſenas alas circumcirca, & intus plenas oculis;

oculis; dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus *Dominus* Deus omnipotens," Apoc: IV: 2. 6. 8; hæc apud Esaiam ita, "Vidi Dominum sedentem super throno alto & elato; Seraphim stantes desuper Ipso, senæ alæ senæ alæ cuivis; clamavit hic ad hunc, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Jehovah Zebaoth*," VI: 1. 3. 5. 8; ibi Dominus dicitur pro Jehovah, seu Dominus Deus omnipotens pro Jehovah Zebaoth; quod quatuor Animalia sint Seraphim seu Cherubi, patet apud Ezechielem Cap: I: 5. 13. 14. 15. 19: Cap: X: 15: quod in Novo Testamento Dominus sit Jehovah, constat etiam ex pluribus aliis locis, ut apud Lucam, "Visus est Sachariæ *Angelus Domini*," I: 11, Angelus Domini pro angelo Jehovæ: apud Eundem, "Angelus ad Sachariam de filio ejus," Multos filiorum Israelis convertet ad *Dominum Deum* illorum," I: 16: ad Dominum Deum pro ad Jehovam Deum: apud Eundem, "Angelus ad Mariam de Jesu, "Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit Ipsi *Dominus Deus* thronum Davidis," I: 32; Dominus Deus pro Jehovah Deus: apud Eundem, "Maria dixit, magnificat anima mea *Dominum*, & exaltavit se spiritus meus super Deo Salvatore meo," I: 46. 47, ibi Dominus etiam pro Jehovah: apud Eundem, "Sacharias prophetavit dicens "Benedictus *Dominus Deus* Israelis," I: 68, Dominus Deus pro Jehovah Deus: apud Eundem, "Pastoribus *Angelus Domini* adstitit, & gloria *Domini* circumfulsit illis," II: 9, Angelus Domini, & gloria Domini pro Angelo Jehovæ & gloria Jehovæ: apud Matthæum, "Benedictus veniens in *Nomine Domini*," XXI: 9. Cap: XXIII: 39. Luc: XIII: 35. Joh: XII: 13, in nomine Domini pro in nomine Jehovæ; præter alibi multoties, ut Luc: I: 28. Cap: II: 15. 22. 23. 24. 29. 38. 39. Cap: V: 17. Marc: XII: 10. 11. Quod Jehovam vocaverint Dominum, causæ inter arcanas, etiam fuerunt, quod si tunc temporis dictum esset, quod Dominus esset Jehovah toties in Veteri Testamento nominatus, videatur n: 1736, non recepissent, quia non credidissent; tum quia Dominus etiam quoad Humanum non Jehovah factus, quam cum omnimode univerit Essentiam Divinam Humanæ, & Humanam Divinæ, videatur n: 1725. 1729. 1733. 1745. 1815. 2156. 2751, unitio plenaria facta est post ultimam tentationem, quæ fuit crucis, quare discipuli post resurrectionem semper Ipsum appellarunt Dominum, Joh: XX: 2. 13. 15. 18. 20. 25. Cap: XXI: 7. 12. 15. 16. 17. 20. Marc: XVI: 19. 20; & Thomas dixit, "*Domine mi*, & *Deus mi*," Joh: XX: 28; & quia Dominus erat Jehovah, qui toties nominatus in Veteri Testamento, ideo quoque dixit ad discipulos, "Vos vocatis Me *Magister* & *Dominus*, & recte dicitis, sum namque," Joh: XIII: 13. 14. 16, quibus significatur, quod Jehovah Deus esset; ibi Dominus dicitur quoad bonum, Magister autem quoad verum: quod Dominus esset Jehovah, intelligitur etiam per verba Angeli ad pastores, "Natus est vobis hodie Salvator, qui est *Christus Dominus*," Luc: ii: 11, Christus pro Messia, Uncto, Rege, Dominus pro Jehovah, illud quoad verum, hoc quoad bonum. Qui Verbum non sedulo scrutatur, hoc non scire potest, credens quod Salvator noster ex communi formula venerationis, sicut alii, dictus sit Dominus, cum tamen Ipse ex eo, quod Jehovah esset.

2922.

2922. In electo sepulchrorum nostrorum, quod significet beneplacitum quoad regenerationem, constat a significatione eligere, electionis & electi, quod sit optionis seu beneplaciti; & ex significatione Sepulchri, quod sit resurrectio & regeneratio, de qua supra n: 2916.

2923. Quod sepeli mortuum tuum, significet quod sic a nocte emergerent & resuscitarentur in vitam, constat a significatione sepeliri, quod sit resurgere seu resuscitari ad vitam, de qua n: 2916; & a significatione mortui, quod sit nox quoad bona & vera fidei, de qua n: 2908. 2912. 2917.

2924. Quod quisquam e nobis sepulchrum suum non prohibebit a te, significet quod omnes parati essent ad recipiendam regenerationem, constat a significatione sepulchri, quod sit regeneratio, de qua n: 2916; & a significatione non cohibere, quod sit voluntatis recipiendi.

2925. A sepeliendo mortuum tuum, quod significet ut a nocte emergerent & resuscitarentur, constat a significatione sepeliri, & mortui, quod sit resuscitari a nocte quoad bona & vera fidei, de qua mox supra n: 2923, ubi eadem verba.

2926. Vers: 7. 8. *Et surrexit Abraham, & incurvavit se populo terræ, filiis Cheth. Et loquutus cum illis, dicendo, si est cum anima vestra ad sepeliendum mortuum meum a coram me, audite me, & intercedite mihi apud Ephronem filium Zochar.* Surrexit Abraham & incurvavit se, significat gaudium Domini propter benignam receptionem: populo terræ, filiis Cheth, significat ab illis qui ab Ecclesia nova spirituali: loquutus cum illis dicendo, significat cogitationem & perceptionem de illis: si est cum anima vestra, significat si ex affectione veri ex corde: ad sepeliendum mortuum meum a coram me, significat quod ex nocte emergere & resurgere vellent: audite me, significat ut obtemperarent: & intercedite mihi apud Ephronem filium Zochar, significat illos apud quos verum & bonum fidei recipi posset.

2927. Surrexit Abraham & incurvavit se, quod significet gaudium Domini propter benignam receptionem, constat a significatione surgere, quod involvat aliquid elevationis, de qua n: 2401. 2785; ex lætitia & gaudio elevatur mens, ideo hic dicitur surrexit; a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua sæpius prius; & a significatione incurvare se, quod sit gaudere; incurvatio est gestus corporis tam ex humiliatione quam ex gaudio, quod ex gaudio, & quod propter benignam receptionem, patet ab illis quæ præcedunt & quæ sequuntur.

2928. Populo terræ, filiis Cheth, quod significet ab illis qui ab Ecclesia spirituali, constat a significatione populi, quod sint illi qui sunt in veris, ita spirituales, de qua n: 1259. 1260; a significatione terræ, quod sit Ecclesia, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f; & a significatione filiorum Cheth, quod sint illi qui a nova Ecclesia spirituali, de qua supra n: 2913. Populus terræ passim nominatur in Verbo, ubi agitur de Israele & de Hierosolyma, & per illum in sensu interno significatur Ecclesia spiritualis, seu illi qui ab Ecclesia spirituali, nam per Israelem & per Hierosolymam illa Ecclesia intelligitur; cum agitur de Jehuda & de Zione, tunc Gens

Gens nominatur, & per gentem significatur Ecclesia cœlestis, nam per Jehudam & Zionem ea Ecclesia intelligitur: quod Populus terræ dicatur, ubi de Israele & de Hierosolyma agitur, constat a pluribus locis in Verbo, ita ubi de Ecclesia spirituali, ut apud Ezechielem, "Dicas ad *Populum terræ*, ita dicit Dominus Jehovih habitatoribus *Hierosolymæ*, ad humum *Israelis*, panem suum in mærore edent, & aquas suas in vastatione bibent, propterea ut devastetur *Terra* ejus, urbes habitatæ vastabuntur, & *Terra* desolata erit," XII: 19. 20; ubi in sensu interno Hierosolyma & humus Israelis pro Ecclesia spirituali, panis & aquæ pro charitate, & fide, seu pro bono & vero; terra pro ipsa Ecclesia, quæ vastata dicitur quoad bonum, & desolata quoad verum. Apud Eundem, "Gogum & multitudinem ejus sepelient domus Israelis, ut mundent *Terram* septem mensibus, & sepelient omnis *Populus terræ*," XXIX: 13; Gogus pro cultu externo separato ab interno, qui idololatricus, n: 1151; domus Israelis pro Ecclesia spirituali quoad bonum, populus terræ quoad verum; terra pro ipsa Ecclesia; quod terra sit Ecclesia, est quia Terra Canaan repræsentabat Regnum Domini, ita Ecclesiam, nam Regnum Domini in terris est Ecclesia. Apud Eundem, "Omnis *Populus terræ* erit ad Therumam hanc (sublationem:) Principi *Israelis*; & faciet Princeps in die hoc pro se, & pro omni *Populo terræ* juvencum peccati: incurvabunt se *Populus terræ* ad ostium portæ in sabbathis & noviluniis: & intrabit *Populus terræ* in festis statis," XLV: 16. 22. Cap: XLVI: 3. 9, ubi de Nova Hierosolyma, hoc est, de Regno Domini spirituali; qui ibi, vocantur Populus terræ, Princeps est Verum Divinum quod a Domino. Filii Cheth dicuntur, quia per filios significantur vera, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623: quod vera prædicentur de spiritualibus, causa est, quia Spirituales per vera initiantur in bonum, hoc est, per fidem in charitatem; & quia faciunt bonum ex affectione veri, non scientes aliunde quod sit bonum quam quod ita instructi, c[illegible] scientia illorum etiam fundata est in illis veris fidei, videatur n: 1155. 1[illegible] 2046. 2088. 2184. 2507. 2715. 2716. 2718.

2929. Loquutus cum illis dicendo, quod significet cogitationem & perceptionem de illis, constat a significatione loqui & dicere, quod sit cogitare & percipere, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2271. 2287. 2506. 2515. 2552. 2619.

2930. Si est cum anima vestra, quod significet si ex affectione veri ex corde, constat a significatione Animæ in sensu interno: in Verbo passim dicitur, quod ex corde & ex anima, seu ex toto corde, & ex tota anima, & significatur per illa, quod ex omni voluntate & ex omni intellectu; quod binæ facultates homini sint, nempe voluntas & intellectus, cuivis potest notum esse, tum quod voluntas separata facultas sit ab intellectu, nam intelligere possumus bonum & verum, sed usque velle malum & falsum; homo a principio ita creatus est, ut voluntas & intellectus apud illum unum facerent, sic ut non aliud cogitaret quam vellet, nec aliud vellet quam cogitaret, talis status est apud cœlestes, & fuit in cœlesti Ecclesia, quæ Homo seu Adam dicta; at apud Spirituales seu in Spirituali Ecclesia, est separata una

 facultas

facultas ab altera, nempe intellectualis a voluntaria, & homo quoad illam partem, nempe intellectualem reformatur a Domino, & inibi formatur nova voluntas & novus intellectus, n: 863. 875. 895. 897. 927. 928. 1023. 1044. 2256; nova voluntas ibi quæ a Domino, est quæ vocatur cor, & novus intellectus qui vocatur Anima, & cum dicitur ex toto corde & ex tota anima, significatur quod ex omni voluntate & ex omni intellectu: hæc sunt quæ significantur per cor & animam, apud Mosen, "Amabis Jehovam Deum tuum *omni corde* tuo, & *omni Anima* tua, & omnibus viribus tuis," Deut: VI: 5: apud Eundem, "Nunc Israel, quid Jehovah Deus tuus petens a te, nisi ad timendum Jehovam Deum tuum, ad eundum in omnibus viis Ipsius, & ad amandum Ipsum, & ad serviendum Jehovæ Deo tuo, *omni corde* tuo, & omni *anima tua*," Deut: X: 12. Cap: XI: 13: apud Eundem, "Die hoc Jehovah Deus tuus præcipiens tibi ad faciendum statuta hæc & judicia, & custodias & facias illa, *toto corde* tuo & *tota anima* tua," Deut: XXVI: 16. in Libro Regum, "David ad Salomonem, stabiliet Jehovah verbum suum, quod loquutus super me, dicendo, si custodiunt filii viam suam, ad ambulandum coram Me in veritate, *omni corde* suo, & *omni anima* sua, dicendo, non exscindetur tibi vir a super throno Israelis," 1 Reg: II: 4; apud Matthæum, "Amabis Dominum Deum tuum ex *toto corde* tuo, & in *tota anima* tua," XXII: 35. Marc: XII: 29. 30. Simile prædicatur etiam de Jehovah seu Domino, quia inde affectio boni quæ est voluntatis, & affectio veri quæ est intellectus, apud hominem Ecclesiæ; ut apud Samuelem, "Exsuscitabo Mihi sacerdotem fidelem, quemadmodum in *Corde meo*, & in *Anima mea*," 1 Sam: ii: 35: & apud Jeremiam, "Gaudebo super illis, ad benefaciendum illis, & plantabo eos in terra hac in veritate, *omni Corde meo*, & *omni Anima mea*," XXXII: 41. Etiam passim alibi in Verbo Anima significat affectionem veri, ut apud Esaiam, "*Anima mea* desideravi Te in nocte, etiam spiritu meo in medio Mei quæsivi Te mane, quia quemadmodum judicia tua terræ, justitiam discunt habitatores orbis," XXVI: 9, ibi anima pro affectione veri, spiritus pro affectione boni, quod judicia prædicentur de viris, & justitia de bono, videatur n: 2235: apud Eundem, "Stultus stultitiam loquitur, ad evacuandum *Animam famelicam*, & *potum sitientem* deficere faciat," XXXII: 6, Anima famelica pro desiderio boni, quam stultus evacuat, anima potum sitiens pro desiderio veri, quam stultus deficere facit: apud Jeremiam, "Fiet *Anima* eorum sicut hortus irriguus; & irrigabo *Animam lassam*, & omnem *Animam dolentem* implebo," XXXI: 12. 25, Anima pro affectione veri & boni: apud Eundem, "Omnis populus ejus gementes, quærentes panem, dederunt desiderabilia sua pro cibo, ad reducendum *Animam*. Procul est a Me consolans, reducens *Animam* meam, facti sunt filii mei desolati: quæsiverunt cibum sibi, ut reducerent *Animam* suam," Thren: I: 11. 16. 19; anima pro vita affectionis boni & veri, cibus pro sapientia & intelligentia. Dicitur quod anima significet affectionem veri ex corde, quia dantur affectiones veri quæ non ex corde, ut quæ ex amore sui seu eminendi, ex amore mundi seu lucrandi, ex amore merendi; ex his similiter existunt affectiones veri, sed non sunt genuinæ, sunt

ſunt ex voluntate carnis, non ex corde, quod ex corde eſt ex Domino. Præterea Anima in Verbo ſignificat in univerſali ſenſu omnem vitam, videatur n: 1000. 1005. 1040. 1742; Anima enim eſt in univerſali ſenſu illud, ex quo aliud Eſt & Vivit, ita anima corporis eſt ejus ſpiritus, ex eo enim vivit corpus; anima autem ſpiritus eſt ejus vita adhuc interior, ex qua ſapit & intelligit.

2931. Ad ſepeliendum mortuum meum a coram me, quod ſignificet quod ex nocte emergere & reſurgere vellent, conſtat a ſignificatione ſepeliri, quod ſit reſurgere; & mortui, quod ſit nox quoad bona & vera fidei, de qua ſupra n: 2923. 2925, ubi eadem verba.

2932. Audite me, quod ſignificet ut obtemperarent, conſtat a ſignificatione audire, quod ſit obedire ſeu obtemperare, de qua n: 2542.

2933. Et intercedite mihi apud Ephronem filium Zochar, quod ſignificet illos apud quos verum & bonum fidei recipi poſſet, conſtare poteſt inde, quod ager, & in agro ſpelunca, ubi ſepeliretur Sarah, Ephronis eſſet, & quia per ſepulturam ſignificatur regeneratio, n: 2916, ſequitur quod per illum ſignificentur illi apud quos verum & bonum fidei recipi poſſet: filii Cheth repræſentant etiam eoſdem, quatenus ex Ephronis urbe eſſent, & quatenus ejus populus eſſent. Per intercedere hic ſignificatur præparari ad recipiendum.

2934. Verſ: 9. *Et det mihi ſpeluncam Machpelæ, quæ illi, quæ in fine agri ejus, in argento pleno det illam mihi, in medio veſtri, ad poſſeſſionem ſepulchri.* Det mihi ſpeluncam Machpelæ quæ illi, ſignificat obſcurum fidei, quod illis: quæ in fine agri, ſignificat ubi parum Eccleſiæ: in argento pleno, ſignificat redemtionem per verum: det illam mihi in medio veſtri ad poſſeſſionem ſepulchri, ſignificat poſſeſſionem ſic per regenerationem.

2935. Det mihi ſpeluncam Machpelæ, quod ſignificet obſcurum fidei, conſtat a ſignificatione ſpeluncæ, quod ſit obſcurum, de qua n: 2463; & a ſignificatione Machpelæ, quod ſit fides quæ in obſcuro. Quod Spelunca ſignificet obſcurum, inde eſt, quia locus eſt tenebroſus; cum dicitur ſpelunca montis, tunc eſt obſcurum boni, at cum dicitur ſpelunca agri Machpelæ, tunc eſt obſcurum veri; hic quia dicitur ſpelunca Machpelæ, & Machpela erat ubi ager, in cujus fine ſpelunca, eſt obſcurum veri, ſeu quod idem obſcurum fidei, inde quoque patet, quod Machpela ſit fides quæ in obſcuro. Qui regenerantur, & fiunt ſpirituales, ſunt quam maxime in obſcuro quoad verum; bonum quidem a Domino apud illos influit, ſed non ita verum, quare inter Dominum & bonum apud hominem datur paraleliſmus & correſpondentia, non autem inter verum, videatur n: 1832: cauſa primaria eſt, quia non ſciunt quid bonum, & tametſi ſcirent, uſque non ex corde credunt, & quamdiu bonum illis in obſcuro eſt, tamdiu etiam eſt verum, nam ex bono omne verum; ſed clarius, quod Dominus ſit ipſum Bonum, & quod omne quod eſt amoris in Ipſum, & charitatis erga proximum, ſit bonum, & omne quod id afferit & confirmat ſit verum, non ſciunt niſi perquam obſcure; imo etiam dubia

 fovent,

fovent, & ratiocinia admittunt contra illa; & quamdiu in tali ſtatu ſunt, lux veri a Domino influere non poteſt; imo de Domino, ut de homine alio, non ut de Deo cogitant, de amore in Ipſum ex amore quodam mundano; quid affectio genuina charitatis erga proximum vix ſciunt, imo quid charitas, & quid proximus, cum tamen hæc eſſentialia ſunt; inde patet quantum in obſcuro ſunt ſpirituales; & adhuc magis ante regenerationem, de quo ſtatu hic agitur.

2936. Quæ in fine agri, quod ſignificet ubi parum Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione finis ſeu extremitatis, quod ſit parum; & a ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, tum doctrina, quæ Eccleſiæ, de qua n: 368: quod finis ſeu extremitas ſit parum, conſtare poteſt a deſcriptione terræ, humi, & agrorum in Verbo, medium eorum ſignificat multum, at extremum ſignificat parum, extremum hoc quoque vocatur circuitus; cauſa eſt, quia circa extremum exſpirat repræſentativum; ita hic, finis agri, ſignificat parum Eccleſiæ.

2937. In argento pleno, quod ſignificet redemptionem per verum, conſtat ex ſignificatione argenti, quod ſit verum, de qua n: 1551; & a ſignificatione det mihi in argento ſeu pro argento, quod ſit emere, & in ſenſu ſpirituali, redimere: quod Spirituales dicantur empti argento, videatur n: 2048, hoc eſt, redempti per verum; cauſa inde eſt, quia per verum fidei regenerantur, nempe introducuntur ad bonum; ſpiritualis enim homo nullam perceptionem boni habet, ut cœleſtis, ſed verum eſt, per quod cognoſcit, & dein ex quo agnoſcit, quod bonum ſit, & cum agnoſcit & credit, tunc ſit id illi bonum, & afficitur illo ut bono, quod tale ſit, quale ei verum; inde eſt, quod Spirituales dicantur redempti per verum: at uſque qualitas boni non naſcitur & producitur a vero, ſed ab influxu boni in quale verum.

2938. Det illam mihi in medio veſtri ad poſſeſſionem ſepulchri, quod ſignificet poſſeſſionem ſic per regenerationem, conſtare poteſt abſque explicatione, quod enim ſepulchrum ſit regeneratio, ſupra n: 2916, oſtenſum eſt.

2939. Verſ: 10. *Et Ephron ſedens in medio filiorum Cheth, & reſpondit Ephron Chittæus Abrahamo in auribus filiorum Cheth, omnibus intrantibus, portam urbis ejus, dicendo.* Ephron ſedens in medio filiorum Cheth, ſignificat illos a quibus recipi primario bonum & verum fidei poſſet: & reſpondit Ephron Chittæus Abrahamo, ſignificat ſtatum receptionis illorum: in auribus filiorum Cheth, ſignificat obedientiam: omnibus intrantibus portam urbis ejus, dicendo, ſignificat quoad doctrinalia per quæ fides.

2940. Ephron ſedens in medio filiorum Cheth, quod ſignificet illos a quibus recipi primario bonum & verum fidei poſſet, conſtat a repræſentatione Ephronis, tum a ſignificatione filiorum Cheth, quod ſint illi apud quos verum & bonum fidei recipi poſſet, & apud quos nova Eccleſia, de qua n: 2913. 2933; & a ſignificatione medii ſeu in medio quod ſit primarium, ſeu principale, tum intimum, de qua n: 1074. Quod Medium in ſenſu interno ſignificet primarium ſeu principale, tum intimum, eſt a repræſentativis in altera

altera vita; cum repræfentatur aliquod bonum per ideas fpirituales, tunc optimum fiftitur in medio, & decrefcentiæ boni fiftuntur a medio per gradus inde, & ultimo ad peripheriam illa quæ non funt bona, inde eft, quod in medio fit tam primarium feu principale, quam intimum; ideæ cogitationis ita quoque repræfentantur, tum etiam affectiones; & omnes ftatus mutationes, ita, quod varientur bona vel mala quoad fitum verfus medium; ducit hoc originem a forma rerum fpiritualium & cœleftium, quæ talis.

2941. Et refpondit Ephron Chittæus Abrahamo, quod fignificet ftatum receptionis illorum, conftat a fignificatione refpondere, cum annuitur, quod fit receptio, ut quoque ab illis quæ mox fequuntur, patet: Ephron hic appellatur Chittæus, ut repræfentet Ecclefiam fpiritualem ut caput & princeps.

2942. In auribus filiorum Cheth, quod fignificet obedientiam, conftat a fignificatione auris, quod fit obedientia, de qua n: 2542.

2943. Omnibus intrantibus portam urbis ejus, dicendo, quod fignificet quoad doctrinalia per quæ fides, conftat a fignificatione portæ, quod fit introitus, ita id quod introducit, fimiliter ac janua, de qua n: 2145. 2152. 2356. 2385; & a fignificatione urbis, quod fit verum, quod eft fidei, de qua n: 402. 2268. 2450. 2451. 2712. Urbes in Antiqua Ecclefia non fuerunt urbes ficut poftea & hodie, nempe cætus & congregationes, fed fuerunt cohabitationes feparatarum familiarum; familia unius parentis conftituebat urbem; ficut urbes Nachoris, ad quam fervus Abrahami, cum defponfaret Rebeccam Ifaco, venit, Genef: XXIV: 10, fuit familia Nachoris, quæ ibi; & Schalem urbes Sechemi, ad quam Jacob, cum ex Paddam Aram, alluit, Gen: XXXIII: 18: Cap: XXXIV, erat familia Chamoris & Sechemi, quæ ibi; ita reliquæ urbes illo tempore; & quia ex antiquiffimis habuerunt, quod gentes & familiæ repræfentarent focietates cœleftes, ita illa quæ funt amoris & charitatis, n: 685. 1159, inde cum loco familiæ nominatur urbs, & loco gentis nominatur populus, fignificatur verum, quod eft fidei: inde quoque civitas Dei & civitas fancta in genuino fenfu fignificat fidem in Dominum: & quia urbs feu civitas fignificabat fidem, porta urbis fignificabat doctrinalia; quia hæc introducunt ad fidem. Hoc quoque in Ecclefia repræfentativa Judaica, fignificabatur per quod Judices & feniores federent in porta urbis, & ibi judicarent, ut patet ab hiftoricis Verbi, tum apud Sachariam, "Hæc verba quæ facietis, loquimini veritatem vir cum focio, veritatem & judicium pacis *judicate in portis veftris*," VIII: 16: & apud Amos, "odio habete malum, & amate bonum, & *ftatuite in porta judicium*, V: 15. Quod Porta quoque fignificet aditum ad mentem rationalem, & quod mens illa comparetur urbi, videatur, n: 2851.

2944. Verf: 11. *Non, Domine mi, audi me, agrum do tibi, & fpeluncam quæ in illo tibi do illam, ad oculos filiorum populi mei do illam tibi, fepeli mortuum tuum.* Non, Domine mi, audi me, fignificat ftatum illum primum, de quo prius: agrum do tibi, & fpeluncam quæ in illo tibi do illam, fignificat

ficat præparationem a feipfis quoad illa quæ funt Ecclefiæ, & fidei: ad oculos filiorum populi mei do illam tibi, fignificat fecundum intellectum omnium: fepeli mortuum tuum, fignificat ut emergant a nocte & refufcitentur.

2945. Non, Domine mi, audi me, quod fignificet ftatum illum primum, de quo prius n: 2935. 2936, nempe quod in obfcuro fidei effent, conftat a negatione, quod audire non vellent ad Abrahamum, quod daret argentum plenum, Verf: 9, hoc eft in fenfu interno, quod redimerentur a Domino, fed quod feipfos præparare vellent quoad illa quæ funt Ecclefiæ & fidei, hoc eft, feipfos reformare: verba illa, "non, domine mi, audi me," involvunt ftatum, nempe cogitationis illorum de redemptione, & reformatione, nam fequitur immediate propofitio.

2946. Agrum do tibi, & fpeluncam quæ in illo tibi do illam, quod fignificet præparationem a feipfis quoad illa quæ funt Ecclefiæ & fidei, conftat a fignificatione agri, quod fit Ecclefia, de qua n: 368. 2936; a fignificatione fpeluncæ quæ in illo, nempe in agro, quod fit obfcurum fidei, de qua fupra n: 2935; & a fignificatione dare agrum & dare fpeluncam, feu quod idem, non recipere argentum ab Abrahamo, quod fit non velle redimi a Domino, fed a feipfis, ita femet præparare quoad illa. Talis & ftatus primus omnium qui reformantur & fiunt fpirituales, nempe quod non credant reformari a Domino fed a femet, hoc eft, quod omne voluntatis boni & cogitationis veri fit a feipfis; in illo ftatu etiam relinquuntur a Domino, quia alioquin reformari nequeunt; fi enim, antequam regenerati funt, illis diceretur, quod nequeant aliquid boni a fe facere, nec aliquid veri a fe cogitare, tunc vel in illum errorem laberentur, quod exfpectandus influxus in voluntatem & influxus in cogitationem, & fi non hoc fieret, nihil conarentur; vel in illum errorem, quod, fi bonum & verum aliunde, quam a fe, nihil imputaretur illis in juftitiam; vel in illum, quod fic quafi machinæ, non fui juris aut fui compotes, forent; vel in alios; ideo datur illis tunc cogitare, quod a feipfis bonum & verum; fed poftquam regenerati funt, tunc per gradus infinuatur illis cognitio, quod aliter fe res habeat, nempe quod omne bonum & verum unice a Domino; & porro, cum magis perficiuntur, quod quicquid non venit a Domino, fit malum & falfum; regeneratis, fi non in vita corporis, ufque in altera vita, datur illud non folum cognofcere, fed etiam percipere, nam omnes Angeli in perceptione funt quod ita fit: videantur, quæ de his prius dicta funt, nempe, quod omne bonum & verum a Domino, n: 1614. 2016: quod omnis intelligentia & fapientia a Domino, n: 109. 112. 121. 124: quod homo ex femet nihil boni facere, & nihil veri cogitare poffit, n: 874. 875. 876: quod ufque quifque quafi ex proprio facere bonum debeat, nec remittere manus, n: 1712: quod homo fi femet cogat ad refiftendum malo, & ad faciendum bonum, ficut a femet, quod accipiat a Domino proprium cœlefte, n: 1937. 1947.

2947. Ad oculos filiorum populi mei do illam tibi, quod fignificet quoad intellectum omnium, conftat a fignificatione oculorum, quod fit intellectus: de

de qua n: 2701; & a ſignificatione filiorum populi, quod ſint omnes; filii populi ſunt illi qui primum initiati ſunt in vera, populus enim ſunt qui in veris, n: 1259. 1260; ideo non dicitur ad oculos populi mei, ſed ad oculos filiorum populi mei.

2948. Sepeli mortuum tuum, quod ſignificet ut emergant a nocte & reſuſcitentur, conſtat a ſignificatione ſepeliri, quod ſit reſurgere, ſeu, quod idem, reſuſcitari; & a ſignificatione mortui, quod ſit nox quoad bona & vera fidei, de quibus ſupra n: 2917. 2923. 2925. 2931, ubi eadem verba.

2949. Verſ: 12. 13. *Et incurvavit ſe Abraham coram populo terræ. Et loquutus ad Ephronem in auribus populi terræ, dicendo, veruntamen ſi tu, placet, audias me, dabo argentum agri, accipe a me, & ſepeliam mortuum meum ibi.* Incurvavit ſe Abraham coram populo terræ, ſignificat gaudium Domini ob benevolentiam illorum qui e nova Eccleſia ſpirituali: & loquutus ad Ephronem, ſignificat influxum apud illos qui recipere poſſent: in auribus populi terræ, ſignificat uſque ad obedientiam quoad Eccleſiæ vera: veruntamen ſi tu, placet, audias me, ſignificat influxum interiorem: dabo argentum agri, accipe a me, ſignificat redemptionem quoad vera Eccleſiæ quæ a Domino: & ſepeliam mortuum meum, ſignificat quod ſic e nocte emergerent & vivificarentur.

2950. Incurvavit ſe Abraham coram populo terræ, quod ſignificet gaudium Domini ob benevolentiam illorum qui e nova Eccleſia ſpirituali, conſtat a ſignificatione incurvare ſe, quod hic ſit gaudere, ut quoque ſupra n: 2927; a repræſentatione Abrahami, quod ſit Dominus, de qua ſæpius prius; & a ſignificatione populi terræ, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra, n: 2928, ubi eadem verba; ſed ibi "incurvavit ſe populo terræ filiis Cheth," Verſ: 7; quod filii Cheth ibi etiam dicantur eſt, quia illi ab Eccleſia ibi ſignificantur, qui primum initiantur, ut quoque per filios populi, n: 2947; hic autem illi qui in progreſſione ſunt, quare ſimpliciter populus terræ abſque adjectione filiorum Cheth dicitur; & ibi ſignificatur gaudium propter benignam receptionem, hic ob benevolentiam, receptio eſt primum quia intellectus, benevolentia eſt ſequens, quia voluntatis, videatur n: 2954.

2951. Et loquutus ad Ephronem, quod ſignificet influxum apud illos qui recipere poſſent, conſtat a ſignificatione loqui, quod ſit cogitare, n: 2271. 2287, tum quoque velle, n: 2626, ita influere, quia influxus ſit inde; & a repreſentatione Ephronis, quod ſint illi apud quos verum & bonum fidei recipi poſſet, de qua n: 2933.

2952. In auribus populi terræ, quod ſignificet uſque ad obedientiam quoad Eccleſiæ vera, conſtat a ſignificatione auris, quod ſit obedientia, de qua n: 2542. 2942; & a ſignificatione populi terræ, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, tum quoque illius Eccleſiæ vera, de qua n: 1259. 1260. 2928.

2953. Veruntamen ſi tu, placet, audias me, quod ſignificet influxum interiorem, conſtare poteſt a ſerie loquelæ; quod Abraham loquutus ad Ephronem, ſignificaverit influxum, mox ſupra n: 2951, dictum; hic continuatur loquela,

loquela, & intentio excitatur, per quod dicatur "veruntamen si tu, placet, audias me," quare influxus interior significatur. Sensus internus talis est, ut voces & verba pœne nihil sint, sed sensus eorum ex serie fluens sistat ideam, & quidem coram angelis spiritualem, cui sensus externus seu literalis inservit pro objecto ex quo; sunt enim ideæ cogitationis hominis quæ sunt objecta cogitationum spiritualium apud Angelos, & quidem illæ ideæ cogitationis apud hominem principaliter, quæ sunt ex Verbo, ex causa quia ibi omnes res repræsentant, & omnes & singulæ voces significant, & animadvertitur illico quod e Verbo sint, qui spiritualia & cœlestia ibi suo ordine dispositissime consequuntur, & in illis & his sanctum ex intimo sensu, qui est solum de Domino, ac Ipsius Regno.

2954. Dabo argentum agri, accipe a me, quod significet redemptionem quoad vera Ecclesiæ quæ a Domino, constat ex significatione dare argentum, quod sit redimere per verum, de qua supra n: 2937, argentum enim est verum n: 1551; a significatione agri, quod sit Ecclesiæ, tum doctrina veri, de qua n: 368. 2936; & a significatione accipere a me, quod sit reciprocum apud illos qui ab Ecclesia; reciprocum est fides quod redemptio sit a solo Domino. Quod Redemptionem attinet, est illa idem ac Reformatio & Regeneratio, & inde liberatio ab inferno & salvatio; Redemptio seu reformatio & salvatio hominum Ecclesiæ spiritualis fit per verum, at hominum Ecclesiæ cœlestis per bonum; causæ prius passim dictæ sunt, nempe quod spirituales nihil voluntatis boni habeant, sed pro illa donati facultate intelligendi quid bonum, intellectus boni est qui principaliter vocatur verum, & quidem verum fidei, at velle illud & inde facere illud est quod vocatur bonum; Spirituales itaque per intellectum boni, seu quod idem, per verum, introducuntur in voluntatem boni, seu quod idem, in bonum, sed non in aliquid voluntatis boni ex semetipsis, quia voluntas boni apud eos omnis deperdita est, n: 895. 927. 2124, sed in voluntatem novam, quam accipiunt a Domino, n: 863. 875. 1023. 1043. 1044, & cum hanc voluntatem acceperint, tunc in specie dicuntur redempti.

2955. Quod sepeliam mortuum meum, significet quod e nocte emergerent & vivificarentur, constat a significatione sepeliri, & mortui, de qua supra n: 2917. 2923. 2925. 2931. 2948; hic vivificari dicuntur, quia in progressione recipiendi fidem sunt; ex fide enim, nempe ex ejus bono, accipiunt vitam, aliunde non est vita. Quod sepeliam mortuum meum significet emersionem a nocte spirituali, & vivificationem, etiam inde est, quia prior Ecclesia cum mortua, nova loco ejus exsuscitatur a Domino, ita loco mortis datur vita, & loco noctis fit mane; etiam inde, quod apud unumquemvis qui reformatur & fit spiritualis, mortuum ejus quasi sepeliatur, & novum, quod est vivum, resurgat, ita loco noctis apud illum, seu loco tenebrarum & frigoris, exsurgit mane cum sua luce & suo calore; inde est, quod apud Angelos qui in vita Domini sunt, loco ideæ apud hominem de sepultura mortui, fit idea resurrectionis & novæ vitæ. Ita quoque se habet, nam semper aliqua Ecclesia

Ecclesia est in tellure, & cum vetus exspirat & fit nox, tunc nova alibi resurgit, & fit mane.

2956. Vers: 14. 15. *Et respondit Ephron Abrahamo, dicendo ei. Domine mi, audi me, terra quadringentorum siclorum argenti, inter me & inter te, quid hoc; & mortuum tuum sepeli.* Respondit Ephron Abrahamo, dicendo ei, significat statum receptionis: domine mi, audi me, significat statum primum receptionis: terra quadringentorum siclorum argenti, significat pretium redemptionis per verum: inter me & inter te quid hoc, significat quod annueret, sed vellet usque a semet: & mortuum tuum sepeli, significat, hic ut prius, emersionem e nocte, & resuscitationem inde.

2957. Respondit Ephron Abrahamo, dicendo ei, quod significet statum receptionis, constat a significatione respondere cum annuitur, quod sit recipere, de qua supra n: 2941; quod sit status receptionis, qui hic significatur per respondere & dicere, patet ex sequentibus.

2958. Domine mi, audi me, quod significet statum primum receptionis, etiam constat ab illis quæ sequuntur, tum ab illis quæ dicta prius n: 2945, ubi eadem verba, sed ibi negatio, hic autem affirmatio adhuc dubitativa, nam dicitur in mox sequentibus "inter me & inter te quid hoc," quibus significatur quod annueret, sed vellet usque a semet: præterea, "Domine mi, audi me," est modo formula excitandi alterius reflexionem, sed usque involvit statum propositionis.

2959. Terra quadringentorum siclorum argenti, quod significet pretium redemtionis per verum, constat a significatione quadringentorum siclorum, de qua sequitur; & a significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2048. 2937: Quod quadringenti sicli significent redemptionis pretium, inde est, quia quadringenta significant vastationem, & siclus pretium; quid vastatio, videatur n: 2455 f. 2682. 2694. 2699. 2701. 2704, quod nempe sit duplex, una cum Ecclesia prorsus perit, hoc est, cum amplius nulla charitas aut fides, tunc dicitur vastata seu vasta; altera, cum illi, qui ab Ecclesia, in statum ignorantiæ, & quoque tentationis, rediguntur, ob causam ut mala & falsa apud illos separentur & quasi discutiantur, qui e vastatione hac emergunt, ii sunt qui in specie vocantur redempti, nam tunc instruuntur in bonis & veris fidei, ac reformantur & regenerantur a Domino, de quibus in locis citatis: quia nunc Quadringenta, cum prædicantur de tempore, ut quadringenti anni, significant vastationis durationem & statum, ita cum Quadringenta prædicantur de siclis, significant redemptionis pretium, & cum nominatur simul argentum, significant redemptionis pretium per verum. Quod quadringenti anni significent vastationis durationem & statum, etiam constare potest ab illis, quæ dicta sunt ad Abrahamum, "Jehovah dixit Abrahamo, cognoscendo cognosces, quod peregrinum erit semen tuum in terra, non illis, & servient illis, & affligent illos *Quadringentis annis*," Gen: xv: 13; ubi videatur, quod per quadringentos annos intelligatur duratio filiorum Israelis in Ægypto; sed quod non duratio illorum in Ægypto sit quæ significatur,

ficatur, ſed quod aliquid quod non patet alicui niſi ex ſenſu interno, conſtare poteſt inde, quod duratio filiorum Iſraelis in Ægypto non fuerit niſi dimidium illius temporis, ut manifeſte conſtare poteſt ex nativitatibus Jacobi ad Moſen; ex Jacobo enim erat Levi, ex Levi Kehath, ex Kehath Amram, & ex Amram Jacob & Moſes, Exod: VI: 16 ad 20; Levi & ejus filius Kehath venerunt cum Jacobo in Ægyptum, Gen: XLVI: 11, ex altera inde generatione erat Moſes, & Moſes 80 annis cum loquutus ad Pharaonem, Exod: VII: 7, inde conſtare poteſt, quod ab ingreſſu Jacobi, ad exitum filiorum ejus, fuerint circiter 215 anni: adhuc magis conſtare poteſt, quod per quadringenta in Verbo aliud intelligatur, quam quod per ipſum numerum in ſenſu hiſtorico, ex eo quod dicatur, "Quod habitatio filiorum Iſraelis, qua habitarunt in Ægypto, fuerint *Triginti anni* & *Quadringenti anni*; & factum a fine *Triginta* annorum & *Quadringentorum* annorum, & factum in eodem die hoc exiverunt omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti," Exod: XII: 40. 41, cum tamen duratio filiorum Iſraelis ibi modo fuerit dimidium illorum annorum, ſed quod ab Abrahami ingreſſu in Ægyptum fuerint 430 anni, quare ita dictum propter ſenſum internum qui latet in illis verbis; in ſenſu interno per peregrinationem filiorum Jacobi in Ægypto repræſentatur & ſignificatur Eccleſiæ vaſtatio, cujus ſtatus & duratio deſcribitur per numerum Triginta & quadringentorum annorum, per Triginta ſtatus vaſtationis filiorum Jacobi, quod nulla fuerit, quia tales ut non per aliquem ſtatum vaſtationis reformari potuerint, de ſignificatione numeri Triginta videatur n: 2276; & per Quadringentos annos ſtatus vaſtationis communis illorum qui ab Eccleſia: qui itaque a vaſtatione illa exeunt, illi ſunt qui dicuntur Redempti, quod etiam patet a verbis ad Moſen, "Propterea dic filiis Iſraelis, Ego Jehovah, & educam vos a ſub oneribus Ægypti, & liberabo vos a ſervitute illorum, & *Redimam* vos brachio extenſo & judiciis magnis," Exod: VI: 6: & alibi, "Eduxit Jehovah vos per manum fortem, & *Redemit* te e domo ſervorum, e manu Pharaonis Regis Ægypti," Deut: VII: 8. Cap: XIII: 6: & alibi, "Memineris quod ſervus fueris in terra Ægypti, ſed *Redemit* te Jehovah Deus tuus," Deut: XV: 15. Cap: XXIV: 18: apud Samuelem, "Populus tuus quem *Redemiſti* tibi ex Ægypto," 2 Sam: VII: 23: quia illi, qui emergunt e ſtatu vaſtationis dicuntur Redempti, ideo per Quadringentos Siclos ſignificatur Redemptionis pretium. Quod Siclus ſignificat pretium ſeu æſtimationem, conſtat ex his locis in Verbo; apud Moſen, "Omnis *æſtimatio* tua erit in *Siclo ſanctitatis*," Levit: XXVII: 25. & alibi, "Anima cum prævaricata prævaricationem, & peccavit errore de ſanctis Jehovæ, & adducet reatum ſuum Jehovæ, arietem integrum e grege, in *æſtimatione* tua, *argento ſiclorum*, in *ſiclo ſanctitatis*," Levit: V: 15, inde patet, quod per ſiclum ſignificetur pretium ſeu æſtimatio; ſiclus ſanctitatis dicitur, quia pretium ſeu æſtimatio ſpectat verum & bonum a Domino, verum & bonum a Domino eſt ipſum ſanctum in Eccleſia; inde dicitur ſiclus ſanctitatis, etiam pluries alibi, ut Exod: XXX: 23.

Levit:

Levit: XXVII: 3. Num: III: 47. 50. Cap: VII: 13. 19. 25. 31. 37. 43. 49. 55. 61. 67. 73. Cap: XVIII: 16. Quod Siclus sit pretium Sancti, manifeste patet apud Ezechielem, ubi agitur de Terra Sancta & de Civitate Sancta, ibi ita de Siclo dicitur, "*Siclus* ibi *viginti geræ*, viginti *Sicli*, quinque & viginti *Sicli*, quindecim *Sicli*, maneh (libra:) erit vobis," XLV: 12; quod ibi per siclum, & per libram, & per numeros significentur sancta, hoc est, bonum & verum, quisque videre potest, Terra enim sancta, & Civitas Sancta ibi, seu Nova Hierosolyma, de qua ibi agitur, non aliud est quam Regnum Domini, ubi nec Siclus, nec Geræ, nec Libra, nec Numeratio per illa, sed ipse numerus ex significatione in sensu interno determinat æstimationem seu pretium boni & veri. Apud Mosen, "Quod vir daret expiationem animæ suæ, ne esset plaga, *dimidium sicli* in *siclo sanctitatis*, *viginti geræ Siclus*, & quod dimidium *Sicli* esset therumah (sublatio:) Jehovæ," Exod: XXX: 12. 13, ibi decem geræ, quæ dimidium sicli, sunt reliquiæ quæ a Domino, reliquiæ sunt bona & vera apud hominem recondita, quæ quod significentur per decem, videatur n: 576. 1738. 1906. 2284; quod reliquiæ sint bona & vera a Domino apud hominem recondita, n: 1906. 2284, quare etiam vocantur therumah seu sublatio Jehovæ, & dicitur, quod per illa erit expiatio animæ; causa, quod aliquoties dicatur, quod Siclus esset viginti geræ, ut in loco citato, tum Levit: XXVII: 25. Num: III: 47. Cap: XVII: 16, & alibi, est, quia siclus viginti geræ significat æstimationem boni reliquiarum, quod viginti sint bonum reliquiarum, videatur n: 2280; ideo quoque Siclus erat pondus, secundum quod pretium tam auri quam argenti, Gen: XXIV: 22. Exod: XXXVIII: 24. Ezech: IV: 10. Cap: XLV: 12, pretium auri, quia aurum significat bonum, n: 113. 1551. 1552, & argenti, quia argentum significat verum, n: 1551. 2048. Inde nunc patet, quod per terram quadringentorum siclorum argenti, significetur pretium redemptionis per verum: inde est, quia agitur de Ecclesia spirituali, quæ per verum a Domino reformatur & regeneratur n: 2954, quod dicatur Terræ; quod per Terram significetur Ecclesia, videatur n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f.

2960. Quod inter me & inter te, quid hoc, significet quod annueret sed vellet usque a semet, nempe præparari seu reformari, constare potest a sensu literæ applicato ad sensum internum, in quo agitur de reformatione; supra dictum ab Ephrone, "Agrum do tibi, & speluncam quæ in illo do tibi illam," Vers: 11, quibus significatum, quod vellent præparare semet quoad illa quæ sunt Ecclesiæ & fidei, hoc est, se reformare; quod status primus illorum, qui reformantur, sit talis, videatur n: 2946, at cum ulterius progrediuntur in cognitionibus veri seu fidei, tunc secundus illorum status est, quod quidem annuant, sed usque velint a semet, de hoc statu in hoc Versu agitur; at tertius status mox describitur, quod credant reformari a Domino. Quod tales sint in principio, causa dicta est supra n: 2946; quod autem cum progrediuntur in cognitionibus veri seu fidei, agnoscant quidem se reformari a Domino, sed usque velint a semet, causa est, quia nubes ignorantiæ succes-

five discutitur, & quia confirmationes veri tempore corroborantur, & quia per imbuitiones cognitionum veri perficitur bonum; ipsum bonum, cui implantatum est verum, facit ut non solum agnoscant, sed etiam credant, quod reformatio sit a Domino; hic status est tertius, quem sequitur status quartus, nempe quod percipiant quod a Domino; sed pauci sunt, qui ad hunc statum veniunt in vita corporis, est enim angelicus, at qui regenerati sunt, in eum statum veniunt in altera vita. Inde patet, quod in sensu interno hic describatur homo Ecclesiæ spiritualis, qualis ejus status est cum adhuc immaturus, & qualis cum maturescere incipit, & tandem cum maturuit.

2961. Et mortuum tuum sepeli, quod significet emersionem e nocte & resuscitationem inde, constat a significatione mortui, quod sit nox quoad vera fidei; & sepeliri, quod sit resuscitari, de qua aliquoties prius, videatur n: 2917. 2923. 2925. 2931. 2948. 2955: quod hæc toties in hoc Capite dicantur, causa est, quia de emersione e nocte, quoad vera fidei, & resuscitatione, hoc est, de reformatione & regeneratione Ecclesiæ spiritualis, agitur.

2962. Vers: 16. *Et audivit Abraham ad Ephronem, & appendit Abraham Ephroni argentum, quod loquutus in auribus filiorum Cheth, quadringentos siclos argenti, transeuntis mercatori.* Audivit Abraham ad Ephronem, significat confirmationem ad obediendum: & appendit Abraham Ephroni argentum, significat redemptionem: quod loquutus in auribus filiorum Cheth, significat secundum facultatem illorum qui a nova Ecclesia: quadringentos siclos argenti, significat redemptionis pretium: transeuntis mercatori, significat applicate ad illorum statum.

2963. Audivit Abraham ad Ephronem, quod significet confirmationem ad obediendum, nempe ab illis apud quos bonum & verum fidei recipi posset, constat a significatione audire, quod sit obedire, de qua n: 2542; & a repræsentatione Ephronis, quod sint illi apud quos bonum & verum fidei recipi posset, de qua supra n: 2933; quod apud illos, & ab illis confirmatio, patet a verbis, quia dicitur, quod audivit Abraham ad illum.

2964. Et appendit Abraham Ephroni argentum, quod significet redemptionem, constat a significatione appendere argentum, quod sit emere, & in sensu spirituali redimere; argentum hic idem est cum quadringentis siclis, qui quod significent redemptionis pretium, supra n: 2959. ostensum.

2965. Quod loquutus in auribus filiorum Cheth, quod significet secundum facultatem illorum qui a nova Ecclesia, constat a significatione loqui in auribus, & a filiorum Cheth; loqui in sensu interno significat & percipere & velle, quod percipere, videatur n: 2619, quod velle, n: 2626; aures autem significant obedientiam, n: 2542; inde est, quod loqui in auribus, sit secundum facultatem, facultas enim est receptionis ita obedientiæ secundum quod quis percipit & vult; tum ex significatione filiorum Cheth, quod sint illi qui a nova Ecclesia spirituali, de qua supra n: 2913. Quod reformetur homo Ecclesiæ, hoc est, ei implantetur verum quod fidei, & hoc conjungatur bono quod charitatis, infra in hoc versu n: 2967, dicetur.

2966.

2966. Quadringentos ficlos argenti, quod fignificet redemptionis pretium, fupra n: 2959, oftenfum eft, fed quid redemptionis pretium, dicetur; Redemptio eft folius Domini, ita quoque redemptionis pretium; & hoc prædicatur etiam de receptione apud hominem, apud quem redemptionis pretium tantum eft, quantum recipit: Redemptionis pretium eft Domini meritum & juftitia per graviffimas tentationes, per quas univit Effentiam Humanam Divinæ & Divinam Humanæ, & hoc ex propria potentia, & per unitionem illam falvavit genus humanum, ac imprimis illos qui ab Ecclefia fpirituali funt; quod Dominus Juftitia factus per graviffimas tentationes, videatur n: 1813. 2025. 2026. 2027, quod univerit Effentiam Humanam Divinæ & Divinam Humanam, n: 1725. 1729. 1733. 1737. 1813. 2083, quod ex propria potentia, n: 1616. 1921. 2025. 2026. 2083. 2500. 2523. 2632, & quod per unitionem illam falvaverit genus humanum; ac imprimis illos qui ab Ecclefia fpirituali, n: 2661. 2716, hæc funt quæ fignificantur per Redemptionis pretium: quod etiam id prædicetur de receptione apud hominem, apud quem tantum eft quantum is recipit, conftare poteft ex eo, quod Divinum Domini fit quod apud hominem facit Ecclefiam, nihil enim audit Ecclefia, quam quod eft proprium Domini, eft bonum quod amoris & charitatis, & eft verum quod fidei, quæ faciunt id quod Ecclefia dicitur, quod omne bonum a Domino, & quod omne verum a Domino, notum eft, bonum & verum quod ab homine non eft bonum & verum; inde patet quod redemptionis pretium tantum fit apud hominem, quantum is recipit: apud Judæos, quoniam Redemptio Domini tam parum æftimata fuit, ut vix effet aliquid, ideo dicitur apud Sachariam, "Dixi ad illos, fi bonum in oculis veftris, date mercedem meam, & fi non, omittite, & appenderunt mercedem meam, *triginta argenteos*, & dixit Jehovah ad me, projice illud ad figulum, *magnificentiam pretii*, quo æftimatus fum apud illos," xi: 12. 13; & apud Matthæum, "Sumferunt *Triginta argenteos*, *pretium æftimati*, quem emerant a filiis Ifraelis, & dederunt pro agro figuli, ficut præcepit mihi Dominus," xxvii: 10; triginta quod fit parum ut vix aliquid, videatur n: 2276; ita quod Judæi non æftimaverint quicquam meritum & redemptionem Domini; at qui credunt omne bonum & omne verum a Domino, apud illos Redemptionis pretium fignificatur per quadraginta, & in fuperiori gradu per quadringenta.

2967. Tranfeuntis mercatori, quod fignificet applicate ad illorum ftatum, conftare poteft a fignificatione mercatoris, & inde tranfeuntis mercatori; mercator in Verbo fignificat illos qui habent cognitiones boni & veri, & mercatura ipfas illas cognitiones, inde argentum tranfiens mercatori, fignificat verum quantum recipi poteft, feu quod idem, applicate ad cujufvis ftatum & facultatem; quod adjectio hæc aliquid arcani involvat, quifque videre poteft; de fignificatione mercatoris & mercaturæ fequitur: quod autem ipfam rem attinet, illa fe ita habet; omnes qui reformantur & regenerantur, donantur charitate & fide a Domino, fed quifque fecundum fuam facultatem & fuum ftatum; funt enim mala & falfa, quibus fe homo imbuit ab infantia,

quæ

quæ obstant, quin recipere possit unus simile donum ac alius; mala & falsa illa prius vastanda sunt, quam regenerari potest homo; quantum vitæ cœlestis & spiritualis post vastationem residuum est, tantum hoc potest illustrari vero & ditari bono; sunt reliquiæ, quæ sunt bona & vera a Domino apud hominem recondita, quæ tunc vitam accipiunt; bona & vera acquiruntur ab infantia usque ad reformationis tempus, apud unum plura, apud alium pauciora, hæc reservantur in interno ejus homine; nec produci possunt, priusquam externus ejus homo ad correspondentiam redactus est, quod fit imprimis per tentationes, & per plures species vastationis; antequam enim quiescunt corporea quæ illis contraria sunt, ut sunt illa quæ sunt amoris sui & mundi, non influere possunt cœlestia & spiritualia quæ sunt affectionis boni & veri; hæc causa est, quod quisque reformetur applicate ad ejus statum & facultatem; quod etiam Dominus docet in parabola de homine qui peregre abiit, & vocavit proprios servos, & tradidit illis opes suas, & uni dedit *quinque talenta*, alteri *duo*, & tertio *unum*, unicuique juxta *propriam facultatem:* qui quinque talenta accepit, *negotiatus est* cum illis, & lucratus alia quinque talenta; similiter etiam is qui duo, lucratus etiam ille alia duo," Matth: XXV: 14. 15. 16. 17, seq: Tum etiam de decem servis, quibus dedit decem minas; ut cum illis *negotiarentur*," Luc: XIX: 12. 13, seq: Quod Mercator significet illos qui habent cognitiones boni & veri, & mercatura ipsas illas cognitiones, constat ab illis locis, quæ adducta, apud Matthæum & Lucam, tum etiam ab his; apud Ezechielem, "Dicas Tyro, habitatrix super introitibus maris, *Negotiatrix populorum* ad insulas multas. Tharschisch *Mercatrix tua* ex multitudine omnium opum; in argento, in ferro, in stanno & plumbo dederunt *nundinationes tuas*. Javan, Thubal & Meschech, hi *Negotiatores tui*, in anima hominis, & vasis æris dederunt *commercium tuum*. Filii Dedanis *Negotiatores tui*; insulæ multæ *Mercatura* manus tuæ. Syria *Mercatrix tua* in multitudine operum tuorum. Jehuda & terra Israelis, illi *Negotiatores tui* in triticis, minnith & pannag, & melle, & oleo, & opobalsamo dederunt *commercium tuum*. Damascus *Mercatrix tua* in multitudine operum tuorum ex multitudine omnium opum, in vino Chesbonis & lana Zacharis. Et Dan & Javan netum in *nundinationibus tuis* dederunt. Dedan *Negotiatrix tua* in vestibus libertatis ad currum. Arabs & omnes principes Kedar illi *Mercatores* manus tuæ, in agnis, in arietibus & hircis, in his *Mercatores tui*. *Negotiatores* Schebæ & Raamæ illi *Negotiatores tui* in primario omnis aromatis. Charan, & Channeh, & Eden, *Negotiatores* Schebæ; Aschur, Kilmad, *Negotiatores* tui. Hi *Negotiatores tui* in perfectionibus," XXVII: 3. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23; hæc de Tyro, per quam quod significentur cognitiones boni & veri, videatur n: 1201, & patet a singulis; negotiationes & mercaturæ, tum merces quæ ibi memorantur, nec aliud sunt, ideo vocatur Tyrus habitatrix super introitibus maris, quod aquæ sint cognitiones, ac mare congregatio illarum, n: 28; & vocatur negotiatrix populorum ad insulas multas, hoc est, usque ad illos qui remotius in cultu sunt, quod insulæ sint cultus remotiores, n: 1158; quid Tharschisch n: 1156,

n: 1156, argentum, ferrum, ſtannum, & plumbum, quæ inde, ſunt vera in ſuo ordine uſque ad ultima quæ ſunt ſenſualia, quid argentum n: 1551. 2048, quid ferrum n: 425. 426; quid Javan, Thubal & Meſchech, n: 1151. 1152. 1153. 1155, anima hominis & vaſa æris quæ inde, ſunt illa quæ ſunt vitæ naturalis, quod anima ſit omnis vita quæ a Domino, n: 1000. 1040. 1436. 1742, quod vaſa æris ſint bona naturalia quæ recipiunt illam vitam, n: 425. 1551; quid Dedan, n: 1172; quid Syria n: 1232. 1234; quod Jehuda & terra Iſraelis negotiatores in triticis, minnith & pannag, melle, oleo, opobalſamo, ſignificat cœleſtia & ſpiritualia e Verbo; reliquiæ gentes & earum mercaturæ, quæ memorantur, ſunt genera & ſpecies veri & boni, ita Cognitiones quæ apud illos qui ſignificantur per Tyrum: quod ſint Cognitiones, ex quibus ſapientia & intelligentia, conſtat manifeſte apud Eundem Prophetam, ubi ita, "Fili hominis, dic principi Tyri, in *Sapientia tua*, & in *Intelligentia tua*, feciſti tibi opes, & feciſti aurum & argentum in theſauris tuis: in multitudine *Sapientiæ* tuæ, in *Negotiatione tua*, multiplicaſti opes tuas, & elatum cor tuum in opibus tuis, propterea ecce adduco ſuper te alienos, violentos gentium," XXVIII: 2. 4. 5. 6. 7, ubi manifeſte patet, quod merces cum quibus negotiati, ſint cognitiones boni & veri, inde enim non aliunde ſapientia & intelligentia, quare dicitur, in ſapientia tua & in intelligentia tua feciſti tibi opes, & feciſti aurum & argentum in theſauris tuis: ſed cum cognitiones ſunt ſui cauſa, ut emineant & lucrentur aut famam aut opes, tunc nullam vitam habent, ac illis prorſus privantur, in vita corporis falſa pro veris & mala pro bonis amplectendo, ac in altera vita illis quoque quæ vera ſunt prorſus privantur; inde eſt, quod dicatur, quia elatum cor tuum in opibus tuis, propterea ecce adduco ſuper te alienos, hoc eſt, falſa, & violentos gentium, hoc eſt, mala: & alibi apud Eundem, "Tyrus ſicut exciſa e medio maris, in exire *nundationes tuas* e maribus, ſatiaſti populos multos, in multitudine opum tuarum, & *commerciorum tuorum* ditaſti reges terræ, jam fracta es e maribus, in profunditatibus aquarum, *commercium tuum*, & omnis congregatio tua in medio ejus ceciderunt; *Mercatores* in populis frondent ſuper te," XXVII: 32. 33. 34. 36: & apud Eſaiam, "Propheticum de Tyro; tacent habitatores inſulæ, *Mercator* Zidon tranſiens mare, impleverunt te: & in aquis Schicoris, meſſis fluvii, proventus ejus, & eras *Mercatura Gentium:* quis conſultavit hoc ſuper Tyrum coronantem ſe, cujus *Mercatores* principes," XXIII: 2. 3. 8, ubi de vaſtatione Tyri agitur. Mercaturæ & Merces ſimiliter prædicantur de Babylone, quæ ſunt cognitiones boni adulteratæ, & cognitiones veri falſificatæ, apud Johannem, "Babylon ex vino furoris ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes, & reges terræ cum ea ſcortati ſunt; & *Mercatoris terræ* ex facultatibus delitiarum ejus ditati ſunt: *Mercatores terræ* flebunt & plangent ſuper ea, quod *Merces* eorum nemo emit amplius; *Merces* auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & coccini, &c: *Mercatores* horum, qui ditati ſunt ab ea, e longinquo ſtabunt propter metum cruciatus ejus, flentes & plangentes," Apoc: XVIII: 3. 11. 15; quod Babylon ſit cultus, cujus externa apparent

ſancta,

ſancta, ſed interiora prophana, videatur n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1326, inde quid Mercaturæ & Merces ejus patet. Quod Mercator ſit, qui comparat ſibi cognitiones veri & boni, & inde intelligentiam & ſapientiam, conſtat a Domini verbis apud Matthæum, "Simile eſt Regnum cœlorum *homini negotiatori*, quærenti pulchras margaritas, qui cum inveniſſet unam pretioſam margaritam, abiens *vendidit* omnia quæ habuit, & *emit* illam," XIII: 45. 46; pulchra margarita eſt charitas ſeu bonum fidei. Quod omnes cognitiones boni & veri ſint a Domino, apud Eſaiam, "Sic dixit Jehovah, labor Ægypti, & *Mercatura Kuſchi & Sabæorum*, virorum menſuræ, ſuper te tranſibunt, & tibi erunt, poſt te ibunt, in vinculis tranſibunt, & ad te incurvabunt ſe, ad te orabunt; tantummode in te Deus, & nullus præterea Deus," XLV: 14, ubi de Divino Humano Domini. Inde nunc conſtare poteſt, quid ſit mercari, ſeu emere & vendere, quod nempe comparare ſibi cognitiones boni & veri, & per illas ipſum bonum; quod hoc a Domino ſolo, apud Eundem Prophetam, "Heu omnis ſitiens, ite ad aquas, & cui nullum argentum, ite, emite, & edite; & ite, emite abſque argento, & abſque pretio, vinum & lac," LV: 1. 2; ubi emere pro comparare ſibi, vinum pro vero ſpirituali, n: 1071. 1798; lac pro bono ſpirituali, n: 2184; quiſque videre poteſt, quod ire ad aquas non ſit ire ad aquas, quod emere non ſit emere, quod argentum non ſit argentum, nec quod vinum & lac ſit vinum & lac, ſed quod tale quod vocatur correſpondens in ſenſu interno; eſt enim Verbum Divinum, cujus ſingulis vocibus, quæ e naturali mundo & e ſenſualibus hominis ſunt, ſpiritualia & cœleſtia Divina correſpondent, ita non aliter Verbum divinitus inſpiratum eſt.

2968. Verſ: 17. 18. *Et conſtitit ager Ephronis, qui in Machpelah, quæ coram Mamre, ager & ſpelunca quæ in illo, & omnis arbor quæ in agro, quæ in omni termino ejus circumcirca Abrahamo in acquiſitionem, ad oculos filiorum Cheth, in omnium intrantium portam urbis ejus.* Conſtitit ager Ephronis, ſignificat quod illud Eccleſiæ: qui in Machpelah quæ coram Mamre, ſignificat regenerationis quale & quantum: ager & ſpelunca quæ in illo, ſignificat quoad bonum & verum fidei: & omnis arbor quæ in agro, ſignificat cognitiones Eccleſiæ interiores: quæ in omni termino ejus circumcirca, ſignificat cognitiones exteriores: Abrahamo in acquiſitionem, ſignificat quod ſoli Domino accepta: ad oculos filiorum Cheth, ſignificat ſecundum intellectum eorum: in omnium intrantium portam urbis ejus, ſignificat quoad omnia doctrinalia.

2969. Quod conſtitit ager Ephronis, ſignificet quod illud Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, tum doctrina, de qua n: 368. 2936; & a repræſentatione Ephronis, quod ſint illi apud quos bonum & verum fidei, quæ ſunt Eccleſiæ, recipi poſſent, de qua n: 2933; inde, conſtitit ager Ephronis, ſignificat illud Eccleſiæ.

2970. Qui in Machpelah quæ coram Mamre, quod ſignificet regenerationis quale & quantum, conſtat a ſignificatione Machpelæ, quod ſit regeneratio per verum quod fidei; & a ſignificatione Mamre, quod ſit quale & quantum ejus:

ejus: per Machpelam cum ei adjungitur ſpelunca, ſeu dicitur ſpelunca Machpelæ, ſignificatur fides quæ in obſcuro, n: 2935; at per Machpelam, cum abſque ſpelunca nominatur, & ſequitur quod ibi ager & ſpelunca, intelligitur regeneratio, nam per agrum & ſpeluncam ſignificatur bonum & verum fidei, per quæ fit regeneratio: & præterea Machpelah erat tractus in quo etiam ſepulchrum, per quod regeneratio ſignificatur, n: 2916. Mamre autem, quia Chebron, ut dicitur Verſ: ſeq: 19, & in Chebron, ut Geneſ: Cap: XIII: 18, non aliud ſignificat quam quale & quantum, hic regenerationis cum adjungitur Machpelæ, & Eccleſiæ cum adjungitur Chebroni, & quoque perceptionis cum adjungitur quercetis, ut n: 1616, ita Mamre eſt modo determinatio ſtatus rei, erat enim locus, ubi habitavit Abraham, Gen: XIII: 18, & ubi Iſacus, & quo venit Jacobus, Gen: XXXV: 27.

2971. Ager & ſpelunca quæ in illo, quod ſignificet quoad bonum & verum fidei, conſtat a ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, tum ipſum bonum quod eſt Eccleſiæ; cœleſte, ſeu bonum, quod eſt amoris in Dominum & charitatis erga proximum, comparatur humo, tum quoque agro, etiam dicitur humus & ager, quia cœleſte ſeu bonum eſt quod recipit vera fidei, quæ comparantur ſeminibus, etiam vocantur ſemina; & a ſignificatione ſpeluncæ, quod ſit verum fidei quod in obſcuro, de qua n: 2935; in obſcuro dicitur, quia apud Spirituales, n: 1043. 2708 pr: 2715.

2972. Et omnis arbor quæ in agro, quod ſignificet cognitiones Eccleſiæ interiores, conſtat a ſignificatione arboris, quod ſint perceptiones cum agitur de Eccleſia cœleſti, de qua n: 105. 2163, at cognitiones cum agitur de Eccleſia ſpirituali, de qua n: 2722; hic cognitiones interiores, quia dicitur omnis arbor quæ in agro, & ſequitur quæ in omni termino ejus circumcirca per quæ ſignificantur cognitiones exteriores; & a ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua prius. De arbore quæ in agro & in terminis ejus circumcirca memoratur propter ſenſum illum internum, alioquin non memoratu digna in Verbo quod Divinum.

2973. Quæ in omni termino ejus circumcirca, quod ſignificet cognitiones exteriores, conſtat a ſignificatione terminorum & circumcirca, quod ſint illa quæ ſunt exteriora, de qua n: 2936; ita hic arbor quæ in termino circumcirca ſignificat cognitiones exteriores; cognitiones exteriores ſunt ritualium & doctrinalium quæ ſunt externa Eccleſiæ, cognitiones autem interiores ſunt doctrinalium quæ ſunt interna Eccleſiæ; quid Externa Eccleſiæ & quid interna, prius aliquoties dictum eſt. Præterea in Verbo paſſim dicitur Medium & Circuitus; ut cum de Terra Canaane agitur, tunc Medium dicebatur ubi Zion & Hieroſolyma, Circuitus autem ubi gentes quæ circumcirca; per Terram Canaanem repræſentabatur Regnum Domini, Cœleſte illius per Zionem & Spirituale per Hieroſolymam, ibi habitaculum Jehovæ ſeu Domini; illa quæ circumcirca erant, uſque ad fines, repræſentabant cœleſtia & ſpiritualia inde ordine effluentia & derivata, ubi ultimi termini, ibi repræſentativa cœleſtium & ſpiritualium definebant; repræſentativa illa originem duxerunt ab illis, quæ in Regno Domini in cœlis ſunt, ibi Dominus ut Sol eſt in Medio,

dio,

dio, inde omnis flamma cœleftis & lux fpiritualis; qui proximi funt, in fumma luce funt, qui autem remotiores in minore luce funt, qui autem remotiffimi, in minima, & ibi funt termini, & incipit infernum, quod eft extra cœlum: cum flamma cœlefti, & luce fpirituali ita fe habet, quod cœleftia quæ funt innocentiæ & amoris, & fpiritualia quæ funt charitatis & fidei, in fimili ratione fint cum calore & luce quæ illis, nam exinde omnis calor & lux in cœlis: exinde nunc eft, quod medium fignificet intimum, & circuitus extimum, & quæ ordine ab intimo ad extimum procedunt, in tali gradu innocentiæ, amoris, & charitatis fint, ficut diftant. Similiter fe habet in unaquavis focietate cœlefti, ibi qui in medio, funt ejus generis optimi, & illius generis amor & charitas apud illos decrefcit fecundum remotionem, hoc eft, apud illos qui inde diftant, proportionate. Hæc fimiliter fe habent apud hominem, ejus intimum eft; ubi Dominus apud illum habitat, & ex eo regit illa quæ in ejus circuitibus funt; quando homo patitur, ut Dominus difponat circuitus ad correfpondentiam cum intimis, tunc eft in ftatu ut poffit recipi in cœlum, & tunc intima, & interiora & externa unum agunt; at cum homo non patitur, ut Dominus difponat circuitus ad correfpondentiam, tunc homo tantum recedit a cœlo, quantum non illud patitur: quod Anima hominis in medio feu in intimo ejus fit, & quod corpus in circuitu feu in extremis, notum eft, corpus enim eft, quod cingit & circumveftit animam feu ejus fpiritum: qui in cœlefti & fpirituali amore funt, apud illos bonum a Domino influit per animam in corpus, inde corpus fit lucidum; at qui in corporeo & mundano amore funt, apud illos non influere poteft bonum a Domino per animam in corpus, fed interiora eorum in tenebris funt, inde etiam corpus fit tenebrofum, fecundum illa quæ Dominus docet apud Matthæum, "Lucerna corporis eft oculus, fi oculus fincerus, totum corpus lucidum eft; fi oculus malus, totum corpus obtenebratum; fi ergo lumen funt tenebræ, quantæ tenebræ," VI : 22. 23, per oculum fignificatur intellectuale quod animæ, n: 2701: apud illos autem adhuc pejus fe habet, quorum interiora funt tenebræ, & exteriora apparent ficut lucida, illi tales funt qui exterius fimulant lucis Angelos, at interius funt diaboli; vocantur ii Babel; apud illos cum deftruuntur illa quæ *circumcirca* funt, tunc præcipites feruntur in infernum; hæc repræfentata funt per urbem Jericho, quam poftquam facerdotes cum arca *circumiverunt* fepties, & clanxerunt buccinis, quod ceciderint muri ejus, & urbs devotioni data," Jof: VI: 1 ad 17; & quæ intellecta apud Jeremiam, "Difponite vos contra Babelem *circumcirca* omnes tendentes arcum, clangite fuper eam *circumcirca*, dedit manum fuam, ceciderunt fundamenta ejus, deftructi funt muri ejus," L: 14. 15: Inde nunc patet, quid circumcirca fit. Præterea in Verbo aliquoties nominatur circuitus, ut Jerem: XXI: 14. Cap: XXXVII: 21. Cap: XLVI: 14. Cap: XLIX: 5. Ezech: XXXVI: 3. 4. 7. Amos: III: 11, & alibi, & per circuitus fignificantur illa quæ exteriora funt; de quibus, ex Divina Domini Mifericordia, alibi plura.

2974. Quod Abrahamo in acquifitionem, fignificet quod Soli Domino accepta, nempe omne regenerationis quale & quantum, quoad bonum & ve-

rum fidei, & sic quoad omnes cognitiones interiores & exteriores; constat a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua sæpius prius; & a significatione acquisitionis, quod sint Ipsius, ita Ipsi Soli accepta. Primarium fidei est, quod omne bonum & omne verum sit Domini, ita a Domino Solo; quo quis hoc interius agnoscit, eo interius in cœlo est, nam in cœlo percipitur quod ita sit, ibi est perceptionis sphæra quod ita sit, quia sunt in bono quod a Solo Domino, & hoc est quod dicitur esse in Domino; gradus perceptionis illius se habent a medio usque ad circuitus, sicut mox supra n: 2973 dictum.

2975. Ad oculos filiorum Cheth, quod significet ad intellectum illorum, nempe qui a nova Ecclesia spirituali, constat a significatione oculorum, quod sit intellectus, de qua n: 212. 2701; & a significatione filiorum Cheth, quod sint illi qui a nova Ecclesia spirituali, de qua n: 2913. 2928: supra Vers: 16 dictum, quod Abraham loquutus in auribus filiorum Cheth, quo significatum quod secundum facultatem eorum, n: 2965. 2967, hic autem dicitur, ad oculos filiorum Cheth, & significatur quod ad intellectum eorum; prius involvit applicationem ad eorum voluntatem, hoc autem ad eorum intellectum; homo enim quoad utramque partem reformatur; nisi enim voluntas & intellectus concordent, usque ut unum faciant, homo non regeneratus est, hoc est, nisi bonum & verum, seu, quod idem, charitas & fides unum sint, charitas enim est voluntatis, fides autem intellectus; inde est, quod prius dictum, in auribus filiorum Cheth, hic autem, ad oculos filiorum Cheth.

2976. In omnium intrantium portam urbis ejus, quod significet quoad omnia doctrinalia, constat ab illis quæ supra n: 2943 dicta sunt, ubi eadem verba.

2977. Vers: 19. *Et post ita, sepelivit Abraham Saram uxorem suam, ad speluncam agri Machpela super faciebus Mamre, hæc Chebron, in terra Canaan.* Post ita, significat quod sic: sepelivit Abraham Saram uxorem suam, significat quod reciperent verum conjunctum bono a Domino: ad speluncam agri Machpelah super faciebus Mamre, significat quod sic regenerati quantum possent: hæc Chebron, significat quod hæc nova Ecclesia: in terra Canaan, significat quæ una in Regno Domini.

2978. Post ita, quod significet quod sic, constat a serie, nam hic est conclusio, quod nempe regenerati, & quod sic nova Ecclesia spiritualis instaurata.

2979. Quod sepelivit Abraham Saram uxorem suam, significet quod reciperent verum conjunctum bono a Domino, constat a significatione sepelire, quod sit regenerare, de qua supra n: 2916. 2917; quod regeneratus sit homo, cum receperat verum conjunctum bono a Domino, mox dicetur; a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua sæpius prius; & a repræsentatione Saræ ut uxoris, quod sit verum conjunctum bono, de qua n: 2507. 2063. 2065. Cum Regeneratione hominis spiritualis, ita se habet; primum instruitur is in veris quæ sunt fidei, & tenetur tunc a Domino in

affectione veri; bonum fidei, quod eſt charitas erga proximum, ſimul inſinuatur ei, ſed ita ut vix id ſciat, latet enim in affectione veri, & hoc ob finem, ut verum quod eſt fidei, conjungatur bono quod eſt charitatis; progreſſu temporis creſcit affectio veri quod eſt fidei, & ſpectatur verum propter finem, nempe propter bonum, ſeu quod idem, propter vitam, & hoc magis & magis; ſic verum inſinuatur bono; quod cum ſit, imbuit homo bonum vitæ ſecundum verum quod inſinuatum eſt, & ſic agere ſeu agere ſibi videtur ex bono: ante hoc tempus illi principale fuit verum quod eſt fidei, ſed poſtea fit bonum quod eſt vitæ; hoc cum factum, tunc regeneratus eſt homo, at regeneratus eſt ſecundum quale & quantum veri quod inſinuatum bono; & cum verum & bonum unum agunt, ſecundum quale & quantum boni: ita ſe habet cum omni regeneratione. Regeneratio fit ob finem, ut homo poſſit recipi in cœlum, cœlum non eſt niſi quam conjugium veri & boni, ac boni & veri, videatur n: 2508. 2618. 2728. 2729; niſi conjugium veri & boni apud hominem formetur, non poteſt ille eſſe in conjugio cœleſti, hoc eſt, in cœlo.

2980. Ad ſpeluncam agri Machpelah ſuper faciebus Mamre, quod ſignificet quod ſic regenerati quantum poſſent, conſtat ex ſignificatione ſpeluncæ, quod ſit verum fidei quod in obſcuro, de qua n: 2935; ex ſignificatione agri, quod ſit bonum fidei, de qua n: 2971; ex ſignificatione Machpelæ ſuper faciebus Mamre, ſeu coram Mamre, quod ſit regenerationis quale & quantum, de qua n: 2970; ita quod per verum & bonum fidei regenerati ſint, quantum poſſent, hoc eſt, quod ſecundum facultatem & intellectum, n: 2913. 2928. 2975.

2981. Quod hæc Chebron, ſignificet quod hæc nova Eccleſia, conſtat a ſignificatione Chebronis, quod ſit Eccleſia ſpiritualis, de qua ſupra in hoc Capite n: 2909; ibi dictum Kiriatharba hæc Chebron, ex cauſa, quia per Kiriatharbam ſignificatur Eccleſia quoad verum, & per Chebronem Eccleſia quoad bonum, hic autem non amplius nominatur Kiriatharba, ſed Chebron, quia agitur de regenerato, qui non amplius ex vero ſed ex bono agit, ut dictum ſupra n: 2979.

2982. In terra Canaan, quod ſignificet quæ una in Regno Domini, conſtat a repræſentatione terræ Canaanis, quod ſit Regnum Domini, de qua n: 1413. 1437. 1585. 1607. Cum Eccleſiis Domini ita ſe habet, quod antiquis temporibus ſimul plures fuerint & quod inter ſingulas diſcrimen ſicut hodie quoad doctrinalia, ſed quod uſque unum fecerint in eo, quod agnoverint amorem in Dominum & charitatem erga proximum pro principali & pro ipſo eſſentiali, & ſic quod doctrinalia non fuerint illis pro ita cogitare, ſed pro ita vivere: & quando omnibus & ſingulis amor in Dominum, & Charitas erga proximum, hoc eſt, bonum vitæ, eſt eſſentiale, tunc Eccleſiæ, quotquot ſunt, unam faciunt, & quælibet tunc eſt una in Regno Domini: tale etiam eſt cœlum, ibi ſocietates innumerabiles ſunt, omnes diſtinctæ, ſed uſque unum cœlum conſtituunt, quia omnibus amor in Dominum & charitas erga proximum. Sed aliter prorſus ſe habet cum Eccleſiis, quæ fidem dicunt eſſentiale

Eccleſiæ,

Ecclesiæ, putando quod si hoc sciant & hoc cogitent, se salvari, & hoc qualicunque vita sint; cum ita, tunc plures Ecclesiæ non unam faciunt, ne quidem sunt Ecclesiæ; bonum fidei est, quod facit Ecclesiam, hoc est, ipsa vita amoris & charitatis secundum illa quæ sunt fidei; propter vitam sunt doctrinalia: hoc quisque scire potest, quid doctrinalia nisi propter finem, & quid finis nisi vita, seu nisi talis fiat, sicut illa docent. Aiunt quidem, quod ipsissima fides, quæ salvat, sit fiducia; sed fiducia illa nusquam dari potest nisi in bono vitæ, absque bono vitæ nulla est receptio, & ubi nulla receptio ibi nulla fiducia, nisi quandoque apparens quædam in ægritudinibus animi aut corporis, cum cessant amoris sui & mundi cupiditates; at apud illos qui in malo vitæ sunt, cum illa crisis abit seu vertitur, tunc fallax illa fiducia prorsus evanescit; datur enim fiducia etiam apud malos; sed qui scire vult qualis fiducia, exploret apud se affectiones, & fines, tum vitæ exercitia.

2983. Vers: 20. *Et constitit ager & spelunca quæ in illo, Abrahamo ad possessionem sepulchri, ex filiis Cheth.* Constitit ager & spelunca quæ in illo significat quod Ecclesia & ejus fides: Abrahamo in possessionem sepulchri, significat esset a Solo Domino per regenerationem: ex filiis Cheth, significat quod ex gentibus esset.

2984. Quod constitit ager & spelunca quæ in illo, significet quod Ecclesia & ejus fides, constat a significatione agri, quod sit Ecclesia, de qua supra n: 2969. 2971; & ex significatione speluncæ, quod sit fides, de qua n: 2935. 2971: Ecclesia & ejus fides dicitur, quia Ecclesia prædicatur ex bono quod est charitatis, ita vitæ, fides ex vero, quod adjunctum.

2985. Abrahamo in possessionem sepulchri, quod significet esset a Solo Domino per regenerationem, constat a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua sæpe prius; & a significatione possessionis, quod sit Ipsius, ita Soli Domino, videatur supra n: 2974; & a significatione sepulchri, quod sit regeneratio, de qua etiam supra n: 2916.

2986. Quod ex filiis Cheth, significet quod ex gentibus esset, constare potest a significatione filiorum Cheth: filii Cheth non fuerunt apud quos Ecclesia instaurata fuit, sed sunt per quos Ecclesia illa repræsentatur; sunt enim omnia in Verbo repræsentativa, nec significant personas qui nominantur, sed per illos res quæ sunt Regni Domini & Ecclesiæ; quod per filios Cheth significetur nova Ecclesia, seu, quod idem, illi qui a nova Ecclesia, prius passim dictum: at quod nova Ecclesia Gentium seu a gentibus, patet ab illis quæ dicta sunt ab Abrahamo ad filios Cheth, "Peregrinus & incola ego vobiscum," Vers: 4, quibus significatum, quod Dominus illis ignotus, & tamen usque apud illos esse posset, n: 2915, inde patet, quod per filios Cheth significetur Ecclesia ex gentibus; de aliis non prædicari potest, quod Dominus ignotus sit. Præterea sciendum, cum aliqua Ecclesia fit nulla, hoc est, cum perit charitas, & nova instauratur a Domino, quod raro si usquam hoc fiat apud illos, apud quos vetus Ecclesia fuit, sed apud quos nulla Ecclesia prius, hoc est, apud Gentes; ita factum, quando Antiquissima

Ecclesia

Ecclesia periit, tunc Nova, quæ Noachus dicta, seu Antiqua quæ post diluvium, instaurata fuit apud gentes, hoc est, apud illos ubi nulla Ecclesia prius: similiter cum hæc Ecclesia periit, tunc instar Ecclesiæ institutum apud Abrahami posteros ex Jacobo, sic quoque apud gentes; Abrahamus enim, cum vocatus, fuit gentilis, videatur n: 1356. 1992. 2559; ipsi Jacobi posteri in Ægypto adhuc magis gentiles facti sunt, usque adeo, ut nesciverint prorsus Jehovam, proinde omnem cultum Divinum; postquam hoc Ecclesiæ consummatum fuit, tunc Primitiva Ecclesia a gentibus instaurata est, rejectis Judæis: similiter erit cum hac Ecclesia quæ Christiana dicitur. Causa, quod apud Gentes nova Ecclesia a Domino instauretur, est, quia nulla principia falsi habent contra vera fidei, ignorant enim vera fidei; principia falsi imbuta ab infantia, & postea confirmata, discutienda prius sunt, antequam regenerari potest homo, & fieri Ecclesiæ; imo gentes per mala vitæ prophanare non possunt sancta, nemo enim prophanare sanctum potest, qui ignorat quid sit, n: 593. 1008. 1010. 1059; Gentiles, quia in ignorantia, absque offendiculis, ita sunt in statu recipiendi vera præ illis qui ab Ecclesia, & vera facile recipiunt omnes illi inter illos, qui in bono vitæ sunt, videatur de his n: 932. 1032. 1059. 1327. 1328. 1346. 2049. 2051. 2589 ad 2604.

De Repræsentationibus & Correspondentiis.

2987. *QUID Repræsentationes & quid Correspondentiæ, pauci norunt, nec scire quisquam potest, quid sint, nisi sciat quod Mundus spiritualis sit, & is distinctus a Mundo Naturali, nam inter Spiritualia & Naturalia dantur Correspondentiæ, & quæ existunt a spiritualibus in naturalibus, sunt Repræsentationes: Correspondentiæ dicuntur quia correspondent, & Repræsentationes quia repræsentant.*

2988. *Ut aliqua idea Repræsentationum & Correspondentiarum habeatur, reflectatur modo super illa quæ sunt Mentis, nempe Cogitationis & Voluntatis, hæc solent e facie ita elucere, ut pateant in ejus vultu, affectiones præ cæteris, interiores ex oculis & in illis; cum illa quæ sunt faciei, unum agunt cum illis quæ sunt mentis, dicuntur Correspondere, & sunt Correspondentiæ; & ipsi vultus faciei repræsentant, & sunt Repræsentationes. Similiter se habet cum illis quæ fiunt per gestus in corpore, ut & cum omnibus actionibus, quæ per Musculos producuntur, quod hæc fiant secundum illa quæ cogitat & vult homo, notum est; ipsi gestus & actiones, quæ sunt corporis, repræsentant illa quæ sunt mentis, & sunt Repræsentationes; & quod concordent, sunt Correspondentiæ.*

2989. *Sciri etiam poteſt, quod tales effigies non exiſtant in mente, quales ſiſtuntur in vultu, ſed quod modo ſint affectiones, quæ ſic effigiantur: tum quod tales actus non exiſtant in Mente, quales ſiſtuntur per actiones in corpore, ſed quod ſint cogitationes quæ ſic figurantur: quæ Mentis ſunt, illa ſpiritualia ſunt, quæ autem corporis, illa naturalia ſunt: inde patet, quod Correſpondentia detur inter Spiritualia & Naturalia; & quod Repræſentatio ſit Spiritualium in Naturalibus; ſeu quod idem, cum illa quæ ſunt Interni hominis effigiantur in Externo, tunc quæ apparent in Externo, ſunt Repræſentativa Interni, & quæ concordant, ſunt Correſpondentia.*

2890. *Notum etiam eſt, vel eſſe poteſt, quod ſit Mundus Spiritualis, & quod Mundus Naturalis; Mundus Spiritualis in Univerſali eſt, ubi Spiritus & Angeli, & Mundus naturalis ubi homines: in particulari, eſt mundus ſpiritualis & naturalis apud unumquemvis hominem, Internus ejus homo eſt ipſi Mundus ſpiritualis, Externus autem eſt ipſi mundus naturalis; quæ influunt e mundo ſpirituali, & ſiſtuntur in naturali, ſunt in genere Repræſentationes; & quantum conveniunt, ſunt Correſpondentiæ.*

2891. *Quod Naturalia repræſentent Spiritualia, & quod correſpondeant, etiam ſciri poteſt ex eo, quod Naturale nullatenus exiſtere poſſit, niſi a cauſa ſe priori, cauſa ejus eſt ex ſpirituali, naturale quod non inde cauſam ducit, non datur; formæ naturales ſunt effectus, nec apparere poſſunt ſicut cauſæ, minus ſicut cauſarum cauſæ, ſeu principia, ſed accipiunt formas ſecundum uſum in loco in quo ſunt; ſed uſque formæ effectuum repræſentant illa quæ ſunt cauſarum; imo hæc repræſentant, illa quæ ſunt principiorum; ita omnia naturalia repræſentant illa quæ ſunt ſpiritualium quibus correſpondent; imo etiam ſpiritualia repræſentant illa quæ ſunt cæleſtium ex quibus ſunt.*

2892. *Ex multa experientia mihi ſcire datum eſt, quod in Mundo Naturali, inque tribus ejus regnis, ne hilum ſit, quod non repræſentet aliquid in mundo ſpirituali, ſeu quod non ibi habeat aliquid cui correſpondeat: præter plures experientias id quoque conſtare potuit ab hac: aliquoties cum in loquela eſſem de Viſceribus corporis, & ſequerer nexum illorum ab illis quæ ſunt capitis, ad illa quæ ſunt thoracis, uſque ad illa quæ ſunt abdominis, quod tunc Angeli, qui ſupra me erant, duxerint cogitationes meas per ſpiritualia quibus illa correſpondebant, & quidem ita ut nihil aberraret; illi ne hilum cogitabant de viſceribus corporis de quibus ego, ſed ſolum de ſpiritualibus quibus correſpondebant. Talis eſt intelligentia Angelica, ut ex ſpiritualibus ſciant omnia & ſingula quæ*

in

in corpore, etiam arcanissima, quæ nusquam ad cognitionem hominis pervenire possunt; imo omnia & singula quæ in universo mundo, absque fallacia, & hoc, quia inde causæ, & causarum principia.

2893. *Similiter se habet cum illis quæ in Regno vegetabili sunt, ibi ne hilum datur quod non aliquid repræsentat in mundo spirituali, & ei correspondet, quod multoties per simile commercium cum angelis scire datum: causæ etiam mihi dictæ sunt, quod nempe causæ omnium rerum naturalium sint e spiritualibus, & principia causarum e cœlestibus; seu quod idem, quod omnia quæ in mundo naturali sunt, causam ducant a Vero quod est spirituale, & principium a bono quod est cœleste, & quod naturalia procedant inde secundum omnes differentias veri & boni, quæ in Regno Domini, ita ab Ipso Domino a Quo omne bonum & verum: hæc non possunt non ut peregrina videri, imprimis illis, qui ultra naturam cogitatione ascendere nolunt vel nequeunt; & qui non sciunt quid spirituale, ac ideo nec agnoscunt.*

2894. *Homo, quamdiu vivit in corpore, etiam parum de eo sentire & percipere potest, nam cœlestia & spiritualia apud eum cadunt in naturalia quæ in Externo ejus homine, & ibi amittit ille sensationem & perceptionem illorum. Repræsentativa & Correspondentia quæ in Externo ejus homine, etiam talia sunt, ut non appareant similia illis, quibus in Interno homine correspondent, & quæ repræsentant; ideo nec ad cognitionem ejus venire possunt, antequam externis illis exutus est: beatus tunc qui in correspondentia est, hoc est, cujus Externus homo correspondet Interno.*

2895. *Homines Antiquissimæ Ecclesiæ, de quibus n:* 1114 *ad* 1125, *quia in singulis naturæ aliquid spirituale & cœleste videbant, adeo ut naturalia illis servirent modo pro objectis cogitandi de spiritualibus & cœlestibus, idcirco potuerunt cum Angelis loqui, & cum illis esse in Regno Domini quod in cœlis simul cum in Regno Ipsius in terra seu in Ecclesia: apud illos sic conjuncta erant naturalia spiritualibus, & prorsus correspondebant. Aliter vero post illa tempora, cum malum & falsum incepit regnare, seu cum post aureum sæculum, ferreum incepit, tunc quia non amplius correspondentia, claudebatur cœlum, usque adeo ut vix scire vellent quod Spirituale esset, imo tandem nec quod cœlum & infernum, & quod vita post mortem.*

2896. *Arcanissimum in mundo est, at nihil notius in altera vita, etiam unicuique spiritui, quod omnia quæ in corpore humano correspondentiam habeant cum illis quæ in cœlo, usque adeo, ut ne quidem minima ibi particula sit, cui non spirituale & cœleste quoddam correspondet,* seu

ſeu quod idem, cui non Societates cæleſtes, nam hæ ſunt ſecundum omnia genera & ſpecies ſpiritualium & cæleſtium, & quidem in tali ordine, ut referant ſimul unum hominem, & hoc quoad omnia & ſingula, tam interiora quam exteriora ejus; inde eſt, quod univerſum cælum dicatur quoque Maximus Homo; & inde eſt, quod toties dictum, quod hæc Societas pertineat ad hanc corporis provinciam, hæc ad illam, & ſic porro: cauſa eſt, quia Dominus eſt Solus Homo, & Cælum repræſentat Ipſum; & Divinum Bonum & Verum, quod ab Ipſo, eſt quod facit cælum; in quo quia ſunt Angeli, dicuntur in Domino eſſe. Qui autem in Inferno ſunt, extra Maximum illum Hominem ſunt, & correſpondent ſordibus, tum quoque vitiis.

2997. *Hoc quoque aliquatenus inde ſciri poteſt, quod ſpiritualis ſeu Internus homo, qui eſt hominis ſpiritus eſt vocatur ejus anima, ſimiliter correſpondentiam habeat cum ejus Naturali ſeu Externo homine, & quod correſpondentia talis ſit, ut quæ Interni hominis ſunt, ſpiritualia & cæleſtia ſint; at quæ Externi, naturalia & corporea; ut conſtare poteſt ab illis, quæ ſupra n:* 2988. 2989, *de vultibus faciei, & de actibus corporis, dicta ſunt: Homo etiam quoad Internum hominem eſt exiguum cælum, quia ad imaginem Domini creatus.*

2998. *Quod tales correſpondentiæ ſint, per plures annos ita mihi familiare factum eſt, ut vix aliquid familiarius, tametſi tale ſit, ut homo non ſciat quod ſit, & credat quod aliquem nexum habeat cum mundo ſpirituali, cum tamen omnis nexus ejus eſt inde, & ne quidem ſubſiſtere poteſt momento, nec aliqua pars in illo, abſque hoc nexu; inde omnis ejus ſubſiſtentia. Etiam ſcire mihi datum, quænam Societates angelicæ ad unamquamvis provinciam corporis pertinent, tum quales ſunt, ut quænam & quales ad provinciam cordis; quænam & quales ad provinciam pulmonum, tum quænam & quales ad hepatis; tum quænam & quales ad ſenſoria, ut ad oculum, ad aures, ad linguam, & ad reliqua; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, ſingillatim.*

2999. *Præterea nihil uſquam in mundo creato datur, quod non correſpondentiam habet cum illis quæ in Mundo ſpirituali ſunt, & ſic quod non ſuo modo aliquid in Regno Domini repræſentat; inde omnium exiſtentia & ſubſiſtentia. Si homo noſſet, quomodo illa ſe habent, nuſquam, ſicut ſolet, omnia naturæ tribueret.*

3000. *Inde eſt, quod omnia & ſingula, quæ in univerſo ſunt, repræſentent Regnum Domini, uſque adeo, ut Univerſum cum ſuis ſideribus, ſuis atmoſphæris, ſuis tribus regnis, nihil aliud ſit quam quoddam theatrum repræſentativum gloriæ Domini quæ in cælis: in Regno Animali*

non solum Homo, sed etiam singula animalia, quoad minima & vilissima illorum, repræsentant; sicut vermiculi, qui humi repunt, & vescuntur oleribus, cum tempus illorum nuptiarum instat, quod tunc fiant chrysallides, & mox instruantur alis, & sic attollantur ab humo in atmosphæram, suum cœlum, & ibi fruantur suo gaudio, & suo libero, ludentes inter se, & ex florum opimis victum habentes, ponentes ova, & sic consulentes posteritati; & qui tunc in sui cœli statu sunt, etiam in pulchritudine sua sunt; quod hæc repræsentativa sint Regni Domini, quisque videre potest.

3001. *Quod non sit nisi unica vita, quæ est Domini, quæ influit & facit ut vivat homo, imo ut vivant tam boni, quam mali, constare potest ab illis, quæ in explicatione Verbi n:* 1954. 2021. 2536. 2658. 2706. 2886 *ad* 2889, *dicta & ostensa sunt; illi vitæ correspondent Recipientia, quæ per influxum illum Divinum vivificantur, & quidem ita, ut appareant sibi vivere ex se; hæc Correspondentia est Vitæ cum Recipientibus vitæ; Recipientia, sicut sunt, ita vivunt; illi homines, qui in amore & charitate sunt, in Correspondentia sunt, nam conveniunt, & recipitur ab illis vita adæquate; illi vero qui in contrariis amori & charitati sunt, non in correspondentia sunt, quia ipsa vita non recipitur adæquate; inde talis apparentia vitæ illis est, quales sunt. Hoc illustrari potest a multis, sicut ab organis motoriis & sensoriis corporis, in quæ per animam vita influit; qualia illa sunt, tales sunt illorum actiones & sensationes: sicut etiam ex objectis, in quæ influit lux a sole, illa quales formæ recipientes sunt, tales ibi colorificationes: at in mundo spirituali sunt omnes modificationes, quæ existunt ab influxu vitæ, spirituales, inde tales differentiæ intelligentiæ & sapientiæ.*

3002. *Exinde quoque constare potest, quomodo omnes formæ naturales, tam quæ animatæ sunt, quam quæ inanimatæ, repræsentativæ sint spiritualium & cœlestium quæ in Regno Domini, hoc est, quod omnia & singula in natura repræsentent, quantum & qualiter correspondent.*

3003. *Continuatio de Repræsentationibus & Correspondentiis, sequitur ad finem Capitis sequentis.*

GE-

GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

3004. QUOD Arcanissima in Sensu Interno lateant, quæ hactenus ad nullius cognitionem pervenerunt, constare potest ab illis quæ hactenus dicta & ostensa sunt, & ab illis quæ, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus ostendentur: manifestissime constare potest a Sensu Interno binorum Nominum Domini nostri, JESUS CHRISTUS; hæc cum nominantur, pauci aliam ideam habent, quam quod sint Nomina propria, & pæne sicut nomina alius hominis, sed sanctiora; norunt quidem doctiores, quod Jesus significet Salvatorem, & Christus Unctum, & inde aliquam ideam interiorem capiunt; sed usque non sunt illa, quæ Angeli in Cœlo ex Nominibus illis percipiunt, sunt adhuc Diviniora, nempe per Jesum, cum nominatur ab homine legente Verbum, percipiunt Divinum Bonum, & per Christum Divinum Verum, & per utrumque Divinum Conjugium Boni & Veri, ac Veri & Boni; ita omne Divinum in Conjugio cœlesti, quod est cœlum: quid Conjugium cœleste, videatur n: 2173. 2803.

3005. Quod JESUS in Sensu Interno sit Divinum Bonum, & CHRISTUS sit Divinum Verum, a multis in Verbo constare potest: quod Jesus sit Divinum Bonum, inde est, quia significat Salutem, Salvationem & Salvatorem; & quia illa, significat Divinum Bonum, ex Divino enim Bono, quod est Amoris & Misericordiæ Domini, ac ita per receptionem illius, omnis salvatio: quod Christus sit Divinum Verum, inde est, quia significat Messiam, Unctum & Regem; quod Messias, Unctus & Rex sit Divinum Verum, constabit a sequentibus.

3006. Hæc sunt, quæ percipiunt Angeli, cum nominatur Jesus Christus, & hæc sunt quæ significantur per quod non in alio *Nomine* salus; & per quod Dominus toties dixerit de Nomine suo, ut apud Johannem, "Quodcunque petieritis in *Nomine meo*, Ego faciam," XIV: 14. 15. 16: apud Eundem, "Hæc scripta sunt, ut credatis quod *Jesus* sit *Christus* Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in *Nomine Ipsius*," XX: 31, & alibi; quod Nomen sit omne in uno complexu, per quod colitur Dominus, ita quale omnis cultus & doctrinæ, videatur n: 2724; hic itaque Bonum amoris & charitatis conjunctum Vero fidei, quod est complexus omnis doctrinæ & omnis cultus.

3007. Quod Chriſtus ſit idem ac Meſſias, Unctus & Rex; & quod Meſſias, Unctus & Rex ſit idem ac Divinum Verum, conſtare poteſt.

3008. Quod *Primum* attinet, quod Chriſtus ſit idem ac Meſſias, Unctus & Rex, patet ab his locis in Verbo; apud Johannem, "Andreas invenit fratrem proprium Simonem, & dicit ei, invenimus *Meſſiam*, quod eſt, ſi interpreteris, *Chriſtus*," I : 42: apud Eundem, "Multi ex turba audientes verbum, dixerunt, hic eſt vere Propheta; alii dixerunt, hic eſt *Chriſtus*; alii vero dixerunt, num ergo ex Galilæa *Chriſtus* venturus eſt; nonne Scriptura dicit, quod ex ſemine Davidis, & ex Bethleem, oppido ubi David erat, *Chriſtus* venturus," VII : 40. 41. 42; Chriſtus manifeſte pro Meſſia quem exſpectarunt: apud Eundem, "Ergone vere agnoverunt principes, quod hic vere ſit *Chriſtus*; ſed hunc novimus unde ſit, *Chriſtus* autem cum venit, nemo ſcit unde ſit," VII : 25. 26. 27; Chriſtus pro Meſſia; quod nemo ſciret unde ſit, erat, quia non agnoſceretur: apud Eundem, "Circumdederunt Jeſum Judæi, & dixerunt illi, quouſque animam noſtram ſuſpendis, ſi tu es *Chriſtus*, dic nobis libero ore; reſpondit illis Jeſus, dixi vobis, ſed non creditis," X : 24. 25; hic quoque Chriſtus pro Meſſia, quem exſpectarunt: apud Eundem, "Reſpondit turba, nos audivimus ex Lege, quod *Chriſtus* manet in æternum," XII : 34, Chriſtus pro Meſſia: apud Eundem, "Martha dicebat, ego credidi, quod tu ſis *Chriſtus*, Filius Dei, qui in mundum venturus erat," XI : 27, nempe quod Meſſias; apud Lucam, "Erat homo in Hieroſolyma, cui nomen Simeon, erat illi reſponſum factum a Spiritu Sancto, non viſurum mortem, antequam videret *Chriſtum Domini*," ii : 25. 26, pro quod Meſſiam, ſeu Unctum Jehovæ: apud Eundem, "Jeſus dixit diſcipulis, vos vero, quem Me dicitis eſſe, reſpondens Petrus dixit, *Chriſtus Dei*," IX : 20. Marc : VIII : 29; præter alibi, ut Matth : XXVI : 63. 64. Joh : VI : 68. 69. Marc : XIV : 61. 62. Quia nunc Chriſtus & Meſſias eſt idem, & Chriſtus in Græca lingua, & Meſſias in Hebræa ſignificat Unctum, inde patet quod Chriſtus ſit idem ac Unctus, tum quoque idem ac Rex, nam Reges vocabantur in genere Uncti, ut patet ab Hiſtoricis Verbi multis in locis, tum etiam in Propheticis, ut apud Davidem, "Conſtiterunt reges terræ, & conſultarunt una ſuper Jehovam, & ſuper *Unctum Ipſius*," Pſalm : ii : 2: apud Eundem, "Nunc novi, quod ſalvet Jehovah *Unctum ſuum*, reſpondebit Ipſi e cœlis ſanctitatis ſuæ, in virtutibus ſalutis dextræ Ipſius," Pſalm : XX : 7: apud Eundem, "Jehovah robur illis, & robur ſalutum *Uncti Ipſius*," Pſalm : XXVIII : 8: apud Samuelem, "Jehovah dabit robur Regi ſuo, & exaltabit cornu *Uncti*

Uncti sui," 1 Sam: ii 10; ibi & pluries alibi Unctus pro Rege; in lingua originali legitur Messias; in propheticis illis in sensu interno agitur de Domino; qui quod Rex, etiam patet a locis in Novo Testamento; ut apud Matthæum, "Quæsivit Jesum præses, tune es *Rex Judæorum*, Jesus dixit illi, tu dicis," xxxvii: 11: apud Lucam, "Pilatus interrogavit Jesum, dicens, Tune es *Rex Judæorum*, Ipse respondens illi dixit, tu dicis," xxiii: 3. Matth: xxvii: 11: apud Johannem, "Clamarunt, Osanna, Benedictus qui venit in Nomine Domini, *Rex Israelis*," xii: 13: apud Eundem, "Dixit Nathanael, Rabbi, Tu es Filius Dei, Tu es *Rex Israelis*," i: 50.

3009. Quod alterum attinet, nempe quod Messias, Unctus & Rex sit idem ac Divinum Verum, constat a plurimis locis in Verbo, & ostensum est aliquoties in explicationibus, ut n: 1672. 1728. 2015. 2069; ac Ipse Dominus hoc docet apud Johannem, "Dixit ad Jesum Pilatus, nonne ergo *Rex es Tu*, respondit Jesus, tu dicis, quia *Rex sum Ego*; Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum, ut testimonium dem *Veritati*, omnis qui est ex *Veritate*, audit vocet meam," xviii: 37, inde constat, quod ipsum Divinum Verum sit, ex quo Dominus Rex dictus: quod ungerentur Reges, & inde dicti Uncti, erat, quia Oleum, quo ungebantur, significabat Bonum, n: 886. 2832, & quod Verum, quod Rex significabat, esset ex Bono, ita Boni Verum, & sic Regium apud illos repræsentaret Dominum quoad Divinum Verum quod est ex Divino Bono, ita Conjugium Divinum Boni in Vero; at Sacerdotale Conjugium Divinum Veri in Bono; hoc significatur per Jesum, illud per Christum.

3010. Inde patet, quid per Christos significatur apud Matthæum, "Videte, ne quis vos seducat; multi enim venient sub Nomine meo, dicentes, ego sum *Christus*, & multos seducent. Tunc si quis dixerit vobis, ecce hic est *Christus*, aut ibi, ne credite, surgent enim *falsi Christi*, & falsi prophetæ," xxiv: 5. 23. 24. Marc: xiii: 21. 22, ibi per falsos Christos, significantur Vera non Divina seu falsa, & per falsos prophetas qui docent illa, n: 2534: apud Eundem, "Ne vocemini Magistri, unus enim vester est Magister, *Christus*," xxiii: 10; Christus pro Vero Divino. Inde patet, quid Christianus, nempe qui in vero ex bono.

3011. Inde videri potest, quæ recondita Verbum in se habet, quæ nusquam in cognitionem alicujus venire possunt, nisi ex sensu interno.

CAPUT



CAPUT XXIV.

1. ET Abraham fenex venit in dies, & JEHOVAH benedixit Abrahamo in omnibus.

2. Et dixit Abraham ad fervum fuum feniorem domus fuæ, adminiftrantem omnia quæ ei, pone quæfo manum tuam fub femore meo.

3. Et adjurabo te in JEHOVAM DEUM cœli & DEUM terræ, quod non accipias mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ; cujus ego habito in medio.

4. Sed ad terram meam, & ad nativitatem meam eas, & accipies mulierem filio meo Jifchako.

5. Et dixit ad eum fervus, forte non vult mulier ire poft me ad terram hanc, an reducendo reducam filium tuum ad terram, unde exivifti.

6. Et dixit ad illum Abraham, cave tibi ne forte reducas filium meum illuc.

7. JEHOVAH DEUS cœli, qui accepit me a domo patris mei, & e terra nativitatis meæ, & qui loquutus eft mihi, & qui juravit mihi, dicendo, femini tuo dabo terram hanc, Ipfe mittet Angelum fuum coram te, & accipies mulierem filio meo inde.

8. Et fi non vult mulier ire poft te, & immunis es ab adjuratione mea hac, tantum filium meum non reducas illuc.

9. Et pofuit fervus manum fuam fub femore Abrahami domini fui, & adjuravit ei fuper verbo hoc.

10. Et fumfit fervus decem camelos e camelis Domini fui, & ivit, & omne bonum domini fui in manu fua, & furrexit, & ivit ad Aram Naharaim, ad urbem Nachoris.

11. Et in genua procumbere fecit camelos ab extra urbem, ad puteum aquarum, juxta tempus vefperæ, juxta tempus exire hauftrices.

12. Et dixit, JEHOVAH DEUS domini mei Abrahami, obvenire fac quæfo coram me hodie, & fac mifericordiam cum domino meo Abrahamo.

13. Ecce ego fto fuper ad fontem aquarum, & filiæ virorum urbis exeuntes ad hauriendum aquas.

14. Et fit, puella, ad quam dico, declina quæfo cadum tuum, & bibam, & dicat, bibe, & etiam camelos tuos potabo, illam deftinafti fervo

ſervo tuo Jiſchako, & in hoc cognoſcam, quod feciſti miſericordiam cum domino meo.

15. Et fuit, ille vix abſolvit loqui, & ecce Rebecca exit, quæ nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris, fratris Abrahami, & cadus ejus ſuper humero ejus.

16. Et puella bona aſpectu valde, virgo, & vir non cognoverat illam, & deſcendit ad fontem, & implevit cadum ſuum, & aſcendit.

17. Et cucurrit ſervus obviam illi, & dixit, ſorbere fac me quæſo parum aquæ e cado tuo.

18. Et dixit, bibe domine mi, & feſtinavit & demiſit cadum ſuum ſuper manum ſuam, & potare fecit illum.

19. Et abſolvit potare facere illum, & dicit, etiam camelis tuis hauriam, uſque dum abſolverint bibere.

20. Et feſtinabat, & evacuabat cadum ſuum ad canalem, & currebat adhuc ad puteum ad hauriendum, & hauriebat omnibus camelis illius.

21. Et vir obſtupeſcens illi, continens ſe ad ſciendum, an proſperaviſſet JEHOVAH viam ſuam, vel non.

22. Et fuit, quando abſolverunt cameli bibere, & accepit vir monile auri, dimidium ſicli pondus ejus, & duas armillas ſuper manus ejus, decem auri pondus earum.

23. Et dixit, filia cujus tu, indica quæſo mihi, an eſt domo patris tui locus nobis ad pernoctandum.

24. Et dixit ad illum, filia Bethuelis ego, filii Milckæ, quem genuit Nachori.

25. Et dixit ad illum, etiam ſtramen, etiam pabulum multum nobiſcum, etiam locus ad pernoctandum.

26. Et inflexit ſe vir, & incurvavit ſe JEHOVÆ.

27. Et dixit, Benedictus JEHOVAH DEUS domini mei Abrahami, qui non dereliquit miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam a cum domino meo, ego in via, duxit me JEHOVAH domum fratrum domini mei.

28. Et cucurrit puella, & indicabat domui matris ſuæ, juxta verba illa.

29. Et Rebeccæ frater, & nomen ejus Laban, & currebat Laban ad virum foras ad fontem.

30. Et fuit, ut videre monile & armillas ſuper manibus ſororis ſuæ, & ut audire eum verba Rebeccæ ſororis ſuæ, dicendo, ita loquutus ad me vir; & venit ad virum, & ecce ſtans apud camelos apud fontem.

31. Et

31. Et dixit, veni benedicte JEHOVÆ, quare ſtas foris, & ego verri domum, & locus camelis.

32. Et venit vir domum, & ſolvit camelos, & dedit ſtramen & pabulum camelis, & aquam ad lavandum pedes ejus, & pedes virorum qui cum illo.

33. Et ponebatur coram illo ad edendum, & dixit, non edo, uſque dum loquutus ſum verba mea, & dixit, loquere.

34. Et dixit, ſervus Abrahami ego.

35. Et JEHOVAH benedixit domino meo valde, & magnificavit, & dedit ei gregem & armentum, & argentum & aurum, & ſervos, & ancillas, & camelos, & aſinos.

36. Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo poſt ſenectutem ſuam, & dedit illi omnia quæ ei.

37. Et adjuravit me dominus meus, dicendo, non accipies mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, cujus ego habito in terra.

38. Non niſi ad domum patris mei ibis, & ad familiam meam, & accipies mulierem filio meo.

39. Et dixi ad dominum meum, forte non eat mulier poſt me.

40. Et dixit ad me, JEHOVAH, Quo ambulavi coram, mittet angelum ſuum cum te, & proſperabit viam tuam, & accipias mulierem filio meo, e familia mea, & a domo patris mei;

41. Tunc immunis eris ab obſecratione mea, quod veneris ad familiam meam; & ſi non dederint tibi, & eris immunis ab obſecratione mea.

42. Et veni hodie ad fontem, & dixi, JEHOVAH DEUS domini mei Abrahami, ſi ſit Tibi, quæſo, proſperans viam meam, quæ ego ambulans ſuper.

43. Ecce ego ſto apud fontem aquarum, & ſit, adoleſcentula exiens ad hauriendum, & dico ad illam, fac potare me quæſo parum aquæ e cado tuo.

44. Et dicat ad me, etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriam, illa mulier, quam deſtinavit JEHOVAH filio Domini mei.

45. Ego vix abſolvi loqui ad cor meum, & ecce Rebecca exit, & cadus ejus ſuper humero ejus, & deſcendit ad fontem, & haurit, & dixi ad illam, fac potare me quæſo.

46. Et feſtinabat, & demittebat cadum ſuum deſuper ſe, & dicebat, bibe, & etiam camelos tuos potabo; & bibi, & etiam camelos potavit.

47. Et interrogabam illam, & dicebam, filia cujus tu, & dixit, filia Bethuelis filii Nachoris, quem peperit illi Milckah: & poſui monile ſuper naſum illius, & armillas ſuper manus illius.

48. Et

48. Et inflexi & incurvavi me Jehovæ, & benedixi Jehovæ Deo domini mei Abrahami, qui duxit me in viam veritatis ad accipiendum filiam fratris domini mei filio ſuo.

49. Et nunc, ſi ſitis vos facientes miſericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi, & ſi non, indicate mihi, & ſpectabo ad dextram, vel ad ſiniſtram.

50. Et reſpondit Laban & Bethuel, & dixerunt, a Jehovah exivit verbum, non poſſumus loqui ad te malum vel bonum.

51. Ecce Rebecca coram te, accipe & vade, & ſit mulier filio domini tui, quemadmodum loquutus Jehovah.

52. Et fuit, ut audivit ſervus Abrahami verbi illorum, & incurvavit ſe ad terram Jehovæ.

53. Et eduxit ſervus vaſa argenti & vaſa auri, & veſtes, & dedit Rebeccæ, & pretioſa dedit fratri ejus, & matri ejus.

54. Et ederunt & biberunt illi & viri qui cum illo, & pernoctarunt, & ſurrexerunt in mane, & dixit, mitte me domino meo.

55. Et dixit frater ejus, & mater ejus, maneat puella cum nobis dies aut decem, poſt ibis.

56. Et dixit ad illos, ne moremini me, & Jehovah proſperavit viam meam, mitte me, & eam, domino meo.

57. Et dixerunt, vocemus puellam, & interrogemus os illius.

58. Et vocarunt Rebeccam, & dixerunt ad illam, an eas cum viro hoc, & dixit, ibo.

59. Et miſerunt Rebeccam ſororem ſuam, & nutricem ejus, & ſervum Abrahami, & viros ejus.

60. Et benedixerunt Rebeccæ, & dixerunt illi, ſoror noſtra tu ſis in millia myriadis, & hæreditet ſemen tuum portam oſorum tuorum.

61. Et ſurrexit Rebecca, & puellæ ejus, & equitabant ſuper camelis, & ibant poſt virum; & accepit ſervus Rebeccam, & ivit.

62. Et Jiſchack venit a veniendo Beer-lachai-roi, & ille habitans in terra meridiei.

63. Et exivit Jiſchak ad meditandum in agro verſus veſperam, & ſuſtulit oculos ſuos, & vidit, & ecce cameli venientes.

64. Et ſuſtulit Rebecca oculos ſuos, & vidit Jiſchakum, & cecidit deſuper camelo.

65. Et dixit ad ſervum, quis vir ille ibi ambulans in agro obviam nobis, & dixit ſervus, ille dominus meus; & accepit peplum, & obtexit ſe.

66. Et narrabat ſervus Jiſchako omnia verba quæ fecit.

67. Et introduxit illam Jifchak in tentorium Saræ matris fuæ, & accepit Rebeccam, & erat ei in mulierem, & amavit illam; & confolatus eft Jifchakus poft matrem fuam.

CONTENTA.

3012. DEfcribitur in fenfu interno omnis proceffus conjunctionis Veri cum Bono in Divino Rationali Domini: in hoc Capite, proceffus initiationis quæ præcedit conjunctionem: Jifchakus eft Bonum Rationalis; Rebecca hic eft Verum initiandum Bono; Laban eft affectio boni in naturali homine.

3013. Proceffus initiationis in fenfu interno ita defcriptus eft: cum ftatus effet, & omnia in ordinem Divinum cœleftem redacta a Domino, ut Divino Bono Rationalis Ipfius conjungeretur Divinum Verum, & hoc per viam communem ex Naturali homine, nempe ex fcientificis, cognitionibus & doctrinalibus, quæ ibi, quod tunc per influxum Divinum Domini inde vera evocata, initiata Bono in Rationali, & facta Divina; ita, quod Rationale a Domino factum Divinum ficut quoad Bonum, etiam quoad Verum.

3014. Ex hoc Capite, & ex fequentibus, conftare poteft, quæ arcana in fenfu interno Verbi continentur.

SENSUS INTERNUS.

3015. VERS: 1. *Et Abraham fenex venit in dies, & Jehovah benedixit Abrahamo in omnibus.* Abraham fenex venit in dies, fignificat cum adeffet ftatus quod Humanum Domini fieret Divinum: & Jehovah benedixit Abrahamo in omnibus fignificat cum a Domino omnia in Divinum ordinem difpofita effent.

3016. Abraham fenex cum venit in dies, quod fignificet cum adeffet ftatus quod Humanum Domini fieret Divinum, conftat a repræfentatione Abrahami, quod fit Dominus, de qua n: 1893. 1965. 1989. 2011. 2172. 2198. 2501. 2833. 2836, & alibi multoties; a fignificatione fenis feu fenectutis, quod fit exuere quod humanum eft, ac induere quod cœlefte, de qua n: 1854. 2198, & cum prædicatur de Domino, quod fit induere Divinum; & a fignificatione diei, quod fit ftatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; inde venire in dies, quod fit cum adeffet ftatus. Quod fenex, & venire in dies, illa fignificent, caufa eft, quia apud Angelos nulla idea fenectutis.

tutis eſt, nec progredientis ætatis quæ eſt venire in dies, ſed idea ſtatus quoad vitam in qua ſunt, quare cum progreſſus ætatis & ſenectus nominatur in Verbo, Angeli qui apud hominem, non poſſunt aliam ideam habere quam ſtatus vitæ in qua ſunt, & in qua homines cum percurrunt ætates uſque ad ultimam, quod nempe ſucceſſive ſic exuant humanum, ac induant cœleſte, nam vita humana non aliud eſt ab infantia ad ſenium, quam progreſſio a mundo ad cœlum, ac ultima quæ eſt mors, eſt ipſe tranſitus, ſepultura ideo eſt reſurrectio quia plenaria exuitio, n: 2916. 2917; quia Angeli in tali idea ſunt, non aliud per venire in dies & per ſenectutem in ſenſu interno, qui principaliter pro Angelis eſt, & pro hominibus qui angelicæ Mentes ſunt, ſignificari poteſt.

3017. Et Jehovah benedixit Abrahamo in omnibus, quod ſignificet cum a Domino in Divinum ordinem omnia diſpoſita eſſent, ſeu quod idem, cum Dominus omnia in Divinum ordinem diſpoſuit, conſtat inde, quod Jehovah ſit Dominus quoad ipſum Divinum, n: 1343. 1736. 1815. 2004. 2005. 2018. 2025. 2921, & quod tunc Abrahamus repræſentet Dominum quoad Divinum Humanum, n: 2833. 2836, quare cum dicitur, quod Jehovah benedixit Abrahamo in omnibus, intelligitur in ſenſu interno, quod Dominus ex ipſo Divino in Humano ſuo omnia in Divinum ordinem diſpoſuerit, nam benedicere cum dicitur de Humano Domini, ſignificat illa; benedici enim cum prædicatur de homine, eſt locupletari bono ſpirituali & cœleſti, n: 981. 1096. 1420. 1422, & tunc locupletatur illo, cum illa quæ apud eum a Domino in ordinem ſpiritualem & cœleſtem, ita in Divini Ordinis imaginem & ſimilitudinem diſponuntur, n: 2475; regeneratio hominis nec aliud eſt. Quid autem ſit, quod omnia a Domino in Divinum ordinem in Humano ſuo diſpoſita ſint, patet ab illis quæ in hoc Capite ſequuntur, nempe quod Divinum Ipſius Rationale, repræſentatum per Jiſchakum, conceptum a Divino Bono repræſentato per Abrahamum, & natum ex Divino Vero repræſentato per Saram, nunc in Divinum illum ordinem diſpoſitum ſit, ut Ipſi conjungi poſſent Divina Vera ex ipſo Humano: hæc ſunt Arcana, quæ in hoc Capite in ſenſu interno continentur, de quibus Angeli claram lucem habent a Domino, nam in luce cœli hæc patent ſicut in clara die; at in luce mundi, in qua homo, vix quicquam, niſi obſcure aliquid apud regeneratum, is enim etiam eſt in aliqua luce cœli.

3018. Verſ: 2. *Et dixit Abraham ad ſervum ſuum ſeniorem domus ſuæ, adminiſtrantem omnia quæ ei; pone quæſo manum tuam ſub femore meo.* Dixit Abraham ad ſervum ſuum ſeniorem domus ſuæ, ſignificat ordinationem & influxum Domini in Ipſius Naturale, quod eſt ſervus ſenior domus: adminiſtrantem omnia quæ ei, ſignificat Naturalis hominis officia: pone quæſo manum tuam ſub femore meo, ſignificat obſtrictionem ejus quoad potentiam ad bonum amoris conjugialis.

3019. Dixit Abraham ad ſervum ſuum ſeniorem domus ſuæ, quod ſignificet ordinationem & influxum Domini in Ipſius Naturale, quod eſt ſervus ſenior domus, conſtat a ſignificatione dicere hic, quod ſit mandare quia ad

ſervum, & quia agitur de diſpoſitione illorum quæ in Naturali homine a Divino, eſt ordinare & influere, omne enim quod agitur in Naturali ſeu Externo homine, ordinatur a Rationali ſeu Interno, & fit per influxum: quod ſervus ſenior domus, ſit Naturale ſeu Naturalis homo, conſtare poteſt a ſignificatione ſervi, quod ſit illud quod inferius eſt, & ſervit ſuperiori, ſeu quod idem, quod exterius eſt & ſervit interiori, videatur n: 2541. 2567; omnia quæ ſunt Naturalis hominis, ut ſcientifica cujuſcunque generis, non aliud ſunt quam ſervitia, inſerviunt enim Rationali, ut æque cogitare, & juſte velle poſſit; quod Senior domus ſit Naturalis homo, conſtare poteſt ab illis, quæ ſequuntur.

3020. Adminiſtrantem omnia quæ ei, quod ſignificet Naturalis hominis officia, conſtat ex ſignificatione adminiſtrare, & quidem adminiſtrare omnia, quod ſit obire officia ſeu munia: quod Naturalis homo reſpective ad Rationalem, ſeu quod idem, Externus homo reſpective ad Internum, ſe habeat ſimiliter ac adminiſtrator in domo, videatur n: 1795; omnia quæ in homine ſunt, ſe habet ſicut una domus, hoc eſt, ſicut una familia, quod ſit qui Patrisfamilias munus obit, & ſint qui ſervorum, ipſa Mens Rationalis eſt qui diſponit omnia ſicut Paterfamilias, & per influxum in mentem naturalem ordinat, Mens autem naturalis eſt quæ miniſtrat & adminiſtrat; quia Mens naturalis eſt diſtincta a Mente Rationali, & in gradu infra hanc, & ex quodam proprio etiam agit, vocatur illa reſpective Servus ſenior domus, & adminiſtrans omnia quæ ei ibi; quod mens naturalis ſit diſtincta mens a Rationali, & in gradu inferiori, ac in quodam proprio, conſtare poteſt ex illis quæ ibi, & ejus officiis; illa quæ ibi, ſunt omnia Scientifica, ita quoque omnes cognitiones cujuſcunque generis, verbo omnia & ſingula quæ ſunt Memoriæ exterioris ſeu corporeæ, de qua n: 2471. 2480; illius etiam eſt omne imaginativum, quod eſt interius ſenſuale apud hominem, ac viget imprimis apud pueros & in ætate prima adoleſcentiæ; illius etiam ſunt omnes affectiones naturales, quas homo cum brutis animalibus communes habet; inde patet, quæ ejus officia ſunt: Mens autem Rationalis eſt interior; cognitiva quæ ibi non patent coram homine, ſed ſunt, cum in corpore vivit, imperceptibilia, nempe omnia & ſingula quæ ſunt Memoriæ interioris, de qua n: 2470. 2471. 2472. 2473. 2474. 2489. 2490; omne etiam cogitativum quod perceptivum æqui & juſti, tum veri & boni, eſt ejus; etiam omnes affectiones ſpirituales, quæ proprie humanæ ſunt, & per quas homo a brutis animalibus diſtinguitur; mens hæc ab illis influit in mentem naturalem, & ea quæ ibi excitat, & viſu quodam intuetur, & ſic judicat & concludit. Quod hæ binæ Mentes diſtinctæ ſint, patet manifeſte ex eo, quod apud plures Mens naturalis dominetur ſuper Mentem Rationalem, ſeu quod idem, Externus homo ſuper Internum; & quod ſolum apud illos non dominetur, ſed ſervit, qui in bono charitatis ſunt, hoc eſt, qui a Domino ſe duci patiuntur.

3021. Pone quæſo manum tuam ſub femore meo, quod ſignificet obſtrictionem ejus quoad potentiam ad bonum amoris conjugialis, conſtat a ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878; & a ſignificatione femoris,

femoris, quod ſit bonum amoris conjugialis, de qua ſequitur: quod ſit obſtrictio ad illam potentiam, conſtat ex eo, quod qui obſtringerentur ad aliquod quod eſſet amoris conjugialis, ab antiquo ritu poſuerint manum ſub femore illius cui obſtringebantur, & ſic adjurati ſint ab illo, & hoc ex cauſa, quia femur ſignificabat amorem conjugialem, & manus potentiam ſeu quantum poſſet; omnes enim partes corporis humani correſpondent ſpiritualibus & cœleſtibus in Maximo Homine, qui eſt Cœlum ut n: 2996. 2998, oſtenſum, & amplius in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur; ipſa femora cum Lumbis correſpondent Amori Conjugiali; hæc Antiquiſſimis fuerunt nota, quare ritus plures illis inde fuerunt, inter quos etiam, quod ponerent manus ſub femore, cum ad quoddam bonum, amoris conjugialis obſtringerentur; cognitio talium, quæ Antiquis fuit æſtimatiſſima, & inter præcipua ſcientiæ & intelligentiæ illorum, hodie prorſus deperdita eſt, uſque adeo, ut ne quidem ſciatur quod ſit aliqua Correſpondentia, & forte inde miraturi, quod talia per illum ritum ſignificentur: hic quia agitur de diſpenſatione Jiſchaki filii cum aliqua ex familia Abrahami, & ſervo ſeniori dictum, ut officia illo fungeretur, ideo hic ritus. Quod femur ſignificet Amorem conjugialem, ex Correſpondentia, ut dictum, etiam ab aliis locis in Verbo conſtare poteſt, ut ex proceſſu mandato, cum Mulier accuſaretur adulterii a viro ſuo, apud Moſen, "Adjurabit ſacerdos mulierem juramento maledictionis, & dicet ſacerdos mulieri, dabit Jehovah temet in maledictionem & in adjurationem in medio populi tui, in dando Jehovah *Femur tuum* cadens, & ventrem tuum tumentem. Cum bibendas dederit ei aquas, & fiet, ſi polluta & prævaricata prævaricationem in virum ſuum, & venient in illa aquæ maledictæ in amaritudines, & tumeſcet venter ejus, & *cadet Femur ejus*, & erit mulier in obſecrationem in medio populi ſui," Num: v: 21. 27; quod femur caderet, ſignificabat malum, amoris conjugialis ſeu adulterium, cætera quæ in eodem proceſſu, quoad ſingula, ſpecialia rei ſignificabant, ſic ut ne minimum ſit, quod non involvit aliquod, utcunque homo, qui abſque ſancti idea legit Verbum, miraturus cur talia: ex ſignificatione femoris, quod ſit bonum amoris conjugialis, aliquoties dicitur quod egreſſi femur ejus, ut de Jacobo, "Fructificare & multiplicare, gens & cætus gentium erit ex te, & reges *ex feminibus tuis exibunt*," Gen: xxxv: 11; & alibi, "Omnis Anima veniens Jacobo ad Ægyptum, *egreſſi femur ejus*," Geneſ: xlvi: 26. Exod: i: 5; & de Gideone, "Gideoni erant ſeptuaginta filii, *egreſſi femur ejus*," Jud: viii: 30. Et quia femora, femina, lumbi, ſignificant illa quæ ſunt amoris conjugialis, etiam ſignificant illa quæ ſunt amoris & charitatis, ex cauſa quia amor conjugialis eſt fundamentalis omnis amoris, videatur n: 686. 2733. 2737. 2738. 2739, ex eadem enim origine ſunt, nempe ex Conjugio cœleſti, quod eſt boni & veri, de quibus videantur n: 2727 ad 2759; quod femur ſignificet bonum amoris cœleſtis, & bonum amoris ſpiritualis, conſtare poteſt ab his locis, apud Johannem, "Sedens ſuper equo albo, habebat ſuper veſtimento ſuo, & *ſuper femore ſuo*, nomen ſcriptum,

Rex

Rex regum, & Dominus dominorum," xix : 16; sedens super equo albo, quod sit Verbum, ita Dominus Qui Verbum, videatur n : 2760. 2761. 2762; quod Vestimentum sit Divinum Verum, n : 2576, ideo dicitur Rex regum, n : 3009, inde patet quid femur, quod nempe Divinum Bonum quod est amoris Ipsius, ex quo etiam vocatur Dominus dominorum, n : 3004 ad 3011, hoc quia est quale Domini, dicitur quod haberet super illis nomen scriptum, nomen enim significat quale, n : 1896. 2009. 2724. 3006: apud Davidem, "Accinge gladium tuum *super femur*, potens gloria tua & honore," Psalm : XLV : 4, ubi de Domino, gladius pro vero pugnante, n : 2799, femur pro bono amoris; accingere gladium super femur, est quod Verum ex quo pugnaret, esset ex bono amoris: apud Esaiam, "Erit justitia *cingulum lumborum Ipsius*, & veritas *cingulum feminum Ipsius*," XI : 5, ubi etiam de Domino; justitia quia prædicatur de bono amoris, n : 2235, vocatur cingulum lumborum; veritas quia ex bono, dicitur cingulum feminum; ita lumbi prædicantur de amore boni, & femina de amore veri: apud Eundem, "Non fessus, & non impingens in Ipso, non dormitabit, & non indormiet, & non solutum est *cingulum feminum Ipsius*, & non avulsa corrigia calceorum Ipsius," V : 27; de Domino, cingulum feminum pro amore veri, ut supra: apud Jeremiam, "Jehovah ad illum, quod emeret *cingulum lini*, & poneret super *lumbos*, sed per aquam non duceret; & abiret ad Euphratem, & absconderet illud in foramine petræ; quo facto, cum abiit, & recepit illud e loco, corruptum erat," XIII : 1 ad 7; cingulum lini pro vero, repræsentativum, quod verum esset ex bono, erat, quod poneret illud super lumbos; quisque videre potest, quod hæc repræsentativa sint, quæ non sciri possunt quid significant, nisi ex correspondentiis, de quibus, ex Divina Domini Misericordia, ad finem quorundam Capitum; similiter quid significant illa, quæ visa Ezechieli, Danieli, & Nebuchadnezari; Ezechieli, "Supra expansum, quod supra caput Cheruborum, quasi aspectus lapidis Sapphiri, similitudo throni; & super similitudine throni similitudo sicut aspectus Hominis super illo superius; & vidi sicut speciem prunæ, sicut aspectum ignis intra illum circumcirca; *ab aspectu Lumborum Ipsius & sursum, & ab aspectu Lumborum Ipsius & deorsum*, vidi quasi aspectum ignis, & splendorem illi circumcirca sicut aspectum iridis, quæ est in nube in die pluviæ, ita aspectus splendoris circumcirca, ita aspectus similitudinis gloriæ Jehovæ," I : 26. 27. 28; quod hoc repræsentativum fuerit Domini, ac Regni Ipsius, constare potest, & quod aspectus lumborum sursum & aspectus lumborum deorsum, sit Ipsius amoris, patet a significatione ignis, quod sit amor, n : 934, & a splendoris & iridis, quod sit inde sapientia & intelligentia n : 1042. 1043. 1053: Danieli, "Vir visus illi indutus linteis, & *Lumbi ejus cincti auro Uphasi*, & corpus ejus sicut Tharschisch, & facies ejus sicut aspectus fulguris, & oculi ejus sicut lampades ignis, & brachia ejus & pedes ejus sicut splendor æris lævigati," X : 6, quid singula hæc, nemini constare potest, nisi ex repræsentationibus & illarum correspondentiis, ut quid lumbi, quid corpus, quid facies, oculi, brachia,

brachia, pedes; ex illis patet, quod Domini Regnum cœleste ita repræsentatum sit, in quo Divinus amor sunt lumbi, aurum uphasi quo cincti est bonum sapientiæ quod ex amore, n: 113. 1551. 1552. Nebuchadnezari, apud Danielem, "Statuæ caput erat aurum bonum; Pectus est Brachia ejus argentum; Venter & *Femora* ejus æs; Pedes ex parte ferrum, ex parte argilla," II: 32. 33; per statuam illam Status Ecclesiæ successivi repræsentati sunt, per Caput quod aurum primus status, qui fuit cœlestis quia amoris in Dominum; per pectus & brachia quæ argentum, secundus status, qui fuit spiritualis quia charitatis erga proximum; per ventrem & femora quæ æs, tertius status, qui fuit boni naturalis, quod est æs n: 425. 1551, bonum naturale est amoris seu charitatis erga proximum in gradu infra bonum spirituale; per pedes qui ferrum & argilla, quartus status qui fuit veri naturalis, quod est ferrum, n: 425. 426, & quoque nullius cohærentiæ cum bono, quod est argilla: ex his constare potest, quid per femora & lumbos significatur, quod nempe amor conjugialis principaliter, & inde omnis amor genuinus, ut ex adductis locis patet, & quoque ex Genes: XXXII: 26. 32. 33. Esai: XX: 2. 3. 4. Nahum: II: 2. Psalm: LXIX: 24. Exod: XII: 11. Luc: XII: 35. 36: etiam in opposito sensu amoris illis contrarii, nempe sui & mundi, 1 Reg: II: 5. 6. Esai: XXXII: 10. 11. Jerem: XXX: 6. Cap: XLVIII: 37: Ezech: XXIX: 7. Amos: VIII: 10.

3022. Vers: 3. 4. *Et adjurabo te in Jehovam Deum cœli & Deum terræ, quod non accipias mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, cujus ego habito in medio: Sed ad terram meam, & ad nativitatem meam eas, & accipies mulierem filio meo Jischako.* Et adjurabo te in Jehovam Deum cœli & Deum terræ, significat obstrictionem sanctissimam ad Divinum quod in supremis & in illis quæ inde: quod non accipias mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, significat quod Rationale Divinum non conjungeretur alicui affectioni quæ cum vero discordat: cujus ego habito in medio, significat discordantia in humano materno quæ cingunt: sed ad terram meam & ad nativitatem meam eas, significat ad cœlestia & spiritualia Divina, quæ Dominus Sibi Ipsi acquisivit: & accipies mulierem filio meo Jischako, significat quod inde veri affectio quæ conjungeretur affectioni boni Rationalis.

3023. Adjurabo te in Jehovam Deum cœli & Deum terræ, quod significet obstrictionem sanctissimam ad Divinum quod in supremis, & in illis quæ inde, constat a significatione adjurare, quod sit per juramentum obstringere, adjuratio enim non aliud est quam obstrictio, & hæc sanctissima cum in Jehovam Deum cœli & Deum terræ, hoc est, ad Divinum quod supra & quod infra, seu quod idem, ad Divinum quod in supremis & in illis quæ inde: Jehovah Deus cœli quia dicitur de Domino, est Ipse Jehovah qui Pater vocatur, ex quo conceptus, ita qui Divina Ipsius Essentia, ipsa enim conceptio dedit ipsissimam Essentiam ex qua fuit; Jehovah Deus terræ, est tunc Jehovah qui Filius dicitur, ita Humana Ipsius Essentia, exstitit hæc ab illa cum Dominus eam quoque Divinam fecit; ita significatur per Jehovam Deum cœli Divinum quod in supremis, & per Jehovam Deum terræ Divinum

num

num quod in illis quæ inde. Dominus autem Jehovah Deus cœli dicitur ex Divino Ipsius quod in cœlis, & Deus terræ ex Divino quod in terris; Divinum in cœlis etiam est quod apud hominem in internis ejus, Divinum autem in terra est quod in ejus externis; interna enim hominis sunt ejus cœlum, quia per illa conjunctus est angelis, externa autem ejus sunt terra, nam per illa conjunctus est hominibus, n: 82. 913. 1411. 1733; cum homo regeneratus est, tunc illa influunt in hæc, & hæc sunt ab illis: inde etiam sciri potest, quid Ecclesiæ Interna, & quid ejus Externa.

3024. Quod non accipias mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, significet quod Rationale Divinum non conjungeretur alicui affectioni quæ cum vero discordat, constat a significatione accipere mulierem, quod sit conjungi per fœdus conjugii; ex significatione filii mei, nempe Jischaki, quod sit Rationale Divinum Domini; de qua n: 1893. 2066. 2083. 2630; a significatione filiarum, quod sint affectiones, de qua n: 489. 490. 491. 568. 2362; & a significatione Canaanitæ, quod sit malum, de qua n: 1444. 1573. 1574; inde est quod filiæ Canaanitæ sint affectiones, quæ a vero discordant. Agitur hic de Vero Divino, quod adjungendum Bono Divino Rationalis Domini, ut videri potest a contentis n: 3013; per mulierem quæ fœdere conjugii associanda, intelligitur ipsum illud Verum, quod per viam communem ex Naturali homine evocandum; per filium meum intelligitur Rationale Domini quoad bonum, cui adjungendum seu associandum; inde scire potest, quod per non acciperet mulierem filio e filiabus Canaanitæ, significetur, quod non conjungeretur alicui affectioni quæ a vero discordat; omnis conjunctio veri cum bono fit per affectionem, nusquam enim aliquod verum intrat in Rationale hominis, & ibi conjungitur, nisi per affectionem, nam in affectione est bonum amoris, quod unice conjungit, n: 1895, quod etiam notum potest esse ei qui reflectit. Quod filiæ Canaanitæ significent affectiones quæ a vero discordant, hoc est, affectiones falsi, constare potest a significatione filiarum; Filiæ enim in Verbo multis locis nominantur, & quisque ibi videre potest quod non filiæ intelligantur, sicut Filia Zionis, Filia Hierosolymæ, Filia Tharschisch, Filia populi mei, quæ quod sint affectiones boni & veri, in locis supra adductis ostensum est; & quia sunt affectiones boni & veri, etiam sunt Ecclesiæ, nam Ecclesiæ sunt Ecclesiæ ex affectionibus illis; inde est, quod per Filiam Zionis significetur Ecclesia cœlestis, & hoc ex affectione boni, per Filiam autem Hierosolyma Ecclesia spiritualis, ex affectione veri, n: 2362; etiam per filiam populi mei, Esai: XXII: 4. Jer: VI: 14. 26. Cap: VIII: 19. 21. 22. 23, Cap: XIV: 17. Thren: ii: 11. Cap: IV: 6. Ezech: XIII: 17. Inde patet, quid per Filias Gentium; ut per filias Philistæorum, filias Ægypti, filias Tyri & Sidonis, filias Edomi, filias Moabi, filias Chaldæorum & Babelis, filias Sodomæ, significatur, quod nempe affectiones mali & falsi, ex quibus Religiosa illorum, ita ipsa Religiosa; quod hæc sit significatio filiarum, constare potest ab his locis; apud Ezechielem, "*Filiæ Gentium* lamentabuntur Ægyptum, plange super multitudine Ægypti, & descendere fac illam, illam & *Filias Gentium magnificarum* ad terram inferiorum

3 cum

cum descendentibus foveam," XXXII: 16. 18, filiæ gentium magnificarum pro affectionibus mali: apud Samuelem, "Ne indicate in Gath, ne evangelizate in plateis Askalonis, forte gaudent *Filiæ Philistæorum*, forte exultant *filiæ præputiatorum*," 2 Sam: I: 20: apud Ezechielem, "Scortata es cum filiis Ægypti, dedi te in animam odentium te, *Filiarum Philistæorum*, antequam revelaretur malum tuum, sicut tempus ignominiæ *Filiarum Syriæ*, & omnium circuituum ejus, *Filiarum Philistæorum* contemnentium te e circuitu," XVI: 26. 27. 57; quod non filiæ hic intellectæ sint, quisque videre potest, sed quod religiosa talium qui significantur per Philistæos, quæ talia quod multum loquantur de fide, & nullam fidei vitam agunt, videatur n: 1197. 1198, inde etiam dicti sunt præputiati, hoc est, absque charitate. Apud Jeremiam, "Ascende Gilead, & sume balsamum *Virgo Filia Ægypti.* Vasa migrationis fac tibi habitatrix *Filia Ægypti.* Pudefacta est *Filia Ægypti*, data in manum populi septentrionis," XLVI: 11. 19. 24; filia Ægypti pro affectione ratiocinandi de veris fidei num ita sit, ex scientificis, ita pro religioso quod inde exsurgit, quod tale est, quod nihil credatur nisi quod sensibus capitur, ita nihil veri fidei, videatur n: 215. 232. 233. 1164. 1165. 1186. 1385. 2196. 2203. 2209. 2568. 2588. Apud Esaiam, "Dixit, non addes amplius exultare oppressa *Filia Sidonis:* apud Davidem, "*Filia Tyri* in munere, facies tuas deprecabuntur divites populi," Psalm: XLV: 13; quid filia Sidonis & filia Tyri, patet a significatione Sidonis & Tyri, de qua n: 1201. Apud Jeremiam, "Gaude & lætare *Filia Edomi*; consummata est iniquitas tua *Filia Sionis*, non addet migrare facere te, visitabitur iniquitas tua *Filia Edomi*," Thren: IV: 22. Apud Esaiam, "Sicut avis vagabunda, nidus emissus, erunt *Filiæ Moabi*," XVI: 2: apud Eundem, "Descende & sede super pulvere *Virgo Filia Babelis*, sede ad terram, non thronus, *Filia Chaldæorum.* Sede silens, & intra in tenebras *Filia Chaldeorum*, quia non addes, vocent te dominam regnorum," XLVII: 1. 5: apud Jeremiam, "Populus veniens e septentrione, ordinatus sicut vir ad bellum, super te *Filia Babelis*," L: 41. 42: apud Eundem, "*Filia Babelis* sicut area, tempus ad triturandum eam," LI: 33: apud Sachariam, "Heu Zion eripe te, habitans cum *Filia Babelis*," ii: 11: apud Davidem, "*Filia Babelis* vastata est," Psalm: CXXXVII: 8: apud Ezechielem, "Sorores tuæ, Sodoma & *Filiæ ejus* redibunt ad antiquum suum; & Samaria & *Filiæ ejus* redibunt ad antiquum suum," XVI: 55; quod in his locis per filias non filiæ intellectæ sint, quisque videre potest, sed quod affectiones quæ a vero discordant, ita religiosa quæ sunt inde; quænam autem religiosa sunt, patet a significatione illorum populorum, ut ab Edomi, Moabi, Chaldæorum, Babelis, Sodomæ, Samariæ, de quibus passim in explicationibus ad Capita priora Geneseos: inde nunc constat, quid per filias Canaanitæ hic loci significatur. Quod non contraherent matrimonia cum filiabus Canaanitarum, spectabat quoque illa spiritualia, quod bonum & falsum, ac malum & verum, non conjungerentur, inde enim prophanatio; prohibitio etiam erat repræsentativum illius rei, de

qua Deut: VII: 3, & apud Sachariam, "Prophanavit Jehudah ſanctitatem Jehovæ, quod amavit & maritavit *Filiam dei alieni*," ii: 11.

3025. Cujus ego habito in medio, quod ſignificet diſcordantia in humano materno quæ cingunt, conſtat ex ſignificatione habitare in medio, nempe Canaanitæ, quod ſint illa quæ circumcirca ſunt, ſeu quæ cingunt; quæ quod ſint diſcordantia a vero, conſtat ab illis quæ mox ſupra dicta ſunt de ſignificatione filiarum Canaanitæ: quod hæc ſint illa, quæ Dominus ex materno per hæreditarium accepit, & quæ poſtea, cum Humanum ſuum Divinum fecit, expulit, conſtare poteſt ex illis, quæ prius de eadem re, n: 1414. 1444. 1573. 2159. 2574. 2649, dicta & oſtenſa ſunt.

3026. Sed ad terram meam & ad nativitatem meam eas, quod ſignificet ad cœleſtia & ſpiritualia Divina, quæ Dominus Sibi Ipſi acquiſivit, conſtat a ſignificatione terræ, quod ſit cœleſte amoris, de qua n: 1413. 1607; & ex ſignificatione nativitatis, quod ſit ſpirituale amoris, de qua n: 1145. 1255; hic cœleſtia & ſpiritualia Divina, quia de Domino agitur, quæ quod propria potentia ſibi acquiſiverit, videatur n: 1815. 1921. 2025. 2026. 2083. 2500.

3027. Quod accipies mulierem filio meo Jiſchako, ſignificet quod inde veri affectio quæ conjungeretur affectioni boni Rationalis, conſtat ab illis quæ ſupra, n: 3024, dicta ſunt.

3028. Verſ: 5. 6. *Et dixit ad eum ſervus, forte non vult mulier ire poſt me ad terram hanc, an reducendo reducam filium tuum ad terram, unde exiviſti. Et dixit ad illum Abraham, cave tibi ne forte reducas filium meum illuc.* Dixit ad eum ſervus, ſignificat perceptionem Domini de Naturali homine: forte non vult mulier ire poſt me ad terram hanc, ſignificat Naturalis hominis dubitationem de affectione illa, num ſeparabilis eſſet: an reducendo reducam filium tuum ad terram unde exiviſti, ſignificat num uſque conjungi poſſet Bono Divino Rationalis: dixit ad illum Abraham, ſignificat perceptionem Domini ex Divino: cave ne reducas filium meum illuc, ſignificat quod nuſquam conjungi poſſet.

3029. Dixit ad eum ſervus, quod ſignificet perceptionem Domini de Naturali homine, conſtat a ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2506. 2515. 2552; & a ſignificatione ſervi hic, quod ſit Naturalis homo, de qua ſupra, n: 3019. 3020: quicquid agitur in Naturali homine, & qualis eſt naturalis homo, hoc percipitur in Rationali, quod enim in homine inferius eſt, hoc percipitur a ſuperiori, videatur n: 2654; inde eſt, quod dixit ad eum ſervus, ſignificet perceptionem Domini de Naturali homine.

3030. Forte non vult mulier ire poſt me ad terram hanc, quod ſignificet Naturalis hominis dubitationem de affectione illa num ſeparabilis eſſet, conſtat a ſignificatione mulieris, quod ſit verum, hic e naturali, quod conjungendum Bono Divino Rationalis; & quia omnis conjunctio ſit per affectionem, ut ſupra n: 3024, dictum, ita per mulierem ſignificatur affectio iſtius veri; & a ſig-

a significatione ire post me seu sequi ad terram hanc, quod sit separari a Naturali, & conjungi Rationali, terra enim hic ut supra n: 3026, est bonum amoris, quod Rationalis; quod dubitatio sit videtur ab eo quod dicatur, forte non vult. Ex illis quæ supra dicta sunt patet, quid hæc & sequentia ad Vers: 8, & porro, involvunt; quæ ut melius intelligantur, paucis adhuc dicendum: Rationale genuinum *est* ex bono, & *existit* ex vero; bonum influit per viam internam, verum autem per viam externam; bonum cum vero se sic in Rationali conjungit, & faciunt ut sit Rationale; nisi bonum ibi conjunctum sit cum vero, non est Rationale, tametsi appareat ex eo, quod ratiocinari possit homo, quod sit, n: 1944; hæc est via communis, per quam Rationale apud hominem formatur: Dominus quia natus sicut alius homo, & voluit instrui sicut alius homo, ita quoque similiter voluit facere Rationale suum Divinum, nempe quoad Bonum per influxum ex Suo Divino per viam internam, & quoad Verum per influxum per viam externam; cum itaque Rationale quoad Bonum formatum est, usque adeo, ut in statu esset recipiendi verum, quod intellectum per verba in principio hujus Capitis, "Abraham senex venit in dies, & Jehovah benedixit Abrahamo in omnibus," quibus quod significatum, cum adesset status, quod Humanum Domini fieret Divinum, & in Divinum ordinem omnia disposita essent, videatur n: 3016. 3017, nunc sequitur, quod Bono Rationalis Verum conjungendum sit, & hoc, ut dictum, per viam communem, hoc est, per scientifica & cognitiones e naturali homine: ipsum Bonum Rationalis, quod formatur per viam internam, est ipsa humus, Verum autem est semen quod humo isti inseminandum; Rationale genuinum nusquam alio modo nascitur: ut similiter existeret apud Dominum, ac Divinum fieret propria potentia, Dominus venit in mundum, & nasci voluit sicut alius homo; alioquin potuisset absque nativitate assumere Humanum, sicut multoties antiquis temporibus cum apparuit hominibus: hæc sunt, quæ continentur in hoc Capite, nempe quomodo Verum ex Naturali homine evocatum conjungeretur Bono Rationalis, & sicut Bonum ibi fuit Divinum, etiam Verum ibi fieret Divinum; hæc coram homine, imprimis illo, qui non scit, quod Rationale sit aliquod distinctum a Naturali, & qui ideo non scit quod Rationale successive formetur, & hoc per cognitiones, obscurissima sunt, ita ut non intellecta; sed usque talia sunt, quæ inter leviora sunt illis, qui aliquam cognitionem de Rationali & Naturali homine habent, & in illustratione sunt, Angeli omnia hæc vident sicut in clara die. Ut idea horum comparetur, videantur quæ prius de illis dicta & ostensa sunt, nempe, quod Rationale quoad verum per influxum in scientias & cognitiones formetur, n: 1495. 1563. 1900. 1964: quod non nascatur a scientiis & cognitionibus, sed ab affectione illarum, n: 1895. 1900: quod scientiæ & cognitiones sint modo vasa boni, n: 1469. 1496: quod inania scientifica destruenda, n: 1489. 1492. 1499. 1500: quod in Rationali affectio boni sit sicut anima in affectione veri, n: 2072: quid affectio veri rationalis, & veri scientifici, n: 2503: quod per cognitiones conjungatur Externus homo In-

 terno,

terno, seu Rationalis Naturali, cum cognitiones implantantur cœlestibus quæ sunt amoris & charitatis, n: 1450. 1451. 1453. 1616.

3031. An reducendo reducam filium tuum ad terram unde exivisti, quod significet num usque conjungi posset Bono Divino Rationalis, constare potest ab illis quæ prius de Abramo, & de terra unde exivit, dicta sunt, videatur n: 1353. 1356, 1992. 2559, ex quibus patet, quod terra, unde Abram, esset Syria, ubi altera Ecclesia Antiqua, quæ dicta fuit Hebræa ab Ebero instauratore ejus, n: 1238. 1241. 1327. 1343, sed Ecclesia hæc circa Abrahami tempus etiam descivit a vero, & quædam ibi domus in tantum, ut nescíverint prorsus Jehovam, & coluerint alios deos; hæc terra est, quæ hic intelligitur, de qua servus quæsivit, an reduceret filium ad terram unde exivisti, inde est, quod per terram hic significetur affectio quæ non concordat cum vero; & quia hoc, per reducere filium, seu quod idem, ibi accipere ei mulierem, & ibi cum illa manere, significatur conjungere affectionem non concordantem vero cum Bono Divino Rationalis; at quod hoc fieri non posset, declarat Abrahami responsum, de quo sequitur.

3032. Dixit ad illum Abraham, quod significet perceptionem Domini ex Divino, constat a significatione dicere, quod sit percipere, de qua supra n: 3029; & a repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus quoad Divinum Humanum, ex quo perceptio illa.

3033. Cave ne reducas filium meum illuc, quod significet quod nusquam conjungi posset, constat ab illis quæ mox supra n: 3031 dicta sunt, ubi explicatum, quid in sensu interno sit, reducere filium ad terram ex qua Abraham exivit. Quod affectio cum vero non concordans non conjungi possit Bono quod Rationalis, constare potest ex illis, quæ prius de conjunctione boni & veri, seu quod idem, de conjugio cœlesti, n: 2173. 2507. 2727 ad 2759, dicta sunt: quod ideo Antiqui inter affectionem boni & veri conjugium instituerint, videatur n: 1904: tum quod falsum nusquam conjungi possit cum bono, nec verum cum malo, quia contrariæ indolis sunt, n: 2388. 2429. 2531: quodque bonum cognitionibus veri, ut suis vasis recipientibus insinuetur, & sic fiat conjunctio, n: 1469. 1496. 1832. 1900. 1950. 2063. 2189. 2261. 2269. 2428. 2434. 2697. Quod nulla possit esse conjunctio falsi cum bono, nec veri cum malo, sed solum falsi cum malo & veri cum bono, ad vivum percipere mihi datum est; & perceptum quod ita se habeat; cum homo affectionem boni habet, hoc est, cum vult bonum ex corde, quando aliquid cogitandum quod volendum & agendum, tunc ejus bene velle influit in ejus cogitare, & ibi se applicat & injungit cognitionibus quæ ibi, ut suis vasis recipientibus, & per conjunctionem illam adigit eum ad ita cogitandum, volendum, & agendum; est quasi insitio boni in veris, seu in cognitionibus veri: at cum homo non affectionem boni, sed affectionem mali, habet, hoc est, cum vult malum, ut cum bonum credit omne quod est pro se, ut is magnus fiat & ut dives, sic ut potiatur honore & opibus, & hoc finis ejus, quando aliquid cogitandum quod volendum & faciendum, tunc

tunc pariter ejus velle influit in ejus cogitare, & ibi excitat cognitiones quæ apparent instar veri, ac ita adigit illum ad cogitandum, volendum & faciendum; & hoc, sinistre applicando cognitiones, & intuendo communia quædam, quæ ex sensu literæ Verbi haufit, vel ex alia scientia, sicut applicabilia in omni sensu; sic est malum quod copulatur falso, nam tunc verum quod inibi privatur omni essentia veri: tales in altera vita, utcunque in vita corporis visi instructissimi præ aliis, sunt stupidiores aliis, & quantum in persuasione sunt quod in vero, tantum inducunt aliis caliginem; tales aliquamdiu apud me fuerunt, at non susceptibiles fuerunt alicujus affectionis boni ex vero, utcunque illis revocabantur in mentem vera, quæ in vita corporis noverunt, nam malum apud eos erat, cum quo conjungi vera non potuerunt: hi nec interesse possunt consortio bonorum, sed si aliquid boni naturalis est apud illos, vastantur eousque, dum nihil veri sciant, & remanenti bono tunc insinuatur aliquid veri, quantum pusillum boni remanentis capere potest. Qui autem in affectione boni ex corde fuerunt, illi receptibiles sunt omnis veri, juxta quantum & quale boni quod fuit apud illos.

3034. Vers: 7. *Jehovah Deus cœli, qui accepit me e domo patris mei, & e terra nativitatis meæ, & qui loquutus est mihi, & qui juravit mihi dicendo, semini tuo dabo terram hanc, Ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies mulierem filio meo inde.* Jehovah Deus cœli, significat ipsum Divinum Domini: qui accepit me e domo patris mei, & e terra nativitatis meæ, significat ex Quo Dominus liberavit Seipsum a maternis quoad mala & quoad falsa: & qui loquutus est mihi, & qui juravit mihi, dicendo, significat ex Quo Divinum Ipsius velle & intelligere: semini tuo dabo terram hanc, significat Divinum verum quod Humano Domini: Ipse mittet angelum suum coram te, significat Divinam Providentiam: & accipies mulierem filio meo inde, significat quod affectio veri quidem inde, sed ex ortu novo.

3035. Jehovah Deus cœli, quod significet ipsum Divinum Domini, constat ab illis quæ supra n: 3023, dicta sunt, quod nempe Jehovah Deus Cœli sit ipsum Divinum Domini; per Jehovam enim, qui toties nominatur in Verbo Veteris Testamenti, Solus Dominus intellectus est, omnia enim & singula quæ ibi, de Ipso in sensu interno agunt, & omnes & singuli ritus Ecclesiæ Ipsum repræsentabant, videatur n: 1736. 2921; & quod Antiquissimi, qui ab Ecclesia cœlesti, non alium per Jehovam intellexerint, quam Dominum, n: 1343. In sensu literæ hic & alibi apparet, sicut alius qui superior per Jehovam intelligatur, sed sensus literæ est talis, distinguit ille quæ sensus internus unit; & hoc ex causa, quia homo, qui a sensu literæ instruendus, non habere possit ideam unius, nisi prius plurium, unum enim apud hominem formatur ex pluribus, seu quod idem, ex successivis illud quod simul est; plura in Domino sunt, & omnia Jehovah sunt: inde est quod sensus literæ distinguat; at cœlum nusquam distinguit, sed unum Deum simplici idea agnoscit, nec alium quam Dominum.

3036. Qui accepit me e domo patris mei, & e terra nativitatis meæ, quod significet ex Quo Dominus liberavit Se Ipsum a maternis quoad mala & quoad falsa,

falsa, constat a significatione domus patris hic, & terræ nativitatis, quod sit maternum seu hæreditarium a matre, ex quo malum & falsum, contra quod Dominus pugnavit, & quod expulit, ac ita Humanum suum propria potentia Divinum fecit; videantur quæ de domo & terra unde Abram, supra n: 3031, dicta sunt, & quæ prius de hæreditario Domini, quod ex Jehovah Divinum, ex matre malum, n: 1414. 1444; quod contra malum hæreditarium ex matre pugnaverit, sed quod Ipsi nullum malum actuale, n: 1444. 1573. Et quod Dominus exuerit omne hæreditarium ex matre, ut tandem non ejus filius esset, n: 2159. 2574. 2649; hoc hæreditarium, nempe ex matre, est quod in sensu interno significatur per domum patris & terram nativitatis; per domum patris hæreditarium maternum quoad malum, & per terram nativitatis hæreditarium maternum quoad falsa, nam ubi malum ibi falsa, sunt sibi conjuncta; quod illa propria potentia expulerit, n: 1616. 1813. 1921. 2025. 2026. 2083. 2523.

3037. Et qui loquutus est mihi, & qui juravit mihi, dicendo, quod significet ex quo Divinum Ipsius velle & intelligere, constat ex significatione loqui, quod sit percipere, de qua n: 3029, tum quoque velle, n: 2626; & ex significatione jurare, quod sit confirmatio a Divino, & quod prædicetur de veris, quæ sunt intellectus, n: 2842: cum dicitur de Jehovah quod loquatur, intelligitur in sensu interno quod velit, nam quicquid loquitur Jehovah, hoc vult; & cum dicitur de Jehovah quod juret, intelligitur in sensu interno quod intelligat esse verum, ita per jurare significatur intelligere cum id de Jehovah prædicatur, ut quoque constare potest ab illis locis, quæ n: 2842, e Verbo allata sunt.

3038. Semini tuo dabo terram hanc, quod significet Divinum Verum quod Humano Domini, constat ex significatione seminis quod sit fides charitatis, tum qui in fide charitatis sunt, de qua n: 1025. 1447. 1610. 2848; & quia omne bonum & verum fidei a Domino, est ipsum Divinum Verum, quod per Semen in supremo sensu intelligitur; & ex significatione terræ hujus, nempe Canaanis, quod sit cœlum seu Regnum Domini, de qua n: 1413. 1437. 1607; & quia cœlum seu Regnum Domini, est ipsum Divinum Humanum Domini quod per terram Canaanem in supremo sensu intelligitur; ipsum enim Divinum in cœlum non influere potest, nisi per Divinum Humanum Domini; quod etiam Dominus manifestavit apud Matthæum, "Omnia Mihi tradita sunt a Patre meo, & nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare," XI: 27: & apud Johannem, "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius Qui in sinu Patris est, ille exposuit," I: 18; Filius est Divinum Humanum Domini: qui credit, quod in cœlo adoretur alius Pater quam Dominus, multum fallitur.

3039. Ipse mittet Angelum suum coram te, quod significet Divinam Providentiam, constat ex significatione Angeli in Verbo, quod sit Dominus, sed quid Domini quod appareat ex serie, de qua n: 1925, quod hic Divina Providentia, constat. Quod per Angelos Dominus in Verbo intelligatur, est quia

quia omne quod in Verbo loquutum est per prophetas & reliquos dictantibus Angelis, sit a Domino, hoc est, sit Ipsius Domini; Angeli in cœlo etiam agnoscunt & percipiunt quod nihil boni & veri a se, sed a Domino, usque adeo, ut aversentur omnia quæ aliam ideam inducunt; inde est, quod per Angelos, nempe bonos, Dominus intelligatur, sed quid Domini, quod appareat ex serie.

3040. Quod accipies mulierem filio meo inde, significet quod affectio veri quidem inde, sed ex ortu novo, constat ex significatione mulieris, quod sit affectio veri, de qua supra; per Rebeccam enim, de qua in hoc Capite agitur, repræsentatur Divinum verum quod conjungendum Divino Bono Rationalis, quod est Jischakus; quod affectio veri sit inde, nempe ex illis quæ significantur per domum patris & terram nativitatis, sed ex ortu novo, non adhuc explicari potest, in sequentibus de illa re multis agitur; ut modo paucis dicatur; omnis affectio veri in Naturali homine, existit per influxum ab affectione boni e rationali, seu per rationale a Divino; affectio veri quæ per influxum illum existit in naturali homine, principio non est affectio genuini veri, genuinum enim verum successive venit, & successive substituitur loco priorum, quæ non fuerunt vera in se, sed modo media ducentia ad verum genuinum; ex his paucis constare potest, quid sit, quod affectio veri quidem sit inde, sed ex ortu novo.

3041. Vers: 8. 9. *Et si non vult mulier ire post te, & immunis es ab adjuratione mea hac, tantum filium meum non reducas illuc. Et posuit servus manum suam sub femore Abrahami domini sui; & adjuravit ei super verbo hoc.* Si non vult mulier ire post te, significat, hic ut prius, si affectio veri non separaretur: & immunis es ab adjuratione mea, significat liberum quod naturali homini: tantum filium meum non reducas illuc, significat, hic ut prius, quod nulla inde conjunctio: & posuit servus manum suam sub femore Abrahami domini sui, significat, hic ut prius, obstrictionem Naturalis hominis quoad potentiam ad bonum amoris conjugialis: & adjuravit ei super verbo hoc, significat sacramentum.

3042. Si non vult mulier ire post me, quod significet si veri affectio non separaretur, constat a significatione mulieris, quod sit veri affectio; & a significatione ire post me, seu sequi, ad terram hanc, quod sit separari a naturali, & conjungi Rationali, de quibus supra n: 3030, ubi eadem verba.

3043. Et immunis es ab adjuratione mea, quod significet liberum quod naturali homini, constat a significatione servi, de quo hæc dicuntur, quod sit naturalis homo, n: 3019; & ex significatione immunis esse si mulier non sequi velit, quod sit in sensu proximo, quod in nulla obstrictione foret, si affectio veri non separaretur; quod hæc involvant liberum, quod naturali homini, patet, affectio enim veri, de qua hic agitur, tum separatio, prædicatur in sensu interno de Naturali homine; in sensu historico quidem est alia cohærentia, sed in sensu interno est talis. De Libero hominis videantur quæ prius n: 892. 905. 1937. 1947. 2744. 2870 ad 2893, dicta & ostensa sunt, ex quibus patet quomodo se res habet cum Libero; Liberum prædicatur de natu-

naturali homine, non autem ita de Rationali, nam per Rationalem in Naturalem influit bonum in Libero cœlesti a Domino, Naturalis homo est qui recipiet illud, utque recipiat, & sic conjungatur cœlesti Libero quod influit per Rationalem, relinquitur Naturalis in Libero; Liberum enim est amoris seu affectionis, si non affectionem veri ex influente affectione boni recipit, nusquam Naturalis homo conjungitur Rationali; ita se habet apud hominem, qui quod per Liberum a Domino reformetur, videatur n: 1937. 1947. 2876. 2877. 2878. 2881. Quod Dominum attinet, Ipse quoque in Libero reliquit Naturale, cum Divinum fecit Rationale suum quoad Verum, hoc est, cum Divinum Verum adjunxit Divino Bono Rationalis, nam per viam communem voluit Humanum suum Divinum facere; via communis est, qualis est apud hominem qui reformatur & regeneratur; ipsa reformatio & regeneratio hominis est ideo imago quædam; fit etiam homo per reformationem & regenerationem novus, inde vocatur ille e novo genitus, & e novo creatus, & quantum reformatus est, tantum in se quasi Divinum habet; sed illa est differentia, quod Dominus Se Ipsum ex propria potentia Divinum fecerit; at homo ne hilum potest ex propria potentia, sed ex Domino; quasi Divinum dicitur, quia homo est solum recipiens vitæ, Dominus autem quoad utramque Essentiam est ipsa vita, videatur n: 1954. 2021. 2658. 2706. 3001.

3044. Quod tantum filium meum non reducas illuc, significet quod nulla inde conjunctio, constat ab illis, quæ supra n: 3031. 3033, dicta sunt, ubi eadem verba.

3045. Et posuit servus manum suam sub femore Abrahami domini sui, quod significet obstrictionem naturalis hominis quoad potentiam ad bonum amoris conjugialis, constat ab illis, quæ supra n: 3021, ubi etiam eadem verba.

3046. Et adjuravit ei super verbo hoc, quod significet sacramentum, constat a significatione adjurare, quod sit obstrictio, & quidem sanctissima, quia per Jehovam Deum cœli & Deum terræ, de qua n: 3023, ita sacramentum; nam sacramentum non aliud est, quam obstrictio.

3047. Vers: 10. *Et sumsit servus decem camelos e camelis domini sui, & ivit, & omne bonum domini sui in manu sua, & surrexit, & ivit ad Aram Naharaim, ad urbem Nachoris.* Sumsit servus decem camelos de camelis domini sui, & ivit, significat scientifica communia Divina in naturali homine: & omne bonum domini sui in manu sua, significat illorum bona & vera apud illum: & surrexit, significat elevationem: & ivit ad Aram Naharaim, significat cognitiones veri inde: ad urbem Nachoris, significat doctrinalia cognata.

3048. Sumsit servus decem camelos e camelis domini sui & ivit, quod significet scientifica communia in naturali homine, constat a significatione servi hic, quod sit naturalis homo, de qua supra n: 3019. 3020; a significatione decem, quod sint reliquiæ, quæ quod sint bona & vera apud hominem recondita a Domino, videatur n: 468. 530. 560. 561. 660. 661. 1050. 1906, 2284, & cum decem seu reliquiæ prædicantur de Domino, quod sint Divina,

Divina, quæ Dominus Sibi Ipsi acquisivit, n: 1738. 1906; & ex significatione Camelorum, quod sint scientifica communia, quæ quia fuerunt Divina seu a Domino acquisita, dicitur quod fuerint decem; tum quod fuerint cameli de camelis domini sui; quod iverit, significat initiationem per illa, de qua in hoc Capite: agitur de processu conjunctionis Veri cum Bono in Divino Rationali Domini, primum de processu initiationis, n: 3012. 3013, qui qualis fuerit, in serie describitur, hic quod Dominus in Naturali homine separaverit illa quæ ab Ipso, hoc est, quæ Divina fuerunt, ab illis quæ ex materno; illa quæ ab Ipso, seu quæ Divina fuerunt, sunt per quæ initiatio facta, & sunt hic decem cameli e camelis domini sui; inde est, quod in sequentibus de camelis multum agatur, ut quod in genua procumbere fecerit camelos extra urbem, Vers: 11; quod Rebecca etiam potaverit camelos, Vers: 14. 19. 20, quod ducti in domum, & illis datum stramen & pabulum, Vers: 31. 32; & porro, quod Rebecca & puellæ ejus equitaberint super camelis, Vers: 61; quodque Jischak viderit Camelos venientes; & cum Rebecca vidit Jischakum, quod ceciderit de camelo, Vers: 63. 64; quod toties memorantur, est causa sensus internus, in quo significant scientifica communia quæ in naturali homine, ex quibus affectio veri, quæ initianda affectioni boni in Rationali, & hoc secundum viam communem, ut supra ostensum; Rationale enim quoad verum absque scientificis & cognitionibus nusquam potest nasci & perfici. Quod Cameli significent Scientifica communia, constat ex aliis locis in Verbo, ubi nominantur, ut apud Esaiam, "Propheticum bestiarum meridiei: in terra angustiæ & angoris, leo juvenis & leo vetus ab illis, vipera & prester volans, portant super humero asellorum opes suas, *& super dorso Camelorum thesauros suos*, ad populum non prosunt; & Ægyptus vane & inaniter auxiliabuntur," xxx: 6. 7; bestiæ meridiei pro illis qui in luce cognitionum seu in cognitionibus, sed in vita mali sunt; portare super humero asellorum opes suas, pro cognitiones quæ illorum rationali, quod asellus sit verum rationale, videatur n: 2781; super dorso camelorum thesauros suos, pro cognitiones quæ illorum naturali, dorsum camelorum est naturale, ipsi cameli scientifica communia quæ ibi, thesauri sunt cognitiones quas pro pretiosis habent; quod Ægyptus vane & inaniter auxiliabuntur, est quod scientiæ nullius usus illis, quod Ægyptus sit scientia, videatur n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588 f; quod cameli hic non sint cameli, patet, dicitur enim quod leo juvenis & leo vetus portant super dorso camelorum thesauros suos; quisque videre potest quod aliquid arcanum Ecclesiæ per id significetur. Apud Eundem, "Propheticum deserti maris: sic dixit Dominus, vade constitue speculatorem, quod visurus indicabit; & vidit currum, par equitum, currum asini, *currum cameli*, & auscultavit auscultationem; respondit & dixit, cecidit, cecidit Babel," xxi: 6. 7. 9; desertum maris pro vanitate scientiarum quæ non ob usum; currus asini pro congerie scientificorum particularium; currus cameli pro congerie scientificorum communium, quæ in naturali homine; sunt ratiocinia vana, quæ apud illos qui significantur per Babel, quæ ita describuntur. Apud Eundem, "Dilatabit se cor tuum, quia

convertetur ad te multitudo maris, opes gentium venient tibi; *copia camelorum obteget te*, dromades Midianis & Ephæ, omnes illi e Scheba venient, aurum & thus portabunt, & laudes Jehovæ evangelizabunt," LX: 5. 6, ubi de Domino, ac de Divinis cœlestibus & spiritualibus in Ipsius naturali; multitudo maris pro immensa copia veri naturalis, opes gentium pro immensa copia boni naturalis; copia camelorum pro abundantia communium scientificorum; aurum & thus pro bonis & veris, quæ sunt laudes Jehovæ; e Scheba est ex cœlestibus amoris & fidei, videatur n: 113. 117. 1171: quod Regina Schebæ venerint ad Salomonem Hierosolymam opibus magnis valde, *Camelis portantibus* aromata & aurum multum valde, & lapidem pretiosum," 1 Reg: X: 1. 2, repræsentabat sapientiam & intelligentiam, quæ Domino accessit, qui in sensu interno ibi est Salomo; Cameli portantes aromata, aurum & lapidem pretiosum, sunt illa quæ sunt sapientiæ & intelligentiæ in naturali homine. Apud Jeremiam, " Ad Arabiam & ad Regna Chazoris, quæ percussit Nebuchadnezar rex Babelis; surgite & ascendite Arabiam, & vastate filios orientis; tentoria eorum sument, cortinas eorum, & omnia vasa eorum, & *Camelos eorum auferent illis*; & erunt *Cameli eorum in prædam*, & dispergam eos in omnem ventum," XLIX: 28. 29. 32; Arabia hic & regna Chazoris in opposito sensu, pro illis qui in cognitionibus cœlestium & spiritualium, ob finem non alius usus, quam ut sapientes & intelligentes audiant sibi & mundo; cameli qui iis auferentur, erunt in prædam, & dispergentur in omnem ventum, sunt in communi scientifica & cognitiones boni & veri, quæ etiam illis auferuntur, in vita corporis per quod contraria credant, in altera vita prorsus. Apud Sachariam, " Plaga, qua percutiet Jehovah omnes populos, qui pugnabunt contra Hierosolymam; ita erit plaga Equi, Muli, *Cameli*, & Asini, & omnis bestiæ," XIV: 15; plaga equi, muli, cameli, asini, pro privatione intellectualium, quæ ita ordine succedunt a rationalibus ad naturalia, quid equus videatur n: 2761. 2762, quid mulus, n: 2781, quid asinus, n: 2781; Cameli pro scientificis communibus in naturali homine. Pestis in Ægypto, quæ erat in pecus quod in agro, in Equos, in Asinos, *in Camelos*, in armentum & in gregem," Exod: IX: 2. 3, similia significabat. Ex his constare potest, quod per Camelos in Verbi sensu interno significentur Scientifica communia, quæ sunt naturalis hominis. Scientifica communia sunt, quæ in se comprehendunt plura particularia, & hæc singularia, & formant in communi naturalem hominem quoad ejus intellectualem partem.

3049. Et omne bonum Domini in manu sua, quod significet illorum bona & vera apud illum, constat a significatione omnis boni Domini, quod sit & bonum & verum, nam verum in se est bonum, quia a bono; est verum forma boni, hoc est, cum bonum formatur ut intellectualiter percipiatur, tunc id vocatur verum; ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878, ita quæ apud illum: communia scientifica non sunt bona in se, nec viva, sed affectio eorum facit ut bona sint & vivant, tunc enim sunt propter usum;

usum; nemo afficitur aliquo scientifico seu vero, nisi ob usum, usus facit illud bonum; at qualis usus tale bonum.

3050. Et surrexit, quod significet elevationem, constat a significatione surgere, quod involvat aliquid elevationis ubi nominatur, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927, hic quod Divinum Verum ex scientificis initiaretur Divino Bono Rationalis.

3051. Et ivit ad Aram Naharaim, quod significet cognitiones veri inde, constat a significatione Aram seu Syriæ, quod sint cognitiones boni, de qua 1232. 1234; at Aram Naharaim seu Syria fluviorum significat cognitiones veri a Naharaim seu fluviis, quia fluvii significant intelligentiam, quæ est cognitionum veri, ut constare potest a locis e Verbo n: 108. 109. 2702, allatis, & ex pluribus aliis, de quibus, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

3052. Ad urbem Nachoris, quod significet doctrinalia cognata, constat a significatione urbis, quod sit doctrinale, de qua n: 402. 2450, & a repræsentatione Nachoris, quod sit cognatum; Nachor enim erat frater Abrami, & ex illo Bethuel ex quo Rebecca: scientifica & doctrinalia inter se distincta sunt in eo, quod ex scientificis doctrinalia, hæc spectant usum, & comparantur per reflexionem ex scientificis: cognata hic dicuntur ex derivatione eorum ex Divinis.

3053. Vers: 11. *Et in genua procumbere fecit camelos, ab extra urbem, ad puteum aquarum, juxta tempus vesperæ, juxta tempus exire haustrices.* In genua procumbere fecit camelos, significat dispositionem sanctam scientificorum communium: ab extra urbem, significat remotionem a doctrinalibus: ad puteum aquarum, significat ad recipienda vera fidei: juxta tempus vesperæ, significat statum tunc obscuriorem: juxta tempus exire haustrices, significat statum instructionis.

3054. In genua procumbere fecit camelos, quod significet dispositionem sanctam scientificorum communium, constat a significatione facere procumbere in genua, quod sit se disponere ad sanctum; & a significatione camelorum, quod sint scientifica communia, de qua mox supra n: 3048.

3055. Ab extra urbem, quod significet remotionem a doctrinalibus, constat a significatione urbis quod sit doctrinale, de qua n: 402. 2450; extra quam, quod sit extra doctrinalia, ita remotio ab illis, patet.

3056. Juxta tempus vesperæ, quod significet statum tunc obscuriorem, constat a significatione temporis, quod sit status, de qua n: 2625. 2788. 2837; & a significatione vesperæ, quod sit obscurum; vespera enim in Verbo, significat statum qui præcedit ultimum Ecclesiæ desinentis, qui nox vocatur, & quoque significat statum primum Ecclesiæ exorientis, qui mane vocatur, videatur n: 2323; in utroque sensu est obscurum, quod per vesperam significatur; hic autem obscurum quod præcedit mane.

3057. Juxta tempus exire haustrices, quod significet statum instructionis, constat a significatione temporis, quod sit status, de qua mox supra n: 3056; & a significatione haustricis, seu haurientis, nempe aquam, quod sit instrui, de qua sequitur. Illa quæ huc usque a n: 3054 dicta, sunt, quæ in sensu

interno ſignificantur per hæc quæ in hoc Verſu hiſtorice relata ſunt; quid autem ſingula in una ſerie involvunt, non facile patet alicui, qui non inſtructus eſt de Naturali homine, & de ſcientificis & doctrinalibus quæ ibi, tum quomodo inde vera elevantur in Rationale, & fiunt rationalia; & adhuc minus, ſi non ſcit quale eſt Rationale reſpective ad Naturale, ſeu qualia illa quæ in Rationali reſpective ad illa quæ in Naturali; quæ in Rationali ſunt, nec apparent coram homine dum in corpore vivit; ſunt enim illa quæ in Naturali quæ ad apperceptionem veniunt, raro illa quæ in Rationali, niſi per quandam ſpeciem lucis illuminantis illa quæ in Naturali, aut ſicut facultas influens, per quam diſponuntur in ordinem illa quæ cogitationis ſunt, ac ſicut perceptivum rei quam mens intuetur; niſi hæc & plura cognita ſint, ægre poſſunt ad captum exponi illa quæ in hoc Verſu; ſicut, quod ſit diſpoſitio ſancta ſcientificorum communium, & tunc remotio a doctrinalibus, ad recipienda vera fidei, & cum hæc, quod ſit ſtatus obſcurus, & quod talis ſit ſtatus inſtructionis: uſque paucis licet dicere, quantum ad captum, at hoc quomodo ſe res habet apud hominem cum is a Domino reformatur, quia reformatio hominis eſt quædam imago illorum quæ apud Dominum cum Ipſe in mundo fuit, ut ſupra n: 3043, dictum; cum reformatur homo, tunc quæ ſunt communia in Naturali ejus homine, a Domino diſponuntur ad correſpondentiam illorum quæ in cœlo ſunt, quid correſpondentia, & quod ſit inter ſpiritualia & naturalia, videatur n: 2987. 2989. 2990. 2991. 3002; communia primum diſponuntur, ut particularia illis ſucceſſive a Domino inſinuari poſſint, & his ſingularia; ſi enim non ordo communium ſit, non poteſt exiſtere ordo particularium, quia hæc intrant in illa & confirmant, minus ordo ſingularium, quia hæc intrant in particularia ut in ſua communia, & illuſtrant; hæc ſunt quæ intelliguntur per diſpoſitionem ſanctam ſcientificorum communium, & in ſenſu interno ſignificantur per quod in genua procumbere fecerit camelos; ſic enim ſe ſubmittunt ad recipiendum influxum: Cum hæc ita diſponuntur, tunc removentur doctrinalia, nam hæc ſunt concluſiones a ſcientificis, influit enim per Rationale ſicut dictamen, quod hoc verum ſit, hoc non verum, ſed ita, quod verum ſit quia concordat cum diſpoſitione communium, non verum quia diſcordat; non datur alius influxus quoad vera; doctrinalia quidem prius inſunt, ſed non ſunt doctrinalia antequam creduntur, ſunt modo ſcientifica, quare cum de illis cogitatur, non ex illis concluſio fit, ſed ex aliis de illis; hæc ſunt quæ intelliguntur per remotionem a doctrinalibus, & in ſenſu interno ſignificantur hic per extra urbem; ſed hic ſtatus eſt, qui dicitur ſtatus obſcurus, & ſignificatur per tempus veſperæ; cum autem doctrinalia confirmata ſunt, ut credantur, tunc venit mane ſeu ſtatus lucidus. Reliqua, quæ in hoc Verſu, ab illis, quæ nunc dicta ſunt, patent.

3058. Quod haurire aquas, ſignificet inſtructionem, tum quoque inde illuſtrationem, ut in ſequentibus hujus Capitis, inde eſt, quia aquæ in ſenſu interno ſignificant vera fidei, n: 2702, ita haurire aquas non aliud eſt, quam inſtrui in veris fidei, & ſic illuſtrari; ut quoque alibi in Verbo, ut apud Eſaiam,

Esaiam, "*Haurietis aquas* in gaudio e fontibus salutis; in die illo confitemini Jehovæ," XII: 3. 4; haurire aquas pro instrui, intelligere & sapere: apud Eundem, "Obviam sitienti *adferte aquas*, habitatores terræ Thema," XXI: 14; obviam sitienti adferre aquas, pro instruere: apud Eundem, "Miseri & egeni *quærentes aquas*, & nullæ, lingua eorum siti deficit," XLI: 17, quærentes aquas pro desiderantes in veris instrui, quod nullæ, & quod non apud aliquem. Præterea per haurientes aquas in Ecclesia Judaica repræsentabantur illi, qui continue scire vera cupiunt, sed propter non alium finem quam ut sciant, usum inde nihil curantes; tales inter vilissimos habiti sunt; Gibeonitæ illos repræsentarunt, de quibus Jos: IX: 21. 23. 27.

3059. Vers: 12. 13. 14. *Et dixit, Jehovah Deus domini mei Abrahami, obvenire fac quæso coram me hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abrahamo. Ecce ego sto super ad fontem aquarum, & filiæ virorum urbis exeuntes ad hauriendum aquas. Et sit, puella, ad quam dico, declina quæso cadum tuum, & bibam, & dicat bibe, & etiam camelos tuos potabo, illam destinasti servo tuo Jischako; & in hoc cognoscam, quod fecisti misericordiam cum domino meo.* Dixit, significat communicationem: Jehovah Deus domini mei Abrahami, significat Ipsius Divini quod Pater cum Divino Humano quod Filius: obvenire fac quæso coram me hodie, significat providentiam ab æterno: & fac misericordiam, significat influxum amoris: cum domino meo Abrahamo, significat Divinum Humanum: ecce ego sto super ad fontem aquarum, significat statum conjunctionis Veri Divini cum Humano: & filiæ virorum urbis exeuntes ad hauriendum aquas, significat affectiones veri & per illas instructionem: & sit puella ad quam dico, significat affectionem in qua innocentia: declina quæso cadum tuum, significat submissionem scientificorum: & bibam, significat instructionem veri inde: & dicat bibe, significat reciprocum ad ipsum: & etiam camelos tuos potabo, significat illustrationem omnium scientificorum in naturali homine inde: illam destinasti servo tuo Jischako, significat conjunctionem Veri Divini cum Divino Bono in Rationali; & in hoc cognoscam quod fecisti misericordiam cum domino meo, significat quod ex amore Divino conjugium.

3060. Quod dixit, significet communicationem, constare potest a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere & velle, de qua sæpius prius; & quia hæc, etiam significat communicare, nam ex percipere & velle est communicatio.

3061. Jehovah Deus domini mei Abrahami, quod significet Ipsius Divini quod Pater, cum Divino Humano quod Filius, nempe communicationem, constat ex illis quæ supra aliquoties dicta & ostensa sunt, nempe quod Jehovah Deus sit Ipsum Divinum Domini quod Pater vocatur, & quod per Abrahamum repræsentetur Divinum Humanum Ipsius, n: 2833. 2836: Quod Jehovah in Verbo Veteris Testamenti sit Ipse Dominus, videatur n: 1736. 1815. 2921: quod Ecclesia Antiquissima quæ fuit ante diluvium, & Ecclesia Antiqua quæ post diluvium, per Jehovam non alium intellexerint quam Dominum, n: 1343. 1676. 1990. 2016. 2035. Quod in Domino

sit

fit Trinum, Divinum Ipfum, Divinum Humanum, Divinum Sanctum procedens, & hæc unum, n: 1999. 2149. 2156. 2288. 2329. 2447. Quod omne Trinum in Domino fit Jehovah, n: 2156. 2329; & omnia & fingula in Domino fint Jehovah, n: 1902. 1921. Quod Dominus fit unus cum Patre, & quod non alius per Patrem in cœlo intelligatur, n: 14. 15. 1725. 1729. 1733. 1815. 2005. 2018. 2025. 2803. 3038. Quod Dominus fit univerfum cœlum, quia omne ibi, quod ab Ipfo omne Innocentiæ, Pacis, Amoris, Charitatis, Mifericordiæ, Amoris conjugialis, omne Bonum & Verum de Ipfo Mofes & Prophetæ ita Verbum in fingulis, quod Ipfum omnes ritus Ecclefiæ repræfentaverint, n: 2751. Quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Filius, n: 2628. Quod Divinum Humanum Domini, a Divina Ipfius Effentia, quæ Jehovah, non modo conceptum, fed etiam natum fit, n: 2798, & quod fic Dominus quoad Humanum factus Jehovah, ac Vita a Se, n: 1603. 1737. Quod Dominus ab æterno fuerit, manifefte conftat a Verbo, videatur n: 2803, tametfi natus dein in tempore; Ipfe enim loquutus eft per Mofen & Prophetas, Ipfe quoque apparuerat multis, & quod fuerit Jehovah ibi dicitur; fed arcaniffimum hoc non alicui poteft revelatum effe, quam illis qui in Perceptione Divina funt, ita vix aliis quam homini Ecclefiæ Antiquiffimæ, qui fuit cœleftis, & in illa Perceptione; ab illis audivi, quod Ipfe Jehovah fuerit Dominus quoad Divinum Humanum, cum defcendit in cœlum, & influxit per Cœlum, nam Cœlum refert unum Hominem quoad omnia ejus membra, quare etiam vocatur Maximus Homo, n: 684. 1276. 2996. 2998. 3021; Ipfum Divinum in Cœlo, feu in Maximo Homine, erat Divinum Humanum, & fuit Ipfe Jehovah fic indutus Humano. Sed cum humanum genus tale factum eft, ut Ipfum Divinum indutum ut Divinum Humanum, non amplius illud afficere poffet, hoc eft, cum Jehovah non amplius venire ad hominem, quia tantum fe removit, tunc Jehovah, qui eft Dominus quoad Divinam Effentiam, defcendit, & fufcepit Humanum, per conceptionem Divinum, & per nativitatem a virgine quale alius hominis; fed hoc expulit, & per Divina media humanum natum fecit Divinum, ex Quo omne Sanctum procedit; ita Divinum Humanum exftitit Effentia per fe, quæ implet univerfum cœlum, ac facit, ut falventur qui prius non falvari potuerunt; Hic nunc eft Dominus, Qui quoad Divinum Humanum Solus eft Homo, & ex Quo homo habet quod fit homo, n: 49. 288. 477. 565. 1894.

3062. Obvenire fac quæfo coram me hodie, quod fignificet Providentiam ab æterno, conftat a fignificatione obvenire fac, quod fit providere; & a fignificatione hodie, quod fit ab æterno, de qua n: 2838; & præterea, quod fit Providentiæ, quæ hic, & de qua fupplicatum, patet.

3063. Et fac mifericordiam, quod fit influxus amoris, conftat ab effentia mifericordiæ, quod fit amor; ipfe amor vertitur in mifericordiam, & fit mifericordia, cum fpectatur ex amore aut charitate aliquis, qui opis indiget, inde eft mifericordia effectus amoris erga egenos & miferos; hic vero per mifericordiam in fenfu interno intelligitur amor, & per facere mifericordiam influxus

fluxus amoris, quia ex Ipso Divino Domini in Divinum Humanum Ipsius; est enim Amor Divinus, qui Domino, per quem Divinum fecit Humanum suum, nam Amor est ipsum Esse vitæ, at Amor Divinus nulli quam Domino; videantur quæ de Amore Domini prius dicta sunt; quod nempe vita Domini fuerit amor erga universum genus humanum, n: 2253; & ex illo pugnaverit, n: 1600. 1789. 1812. 1813. 1820: quod transcendat omnem intellectum, n: 1799. 2077: quod Dominus sit ipse Amor Divinus, n: 2500. 2077. 2572; quod Jehovah sit amor, n: 1735: quod nihil vivat quam amor; n: 1589: qui amorem mutuum, quod Domini vitam habeat, n: 1799. 1802. 1803: quod Amor & Charitas sit ipsum cœleste, n: 1419. 1824.

3064. Cum Domino meo Abrahamo, quod significet Divinum Humanum, constat a repræsentatione Abrahami hic, quod sit Divinum Humanum Domini, de qua n: 2833. 2836.

3065. Ecce ego sto super ad fontem aquarum, quod significet statum conjunctionis Veri Divini in Humano, constat a significatione Fontis, quod sit Verum, de qua n: 2702; hic Verum Divinum, quia de Domino agitur; ipse status conjunctionis significatur per stare super ad fontem; quod hæc conjunctio in Humano, patet a serie.

3066. Et filiæ virorum urbis exeuntes ad hauriendum aquas, quod significet affectiones veri, & per illas instructionem constat a significatione filiarum, quod sint affectiones, de qua n: 489. 490. 491. 2362; ex significatione virorum urbis quod sint vera; incolæ urbis in Verbo passim dicuntur viri urbis, passim habitatores urbis; cum viri urbis, significantur vera, cum habitatores significantur bona; quid viri, videatur n: 265. 749. 915. 1007. 2517; quid habitatores, n: 2268. 2451. 2712; quid urbs, n: 402. 2450. 2943; & a significatione haurire aquas, quod sit instrui, de qua supra n: 3058; inde patet, quod per filias virorum urbis exeuntes ad hauriendum aquas, significentur affectiones veri, & per illas instructio; per vera nusquam aliquis instruitur, sed per affectiones veri; vera enim absque affectione, alluunt quidem ad aurem sicut sonus, sed non intrant in memoriam; quod facit ut intrent in memoriam, & ei inhæreant, est affectio; est enim bonum affectionis sicut humus, cui vera sicut semina inseminantur, sed quales humus, hoc est, qualis affectio, talis est inseminati productio; finis aut usus dictat, qualis humus, seu qualis affectio, ita qualis inseminati productio; aut si mavis, ipse amor dictat, nam amor est omnibus finis & usus; nihil enim pro fine habetur, & pro usu, nisi quod amatur.

3067. Et sit puella ad quam dico, quod significet affectionem in qua innocentia, constat a significatione puellæ, in Verbo affectiones boni & veri vocantur infantes, puellæ, adolescentulæ, & filiæ, sed ubique cum differentia quoad statum; cum filia dicitur, significatur affectio in communi; cum autem adolescentula, significatur affectio in qua charitas; at cum puella, significatur affectio in qua innocentia, ex eo quod ætas puellaris est proxima ætati infantiæ,

infantiæ, quæ eſt innocentia in ſenſu interno; ſimiliter ac puer ſeu puerulus, per quem quod ſignificetur ſtatus in quo innocentia, videatur n: 430.

3068. Declina quæſo cadum tuum, quod ſignificet ſubmiſſionem ſcientificorum, conſtare poteſt a ſignificatione declinare, quod ſit ſubmittere; & a ſignificatione cadi, quod ſint ſcientifica; quod hydria ſeu cadus ſint ſcientifica, inde eſt, quia aqua ſignificat verum, n: 680. 739. 2702, & cadus eſt vas in quo aqua, ſicut ſcientificum eſt vas in quo verum; omne enim ſcientificum eſt vas veri, & omne verum eſt vas boni; ſcientificum abſque vero eſt vas vacuum, ſimiliter verum abſque bono, at ſcientificum in quo verum, & verum in quo bonum, eſt vas plenum; affectio quæ eſt amoris, eſt quæ conjungit ut inſint ordine; nam amor eſt conjunctio ſpiritualis.

3069. Et bibam, quod ſignificet inſtructionem veri inde, conſtat a ſignificatione bibere, quod ſit inſtrui: in Verbo paſſim legitur Bibere, & ubi de bonis & veris fidei agitur, ibi ſignificat inſtrui in illis, & recipere illa; ut apud Eſaiam, "Lugebit muſtum, languefcit vitis, gement omnes lætantis corde, *in cantu non bibent vinum*, amara erit ſicera *bibentibus illam*," XXIV: 7. 9; in cantu non bibere vinum, pro non ex affectione veri inſtrui, & delectari inde; amara ſicera bibentibus illam, pro averſatione: apud Eundem, "Erit ſicut ſomniat *ſitiens*, & ecce *bibens*, & expergiſcitur, & ecce laſſus, & anima appetens," XXIX: 8; ſitiens pro cupiens inſtrui, bibens pro inſtrui, ſed in vanis: apud Jeremiam, "*Aquas* noſtras pro argento *Bibimus*, ligna noſtra pro pretio veniunt," Thren: V: 4; aquas bibere pro argento, pro non gratis inſtrui, tum ſibi tribuere verum; quod gratis detur, ſic quod non a ſe, ſed a Domino, ita apud Eundem, "Omnis *ſitiens ite ad aquas*, & cui non argentum, ite, emite," LV: 1: & apud Johannem, "Jeſus dixit, ſi quis *ſitiverit*, venito ad Me, & *bibito*; quiſquis credit in Me, flumina e ventre ejus fluent aquæ viventis," VII: 37. 38; ubi per bibere, ſignificatur inſtrui, & recipere: apud Lucam, "Dicent, edimus coram Te, & *Bibimus*, & in plateis noſtris docuiſti; ſed dicit Dominus, non novi vos unde ſitis, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis," XIII: 26, 27; ubi edere & bibere coram Domino, pro inſtruere & prædicare bonum & verum fidei, ex cognitionibus quæ e Verbo, quod ſignificatur per in plateis noſtris docuiſti; at quia ex ſe, ſui honoris & lucri cauſa, ita ex nulla affectione boni & veri, ita quod in cognitionibus veri, ſed in vita mali, dicitur non novi vos unde ſitis, diſcedite omnes operarii iniquitatis: apud Eundem, "Jeſus ad diſcipulos; ut comedatis & *bibatis ſuper menſa mea* in Regno meo," XXII: 30; quod in Regno Domini non comedant & bibant, nec ibi menſa, cuique patet, ita quod aliud per edere & bibere ſuper menſa Domini in Regno Ipſius, ſignificetur, nempe frui perceptione boni & veri: ita quoque, quæ Dominus dicit apud Matthæum, "Dico vobis, quod non *Bibiturus ſim* a nunc ex hoc genimine vitis, uſque ad diem illum, quando id *Bibero* vobiſcum in Regno Patris mei," XXVI: 28. 29; bibere pro ad vivum inſtruere de veris, & dare perceptionem boni & veri: Quod Dominus dixit, "Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ,

veftræ, quid efuri fitis, aut *bibituri*, nec corpori veftro quid induituri," Matth : VI : 25. 31. Luc : XII : 29, eft fignificativum fpiritualium, quod omne fidei quoad bonum & verum detur a Domino. Apud Johannem, "Jefus ad mulierem Samaritidem ; omnis qui *bibit ex aqua hac*, *fitiet* iterum ; qui vero *biberit ex aqua*, quam Ego dabo ei, *non fitiet* in æternum, fed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ falientis in vitam æternam," IV : 7 ad 14 ; bibere manifefte pro inftrui in bonis & veris, ac recipere illa.

3070. Et dicat bibe, quod fit reciprocum ad ipfum, conftat ex eo quod fit refponfum, & confirmatio, proinde reciprocum.

3071. Et etiam camelos tuos potabo, quod fignificet illuftrationem omnium fcientificorum in naturali homine inde, conftat ex fignificatione camelorum quod fint fcientifica communia, ita in communi feu omnia, de qua fupra n : 3048 ; & a fignificatione potare, quod fit illuftrare ; quod haurire aquam fit inftruere, fupra n : 3058, oftenfum eft, ita potare eft illuftrare ; illuftratio enim ab inftructione venit.

3072. Illam deftinafti fervo tuo Jifchako, quod fignificet conjunctionem Veri Divini cum Divino Bono in Rationali, conftat a fignificatione deftinare nempe in mulierem, quod fit conjungere per fœdus conjugii ; & a repræfentatione Jifchaki, quod fit Bonum Divinum Rationalis, de qua fupra n : 3024 ; Illa feu Rebecca, quod repræfentet Verum Divinum quod conjungendum Divino Bono Rationalis, fupra paffim dictum, & ex fingulis in fenfu interno in hoc Capite patet.

3073. Quod in hoc cognofcam, quod fecifti mifericordiam cum domino meo, fignificet quod ex amore Divino conjugium, conftat ex fignificatione mifericordiæ, quod hic in fenfu interno fit amor Divinus, de qua n : 3064 ; & quia agitur de defponfatione Rebeccæ cum Jifchako, hoc eft, de conjunctione Divini Veri cum Divino Bono Rationalis, per facere mifericordiam cum domino meo non aliud fignificatur quam conjugium, ita conjugium ex amore Divino ; eft etiam hoc conclufum fupplicationis ejus, ac finis propter quem.

3074. Quid in his tribus Verfibus in fenfu interno continetur, aliquantifper videri poteft ab explicatione ; fed quia ea fparfa funt, non apparere poteft quid in ferie involvunt, nifi in unam ideam collecta fpectentur, & tunc removeatur intuitio, a fenfu literæ, quæ quamdiu ibi eft, non modo turbatur idea, fed etiam in dubio tenetur, & quantum in dubio, tantum obfcuratur mens : defcribitur hic in fummario proceffus, quomodo per fcientifica Verum apparet, & hoc ab illis e naturali homine elevatur in Rationalem, & fit verum rationale, in Domino Divinum ; quod nempe factum per influxum Divini amoris in Humanum, ex quo affectio veri in qua innocentia ; ex tali influxu fcientifica, quæ in Naturali homine, illuftrata funt, & patuerunt vera, quæ in Rationale elevanda, & Bono Amoris Divini ibi conjungenda. Hæc eadem in fequentibus particularius defcribuntur ; at qui non fcit, quod per influxum amoris, & ex eo affectionis in qua innocentia, omnia & fingula

 difpo-

difponantur, etiam in Naturali homine, de his quæ fupra & nunc dicta funt, non nifi quam obfcuriffimam ideam, fi aliquam, habere poteft.

3075. Verf: 15. 16. *Et fuit, ille vix abfolvit loqui, & ecce Rebecca exit, quæ nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris fratris Abrahami, & cadus ejus fuper humero ejus. Et puella bona afpectu valde, virgo, & vir non cognoverat illam, & defcendit ad fontem, & implevit cadum fuum, & afcendit.* Et fuit, ille vix abfolvit loqui, fignificat voluntatis effectum: & ecce Rebecca exit, fignificat affectionem veri ex doctrinalibus: quæ nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris fratris Abrahami, fignificat omnem originem illius affectionis: & cadus ejus fuper humero ejus, fignificat receptiones veri & connifum: & puella bona afpectu valde, fignificat affectionis veri pulchritudinem: virgo & vir non cognoverat illam, fignificat purum ab omni falfo: & defcendit ad fontem, fignificat Verum Divinum: & implevit cadum fuum, fignificat vafa receptionis: & afcendit, fignificat elevationem.

3076. Et fuit, ille vix abfolvit loqui, quod fignificet voluntatis effectum, conftat ex illis quæ immediate fequuntur, quod nempe omnia & fingula facta fint ficut oravit, aut effecta ficut voluit; quod loqui fignificet velle, videatur n: 2626. 3037.

3077. Et ecce Rebecca exit, quod fignificet affectionem veri ex doctrinalibus, conftat ex repræfentatione Rebeccæ, quod fit Verum Divinum conjungendum Divino Bono Rationalis, hic vero antequam defponfata, induit repræfentationem affectionis veri e doctrinalibus, nam inde verum, verum enim non eft verum nifi vita ei, vita ei eft affectio quæ eft amoris. Quod Rebecca repræfentet Verum Divinum conjungendum Bono Divino Rationalis, conftat ex fingulis quæ in hoc Capite in fenfu interno, tum ex eo quod Jifchak repræfentet Divinum Rationale Domini, n: 1893. 2066. 2083. 2630; ita Rebecca, quæ Jifchako facta uxor, repræfentat illud in Rationali, quod conjunctum eft, ficut uxor marito, quod hoc fit Divinum Verum, conftare poteft; fimiliter enim Abraham repræfentavit Ipfum Divinum Bonum, & Sarah uxor ejus Ipfum Divinum Verum conjunctum Divino Bono, n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2904; Jifchak & Rebecca fimiliter, fed in Divino Humano Domini, Ipfius nempe Rationali: in genere per Maritum in Verbo fignificatur Bonum, & per Uxorem ejus Verum, n: 1468. 2517: eft etiam effentia omnis conjugii, hoc eft, amor conjugialis, ex Conjugio Divino Boni & Veri, ac Veri & Boni in Domino, n: 2508. 2618. 2728. 2729. 2803. Quod affectio veri fit ex doctrinalibus, eft quia dicitur quod exiverit, nempe ex urbe, quod per urbem fignificentur doctrinalia, videatur n: 402. 2450; vera etiam funt ex doctrinalibus.

3078. Quod nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris fratris Abrahami, quod fignificet omnem originem illius affectionis, conftat ex repræfentatione Bethuelis, tum Milckæ & Nachoris, ut & Abrahami; quid unufquifque in fpecie repræfentat, non ad captum exponi & fifti poteft, ex caufa quia prima affectio veri originem quidem duxit ex Divinis acquifitis a Domino in naturali homine, n: 3019, fed ufque ibi materna fuerunt, quæ non momento fepa-

rari

Quae

rari potuerunt, ex quibus etiam affectio; qualitas illius affectionis in origine sua in sensu interno describitur per hæc, quod " nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris fratris Abrahami." Omnis affectio, tametsi simplex & sicut unum apparet, usque in se tam innumerabilia continet, ut nusquam aliqua idea capi, minus describi possit; in unaquavis enim affectione est tota vita hominis, quæ ab infantia ejus usque ad tempus ætatis in qua est cum in affectione, acquisita est, imo adhuc plura, quæ nempe hæreditario a patre & matre, aque avis & atavis, per nativitatem traxit; affectio enim est totus homo qualis est; in altera vita per manifestationem affectionis sistitur quandoque videndum, quantum alicui inest ab amore sui, & quantum ab amore mundi, quantum ab amore principiorum, qualis finis & usus; tum quantum ab amore boni & veri, & quale illud bonum & verum, ut & quomodo illa disposita sunt, nempe conjuncta, approximantia, & separata, ita quantum ab ordine cœlesti discordant, aut quantum cum illo concordant; hæc omnia per manifestationem affectionis, ut dictum, quia affectio est totus homo; quod hoc ita sit, incredibile apparet homini, sed usque est verum.

3079. Et cadus ejus super humero ejus, quod significet receptiones veri, & connisum, constat a significatione cadi, quod sit scientificum, ita receptaculum veri, de qua n: 3068; & a significatione humeri, quod sit omnis potentia, ita connisus, de qua n: 1085: quod Cadi seu hydriæ, tum vasa in communi in sensu interno significent illa quæ receptaculi loco sunt, ut sunt scientifica & cognitiones respective ad vera, ac ipsa vera respective ad bonum, constare potest a pluribus locis in Verbo; Vasa Templi & altaris, nec aliud significarunt, & quia illa significabant etiam sancta fuerunt; non aliunde fuit illis sanctum; inde erat, cum Belschazar cum magnatibus & uxoribus biberet vinum ex vasis auri & argenti, quæ Nebuchadnezar pater ejus e Templo Hierosolymæ eduxerat, & laudarent deos auri, argenti, æris, ferri, ligni, lapidis, quod tunc scriptura in pariete palatii ejus apparuerit," Dan: V: 2. seq: vasa auri & argenti pro cognitionibus boni & veri, quæ prophanatæ, sunt enim Chaldæi qui in cognitionibus, sed quæ prophanatæ sunt per falsa quæ inibi, n: 1368, sic ut cognitiones illis inserviant pro colendis diis auri & argenti, Belschazar enim vocatur Rex Chaldæus, ibid: Vers: 30. Quod Vasa significent Spiritualium externa, etiam patet ab aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam, " Quemadmodum adducunt filii Israelis munus in *Vase Mundo* domum Jehovæ," LXVII: 20; ubi de Regno Domini; munus in vase mundo est repræsentativum Externi hominis respective ad Internum, qui munus adducit est Internus, Vas mundum est Externus concordans; ita quæ in Externo, quæ sunt scientifica, cognitiones, doctrinalia: apud Jeremiam, " Clamor Hierosolymæ ascendit, & magnates miserunt minorennes ad aquas, venerunt ad foveas, non invenerunt aquas, reversi sunt *Vasis eorum vacuis*, pudefacti sunt," XIV: 2. 3; Vasa vacua pro cognitionibus in quibus non verum, & quoque vera in quibus non bonum: apud Eundem, " Comedit me, perturbavit me Nebuchadnezar rex Babelis, constituit me *vas vacuum*," LI: 34; vas vacuum pro similibus; quod Babel sit quæ vastat, videatur n: 1327 f:

 apud

apud Mosen, "Sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium, *defluent aquæ e fitulis*, & semen ejus ad aquas multas," Num: xxiv: 6. 7, Bileami enuntiatum de Jacobo & Israele; defluent aquæ e fitulis pro quod vera ex cognitionibus. In Parabola de decem Virginibus, quarum quinque *oleum in vasis suis* cum lampadibus acceperunt; stultæ vero non," Matth: xxv: 4, per Virgines significantur affectiones; quod prudentes acceperint oleum in vasis suis, est quod bonum in veris, ita quod Charitatem in fide; quod oleum sit bonum, videatur n: 886, lampades pro amore.

3080. Et puella bona aspectu valde, quod significet affectionis veri pulchritudinem, constat a significatione puellæ, quod sit affectio in qua innocentia, de qua n: 3067: bona aspectu valde quod significet pulchritudinem, hic affectionis veri, quia puella dicitur, inde est, quia omnis pulchritudo est a bono in quo innocens; ipsum bonum cum ex Interno homine influit in Externum, facit pulchrum, omne humanum pulchrum est inde: hoc quoque constare potest ex eo, quod non afficiatur quisquam ex facie alicujus, sed ex affectione quæ elucet ex facie; & quod illi, qui in bono sunt, afficiantur ex affectione boni quæ ibi, ac in tantum, quantum innocentiæ est in bono; ita est spirituale in naturali quod afficit, non autem naturale absque spirituali; similiter illi qui in bono sunt, ab infantibus, qui illis in tantum pulchri apparent, in quantum innocentia charitatis est in facie, gestu, loquela: quod bonitas & charitas sit quæ format & faciat pulchrum, videatur n: 553: inde nunc est, quod puella bona aspectu valde, significet pulchritudinem affectionis veri, in quo bonum.

3081. Virgo & vir non cognoverat illam, quod significet purum ab omni falso, constat a significatione Virginis; Virgo in Verbo passim nominatur, & ibi per Virginem significatur Regnum Domini, tum quoque Ecclesia, & inde unusquisque qui est Regnum Domini aut qui est Ecclesia, & hoc ex amore conjugiali qui in castis virginibus est; amor conjugialis in sensu spirituali est affectio boni in vero, & affectione veri a bono, ex quibus quasi conjugio conjunctis amor conjugialis, videatur n: 2508. 2618. 2727. 2728. 2729; qui quia in Virgine, ut dictum, spectatur, Regnum Domini, quod etiam comparatur Conjugio, & vocatur Conjugium, dicitur Virgo: quod vir non cognoverit illam, significet purum ab omni falso, est quia per Virum in Verbo non modo significatur Rationale verum, sed etiam in opposito sensu falsum, videatur n: 265. 749. 1007, ita cognosci a viro est contaminari falso, & non cognosci a viro est purum esse a falso; per virum hic non intelligitur vir conjugii. Quod per Virginem in Verbo significentur illi qui in Regno Domini, seu quod idem, illi in quibus Regnum Domini, constat apud Johannem, "Hi sunt qui cum mulieribus non polluti sunt, *Virgines enim sunt*; hi sunt qui sequuntur Agnum quo vadit, immaculati enim sunt coram throno Dei," Apoc: xiv: 4. 5; manifeste illi dicuntur Virgines qui sequuntur Agnum, hoc est, qui in Regno Domini, & quod immaculati; in proprio sensu sunt Virgines, qui in amore in Dominum sunt, hoc est, cœlestes, ita qui in affectione boni; etiam Virgines vocantur qui in charitate erga

erga proximum, hoc eſt, ſpirituales, ita qui in affectione veri; ut a *locis* in Verbo conſtare poteſt; apud Eſaiam, "Contemſit te, ſubſannavit te, *Virgo filia Zionis*, poſt te caput movit filia Hieroſolymæ," XXXVII : 22, ad Regem Aſchuris, Virgo filia Zionis pro Eccleſia cœleſti, filia Hieroſolymæ pro Eccleſia ſpirituali: apud Jeremiam, "Adhuc ædificabo te, & *ædificaberis Virgo Iſraelis*, adhuc ornabis tympana tua, & exibis in choreas ludentium: fiet anima eorum ſicut hortus irriguus, & non addent dolore amplius tunc *lætabitur Virgo in chorea*, & juvenes & ſenes ſimul," XXXI : 4. 12. 13; Virgo Iſraelis pro Eccleſia ſpirituali; affectio veri ex bono apud illam deſcribitur hic ut alibi per tympana & choreas: apud Eundem, "Viæ Zionis lugentes, ſacerdotes ejus gementes, *Virgines ejus triſtes*. Torcular calcavit Dominus *Virgini filiæ Jehudæ*. Videte dolorem meum, *Virgines meæ* & juvenes mei iverunt in captivitatem," Thren : I : 4. 15. 18; Virgines pro affectionibus boni & veri: alibi apud Eundem, "Mulieres in Zione compreſſæ ſunt, *Virgines* in urbibus Jehudæ," V : 11: virgines pro affectionibus boni: apud Amos, "Diſcurſitabunt ad quærendum Verbum Jehovæ, & non invenient, in die illo deficient *Virgines pulchræ* & juvenes ſiti," VIII : 12. 13; Virgines pulchræ pro affectionibus veri, juvenes pro veris, ſeu quod idem, illi qui in illis, de quibus dicitur quod diſcurſitabunt ad quærendum verbum Jehovæ, & non invenient, ita quod deficient ſiti: apud Sachariam, "Servabit illos Jehovah Deus illorum in die illo, ſicut gregem populum ſuum, quia quanta bonitas ejus, & quanta pulchritudo ejus, frumentum juvenes, & muſtum *germinare faciet virgines*," IX : 16. 17; juvenes pro veris, virgines pro affectionibus: apud Davidem, "Tota glorioſa Filia Regis intus, de implexis auri veſtis ejus; in acupictis adducitur Regi, *Virgines poſt illam amicæ ejus*, adductæ Tibi," Pſalm : XLV : 14. 15; Filia Regis pro Regno ſpirituali Domini; virgines poſt illam amicæ ejus pro affectionibus veri: apud Eundem, "Viderunt greſſus tuos Deus, greſſus Dei mei in ſanctuario, præceſſerunt canentes poſt pulſantes citharam, *in medio adoleſcentularum* tympanizantium," Pſalm : LXVIII : 25. 26; adoleſcentulæ tympanizantes etiam pro affectionibus veri: diſtinguuntur adoleſcentulæ a virginibus per innocentiam, virgines dicuntur ex amore conjugiali, ita qui in innocentia, nam amor conjugialis eſt ipſa innocentia, videatur n : 2736; ideo apud Johannem in loco citato dicuntur ſequi Agnum quo vadit, per Agnum enim Dominus quoad Innocentiam intelligitur; ac omnes qui in cœlo virgines vocantur ab Innocentia quæ in Bono eorum; ſecundum quantum & quale innocentiæ in bono, ſequuntur Agnum.

3082. Et deſcendit ad fontem, quod ſignificet verum Divinum, conſtat a ſignificatione fontis, quod ſit Verum Divinum, de qua n : 2702. 3065.

3083. Et implevit cadum ſuum, quod ſignificet vaſa receptionis, conſtat a ſignificatione cadi, quod, quia vas recipiens aquæ, ſit in ſenſu interno recipiens cognitionum veri, tum ipſius veri, quæ per aquam ſignificantur; quod aqua in ſenſu interno ſint cognitiones, tum verum, videatur n : 28. 68. 2702. 3058.

3084. Et afcendit, quod fignificet elevationem, conftat a fignificatione afcendere, quod fit elevari: elevari dicitur ab inferiori ad fuperius, & quia hoc, eft ab exteriori ad interius, nam idem eft, quod enim inferius & fuperius eft in idea humana, hoc exterius & interius eft in idea angelica, ficut cœlum, hoc apparet homini ficut fuperius, fed Angelis eft interius; ficut naturale apud hominem, hoc eft exterius refpective ad ejus fpirituale, & hoc iterum exterius refpective ad cœlefte, feu quod idem, fcientificum quod eft naturalis hominis eft exterius refpective ad verum, & verum eft exterius refpective ad bonum, quare etiam fcientificum refpective ad verum vocatur velamen tum veftis, & fimiliter verum refpective ad bonum: inde eft, quod afcendere prædicetur ad Hierofolymam, fed defcendere a Hierofolyma; tum a Hierofolyma ad Zionem, & a Zione ad Hierofolymam; per illa enim quæ funt circum Hierofolymam fignificantur exteriora Ecclefiæ, per Hierofolymam autem interiora, ac per Zionem intima. Quia hic in fenfu interno defcribitur primum elevationis veri ex Naturali homine ad Rationalem, ideo hic primum dicitur, quod affectio veri, quæ repræfentatur per Rebeccam, defcenderit ad fontem, & mox quod afcenderit; nam ut fupra n: 3074 dictum eft, Divinus amor influit in affectionem boni, & inde in affectionem veri, ac vivificat & illuftrat illa quæ in Naturali homine, ac tunc difponit illa in ordinem, hoc fignificatur per defcendere; ex eo vera elevantur e Naturali homine in Rationalem, & conjunguntur bono ibi, hoc fignificatur per afcendere.

3085. In binis his Verfibus defcribitur affectio veri quoad Originem, quoad Quale, & quoad Primum initiationis: quoad *Originem*, per hæc, quod Rebeccæ exiverit, quæ nata Bethueli filio Milckæ uxoris Nachoris fratris Abrahami, per quæ quod omnis origo illius affectionis in fenfu interno tradita fit, videatur n: 3077. 3078; quoad *Quale* per hæc, quod cadus ejus fuper humero ejus, & quod puella bona afpectu valde, per quæ quod quale defcriptum fit, videatur n: 3079. 3080. 3081; quoad *Primum initiationis*, per hæc, quod defcendit ad fontem, & implevit cadum fuum, & afcendit, videri poteft n: 3082. 3083. 3084: fed ita fe habet cum his, ficut fupra dictum, quod captum non modo vulgarem, fed etiam excultiorem humanum excedunt; quæ enim in fenfu interno in hoc Capite, & in quibufdam fequentibus, continentur, talia funt; caufa eft, quia vix in alicujus mentem venit, quod continuus influxus Divinus fit per Internum hominem in Externum, hoc eft, influxus cœleftium & fpiritualium per Rationalem in Naturalem, feu quod idem, in naturalia quæ funt Externi, & quod per influxum illum continuo Vera e Naturali homine evocentur, eleventur, ac implantentur Bono quod in Rationali; hoc ne quidem quod fiat notum eft, quid tunc omnis ille proceffus, quomodo fit, qui proceffus tantæ fapientiæ eft, quia ex Divino, ut nufquam ad unam myriadis partem queat explorari, communiffima funt quæ videri poffunt; cum itaque fic fe habet, ne miretur quifquam, quod illa quæ hic in fenfu interno funt, non ad captum defcribi queant, & quæ defcribuntur illum tranfcendant, agunt enim de hoc proceffu & illum
defcribunt;

describunt; & quoque sensus internus imprimis est pro Angelis, ob causam, ut per Verbum communicatio sit inter cœlum & hominem, & sunt illis inter delitiosa, quia cœlestis cibus non aliud est, quam omne id quod est intelligentiæ & sapientiæ, ac illis est beatum sapientiæ & intelligentiæ quicquid agit de Domino.

3086. Ut aliqua idea, tametsi communissima, haberi queat de illis, quæ hic in sensu interno continentur, sciendum, quod in toto hoc Capite agatur de Vero Divino quod conjungendum Divino Bono; quod nempe Divinum Bonum influxerit in Naturalem hominem, hoc est, in scientifica, cognitiones & doctrinalia ibi, hæc enim sunt Naturalis hominis quatenus in memoria ejus, & quod per influxum illum, omnia quæ ibi, illustraverit, vivificaverit, & disposuerit in ordinem, omnis enim lux, vita, & ordo in naturali homine est ex influxu ex Divino, ut cuivis, si attendit, notum esse potest; per influxum illum existit affectio, primum affectio communis veri, de qua affectione in binis his Versibus agitur, de ejus origine, n: 3077. 3078, de ejus quali, n: 3079. 3080. 3081, de primo initiationes, n: 3082. 3083. 3084: in illis autem, quæ nunc immediate sequuntur, describitur in sensu interno processus ille ulterius, nempe exploratio illius veri, tum separatio maternorum quæ primum ei adjuncta, & sic porro. Sed scio, quod hæc arcaniora sint, quam ut in captum cadunt, & hoc ex causa ut dictum, quia ignota; sed quia internus sensus illa describit, & hoc quoad omnes circumstantias, non potest aliter, utcunque apparitura sint super captum, quin exponantur; ad minimum inde videri potest, quanta arcana in Verbi sensu interno sunt, tum quod talia arcana sint, quæ vix apparent in luce mundi, in qua homo est dum vivit in corpore, sed quod semper manifestius & clarius, quo a luce mundi venit in lucem cœli, in quam venit post mortem, ita in qua sunt animæ beatæ & felices, hoc est, Angeli.

3087. Vers: 17. 18. 19. 20. *Et cucurrit servus obviam illi, & dixit, sorbere fac me quæso parum aquæ e cado tuo. Et dixit, bibe Domine mi, & festinavit & demisit cadum suum super manum suam, & potare fecit illum. Et absolvit potare facere illum, & dicit, etiam camelis tuis hauriam, usque dum absolverint bibere. Et festinabat & evacuabat cadum suum ad canalem, & currebat adhuc ad puteum ad hauriendum, & hauriebat omnibus camelis illius.* Cucurrit servus obviam illi, & dixit, significat explorationem a Divino Bono: sorbere fac me quæso parum aquæ e cado suo, significat num inde aliquid veri conjungi possit: & dixit, bibe domine mi, significat reciprocum: & festinavit & demisit cadum super manum suam, significat submissionem recipientium ex potentia: & potare fecit illum, significat initiationem: & absolvit potare facere illum, significat successivum: & dicit, etiam camelis tuis hauriam usque dum absolverint bibere, significat reciprocum quoad illustrationem omnium scientificorum in naturali homine: & festinabat & evacuabat cadum suum ad canalem, significat separationem affectionis veri quæ initiabatur Bono Divino: & currebat adhuc ad puteum significat affectionem veri inferiorem:

&

& hauriebat omnibus camelis illius, significat qua illustrabantur scientifica communia.

3088. Cucurrit servus obviam illi & dixit, quod significet explorationem a Divino Bono, constat a significatione currere obviam illi, quod sit explorare num ita se habeat prout corde suo loquutus, internum sensus hoc dictat; tum ex significatione dicere, quod sit percipere, de qua sæpius prius, ita quoque explorare; quod a Divino Bono, est quia servus hic agit vicem domini sui, nempe Abrahami, tum quoque Jischaki; missus enim induit personam mittentis, ut pluries in Verbo; sicut de angelis legitur, quod primum nominentur Angeli, & dein vocentur Jehovah, ut qui apparuit Mosi in rubo, Exod: III: 2. 4. seq: & qui apparuit Gideoni, Jud: VI: 11. 12. 14: inde etiam est, quod Rebecca ad illum dicat, domine mi, Vers: seq:

3089. Sorbere fac me quæso parum aquæ e cado suo, quod significet num inde aliquid veri conjungi posset, constat ex significatione sorbere, quod simile sit ac bibere, sed in diminutivo, quia explorandum, quod bibere sit percipere, videatur n: 3071; est quoque bibere in sensu interno communicari & conjungi, & prædicatur de spirituali, sicut comedere quod prædicatur de cœlesti, n: 2187. 2343; & ex significatione aquæ, quod sit verum, de qua n: 680. 739. 2702; hic itaque per sorbere fac me quæso parum aquæ e cado tuo, significatur explorativum, num aliquid veri inde conjungi posset; cadus est recipiens in quo & e quo verum, n: 3068. 3079. Quod exploratio, inde est, quia prima affectio veri etiam aliquid secum habuit ex materno, quod separandum, n: 3040. 3078. Apud hominem regenerandum ita se habet, quod prima ejus affectio veri admodum impura sit, inest enim ei affectio usus & finis propter se, propter mundum, propter gloriam in cœlo, & similia, quæ spectant versus se, non autem versus commune, regnum Domini, minus versus Dominum: talis affectio non potest quin præcedat; usque tamen successive illa purificatur a Domino, tandem ut removeantur & conjiciantur falsa & mala quasi in peripheriam; inserviverunt usque pro mediis.

3090. Et dixit, domine mi, quod significet reciprocum, constat ex annuentia seu consensu: quid reciprocum veri cum conjungendum bono, apparet a conjugiis; inde enim conjugium, quod consensus sit ab utraque parte; hoc ducit originem a conjugio boni & veri, est voluntas a parte boni, & consensus a parte veri, inde conjunctio; hoc tametsi non apparet apud hominem cum regeneratur, hoc est, cum intrat in conjugium cœleste, usque tamen existit; hoc manifestius patet inde, quod dum regeneratur homo, instar conjugii fiet inter voluntatem & intellectum, voluntatis est bonum; intellectus est verum; ideo antiqui inter voluntatem & intellectum, ac inter singula quæ voluntatis & intellectus sunt, instituerunt conjugium, n: 54. 55.

3091. Et festinavit & demisit cadum suum super manum suam, quod significet submissionem recipientium ex potentia, constat ex significatione demittere, quod sit submissionis; a significatione cadi, quod sit recipiens, de qua

qua n: 3068. 3079; & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. Submiſſio recipientium ex potentia eſt, quod doctrinalia, cognitiones & ſcientifica, quæ ſunt recipientia, n: 3068, 3079, ſe applicent; eſt catena ſubordinationis, ita applicationis, proinde ſubmiſſionis, a Primo Vitæ, ſeu Domino, quæ in loco inferiori ſunt, quia inſervire debent ſuperiori, in ſubmiſſione erunt, abſque ſubmiſſione eorum non datur conjunctio: potentia, de qua hic, eſt a Vero, hoc ſubmittit illa quæ infra ſunt; Vero imprimis tribuitur potentia in Verbo, ideo de Vero prædicantur manus, brachia, ut & humeri, per quæ potentiæ in ſenſu interno ſignificantur, n: 878. 1085: & ipſa potentia eſt a bono, per verum, quæ apparet a vero.

3092. Et potare fecit illum, quod ſignificet initiationem, conſtat a ſignificatione potare, quod pæne ſimile ſit ac bibere, ſed potare hic involvit magis activum a parte ejus qui bibit: quod bibere ſit recipere, & quoque conjungi, videatur n: 3069. 3089, ita facere potare, eſt dare copiam recipiendi, quod eſt primum initiationis.

3093. Et abſolvit potare facere illum, quod ſignificet ſucceſſivum nempe initiationis, conſtat ex eo quod abſolvit ſeu abſolvere involvat finem actus qui præcedit, & principium actus qui ſequitur, ita ſucceſſivum; & a ſignificatione potare facere, quod ſit initiari, de qua nunc ſupra n: 3092.

3094. Et dicit, etiam camelis tuis hauriam uſque dum abſolverint bibere, quod ſignificet reciprocum quoad illuſtrationem omnium ſcientificorum in naturali homine, conſtat a ſignificatione camelorum, quod ſint ſcientifica communia in naturali homine, de qua n: 3048. 3071; & ex ſignificatione haurire nempe aquam, quod ſit inſtruere, & quoque illuſtrare, de qua n: 3058. 3071; quod reciprocum ſit patet, quia illa dixit quod faceret, & quoque fecit, nempe hauſit aquam camelis. Illuſtratio, de qua hic agitur, eſt a parte Veri, tametſi a bono per verum: cum illuſtratione ſcientificorum in naturali homine ita ſe habet, quod omnis illuſtratio ſit ex bono, nam bonum quod eſt amoris eſt comparative ſicut ſolis flamma, ex qua calor & lux, Verum autem eſt ſicut objectum, per quod flamma pellucet, inde a luce illuſtratio; ſed qualis lux inde, talis illuſtratio: non aliud eſt quod recipit bonum quam verum, at quale verum talis eſt receptio, & talis inde illuſtratio: quando itaque per verum illuſtratio, tunc apparet illuſtratio a Vero, ſicut ejus foret, tametſi eſt boni, quod ita trans verum lucet: illuſtratio etiam boni per verum penetrat ulterius, & afficit penitius, ac producit affectionem veri inferiorem, de qua mox. Lux cœli eſt ex Divino Bono Domini per Divinum Verum Ipſius; & quia per Divinum Verum in Humano Ipſius, penetrat non modo ad cœleſtes, ſed etiam ad ſpirituales, ac illuſtrat omnes qui in cœlo ſapientia & intelligentia; quæ quia inde, ideo de Divino Bono & de Divino Vero in Humano Domini, tantum in ſenſu interno Verbi agitur; hic loci de prima Veri a Bono ac Boni per Verum illuſtratione.

3095. Et feſtinabat & evacuabat cadum ſuum ad canalem, quod ſignificet ſeparationem affectionis veri quæ initiabatur bono Divino, conſtat ex ſignificatione evacuare cadum, quod ſit ſeparare verum; per cadum enim ut per

 vas

vas continens non modo significatur scientificum in quo verum, sed etiam verum in quo bonum, videatur n: 3068. 3079; hic quia de initiatione agitur, est Verum quod initiabatur bono Divino; & quia ipsum Verum nusquam conjungitur Bono nisi per affectionem suam, n: 2024. pr: 3067, nam in affectione est vita per quam conjunctio, ideo hic est affectio veri quæ intelligitur: tum ex significatione Canalis seu aqualiculi, quod sit Veri bonum, aqua enim in Canali significat verum, n: 739. 2702, ac ipse canalis simile ac lignum, nempe bonum, n: 2784. 2812; Veri bonum est quod producitur a Bono per Verum, & est sicut proles nata ex vero ut a matre, & a Bono ut a patre, omne bonum genuinum quod in naturali homine est inde, seu ex conjugio boni & veri in Rationali; hoc bonum est quod vocatur veri bonum, & significatur in Verbo per Canalem seu Aqualiculum.

3096. Et currebat adhuc ad puteum, quod significet affectionem veri inferiorem, constat a significatione putei, quod sit verum, de qua n: 2702, sed verum quod inferius est; & quia de initiatione veri hic agitur, significatur affectio inferior veri, ut nunc supra n: 3095 dictum: quæ differentia significationis fontis & putei sit in sensu interno, videatur in loco citato, quod nempe fons dicatur cum agitur de puriori & cum de superiori vero, puteus autem cum de non ita puro & cum de inferiori vero, ut quoque in hoc Capite, in quo nunc dicitur fons, nunc puteus; naturale verum est inferius verum, & affectio veri naturalis est affectio veri inferior, ex hac illustrantur proxime scientifica communia, quæ illustratio quod penetret ulterius & afficiat penitius, videatur n: 3094.

3097. Et hauriebat omnibus camelis illius, quod significet qua illustrabantur scientifica communia, constat a significatione haurire, quod sit instruere, tum illustrare, de qua n: 3058. 3071; & a significatione camelorum, quod sint scientifica communia, de qua n: 3048.

3098. Quæ a n: 3088 huc usque in sensu interno continentur, etiam talia sunt, quæ non capi queunt, nisi ab illis qui instructi sunt de internis hominis, & sunt in veris, nam per vera & secundum vera est illustratio; agitur de prima initiatione Veri in Bonum; nam, ut dictum, ipsum Bonum per Rationale influit in Naturale, ita per viam internam, ac illustrat illa quæ ibi, ipsum verum autem influit per sensuale imprimis auditus & visus in Naturale, ita per viam externam, ortus veri est inde, quod etiam cuivis potest notum esse si reflectit; sed non est conjunctio boni & veri ibi, sed in Rationali; quare inde verum evocatur, ita e naturali sphæra in spiritualem, nam Verum conjungendum Bono est spirituale: quomodo se habet cum Vero primum inde evocato, in his Versibus a n: 3087 ad 3097, agitur.

3099. Vers: 21. 22. *Et vir obstupescens illi, continens se, ad sciendum, an prosperavisset Jehovah viam suam, vel non. Et fuit, quando absolverunt cameli bibere, & accepit vir monile auri, dimidium sicli pondus ejus, & duas armillas super manus ejus, decem auri pondus earum.* Vir obstupescens illi, continens se, significat statum perceptionis quoad illa: ad sciendum an prosperavisset Jehovah

Jehovah viam suam vel non, significat de Divino Vero, quod nam: Et fuit quando absolverunt cameli bibere, significat agnitionem ex illustratione in scientificis communibus: & accepit vir monile auri, significat Divinum Bonum: dimidium sicli pondus ejus, significat quantum ad initiationem: & duas armillas, significat Divinum Verum: super manus ejus, significat potentiam affectionis veri: decem auri pondus earum, significat plenum ad initiationem.

3100. Vir obstupescens illi continens se, quod significet statum perceptionis quoad illa, constat a significatione obstupescere & se continere, quando vidit, quod illa, quæ loquutus est corde suo, evenirent, quod sit agnitionis & simul exspectationis annon ita; obstupescebat enim quia agnovit quod ita fieret, & se continebat quia exspectabat annon ita; ille status perceptionis est, qui significatur.

3101. Ad sciendum an prosperavisset Jehovah viam suam vel non, quod significet de Divino Vero quodnam, constat a significatione viæ, quod sit verum, de qua n: 627. 2333; quod Divinum, significatur per id, quod dicatur, "an prosperavisset Jehovah," quod idem est, num ex Jehovah, seu ex Divino; ita quodnam verum, nam Vera, quæ e naturali homine evocantur in rationalem, non omnia recipiuntur, solummodo illa quæ cum bono ibi concordant, ac sic per inseminationem & insertionem unum cum eo agunt: reliqua, tametsi ut vera apparuerint, antequam elevata sunt, usque non recipiuntur, quia non agnoscuntur; bonum est quod agnoscit suum verum, & verum est quod agnoscit suum bonum: quod agnitum quodnam verum, ac sic receptum, patet quoque ab illis quæ nunc sequuntur.

3102. Et fuit quando absolverunt cameli bibere, quod significet agnitionem ex illustratione in scientificis communibus, constat ex eo, quod binæ hæ expressiones, "fuit, & absolverunt," significent successivum, & involvant finem actus qui præcedit, & principium actus qui sequitur, de quo supra n: 3093, ita hic agnitionem, ut mox supra ostensum; ex significatione camelorum, quod sint scientifica communia, de qua n: 3048. 3071; & ex significatione bibere, quod hic sit idem ac haurire aquas, ut supra n: 3097, & quoque potare, ut supra n: 3058. 3071, nempe illustrari; inde patet, quod per illa verba, "& fuit quando absolverunt cameli bibere," significetur agnitio, nempe Veri Divini ex illustratione in scientificis communibus. Ipsa res ita se habet; omne Verum quod elevatur e naturali homine, hoc est, e scientificis, seu cognitionibus & doctrinalibus, nam hæc sunt naturalis hominis, in Rationalem, & ibi recipitur, primum agnoscetur quodnam sit, num concordet cum bono ibi vel non, si concordat, recipitur, & si non concordat, rejicitur, vera apparentia sunt in uno comitatu plura, sed solum illa conjunguntur, quæ bonum ibi agnoscunt, ita quæ se mutuo amant; ut autem agnoscantur quod talia sint, erit illustratio in naturali homine, per quam ibi omnia & singula uno intuitu spectari queant, ac sic possit esse electio: illustratio illa in naturali homine est a bono, sed usque per verum, videatur

 n: 3094:

n: 3094; hæc illustratio est quæ significatur per quod Rebecca hauserit camelis, potaverit illos, aut dederit iis bibere.

3103. Et accepit vir monile auri, quod significet Divinum Bonum, constat a significatione Monilis auri, quod sit bonum; & hic quia de Domino in sensu interno agitur, quod sit Divinum Bonum; quod quia e Rationali, dicitur vir, quod vir sit rationale, videatur n: 265. 749. 1007. Antiquis temporibus, cum cultus in Ecclesiis erant repræsentativi, & noverunt quid significabant, quando inirentur conjugia, solitum erat sponsæ dare monile auri ac armillas, quia Ecclesia per sponsam repræsentabatur, ejus bonum per monile, & verum per armillas; & quia notum fuit, quod amor conjugialis qui sponsæ & uxori, ex conjugio Divini boni & Divini veri Domini descenderet, n: 2508. 2618. 2727. 2728. 2729; monile auri ponebatur super nasum, ut patet quoque a sequentibus, ubi dicitur quod posuerit monile super nasum, Vers: 47, ex causa, quia Nasus significabat Boni vitam, ex respiratione quæ ibi, quæ in sensu interno est Vita, & quoque ex odore, qui est gratum amoris, cujus est bonum, n: 96. 97. Quod Monile esset insigne conjugii quoad bonum, etiam ex aliis locis in Verbo constat, ut apud Ezechielem, "Ornavi te ornatu, & dedi *armillas super manus tuas*, & torquem super guttur tuum, & dedi *Monile super nasum tuum*," XVI: 11. 12, ubi de Antiqua Ecclesia, quæ ibi Hierosolyma, quæ describitur sicut sponsa, cui armillæ, torques, & monile, data, armillæ super manus erant insigne repræsentativum veri, & monile super nasum insigne repræsentativum boni. Apud Esaiam, "Quia extollunt se filiæ Zionis, decalvabit Dominus verticem illarum, & removebit annulos & *monilia nasi*, mutatorias vestes, amicula," III: 16. 17. 21. 22; filiæ Zionis quæ se extollunt, pro affectionibus mali intra Ecclesiam, n: 2362. 3024; annuli & monilia nasi quæ removebuntur, pro bono & ejus insignibus, mutatoriæ vestes ad amicula pro vero & ejus insignibus. Apud Hoscheam, "Visitabo super illam dies balium, quibus suffivit, & *induit monile suum*, & ornatum suum, & ivit post amasios suos," II: 13; ubi de Ecclesia perversa, & de nova post illam, monile etiam pro insigni boni Ecclesiæ. Cum Monilia illa aptabantur auribus, significabant etiam bonum, sed bonum actu, ac in opposito sensu malum actu, ut Genes: XXXV: 4. Exod: XXXII: 2. 4.

3104. Dimidium sicli pondus, quod significet quantum ad initiationem, constat a significatione sicli, dimidii sicli, & ponderis; quod siclus sit pretium seu æstimatio boni & veri, & quod dimidium sicli sit determinatio quanti ejus, videatur n: 2959; quod pondus significet statum rei quoad bonum, videbitur; ex his patet, quod dimidium sicli pondus significet & involvat quantum quoad bonum per monile auri intellectum; quod ad initiationem, sequitur ab illis quæ præcedunt & quæ sequuntur. Quod pondus sit status rei quoad bonum, patet ab his locis in Verbo, apud Ezechielem, "Propheta *cibum comederet pondere* 20 siclorum in diem, & *aquam juxta mensuram biberet* sextam hinis: quia ecce Ego frangens baculum panis in Hiero-

Hierosolyma, ut *comedant panem in pondere* & in sollicitudine, & *aquas in mensura* & cum stupore *bibant*, ut careant pane & aqua," IV: 16. 17, ubi de vastatione boni & veri, cujus repræsentatio per Prophetam, status vastati boni significatur per quod cibum & panem comederent in pondere, & status vastati veri per quod aquam juxta mensuram biberent, quod panis sit cœleste ita bonum, videatur n: 276. 680. 2165. 2177, & quod aqua sit spirituale, ita verum, n: 739. 2702. 3058; inde patet, quod pondus prædicetur de bono, & mensura de vero: apud Eundem, "*Lances* justitiæ, *Epha* justitiæ, & *Bath* justitiæ, erit," XLV: 10, seq: ibi de terra sancta, per quam quod Regnum Domini in cœlis significetur, ex singulis ibi apud Prophetam sciri potest, ubi non lances, epha, bath, erunt, sed bona & vera, quæ per pondera illa & per mensuras illas, significantur. Apud Esaiam, "Quis mensus in pugillo suo aquas, & cœlos palmo paravit, & complexus in trientali pulverem terræ, & *appendit lance montes*, & *colles*, *trutinis*," XL: 12; appendere lance montes & colles trutinis, pro quod a Domino cœlestia amoris & charitatis, & quod solus disponat status eorum; quod montes & colles, de quibus prædicantur pondera illa, sint cœlestia amoris, videatur n: 795. 796. 1430. 2722. Apud Danielem, Scriptura super parietem palatii Belschazaris; Mene, Mene, Thekel, Upharsin; hæc interpretatio, *Mene*, numeravit Deus regnum tuum & finivit illud; *Thekel*, *appensus es in trutinis*, & deprehensus es deficiens; *Perez*, divisum est regnum tuum, & datum Medo & Persæ," V: 25. 26. 27. 28, ubi mene seu numeravit prædicatur de vero, at thekel seu appensus in trutinis de bono; agitur ibi in sensu interno de consummatione.

3105. Et duas armillas, quod significet Divinum Verum, constat ex significatione armillarum, quod sit Verum, & hic quia in sensu interno de Domino agitur, quod sit Divinum Verum; duæ dicuntur, quia sic plenum: ponebantur illæ super manus sponsæ, ex causa, quia per sponsam significabatur Ecclesia, & per manus ejus potentiæ a vero, quod manus prædicentur de vero, videatur n: 3091: quod armillæ significent talia, constare potest apud Ezechielem, Cap: XVI: 11. 12, de quo supra n: 3103; & quoque apud Eundem, Cap: XXIII: 42; tum quod armillæ non modo sponsæ, sed etiam Regi essent, at Regi super brachio, ut constat 2 Sam: I: 10, ex causa, quia Regium erat repræsentativum & significativum Divini Veri quod Domino, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009; & brachium significativum potentiæ, n: 878.

3106. Super manus ejus, quod significet potentiam affectionis veri, constat a significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3091; & a repræsentatione Rebeccæ, quæ hic est, *ejus*, quod sit affectio veri, de qua n: 2865. 3077.

3107. Decem auri pondus earum, quod significet plenum ad initiationem, constat a significatione decem, quod etiam sit status plenus, sicut centum, de qua n: 1988. 2636; ex significatione auri, quod hic est genus nummi ex cujus pondere æstimatio; & ex significatione ponderis, quod sit status rei quoad

quoad bonum, de qua supra n: 3104; inde patet, quod decem auri pondus significet plenum æstimati statum quoad bonum: quod ad initiationem, constat a singulis in hoc Capite, in quo de initiatione agitur, seu de desponsatione.

3108. Agitur in binis his Versibus de initiatione veri in bonum, sed qualis hæc initiatio sit, non facile cadit in ideam cogitationis apud aliquem, qui modo illustratus est a talibus quæ sunt lucis mundi, nisi simul a talibus quæ sunt lucis cœli, ex qua illa quæ sunt lucis mundi illustrentur; qui non in bono sunt & inde in fide, non alias ideas cogitationis habent quam quæ formatæ sunt ab objectis lucis mundi; ii nec sciunt quod spirituale est, ne quidem quid rationale in genuino sensu, sed modo naturale, cui tribuunt omnia; quæ etiam causa est, quod hæc quæ in sensu interno de initiatione veri in bonum, dicuntur, iis remotiora sint, quam ut appareant quod sint aliquid; cum tamen illa sunt iis qui in luce cœli, inter pretiosa. Ita se habet cum initiatione veri in bonum, quod antequam verum initiatum est ac rite conjunctum, sit quidem apud hominem, sed non factum sicut ejus, aut sicut proprium; ut primum autem initiatur ejus bono, tunc appropriatur ei; evanescit tunc e memoria ejus externa, & transit in internam, seu quod idem, evanescit in naturali seu externo homine, & transit in rationalem seu internum, & induit ipsum ac facit humanum ejus, hoc est, quale ejus quoad humanum; ita se habet cum omni vero quod conjungitur bono ejus; similiter etiam se habet cum falso quod conjungitur malo, quod vocat bonum; sed differentia est, quod illud aperiat rationale, & sic faciat hominem rationalem; hoc autem claudat rationale, & faciat hominem irrationalem, tametsi videatur sibi, in tenebris in quibus tunc est, quod supra alios rationalis sit.

3109. Vers: 23. 24. 25. *Et dixit, filia cujus tu, indica quæso mihi, an est domo patris tui locus nobis ad pernoctandum. Et dixit ad illum, filia Bethuelis ego, filii Milckæ, quem genuit Nachori. Et dixit ad illum, etiam stramen, etiam pabulum multum nobiscum, etiam locus ad pernoctandum.* Dixit, filia cujus tu, significat explorationem ulteriorem de innocentia: indica quæso mihi, an est domo patris tui locus nobis ad pernoctandum, significat explorationem de bono charitatis: Et dixit ad illum, filia Bethuelis ego, filii Milckæ, quem genuit Nachori, significat, hic ut prius, omnem originem ejus: Et dixit ad illum, significat perceptionem: etiam stramen, significat vera scientifica: etiam pabulum multum nobiscum, significat bona eorum: etiam locus ad pernoctandum, significat statum.

3110. Dixit, filia cujus tu, quod significet explorationem ulteriorem de innocentia, constat ex interrogatione, cujus filia, quod sit exploratio, hic quod ulterior, patet ab illis quæ prius n: 3088 & 3101; quod de innocentia, constat ex significatione puellæ, quod sit affectio in qua innocentia, de qua n: 3067, hic quidem non puella nominatur, sed quia supra Vers: 14 & 16, Rebecca vocatur puella, & ad illam hic interrogatio, non aliud quam puella per Tu hic significatur. Quod ipsam rem attinet, nempe quod verum exploratum sit, qua innocentia esset, & mox quoque qua charitate, antequam initiatum

initiatum bono, & conjunctum ei, non poteſt quin mirabile appareat illis, qui nullam ejus rei cognitionem haberet; ſed uſque ſciant, quod circa initiationem & conjunctionem veri cum bono apud unumquemvis hominem exquiſitiſſima exploratio ſit, ac talis ut excedat omnem ejus fidem; ad ipſiſſimum bonum nuſquam admittitur aliquid niſi ipſiſſimum verum; cum aliquid non ita verum alluit, non conjungit ſe cum ipſo bono, ſed cum aliquo bono quod in ſe bonum non eſt, ſed apparet ſicut bonum; ſi falſum alluit, recipit ſe bonum introrſum, & ſe extrinſecus conjungit cum aliquo malo, quod bonum credit; hæc diſpoſitio Divina ſit a Domino, mediis ſpiritibus & angelis, & eſt arcaniſſima in hoc mundo, ſed notiſſima in altero; quiſque etiam qui ſanæ rationis eſt, id poteſt ſcire, ad minimum capere; malum enim & falſum eſt infernum ac influit ab inferno; bonum & verum autem eſt cœlum, etiam per cœlum influit a Domino; quia ita eſt, malum & verum non magis poſſunt conjungi, quam infernum ad cœlum; quapropter exquiſitior trutina in his eſt, quam uſquam aliquis credere poteſt; hoc nunc eſt quod intelligitur per explorationem.

3111. Indica quæſo mihi, an eſt domo patris tui locus nobis ad pernoctandum, quod ſignificet explorationem de bono charitatis, conſtat ex ſignificatione indica quæſo mihi, an, quod ſit exploratio; ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 2048. 2234. 2331; ex ſignificatione patris hic, nempe Bethuelis, quod ſit bonum charitatis quale apud gentes probiores, de qua n: 2865; ipſa etiam origo affectionis veri, quam Rebecca repræſentat, fuit ex tali bono; & ex ſignificatione loci ad pernoctandum, quod ſit ſtatus manendi, de qua infra n: 3115. Quod exploratio de origine affectionis veri quoad innocentiam & quoad bonum charitatis, in ſenſu interno deſcribatur cauſa eſt, quia Verum, quod initiandum & conjungendum eſt bono, non aliunde primam originem ducat, ut conſtare poteſt ab omnibus illis, apud quos verum recipitur & innubitur bono; intra Eccleſiam, qui non aliquid innocentiæ & charitatis erga proximum habent, verum utcunque norunt, & ore profitentur, nuſquam tamen corde agnoſcunt; extra Eccleſiam, Gentiles qui ad verum fidei vocantur, aut de illo in altera vita inſtruuntur, non alii recipiunt, quam qui in innocentia ſunt, ac inter ſe in mutua charitate vivunt; innocentia enim & charitas faciunt humum, in qua ſemina veri poſſint radicem agere & egerminare.

3112. Et dixit ad illum, filia Bethuelis ego, filii Milckæ, quem genuit Nachori, quod ſignificet omnem originem ejus, nempe affectionis veri, conſtat ex repræſentatione Bethuelis, tum Milckæ, & Nachoris, quod ſit origo affectionis veri, quæ repræſentatur per Rebeccam, videatur n: 3078.

3113. Et dixit ad illum, quod ſignificet perceptionem, conſtat a ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere in ſenſu interno, de qua ſæpius prius.

3114. Etiam ſtramen, quod ſignificet vera ſcientifica; etiam pabulum multum, quod ſignificet bona eorum, conſtat a ſignificatione ſtraminis & pabuli: quod ſtramen ſignificet vera ſcientifica, inde eſt, quia prædicatur de camelis,

camelis, quibus tale est cibus; cum enim per camelos significatur Naturalis homo quoad communia scientifica ibi, tunc per cibum ejus, nempe per stramen, non aliud significari potest, non enim ei alius cibus est, qui vitæ ejus, nutritio ejus est inde; si enim ei deficeret talis cibus, nempe scire, non subsisteret; quod ita sit, patet a vita post mortem, tunc enim talia spiritibus loco cibi sunt, videatur n: 56. 57. 58. 680. 681. 1480. 1695. 1973. 1974. In naturali homine, sicut in rationali, sunt duo in communi, quæ constituunt essentiam ejus, nempe intellectualia & voluntaria; ad intellectualia pertinent vera, ad voluntaria pertinent bona; vera naturalis hominis sunt vera scientifica, quæcunque nempe in Memoria ejus externa sunt, hæc sunt quæ significantur per stramen cum agitur de camelis, etiam de equis, mulis & asinis; bona autem naturalis hominis, sunt jucunda imprimis quæ sunt affectionis illorum verorum.

3115. Etiam locus ad pernoctandum, quod significet statum, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837; & a significatione pernoctare, quod sit manere seu mansionem habere; de qua n: 2330; hic itaque status affectionis veri ex qua origine; ejus origo describitur per illa, quæ repræsentantur per Bethuelem, Milckam, & Nachorem, ac ejus affinitates per Labanem in sequentibus; quæ origo, quia obscura, significatur status ejus per locum pernoctationis, ut quoque supra.

3116. In his tribus Versibus agitur de exploratione veri quod initiandum & sic conjungendum bono, & quidem imprimis ex qua origine, nam ab origine omnia & singula dependent; derivationes inde ut e radice sua, seu ut e semine suo, trahunt suam formam, sicut a suis planta aut arbor: hæc Dominus apud Se ex Divino vidit & exploravit, & ex propria sapientia & intelligentia initiavit, nempe vera bono Rationalis; ipsa exploratio hic in sensu interno describitur, sed quæ ibi, paucissimis explicari possunt: Exploratio quoque est apud unumquemvis hominem qui reformatur, tum qui reliquias accipit, sed de exploratione illa homo ne hilum novit, est ei ita in obscuro, ut ne quidem credat quod sit, cum tamen omnibus momentis sit, sed a Domino, qui solus videt statum hominis, non modo præsentem, sed etiam futurum in æternum. Exploratio est exquisitissima libratio, ne minimum falsi conjungatur bono, nec minimum veri conjungatur malo; si hæc, periret homo in æternum; penderit enim tunc in altera vita inter infernum & cœlum, & propter bonum exspueretur ab inferno, & propter malum a cœlo.

3117. Vers: 26. 27. *Et inflexit se vir, & incurvavit se Jehovæ. Et dixit, Benedictus Jehovah Deus domini mei Abrahami, qui non dereliquit misericordiam suam, & veritatem suam, a cum domino meo; ego in via, duxit me Jehovah domum fratrum domini mei.* Inflexit se vir, & incurvavit se Jehovæ, significat lætitiam & gaudium: Et dixit, Benedictus Jehovah Deus domini mei Abrahami, significat hic ut prius, ex Divino Ipso & Divino Humano: qui non dereliquit misericordiam suam, significat perceptionem influxus amoris: & veritatem suam a cum domino meo, significat influxum charitatis inde: ego in via, significat quod in statu conjunctionis veri cum bono in Rationali;

duxit

duxit me Jehovah domum fratrum domini mei, ſignificat quoad ad bonum veri.

3118. Inflexit ſe vir & incurvavit ſe Jehovæ, quod ſignificet lætitiam & gaudium, conſtat a ſignificatione inflectere ſe & incurvare ſe, quod ſit lætari & gaudere; inflexio & incurvatio ſunt geſtus humiliationis, ſeu humiliatio in actu, tam in ſtatu doloris quam in ſtatu gaudii; in ſtatu doloris, quando non evenit quod optatur, in ſtatu gaudii quando evenit, ut hic quod Rebecca ſecundum votum cordis ejus, dedit ei ex cado ſuo bibere, & quoque potavit camelos; quod incurvatio ſit geſtus quoque gaudii, videatur n: 2927. 2950: Lætitia dicitur & gaudium, ex cauſa quia Lætitia in Verbo prædicatur de Verbo, gaudium autem de Bono; eſt quoque lætitia faciei, ſed gaudium cordis, ſeu quod idem, eſt lætitia affectionis ſpiritualis ſeu veri, gaudium autem affectionis cœleſtis ſeu boni, ita lætitia in minori gradu eſt quam gaudium, ſicut quoque inflexio quam incurvatio; quod quoque patet ex eo, quod homo ſpiritualis Eccleſiæ coram Domino ſe modo inflectat & gratiam invocet, at homo cœleſtis Eccleſiæ coram Domino ſe incurvet & miſericordiam imploret, n: 598. 981. 2423; utrumque hic dicitur, ob conjugium veri & boni in ſingulis Verbi, n: 683. 793. 801. 2516. 2712.

3119. Et dixit, Benedictus Jehovah Deus domini mei Abrahami, quod ſignificet ex Divino Ipſo & Divino Humano, conſtat ab illis quæ ſupra n: 3061, dicta ſunt, ubi eadem verba, præter quod hic dicatur Benedictus; Benedictus Jehovah erat formula gratiarum actionis, ita quoque gaudii & lætitiæ, quod optata evenerint; præterea quid antiqui intellexerunt per id quod benedicerent Jehovæ, videatur n: 1096. 1422.

3120. Qui non dereliquit miſericordiam ſuam, quod ſignificet perceptionem influxus amoris, conſtat a ſignificatione miſericordiæ, quod ſit amor, de qua n: 1735. 3063. 3073; quod, non dereliquit miſericordiam ſuam, ſit perceptio influxus amoris, inde eſt, quia ſunt verba agnitionis & confeſſionis, & omnis agnitio & confeſſio eſt ex perceptione influxus.

3121. Et veritatem ſuam a cum domino meo, quod ſignificet influxum charitatis inde, conſtat ex ſignificatione veritatis, quod ſit charitas; Veritas in proprio ſenſu ſignificat idem quod fides, etiam in Lingua Hebræa fides per talem vocem exprimitur, ſic ut quod dicitur Veritas in Verbo Veteris Teſtamenti, paſſim dicatur fides in Verbo Novi Teſtamenti; quare etiam toties in præcedentibus dictum, quod Verum ſit fidei, & Bonum ſit amoris: at quod fides in ſenſu interno nihil aliud ſit quam charitas, videantur quæ ſæpius prius dicta & oſtenſa ſunt; ut quod nulla fides niſi per amorem, n: 30. 31 ad 38; quod fides nuſquam detur niſi ubi charitas, n: 654. 724. 1162. 1176. 2261; quod fides ſit fides charitatis, n: 1608. 2049. 2116. 2419. 2340. 2349; quod Charitas faciat Eccleſiam, non fides ſeparata a charitate, n: 809. 916. 1798. 1799. 1834. 1844. 2190. 2228. 2442; inde patet, quod Veritas ſeu fides in ſenſu interno ſit idem ac charitas; eſt enim omnis fides ex charitatate, quæ fides non inde non eſt fides, ſeu quod idem, quod omne verum in ſenſu interno ſit bonum, eſt enim omne verum

ex bono, id verum quod non inde non eſt verum, verum enim non aliud eſt quam forma boni, n: 3049, non aliunde eſt nativitas ejus, nec aliunde eſt vita ejus.

3122. Præterea ita ſe habet cum veritate hac, per quam ſignificatur charitas; quod Antiquiſſimi qui fuerunt cœleſtes, per miſericordiam & veritatem quæ a Domino, non aliud intellexerint, quam receptionem influxus amoris in Dominum & inde charitatis erga proximum; at antiqui, qui fuerunt ſpirituales, per miſericordiam & veritatem a Domino apud ſe, intellexerunt charitatem & fidem; cauſa eſt, quia cœleſtes nuſquam de illis quæ ſunt fidei ſeu veri cogitarunt, ſed de illis quæ ſunt amoris ſeu boni, ut conſtare poteſt ex illis quæ prius de cœleſti homine, n: 202. 337. 2669. 2715, dicta ſunt; etiam cœleſtes homines per charitatem erga proximum, introducebantur in amorem in Dominum, cum reformabantur & regenerabantur, inde patet, quod per miſericordiam a Domino non aliud intelligatur quam perceptio influxus amoris in Ipſum, & per veritatem influxus charitatis erga proximum inde: at Spirituales aliter, ii de illis quæ ſunt fidei cogitant, ac cum reformantur & regenerantur, per illa quæ ſunt fidei, introducuntur in charitatem erga proximum; quare cum de illis agitur, per miſericordiam a Domino intelligitur influxus charitatis erga proximum, & per veritatem influxus fidei; at uſque fides hæc, cum regeneratus eſt homo ſpiritualis, fit charitas, nam tunc a charitate agit, & hoc uſque adeo, ut qui illorum non a charitate agit, non regeneratus ſit, at qui a charitate agit, is regeneratus eſt, & tunc quæ fidei ſeu veri ſunt, nihil curat, nam ex bono fidei vivit, non amplius ex vero ejus, verum enim ſe ita conjunxit bono, ut non amplius appareat, niſi modo ſicut forma boni, hoc eſt, fides non aliter quam ſicut forma charitatis: inde conſtare poteſt, quid Antiquiſſimi, & quid Antiqui, intellexerunt per Miſericordiam & Veritatem, quæ toties in Verbo nominantur, ut apud Davidem, "Rex habitabit æternum coram Deo, *Miſericordiam* & *Veritatem* para, cuſtodiant illum," Pſalm: LXI: 8: apud Eundem, "*Miſericordia* & *Veritas* occurrent; juſtitia & pax oſculabuntur," Pſalm: LXXXV: 11: apud Eundem, "Dominus Deus magnus *Miſericordia* & *Veritate*," Pſalm: LXXXVI: 15: apud Eundem, "*Veritate mea* & *Miſericordia mea* cum Ipſo," Pſalm: LXXXIX: 25: apud Eundem, "Jehovah recordatus eſt *Miſericordiæ ſuæ* & *Veritatis ſuæ* domui Iſraelis," Pſalm: XCVIII: 3: apud Eundem, "Jehovah, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam, ob *Miſericordiam tuam* & *Veritatem tuam*," Pſalm: CXV: 1. Apud Micham, "Jehovah Deus dabit *Veritatem* Jacobo, *Miſericordiam* Abrahamo, quam juraſti patribus noſtris a diebus antiquitatis," VII: 20, ubi Jacobus pro externo homine, Domini Abraham pro interno quoad humanum: apud Hoſcheam, "Lis Jehovæ cum habitatoribus terræ, quia nulla *Veritas*, & nulla *Miſericordia*, & nulla cognitio Dei," IV: 1, nulla veritas pro nulla receptione influxus charitatis; nulla miſericordia pro nulla receptione influxus amoris; nulla cognitio Dei pro nulla receptione influxus veri fidei.

3123. Quod

3123. Quod ego in via, significet quod in statu conjunctionis veri cum bono in rationali, constat a significatione viæ, quod sit verum, de qua n: 627. 2333; hic in via, quod sit conjunctio veri cum bono in rationali, quia in hoc Capite de illa re agitur, videatur n: 3012. 3013; tunc enim dicitur aliquis esse in via, cum illuc, quo intendit, progreditur.

3124. Quod duxit me Jehovah domum fratrum domini mei, significet quod ad bonum veri, constat a significatione fratrum domus, ex qua Rebecca, quod sit bonum ex quo verum: quod domus fratrum sit bonum, hic ex quo verum, constat a significatione domus quod sit bonum, de qua n: 2233. 2234. 2559; & fratrum quod sit unde id bonum ex quo verum, quod per Rebeccam repræsentatur.

3125. In illis quæ præcedunt, actum est de exploratione veri quod conjungendum bono in Rationali, quoad innocentiam, quoad charitatem, & quoad originem; nam quoniam Dominus suum Rationale ex propria potentia Divinum fecit, sicut quoad bonum ita quoad verum, idcirco Ipse exploravit verum, quod conjunxit bono: apud homines autem verum conjungitur bono nusquam ex propria, sed ex Domini potentia; quod evidens potest esse ex eo, quod omne bonum & verum influat a Domino, quodque omnis reformatio & regeneratio sit a Domino, & quod homo ne hilum sciat quomodo regeneratur; hodie ne quidem, quod regeneretur per verum & bonum, minus quod bono initietur & conjungatur verum, & hoc fiat quasi exploratione, hoc est, exactissime: in his binis Versibus actum est de perceptione, quale & unde esset verum, & simul de gaudio propter id; ideo in nunc sequentibus agitur de initiatione.

3126. Vers: 28. 29. 30. *Et cucurrit puella, & indicabat domui matris suæ, juxta verba illa. Et Rebeccæ frater, & nomen ejus Laban, & currebat Laban ad virum foras ad fontem. Et fuit, ut videre monile & armillas super manibus sororis suæ, & ut audire eum verba Rebeccæ sororis suæ, dicendo, ita loquutus ad me vir; & venit ad virum, & ecce stans apud camelos apud fontem.* Cucurrit puella, significat animum affectionis illius: & indicabat domui matris suæ juxta verba illa, significat ad bonum quodcunque naturale quo illustratio pervenire potuit: Et Rebeccæ frater, significat affectionem boni in naturali homine: nomen ejus Laban, significat quale affectionis illius: & currebat Laban ad virum foras ad fontem, significat animum ejus erga verum quod initiandum Vero Divino: Et fuit, ut videre monile & armillas super manibus sororis suæ, significat cum apperciperet Divinum Bonum & Divinum Verum in potentia affectionis veri, quæ est soror: & ut audire eum verba Rebeccæ sororis suæ, significat ejus inclinationem: dicendo, ita loquutus ad me vir, significat propensionem veri in naturali homine: & venit ad virum, significat quod se adjungeret: & ecce stans apud camelos, significat præsentiam in scientificis communibus: apud fontem, significat illorum illustrationem a Vero Divino.

3127. Cucurrit puella, quod significet animum affectionis illius, constat ex significatione currere, quod sit propensionis seu animi; & ex signifi-

catione puellæ, quod ſit affectio in qua innocentia, de qua ſupra n: 3067. 3110.

3128. Et indicabat domui matris ſuæ juxta verba illa, quod ſignificet ad bonum quodcunque naturale quo illuſtratio pervenire potuit, conſtat ex ſignificatione domus matris, quod ſit bonum externi hominis, hoc eſt, bonum naturale; quod domus ſit bonum, videatur n: 2233. 2234. 2559; & quod externum hominis ſeu naturale ſit ex matre, internum autem ex patre, n: 1815: bonum apud hominem in Verbo comparatur domui, ac propterea homo qui in bono vocatur domus Dei; ſed bonum internum vocatur domus patris, bonum autem quod in eodem gradu eſt dicitur domus fratrum, at bonum externum, quod idem eſt ac naturale, appellatur domus matris; omne etiam bonum & verum ita naſcitur, nempe per influxum boni interni ut patris, in bonum externum ut matris: quia in hoc Verſu de origine veri quod conjungendum bono in Rationali, agitur, ideo dicitur quod Rebecca, per quam illud Verum repræſentatur, cucurrerit ad domum matris, inde enim origo Veri; nam ut ſupra dictum & oſtenſum, omne bonum influit per viam internam ſeu per viam animæ in hominis rationale, & per id in ejus ſcientificum, uſque in ſcientificum ſenſuale, & per illuſtrationem ibi facit ut videantur vera, inde vera evocantur, & forma naturali exuuntur, & bono conjunguntur in media via, nempe in rationali, & ſimul faciunt hominem rationalem, & tandem ſpiritualem: ſed quomodo hæc fiunt, homini prorſus ignotum eſt, quoniam hodie vix ſcitur quid bonum, & quod diſtinctum a vero, minus quod reformetur homo per influxum boni in verum, & per utriuſque conjunctionem; nec ſcitur quod rationale ſit diſtinctum a naturali, cum hæc, quæ communiſſima ſunt, ignorantur, nequicquam ſciri poteſt, quomodo initiatio veri in bonum, & utriuſque conjunctio fit, de quibus in ſenſu interno in hoc Capite agitur; at quia hæc arcana revelata ſunt, ac patent illis qui in bono ſunt, hoc eſt, qui Angelicæ mentes ſunt, ideo, utcunque aliis obſcura apparitura ſint, uſque arcana illa, quia in ſenſu interno ſunt, exponenda erunt. De illuſtratione a bono per verum in homine naturali, qui hic domus matris dicitur, ita ſe habet; Divinum Bonum apud hominem influit in ejus rationale, & per rationale in ejus naturale, & quidem in ejus ſcientifica, ſeu cognitiones & doctrinalia ibi, ut dictum eſt, ac ibi per inaptationem format ſibi vera, per quæ tunc illuſtrat omnia quæ in naturali homine ſunt; at ſi vita naturalis hominis talis eſt, ut non recipiat Divinum bonum, ſed id vel repellit, vel pervertit, vel ſuffocat, tunc Divinum Bonum non inaptari poteſt, ita nec formare ſibi vera, inde nec amplius illuſtrari poteſt naturale, nam illuſtratio in naturali homine fit a bono per vera, & cum nulla amplius illuſtratio, nulla poteſt dari reformatio: hæc cauſa eſt, quod in ſenſu interno multis quoque agatur de naturali homine, qualis ſit, ita unde verum, quod nempe ex bono ibi.

3129. Et Rebeccæ frater, quod ſignificet affectionem boni in naturali homine, conſtat a ſignificatione fratris & ſororis in Verbo, nempe quod frater ſit affectio boni, & ſoror affectio veri, de quibus n: 367. 2360. 2508. 2524; ſunt

ſunt enim in naturali homine, ſicut in rationali, omnium, quæ ibi, conſanguinitates & affinitates, n: 2556. 2739; inde quoque eſt, quod mens tam rationalis quam naturalis dicatur domus ſeu familia, ubi parentes, fratres, ſorores, conſanguinei, & affines ordine.

3130. Nomen ejus Laban, quod ſignificet quale affectionis illius, conſtat a ſignificatione nominis, quod ſit quale alicujus, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009, 2724, hic ideo Laban, quale affectionis illius, de qua agitur.

3131. Et currebat Laban ad virum foras ad fontem, quod ſignificet animum ejus, nempe affectionis boni, erga verum, quod initiandum Vero Divino, conſtat ex ſignificatione currere, quod ſit propenſionis ſeu animi, ut ſupra n: 3127; ex repræſentatione Labanis, quod ſit affectio boni, de qua mox ſupra n: 3129. 3130; ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 265. 749. 1007; & ex ſignificatione fontis, quod etiam ſit verum, hic verum Divinum, de qua n: 2702. 3096, & infra n: 3134. Ex his & cæteris, de quibus actum conſtare poteſt, qualis eſt ſenſus internus, & quæ arcana ſunt ibi; quis ſcire poteſt, niſi ex interiore ſcrutatione Verbi, & ſimul ex revelatione, quod hæc, nempe currebat Laban ad vivum foras ad fontem, ſignificet animum affectionis boni erga Verum quod initiandum Vero Divino, uſque tamen hæc ſunt quæ percipiunt Angeli, cum hæc verba leguntur ab homine; tales enim correſpondentiæ ſunt inter ideas hominis & ideas angeli, ut dum homo capit illa ſecundum ſenſum literæ, & ideam habet Labanis quod cucurrerit ad virum foras ad fontem, Angelus percipiat animum affectionis boni erga verum quod initiandum Vero Divino; Angelis enim nulla ideæ eſt Labanis, nec currendi, nec fontis, ſed idea ſpirituales illis correſpondentes, quod talis ſit correſpondentia rerum & inde idearum naturalium & ſpiritualium, etiam conſtare poteſt ex illis quæ de correſpondentiis n: 1563. 1568. 2763. 2987 ad 3003. 3021, dicta ſunt. Quod ipſam rem attinet, quod nempe verum initiandum vero Divino, ita ſe habet, quod primum verum in Naturali homine, non fuerit verum Divinum, ſed Verum apparens ſicut Divinum; omne enim Verum in ſua prima infantia non eſt Verum, ſed apparens veri, progreſſu tamen temporis exuit apparentiam, & induit eſſentiam veri hoc ut capiatur, illuſtrari poteſt exemplis, pro tempore, hoc unico; Verum Divinum eſt, quod Dominus nuſquam iraſcatur, nuſquam aliquem puniat, minus alicui malum faciat, & quod a Domino nuſquam aliud veniat quam bonum; hoc Verum in prima ſua infantia uſque ita ſe habet, nempe quod Dominus iraſcatur cum aliquis peccat, quodque Dominus ideo puniat, imo apud quoſdam, quod malum a Domino; ut autem progreditur homo ab infantia, & adoleſcit ac matureſcit judicio, illud, quod fuit ei ſicut verum ex apparentia quod ita eſſet, exuit, & paullatim induit ipſum verum, nempe quod Dominus nuſquam iraſcatur, nec puniat, minus malum faciat, ita per illud verum initiatur in hoc; eſt enim commune quod primum intrat, quod in ſe obſcurum eſt, in quo vix aliquid apparet, priuſquam illuſtratum eſt per particularia, & hæc per ſingularia, & tunc cum illuſtratum eſt,

eſt, interiora patent: ita fallaciæ & apparentiæ, quæ ſunt vera tempore ignorantiæ, diſſipantur & diſcutiuntur.

3132. Et fuit, ut videre monile & armillas ſuper manibus ſororis ſuæ, quod ſignificet cum apperciperet Divinum Bonum & Divinum Verum in potentia affectionis Veri, quæ ſoror, conſtat a ſignificatione videre, quod ſit appercipere, de qua n: 2150; ex ſignificatione monilis, quod ſit Divinum bonum, de qua n: 3103. 3105; ex ſignificatione armillarum, quod ſit Divinum Verum, de qua etiam n: 3103. 3105; ex ſignificatione manuum, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3091; & ex ſignificatione ſororis, quod ſit affectio veri, de qua n: 2508. 2524. 2556; ex quibus patet, quod videre monile & armillas ſuper manibus ſororis ſuæ, ſit appercipere Divinum Bonum & Divinum Verum in potentia affectionis veri. Hoc ita ſe habet, conjunctio Divini Boni & Divini Veri in Domino, eſt ipſum conjugium Divinum, ex quo conjugium cœleſte, quod ſimiliter eſt boni & veri, ex illo etiam eſt amor conjugialis, videatur n: 2727 ad 2759; inde eſt, ubi in Verbo agitur de conjugio, quod in ſenſu interno ſignificetur conjugium cœleſte, quod eſt boni & veri, ac in ſupremo ſenſu conjugium Divinum, quod in Domino; quapropter hic per conjugium inter Jiſchakum & Rebeccam non aliud intelligitur; conjunctio boni & veri eſt ipſum conjugium, initiatio autem eſt deſponſatio, ſeu ſtatus præcedens conjugium; at ſtatus præcedens deſponſationem, eſt qui hic deſcribitur; in hoc ſtatu, ſicut in potentia puellæ eſt deſponſari, & dein ut uxor conjungi marito, ita in potentia affectionis veri eſt initiari Divino Vero, & ſic conjungi Divino Bono: & præterea in prima & dein in omni affectione Veri apud Dominum, erat intime ipſum Divinum Bonum & Divinum Verum, quia Ipſe Jehovah, inde potentia, de qua hic agitur.

3133. Et ut audire eum verba Rebeccæ ſororis ſuæ, quod ſignificet ejus inclinationem, conſtat ex affectione quæ in his Verbis, tum quæ ex illis quæ præcedunt; teſtificantur enim inclinationem a parte affectionis veri, quæ hic per Rebeccam ſororem repræſentatur.

3134. Dicendo ita loquutus ad me vir, quod ſignificet propenſionem veri in naturali homine, conſtat pariter ex affectione quæ hic, tum ex illis quæ vir ſeu ſervus Abrahami ad Rebeccam loquutus, ex quibus patet, quod ſit propenſio, & ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 265. 749. 1007, hic Verum in naturali homine a Divino, quia eſt ſervus ſenior Abrahami, per quem quod naturalis homo ſignificetur, videatur n: 3019. In Verbo imprimis prophetico ſæpius dicitur Vir, nempe Vir & uxor, Vir & fœmina, vir & habitator, tum vir & homo, ac ibi per virum in ſenſu interno ſignificatur id quod intellectus eſt, quod eſt verum; & per uxorem, fœminam, habitatorem & hominem, id quod voluntatis eſt, quod eſt bonum; ut apud Eſaiam, "Video, & *nullus vir*, & de illis & nullus conſiſiliator," XLI: 28, nullus vir pro non intelligente, ita pro non vero; apud Eundem, "Veni & *non vir*, clamavi & non reſpondens," L: 2, pariter: apud

apud Eundem, "Impegit in *platea veritas*, & rectitudo non potuit advenire, & fuit *veritas* ſublata, & recedens a malo inſanus: vidit Jehovah, & malum fuit in oculis Ipſius, quod *non judicium*, & *nullus vir*, & obſtupuit," LIX: 14. 15. 16, nullus vir manifeſte pro non intelligente, ita in ſenſu univerſali pro non vero; agitur de tempore ultimo Eccleſiæ, quando amplius nihil veri, quare dicitur, impegit in platea veritas, rectitudo non poteſt advenire, fuit veritas ſublata; quod etiam platea prædicetur de vero, videatur n: 2336, & quod judicium, n: 2235: apud Jeremiam, "Diſcurrite per *plateas* Hieroſolymæ, & videte quæſo, & cognoſcite, & quærite in vicis ejus, ſi inveniatis *virum*, ſi ſit faciens *judicium*, quærens *veritatem*," VI: 1, etiam manifeſte vir pro intelligente ac vero: apud Zephaniam, "Deſolabo *plateas* illorum, & non tranſiens, devaſtabuntur urbes illorum, & *non Vir*, & non *habitator*," III: 6, non vir pro non vero, non habitator pro non bono, n: 2268. 2451. 2712; præter multis aliis in locis.

3135. Quod venit ad virum, ſignificet quod ſe adjungeret, nempe affectio boni quæ per Labanem repræſentatur, n: 3129. 3130, cum Vero, quod per virum ſignificatur, n: 3134; utrumque in naturali homine.

3136. Et ecce ſtans apud camelos, quod ſignificet præſentiam in ſcientificis communibus, conſtat ex ſignificatione ſtare apud, quod ſit præſens eſſe; & a ſignificatione camelorum, quod ſint ſcientifica communia, de qua n: 3048. 3071.

3137. Apud fontem, quod ſignificet illorum illuſtrationem a Vero Divino, conſtat a ſignificatione fontis, quod ſit Verum, de qua n: 2702. 3096, hic verum Divinum, ut ſupra n: 3131; Verbum, quia eſt Verum Divinum, ideo fons vocatur: quod ſtare apud fontem hic involvat in ſenſu interno illuſtrationem illorum quæ in naturali homine, ex ſerie ſequitur, ubi enim Verum Divinum, ibi illuſtratio.

3138. In tribus his Verſibus agitur de præparatione & illuſtratione naturalis hominis, ut inde Verum, quod conjungendum Bono in rationali, evocaretur: ſed cum præparatione & illuſtratione ita ſe habet, ſunt binæ luces, quæ formant intellectualia hominis, Lux cœli, & Lux mundi; Lux cœli eſt a Domino, qui in altera vita Angelis eſt Sol & Luna, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530; Lux mundi eſt ex Sole & Luna, quæ coram viſu corporeo apparent; Internus homo ſuum viſum & ſuum intellectum habet a Luce cœli, Externus autem homo ſuum viſum & ſuum intellectum habet a Luce mundi; influxus lucis cœli in illa quæ ſunt lucis mundi, facit illuſtrationem, & ſimul apperceptionem, ſi correſpondentia ſit, apperceptionem veri, ſi non correſpondentia, apperceptionem falſi pro vero; ſed illuſtratio & apperceptio non dari poteſt, niſi ſit affectio ſeu amor, qui eſt calor ſpiritualis, & dat vitam illis quæ per lucem illuſtrantur; ſicut comparative lux ſolis non dat vitam vegetabilibus, ſed calor qui in luce, ut patet ex temporibus anni. In Verſibus, qui nunc proxime ſequuntur, deſcribitur præparatio ulterius, quod nempe Lux cœli, quæ eſt Divina Domini, influerit in illa quæ erant Lucis mundi in naturali Ipſius homine, ut inde verum, quod conjungendum

gendum Bono in Rationali, educeret, ita per viam ordinariam; idcirco, ut Dominus Humanum faceret Divinum, per viam ordinariam, in mundum venit, hoc eſt, voluit ſicut alius homo naſci, & ſicut alius inſtrui, & ſicut alius renaſci, ſed cum differentia, quod homo renaſcatur a Domino, ſed quod Dominus Semet Ipſum non modo regeneravit, ſed etiam glorificavit, hoc eſt, Divinum fecit; tum, quod homo per influxum charitatis & fidei novus fiat, at Dominus per amorem Divinum, qui in Ipſo, & qui Ipſius: inde videri poteſt, quod regeneratio hominis ſit imago glorificationis Domini; ſeu quod idem, quod in proceſſu regenerationis hominis ſicut in imagine, videri queat, tametſi remote, proceſſus glorificationis Domini.

3139. Verſ: 31. 32. 33. *Et dixit, veni Benedicte Jehovæ, quare ſtas foris, & ego verri domum, & locus camelis. Et venit vir domum, & ſolvit camelos, & dedit ſtramen & pabulum camelis; & aquam ad lavandum pedes ejus, & pedes virorum qui cum illo. Et ponebatur coram illo ad edendum, & dixit non edo, uſque dum loquutus ſum verba mea, & dixit loquere.* Dixit, veni Benedicte Jehovæ, ſignificat invitationem Divini apud ſe: quare ſtas foris, ſignificat aliquantum inde: & ego verri domum, ſignificat omnia parata & plena bonis eſſe: & locus camelis, ſignificat ſtatum pro omnibus quæ ipſi inſervirent: Et venit vir domum, ſignificat influxum in bonum ibi: & ſolvit camelos, ſignificat liberum illis quæ inſervitura: & dedit ſtramen & pabulum camelis, ſignificat inſtructionem in veris & bonis: & aquam ad lavandum pedes ejus, ſignificat purificationem ibi: & pedes virorum qui cum illo, ſignificat purificationem omnium, quæ illius in naturali homine: Et ponebatur coram illo ad edendum, ſignificat quod bonum in naturali homine vellet ut adpropriarentur: & dixit non edo, ſignificat renuentiam: uſque dum loquutus ſum verba mea, ſignificat antequam inſtrueretur; & dixit loquere, ſignificat deſiderium.

3140. Dixit, veni Benedicte Jehovæ, quod ſignificet invitationem Divini apud ſe, conſtat ex ſignificatione veni, quod ſit invitationis, & ex ſignificatione Benedicti Jehovæ, quod ſit Divinum: quod Benedictus Jehovah ſit ipſum Divinum, videatur n: 1096. 1420. 1422; Benedictus Jehovæ, quod ſit Divinum inde, ſequitur: Bonum eſt ipſum Divinum, at Verum eſt Divinum inde; per virum hic, qui miſſus ab Abrahamo ſignificatur Verum quod ex Divino in naturali homine, n: 3134; Verum Divinum eſt, quod vocatur Benedictus Jehovæ, & quod invitatur.

3141. Quare ſtas foris, quod ſignificet aliquantum inde, conſtare poteſt abſque explicatione: Res ita ſe habet, Divinum Rationale Domini natum eſt ab Ipſo Divino Vero conjuncto Divino Bono; Divinum Rationale eſt Jiſchakus, qui natus eſt Abrahamo, qui ibi eſt Divinum Bonum, ex Sarah quæ ibi eſt Divinum Verum, ut prius oſtenſum; Solius Domini Rationale Divinum ita natum eſt, & quidem ex Ipſo, quia ipſiſſimum Domini Eſſe fuit Jehovah ſeu Ipſum Divinum Bonum, ac ipſiſſimum Domini Eſſe inde, fuit Jehovæ, ſeu Ipſum Divinum Verum, Divinum Bonum in Rationali, quod eſt Jiſchak, ita natum eſt, quod non erat Bonum ſeparatum a Vero, ſed erat Divinum

Divinum Bonum cum Divino Vero, at utrumque ſimul dicitur Bonum in Rationali, cui conjungeretur Verum ex naturali homine, quod Verum eſt Rebecca; ut Dominus Humanum ſuum faceret Divinum, tam quoad Bonum quam quoad Verum, & hoc per viam ordinariam, ut ſupra n: 3138, dictum, non aliter fieri potuit; nam ille eſt ordo Divinus, ſecundum quem omnis regeneratio, ita ſecundum quem Domini glorificatio, n: 3138 fin: Divinum illud Bonum per Divinum Verum in Rationali, erat, quod influebat in naturalem hominem, ac omnia ibi illuſtrabat; ipſe proceſſus hic deſcribitur, quod nempe primum influxerit aliquantum remotius, quod hic intelligitur per *aliquantum inde*, & quod non præſentius vellet ante inſtructionem; via enim ordinaria eſt, quod inſtructio præcedere debeat, & quod ſecundum gradus inſtructionis fiat influxus, ac ſic continue inde verum exiſtat, quod initiatur, & dein conjungitur bono rationalis. Ex his videri poteſt, qualia arcana continentur in ſenſu interno Verbi, & quod illa arcana talia ſint, ut vix quoad communiſſima capiantur ab homine, & tamen quod Angelis evidentia ſint, una cum innumerabilibus, quæ nuſquam verbis enuntiari poſſunt.

3142. Et ego verri domum, quod ſignificet omnia parata & plena bonis eſſe, conſtat a ſignificatione verrere, quod ſit parare & impleri, de qua mox; & ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 2233. 2234. 2559, & quod ipſe homo, ex bono quod in illo, dicatur domus, n: 3128: quod verrere ſit parare & impleri, inde eſt, quia nihil aliud ab homine requiritur, quam ut verrat domum, hoc eſt, rejiciat cupiditates mali & perſuaſiones falſi inde, tunc impletur ille bonis, nam bonum a Domino continue influit, ſed in domum, ſeu in hominem purgatum a talibus quæ influxum impediunt, hoc eſt, quæ bonum influum reflectunt, vel pervertunt, vel ſuffocant; inde formula antiquis fuit, verrere ſeu purgare domum, tum verrere & parare viam; & per verrere domum intellectum eſt ſe purgare a malis, & ſic ſe preparare ut bona intrent; at per verrere viam intellectum eſt ſe parare ut vera recipiantur; nam per domum ſignificatum fuit bonum, n: 3128, & per viam verum, n: 627. 2333; ut apud Eſaiam, "Vox clamantis in deſerto, *verrite* (parate:) *viam* Jehovæ, & rectam facite in ſolitudine ſemitam Deo noſtro," XL: 3: apud Eundem, "Sternite, ſternite, *Verrite* (parate:) *viam*, removete offendiculum a via populi mei," LVII: 14: apud Eundem, "Tranſite, tranſite in portas, *Verrite* (parate:) *viam* populi, ſternite, ſternite viam, elapidate e lapide," LXII: 10: apud Malachiam, "Ecce Ego mittens angelum meum, & *Verret* (parabit:) *viam* coram Me, & ſubito veniet ad templum Dominus, quem vos quærentes," III: 1; illis in locis verrere viam pro parare ſe & præparare ad recipiendum verum; agitur ibi de adventu Domini, ad quem ſe præpararent ad recipiendum verum fidei, & per illud bonum charitatis, & per hoc ſalutem æternam: apud Davidem, "Vitem ex Ægypto proficiſci feciſti, expuliſti gentes, & plantaſti illam, *verriſti* coram illa, & radicari feciſti radicem ejus, & implevit terram," Pſalm: LXXX: 9. 10, ibi in ſenſu ſupremo de Domino; vitis ex Ægypto eſt

verum ex fcientificis, expellere gentes eft purgare a malis, verrere coram illa eft parare ut bona impleant. Verrere domum etiam in oppofito fenfu fignificat hominem, qui deprivat fe ab omnibus bonis & veris, & fic impletur malis & falfis, ut apud Lucam, "Immundus fpiritus requiem fi non invenit, dicit, revertar in *domum meam*, unde egreffus fum, quam fi veniens invenit *fcopis purgatam* & ornatam, tunc abit, & affumit feptem alios fpiritus fe pejores, & ingreffi habitant ibi," XI: 24. 25. 26. Matth: XII: 43. 44. 45.

3143. Et locus camelis, quod fignificet ftatum pro omnibus quæ ipfi infervirent, conftat ex fignificatione loci, quod fit ftatus, de qua n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 2625; & ex fignificatione camelorum, quod fint fcientifica communia, de qua n: 3048. 3071, quæ quod fint fervitia, videatur n: 1486. 3019. 3020, omnia enim quæ funt naturalis hominis, non alii ufui funt, quam ut inferviant fpirituali, quare etiam fervi, ancillæ, cameli, afini, in fenfu interno fignificant imprimis illa quæ naturalis hominis funt.

3144. Et venit vir domum, quod fignificet influxum in bonum ibi, conftat a fignificatione venire, hic, quod fit influere, & a fignificatione domus, quod fit bonum, de qua n: 2233. 2234. 2559.

3145. Et folvit camelos, quod fignificet liberum illis quæ infervitura, conftat a fignificatione folvere, quod fit liberum facere; & a fignificatione camelorum, quod fint fcientifica communia, ita illa quæ infervitura, ut mox fupra n: 3142: ipfa res fe ita habet, abfque Libero nufquam aliqua productio veri in naturali homine, nec evocatio inde in rationalem, & ibi cum bono conjunctio; in ftatu libero fiunt omnia illa; eft enim affectio veri ex bono, quæ facit liberum; nifi verum difcatur ex affectione, ita in libero, non implantatur, minus verfus interiora exaltatur, ac ibi fides fit: quod omnis reformatio fiat in libero, & quod omne liberum fit affectionis, & quod Dominus in libero teneat hominem, ut is poffit ex fe & proprio affici vero & bono, & fic regenerari, videatur n: 2870 ad 2893; hæc funt quæ fignificantur per quod folverit camelos, quæ nifi illa fignificarent, leviora forent quam ut memorarentur.

3146. Et dedit ftramen & pabulum camelis, quod fignificet inftructionem in veris & bonis, conftat ex fignificatione ftraminis, quod fint vera naturalis hominis, & ex fignificatione pabuli, quod fint bona ibi, de quibus fupra n: 3114; quia illa per ftramen & pabulum fignificantur, inde fequitur, quod dare ftramen & pabulum, fit inftruere in veris & bonis. Quod liberum fit propterea, ut in affectione & ex affectione veri inftruatur homo, & fic alte ufque ad fpiritualem hominem, feu ufque ad animam, infinuentur vera, ac ibi conjungantur bono, videri poteft ex illis quæ de Libero n: 2870 ad 2893, oftenfa funt; talis eft radicatio fidei, feu veri quod eft fidei, quod nifi copuletur cum bono in rationali, nufquam verum fidei accipit aliquam vitam, nec fit aliquis fructus inde; nam omne quod vocatur fructus fidei, eft fructus boni quod eft amoris & charitatis per verum quod eft fidei; nifi calor fpiritualis, qui eft bonum amoris, operatur per lucem fpiritualem quæ eft verum fidei, homo foret ficut humus gelu conftricta, ut tempore hyemis,

hyemis, quo nihil crefcit, minus fructificatur; ficut enim Lux abfque Calore nihil producit, ita Fides nihil abfque Amore.

3147. Et aquam ad lavandum pedes ejus, quod fignificet purificationem ibi, conftat ex fignificatione aquæ ad lavandum feu lavare aqua, quod fit purificare, de qua fequitur; & a fignificatione pedum, quod fint naturalia, feu quod idem, illa quæ funt in naturali homine, de qua n: 2162. In Ecclefia Repræfentativa folenne fuit aqua lavare pedes, & per id fignificare, quod fordes naturalis hominis abluerentur; fordes naturalis hominis funt omnia illa quæ funt amoris fui & amoris mundi, quæ fordes cum ablutæ funt, tunc bona & vera influunt, funt enim unice illæ, quæ impediunt influxum boni & veri a Domino; bonum enim continue a Domino influit, fed cum per Internum feu Spiritualem hominem ad ejus Externum feu Naturalem venit, illud ibi vel pervertitur, vel reflectitur, vel fuffocatur; at vero cum removentur illa quæ amoris fui & mundi funt, tunc bonum ibi recipitur, & ibi fructificatur, nam tunc homo opera charitatis exercet; ut conftare a multis poteft, ut cum modo fopiuntur illa quæ funt Externi feu Naturalis hominis, ut in infortuniis, miferiis, & morbis, tunc homo illico incipit pie cogitare, & bonum velle, & quoque pietatis opera exercere, quantum poteft; at mutato ftatu, etiam hæc mutantur: hæc per Lavationes fignificabantur in Ecclefia Antiqua; & eadem repræfentabantur in Ecclefia Judaica; quod illa in Ecclefia Antiqua fignificarentur, fed in Ecclefia Judaica repræfentarentur, erat, quia homo Ecclefiæ Antiquæ fpectabat illum ritum, ut quoddam externum in cultu, nec credebat, quod per Lavationem purificaretur, fed per ablutionem fordium naturalis hominis, quæ, ut dictum, funt illa quæ funt amoris fui & mundi; at homo Ecclefiæ Judaicæ credebat, quod per Lavationem purificaretur, nefciens, nec fcire volens, quod fignificaretur purificatio interiorum. Quod per Lavationem fignificetur ablutio a fordibus illis, conftat apud Efaiam, "*Lavate* vos, *purificate* vos, *removete malum operum veftrorum* a coram oculis meis, ceffate malum facere," I: 16, ubi lavare fe quod fit purificare fe, & removere mala, patet: apud Eundem, "Cum *laverit* Dominus *excrementum* filiarum Zionis, & fanguines Hierofolymæ *abluerit* e medio ejus, in fpiritu judicii, & in fpiritu expurgationis," IV: 4; ubi lavare excrementum filiarum Zionis, & fanguines Hierofolymæ abluere pro purificare a malis & falfis: apud Jeremiam, "*Ablue a malitia cor tuum*, Hierofolyma, propterea ut falveris, quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis tuæ," IV: 14: apud Ezechielem, "*Lavi te aquis*, & *ablui fanguines* a fuper te, & unxi te oleo," XVI: 9, de Hierofolyma, per quam ibi intelligitur Ecclefia Antiqua, lavare aquis pro purificare a falfis, abluere fanguines pro purgare a malis, ungere oleo pro implere bono tunc: apud Davidem, "*Lava me* ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me; expiabis me hyffopo, & mundabor, *lavabis me*, & præ nive albus ero," Pfalm: LI: 9, lavari manifefte pro purificari a malis & falfis inde: hæc erant quæ fignificabantur per Lavare in Ecclefia Repræfentativa, mandatum ibi repræ-

 fentationis

sentationis causa, ut lavarent Cutem, Manus, Pedes, & quoque Vestes, quando immundi facti ac mundarentur, per quæ omnia significabantur illa quæ Naturalis hominis sunt; etiam Lavacra, quæ ænea, ponebantur extra Templum, nempe Mare æneum, & Labra decem ænea, 1 Reg: VII: 23 ad 37. 38. 39; ac Labrum æris, ex quo se lavarent Aharon & filii ejus, positum erat inter Tentorium conventus & Altare, ita quoque extra Tentorium Exod: XXX: 18. 19. 21, quo etiam significatum, quod solum externa seu naturalia purificarentur; quæ nisi purificata sint, hoc est, inde remota quæ amoris sui & mundi sunt, nusquam possunt interna, quæ sunt amoris in Dominum & erga proximum, influere, ut supra dictum; ut melius sciatur, quomodo hæc se habeant, nempe quod externa purificanda sint, sint exemplo & illustrationi Bona opera, seu quod idem Bona charitatis, quæ hodie fructus fidei vocantur, hæc sunt externa quia exercitia; Bona opera sunt mala opera, nisi removeantur illa quæ sunt amoris sui & mundi, nam opera cum fiunt, antequam hæc remota sunt, apparent extus bona, sed sunt intus mala, fiunt enim vel propter famam, vel propter lucrum, vel propter sui honorem, vel propter remunerationem, ita sunt vel meritoria vel hypocritica, illa enim quæ sunt amoris sui & mundi faciunt opera illa talia; at vero cum removentur mala hæc, tunc opera fiunt bona, ac sunt bona charitatis, nempe in illis non respectus sui, mundi, famæ, remunerationis, ita illa non meritoria nec hypocritica, influit enim tunc amor cœlestis & amor spiritualis a Domino in Opera, & faciunt hæc ut sint amor & charitas actu; ac tunc Dominus per illa quoque purificat naturalem seu externum hominem, ac eum in ordinem disponit, ut recipiat correspondenter cœlestia & spiritualia quæ influunt; quod manifeste constare potest ab illis, quæ Dominus docuit, cum lavit pedes discipulorum, apud Johannem, "Venit ad Simonem Petrum, qui dicit Ipsi, Domine, Tune *meos lavas pedes*, respondit Jesus & dixit illi, quod Ego facio, tu non scis adhuc, cognosces vero post hæc; dicit Ipsi Petrus, *non lavabis pedes meos* in æternum; respondit illi Jesus, *si non lavero te*, *non habes partem Mecum*; dicit Ipsi Simon Petrus, Domine, non *pedes* meos tantum, sed & *manus* & *caput*; dicit illi Jesus, *qui lotus est*, *non opus habet*, *nisi ut quoad pedes lavetur*, *sed mundus est totus*; jam vos mundi estis, non tamen omnes," XIII: 4 ad 17; qui lotus est non opus habet nisi ut quoad pedes lavetur, significat quod qui reformatus est modo opus habeat mundari quoad naturalia, hoc est, ut inde removeantur mala & falsa, omnia tunc disponuntur in ordinem per influxum spiritualium a Domino: præterea lavare pedes erat charitatis, quod nempe non reflecterent super mala alterius; & quoque erat humiliationis, quod nempe alterum a malis, quasi a sordibus, mundaret, ut quoque a Domini verbis ibi Vers: 12 ad 17, constare potest, etiam Luc: VII: 37. 38. 44. 46. Joh: XI: 2. 1 Sam: XXV: 41. Quisque videre potest, quod lavare se non aliquem purificet a malis & falsis, sed solum a sordibus, quæ eis adhærent; at quia inter ritus in Ecclesia mandatos fuit, sequitur quod involvat aliquid peculiare, nempe lavationem spiritualem, hoc

hoc eſt, purificationem ab illis ſordibus, quæ intus adhærent homini: qui itaque inter illos noverunt hæc, & cogitarunt de purificatione cordis, ſeu remotione malorum amoris ſui & mundi e naturali homine, & omni ſtudio hoc conabantur facere, illi obierunt ritum lavationis ut cultum externum ex mandato; at qui non noverunt hoc, nec voluerunt noſſe, ſed cogitarunt, quod ſolus ritus lavandi veſtes, cutem, manus, pedes, purificaret eos, & modo talia fecerint, liceret eis in avaritia, in odiis, vindictis, immiſericordia, ſævitiis, quæ ſunt ſordes ſpirituales, vivere, illi ritum hunc coluerunt ut idolatricum; at uſque per illum repræſentare potuerunt, & per repræſentationem aliquid Eccleſiæ ſiſtere, per quod conjunctio aliqua eſſet cœli cum homine, antequam venit Dominus, ſed talis conjunctio, ut hominem ipſius Eccleſiæ parum vel nihil afficeret; Judæi & Iſraelitæ tales erant, ut nihil prorſus cogitarent de Interno homine, nec aliquid de illo ſcire vellent, ita nihil prorſus de cœleſtibus & ſpiritualibus, quæ ſunt vitæ poſt mortem, ſed uſque ne periret omnis communicatio cum cœlo, & ſic cum Domino, obſtringebantur ad ritus externos, per quos ſignificabantur interna; omnes illorum captivitates & plagæ erant in genere ob illum finem, ut Externa rite obſervarentur repræſentationis cauſa: inde nunc erat, quod Moſes Aharonem & filios ejus *ad oſtium tentorii lavaret aquis*, ut ſanctificarentur," Exod: XXIX: 4. Cap: XL: 12. Levit: VIII: 6: Quod Aharon & filii ejus *lavarent manus & pedes*, antequam intrarent in tentorium conventus, & accederent ad altare ad miniſtrandum, ut non morerentur, & quod hoc eſſet illis ſtatutum ſæculi," Exod: XXX: 18. 19. 20. 21. Cap: XL: 30. 31. "Quod Aharon, antequam indueret veſtes miniſterii, *lavaret carnem ſuam*," Levit: XVI: 4: 24. "Quod Levitæ purificarentur, per quod aſpergerentur aqua expiationis, quodque tranſire facerent novaculam ſuper carnem ſuam, & *lavarent veſtes ſuas*, & ſic puri eſſent," Num: VIII: 6. 7. "Qui comederet cadaver beſtiæ mundæ, aut diſcerptum, quod *lavaret veſtes ſuas*, & *ablueret ſe aquis*; & ſi non *lavaret ſe*, & *carnem ſuam abluerit*, portaret iniquitatem ſuam," Levit: XVII: 15. 16. "Qui tetigerit cubile fluxu affecti, aut qui ſederit ſuper vaſe, ſuper quo ille ſederat, quique tetigerit carnem ejus, *lavaret veſtes*, & *ablueret ſe aquis*, & immundus eſſet ad veſperam," Levit: XV: 5. 6. 7. 10. 11. 12, ſeq: "Qui emiſit hircum in aſaſel, *lavaret carnem ſuam*," Levit: XVI: 26. "Cum mundatus eſſet leproſus, quod *lavaret veſtes*, raderet omnem pilum ſuum, & *lavaret ſe aquis*, ac mundus eſſet," Levit: XIV: 8. 9; "imo quod ipſa vaſa quæ immunda facta per contactum immundorum, *tranſigerentur per aquas*, & immunda eſſent ad veſperam," Levit: XI: 32. Ex his conſtare poteſt, quod nullus per ritum lavationis quoad interna mundus ſeu purus fieret, ſed modo purum ſeu ſpiritualiter mundum repræſentaret, ob cauſam, de qua ſupra; quod ita ſit, Dominus manifeſte docet apud Matth: XV: 1. 2. 20. Marc: VII: 1 ad 23.

3148. Et pedes virorum qui cum illo, quod ſignificet purificationem omnium quæ illius in naturali homine, conſtat a ſignificatione pedum, quod ſint illa quæ ſunt naturalis hominis, de qua n: 2162; & a ſignificatione virorum,

rum, qui cum illo, quod sint omnia quæ ibi. Solenne fuit, quod viatores, cum venirent in domum quandam, quod lavarent pedes; ut cum fratres Josephi in domum Josephi introducerentur, Gen: XLIII: 24: Cum Levita & qui cum illo in domum senis acciperentur, Jud: XIX: 21: & cum Uria ab itinere veniens, juberetur a Davide descendere in domum suam, & lavare pedes, 2 Sam: XI: 8, causa erat, quia profectiones & peregrinationes significabant illa, quæ sunt instructionis, & inde vitæ, videatur n: 1293. 1457. 1463. 2025, quæ quod purificarentur, supra mox n: 3146, ostensum; & præterea, ne sordes in spirituali sensu intellectæ adhærerent, & inquinarent domum, hoc est, hominem; ut quoque patet ex illo, quod excuterent *pulverem pedum*, si urbs aut domus non reciperet pacem," Matth: X: 14.

3149. Et ponebatur coram illo ad edendum, quod significet quod affectio boni in naturali homine vellet ut adpropriarentur, constat a repræsentatione Labanis, a quo ponebatur, quod sit affectio boni in naturali homine, de qua n: 3129. 3130; & a significatione edere, quod sit communicari & adpropriari, de qua n: 2187. 2343, nempe Divina, de quibus supra n: 3140. 3141.

3150. Et dixit non edo, quod significet renuentiam, nempe quod adhuc non ita adpropriarentur, constat absque explicatione.

3151. Usque dum loquutus sum verba mea, quod significet antequam instrueretur, constat a significatione loqui verba, quod sit instruere; illa quæ loquutus, & sequuntur in serie, etiam sunt instructionis: quod Divina influant in illa quæ sunt in naturali homine, secundum instructionem, & progressum inde, videatur supra n: 3141 fin:

3152. Et dixit loquere, quod significet desiderium, constat ex significatione loqui verba, quod sit instruere, hic loquere, quod sit ut instrueret; quod hæc involvant desiderium, patet.

3153. Quæ in tribus his Versibus in sensu interno continentur, patent quidem ab explicatione, nempe quod illa quæ sunt naturalis hominis, præparentur ad recipiendum Divina; & sic illa Vera, quæ per Rebeccam significantur, quæ initiarentur & conjungerentur bono rationalis, Divina fierent, & hoc per influxum: sed quæ ibi in sensu interno, sunt talia, ut nisi spectentur uno visu cogitationis, appareant obscuriora quam ut possint comprehendi, & magis, quia ignota sunt, ut hæc, quomodo Vera e naturali homine evocantur, & initiantur bono in Rationali, cum regeneratur homo; hæc plerisque hodie tam ignota sunt, ut ne quidem sciant quod fiat, ex causa imprimis, quod hodie pauci sint qui regenerantur, & qui regenerantur, ex doctrina non sciant, quod bonum charitatis sit, cui verum fidei initiatur & conjungitur, & hoc in rationali, & quod tunc status prorsus mutetur, nempe quod non amplius ex vero fidei cogitetur ad bonum charitatis, sed ex bono hoc ad verum. Apud Dominum autem non fuit Regeneratio, sed glorificatio, hoc est, ab Ipso facta sunt omnia, tam quæ in Rationali, quam quæ in Naturali Divina; quomodo hæc facta, in sensu interno describitur.

3154.

3154. Verf: 34 ad 48. *Et dixit, fervus Abrahami ego. Et Jehovah benedixit Domino meo valde, & magnificavit, & dedit ei gregem & armentum, & argentum & aurum, & fervos, & ancillas, & camelos & afinos. Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo, poft fenectutem fuam, & dedit illi omnia quæ ei. Et adjuravit me dominus meus, dicendo, non accipies mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, cujus ego habito in terra. Non nifi ad domum patris mei ibis, & ad familiam meam, & accipies mulierem filio meo. Et dixi ad dominum meum, forte non eat mulier poft me. Et dixit ad me, Jehovah, Quo ambulavi coram, mittet angelum fuum cum te, & profperabit viam tuam, & accipias mulierem filio meo, e familia mea, & e domo patris mei. Tunc immunis eris ab obfecratione mea, quod veneris ad familiam meam, & fi non dederint tibi, & eris immunis ab obfecratione mea. Et veni hodie ad fontem, & dixi, Jehovah Deus domini mei Abrahami, fi fit tibi, quæfo, profperans viam meam, qua ego ambulans fuper. Ecce ego fto apud fontem aquarum, & fit adolefcentula exiens ad hauriendum, & dico ad illam, fac potare me quæfo parum aquæ e cado tuo. Et dicat ad me, etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriam, illa mulier quam deftinavit Jehovah filio domini mei. Ego vix abfolvi loqui ad cor meum, & ecce Rebecca exit, & cadus ejus fuper humero ejus, & defcendit ad fontem, & haurit, & dixi ad illam, fac potare me quæfo. Et feftinabat & demittebat cadum fuum defuper fe, & dicebat, bibe, & etiam camelos tuos potabo; & bibi, & etiam camelos potavit. Et interrogabam illam, & dicebam, filia cujus tu, & dixit, filia Bethuelis filii Nachoris, quem peperit illi Milckah; & pofui monile fuper nafum illius, & armillas fuper manus illius. Et inflexi & incurvavi me Jehovæ, & benedixi Jehovæ Deo domini mei Abrahami, qui duxit me in viam veritatis ad accipiendum filiam fratris domini mei filio fuo.* Dixit, fervus Abrahami ego, fignificat quod ex Divino Bono effet: Et Jehovah benedixit domino meo valde & magnificavit, fignificat Divinum Humanum quoad bonum & quoad verum: & dedit ei gregem & armentum, fignificat bona in genere: & argentum & aurum, fignificat vera in genere: & fervos, & ancillas, & camelos, & afinos, fignificat vera in fpecie: Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo, fignificat Rationale Divinum ex Divino Vero: poft fenectutem fuam, fignificat cum ftatus effet: & dedit illi omnia quæ ei, fignificat quod Ipfi Divina omnia: Et adjuravit me Dominus meus, fignificat, hic ut prius, obftrictionem & facramentum: dicendo, non accipies mulierem filio meo e filiabus Canaanitæ, fignificat, hic ut prius, quod Rationale Divinum non conjungeretur alicui affectioni quæ cum vero difcordat: cujus ego habito in terra, fignificat difcordantia in quibus Bonum Divinum eft: Non nifi ad domum patris mei ibis, fignificat bonum quod ex Divino: & ad familiam meam, fignificat verum quod ex Divino: & accipies mulierem filio meo, fignificat quod inde conjunctio: Et dixi ad dominum meum, forte non eat mulier poft me, fignificat, hic ut prius, dubitationem naturalis hominis de affectione illa, num feparabilis effet: Et dixit ad me, fignificat inftructionem: Jehovah, Quo ambulavi coram, mittet angelum fuum cum te, fignificat, hic ut prius, Divinam Providentiam:

tiam: & profperabit viam tuam, fignificat quoad verum: & accipias mulierem filio meo, fignificat quod conjunctio: e familia mea, & e domo patris mei, fignificat ex Bono & Vero quod ex Divino ibi: Tunc immunis eris ab obfecratione mea, fignificat, hic ut prius, liberum quod naturali homini: quod veneris ad familiam meam, & fi non dederint tibi, fignificat quoad feparationem: & eris immunis ab obfecratione mea, fignificat quod tunc nulla culpa naturali homini. Reliqua ufque ad Verf: 48, fignificant fimilia quæ prius.

3155. Singula hæc explicare, fuperfedendum, quia fupra in hoc Capite explicata funt: iterum dicta funt, ob caufam, ut naturalis homo inftrueretur: initiatio enim & conjunctio veri cum bono, fe habet ficut cum virgo defponfatur & dein copulatur marito, nempe quod inftruenda de omnibus, antequam dat confenfum: hæc tametfi non apparent apud hominem, cum vera ibi bono initiantur & conjunguntur, hoc eft, cum homo reformatur, ufque tamen fiunt, nempe quod præcedat inftructio, Bono de Vero, & Vero de Bono, dein confenfus ab utraque parte, de quo nunc fequitur.

3156. Verf: 49. 50. 51. *Et nunc fi fitis vos facientes mifericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi, & fi non, indicate mihi, & fpectabo ad dextram vel ad finiftram. Et refpondit Laban & Bethuel, & dixerunt, a Jehovah exivit verbum, non poffumus loqui ad te malum vel bonum. Ecce Rebecca coram te, accipe & vade, & fit mulier filio domini tui, quemadmodum loquutus Jehovah.* Nunc fi fitis vos facientes mifericordiam & veritatem cum domino meo, fignificat explorationem confenfus eorum ex utraque facultate, voluntatis & intellectus: indicate mihi, & fi non indicate mihi, fignificat deliberationis eorum ftatum liberum: & fpectabo ad dextram vel ad finiftram, fignificat liberum reciprocum: Et refpondit Laban & Bethuel, & dixerunt, a Jehovah exivit verbum, non poffumus loqui ad te malum vel bonum, fignificat agnitionem quod folius Domini effet: Ecce Rebecca coram te, accipe & vade, & fit mulier filio domini tui, quemadmodum loquutus Jehovah, fignificat confenfum infpiratum ex Domino.

3157. Nunc fi fitis vos facientes mifericordiam & veritatem cum domino meo, quod fignificet explorationem confenfus eorum ex utraque facultate, voluntatis & intellectus, conftat ex fignificatione mifericordiæ, quod fit boni feu amoris, de qua n: 3063. 3073. 3120; & ex fignificatione veritatis, quod fit veri feu fidei, de qua n: 3121. 3122; & quia bonum quod amoris eft voluntatis, & verum quod fidei eft intellectus, & hæc dicuntur ad Labanem & Bethuelem, ita ad homines, quod illi facerent mifericordiam & veritatem, fignificant quæ ex utraque eorum facultate, nempe voluntatis & intellectus; quod fit exploratio confenfus patet, tam ex his, quod dicatur, "fi fitis vos facientes," quam ab illis quæ fequuntur, "indicate mihi, & fi non indicate mihi, & fpectabo ad dextram vel ad finiftram." In regeneratione hominis, quæ eft imago glorificationis Domini, n: 3138, ita fe habet, quod verum fidei quidem difcatur, fed non agnofcatur, minus recipiatur a bono, nifi confenfus fit ab utraque facultate, nempe voluntate & intellectu; confenfus eft ipfa

ipsa agnitio, per hanc fit receptio, & quidem a voluntate, nam ibi est bonum: & quando verum fidei receptum est a voluntate, seu quod idem, a bono, tunc est homo regeneratus, nam tunc verum est boni, seu fides est charitatis, seu quoad vitam ipsa charitas, n: 3121.

3158. Indicate mihi, & si non, indicate mihi, quod significet deliberationis eorum statum liberum, patet ex sensu verborum. Ex omnibus quæ præcedunt, constat, quod quæ in sensu literæ in hoc Capite agunt de desponsatione & conjugio Rebeccæ cum Jischako, in sensu interno agant de initiatione & conjunctione boni & veri, est enim initiatio conjunctio veri & boni spiritualis desponsatio & spirituale conjugium: utrobivis requiritur deliberationis status liber; quod in desponsatione & conjugio, notum est, at quod in initiatione & conjunctione boni & veri, non ita notum est, quia non ad naturalem hominem apparet, & quia inter illa sunt, quæ fiunt absque quod homo reflectat, usque tamen unoquovis momento existit, cum homo reformatur & regeneratur, nempe quod in statu libero sit, cum verum conjungitur bono. Unusquisque scire potest, si modo expendat, quod nusquam aliquid fit hominis, ut ipsius, nisi sit ejus voluntatis; quod solum est intellectus, non fit hominis, priusquam etiam fit ejus voluntatis, nam quæ voluntatis sunt, constituunt hominis esse vitæ, quæ autem intellectus, constituunt ejus existere vitæ inde; consensus ex solo intellectu non est consensus, sed omnis consensus est ex voluntate; quapropter nisi verum fidei, quod est intellectus, recipiatur a bono amoris, quod est voluntatis, nusquam est verum quod agnitum, ita non est fides; ut vero recipiatur a bono, quod voluntatis, necessum est, ut sit status liber; omne quod voluntatis est, hoc apparet liberum, ipse status voluntatis est libertas, nam quod volo, hoc eligo, hoc desidero, quia hoc amo, & agnosco ut bonum; inde constare potest, quod verum, quod fidei, nusquam fiat hominis ut ipsius, priusquam receptum est a voluntate, hoc est, initiatum & conjunctum bono ibi, & quod id non fieri possit nisi in statu libero.

3159. Et spectabo ad dextram vel ad sinistram, quod significet liberum reciprocum, constare potest absque explicatione. Res ita se habet, bonum a Domino per Internum hominem continue influit in Externum, ac in prima ætate in Externo homine apparet sub specie affectionis veri; quantum homo spectat bonum cœleste & spirituale, ut finem, tantum verum initiatur & conjungitur bono, seu quod idem, tantum affectio veri affectioni boni; quantum autem homo spectat bonum proprium, ita se & mundum, ut finem, tantum bonum cœleste & spirituale recedit; hoc est liberum reciprocum, quod significatur per spectare ad dextram vel ad sinistram.

3160. Et respondit Laban & Bethuel, & dixerunt, a Jehovah exivit verbum, non possumus loqui ad te malum vel bonum, quod significet agnitionem, quod solius Domini esset, constare potest ab explicatione singulorum verborum quoad sensum internum, sed quod hoc conclusum illorum sit, patet absque illa: a Jehovah exivit verbum, quod sit a Domino, constat, quia per Jehovam toties in Veteri Testamento nominatum, nusquam alius intelli-

gatur quam Dominus, videatur n: 1343. 1736. 1815. 2156. 2329. 3023. 3035. Quod hæc involvant arcana, conſtare poteſt ex eo, quod hic reſponderit Laban, qui frater, & dein Bethuel qui pater, non autem pater & mater, & quod virgo non niſi quam poſtea; cauſa eſt, quia per Labanem ut fratrem repræſentatur affectio boni in naturali homine, n: 3129. 3130, & per Bethuelem origo affectionis boni: affectio boni & affectio veri in naturali homine ſe habent ut frater & ſoror; & affectio veri e naturali homine in rationalem evocati ac ibi cum bono conjuncti, ſe habet ut mulier maritata: arcanum, quod hic reſponderint Laban & Bethuel, hoc eſt, frater primum & dein pater, eſt, quia Bonum e rationali homine dum in naturalem influit, non influit ibi in verum immediate, ſed in bonum ibi, & per bonum in verum, niſi ille influxus ſit, non poteſt exiſtere affectio veri; affectio boni in naturali homine, eſt quæ agnoſcit, ita quæ primum conſentit, nam immediata datur communicatio inter bonum rationale & bonum naturale, non autem immediata inter bonum rationale & verum naturale; de paraleliſmo eorum videatur n: 1831. 1832. Hic binæ formulæ loquendi Antiquæ occurrunt, nempe quod a Jehovah exivit verbum, pro quod a Jehovah factum; tum, non poſſumus loqui ad te malum vel bonum, pro quod non auſint negare, nec affirmare. De agnitione, quod ſolius Domini eſſet, ſequitur.

3161. Ecce Rebecca coram te, accipe & vade, & ſit mulier filio domini tui, quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet conſenſum inſpiratum ex Domino, conſtare etiam poteſt ab explicatione ſingularum vocum, quarum commune concluſum in ſenſu interno eſt hoc. Ipſa res ita ſe habet, Dominus cum vixit in mundo, Humanum in Se ex propria potentia Divinum fecit; Humanum inchoat in intimo Rationalis, n: 2106. 2194; deſcribitur hic, quomodo hoc Divinum fecerit, nempe ſicut prius quoad Bonum, ita nunc quoad Verum; Rationale enim conſiſtit ex bono & vero; Bonum ibi fuit ex ipſiſſimo Ejus Divino, hoc eſt ex Jehovah Patre, a Quo conceptus; Verum autem comparandum erat per viam ordinariam, ſicut apud alios homines: notum enim eſt, quod homo non naſcatur rationalis, ſed modo in potentiam ut fieri poſſit, & quod fiat per ſcientifica, nempe per cognitiones plurium generum & ſpecierum, quarum primæ ſunt media ad proxime ſequentes, ita ordine uſque ad ultimas, quæ ſunt ſpiritualium Regni Domini, & vocantur doctrinalia; quod hæc partim addiſcantur ex doctrina fidei, partim immediate ex Verbo, ac inde partim proprio ſtudio, etiam notum eſt; hæc doctrinalia quamdiu ſolum in memoria ſunt, ſunt modo vera ſcientifica, nec adhuc appropriata homini tanquam ejus, ſed ea tunc primum ei approprientur, cum incipit amare illa propter vitam, & magis cum applicat vitæ; hoc cum fit, tunc vera e memoria naturali elevantur in rationale, & ibi conjunguntur bono, & cum conjuncta ſunt, non amplius ſunt ſcientiæ, ſed vitæ, nam tunc non amplius diſcit homo ex veris quomodo vivendum, ſed vivit ex illis, ita adpropriantur ei vera, ac fiunt voluntatis; ſic intrat homo in conjugium cœleſte; conjugium enim cœleſte eſt conjunctio boni & veri in Rationali; hæc facit Dominus apud homines. At Dominus in Se ex Se

Se Ipso omnia hæc fecit, & ex Ipso Divino non modo genuit Rationale quoad Bonum, sed etiam per hoc, Naturale quoad Verum, quod conjunxit bono; Bonum enim est, quod sibi Verum eligit, & quoque format, nam Bonum non aliud pro Vero agnoscit, quam quod concordat; ita Bonum Divinum, quod Domino, sibi ipsi Verum fecit, nec aliud pro Vero agnovit, quam quod Divino Bono concordaret, hoc est, quod Divinum ex Ipso esset; ita omnia & singula ex propria potentia: hæc sunt quæ significantur per agnitionem, quod solius Domini esset, & per consensum inspiratum ex Domino.

3162. Vers: 52. 53. 54. *Et fuit, ut audivit servus Abrahami verba illorum, & incurvavit se ad terram Jehovæ. Et eduxit servus vasa argenti, & vasa auri, & vestes, & dedit Rebeccæ; & pretiosa dedit fratri ejus, & matri ejus. Et ederunt & biberunt ille & viri qui cum illo, & pernoctarunt, & surrexerunt in mane, & dixit, mitte me domino meo.* Fuit, ut audivit servus Abrahami verba illorum, & incurvavit se ad terram Jehovæ, significat perceptionem gaudii in naturali homine: Et eduxit servus vasa argenti, & vasa auri, & vestes, significat verum & bonum, & ornatus eorum: & dedit Rebeccæ, significat quæ tunc affectioni veri: & pretiosa dedit fratri ejus, significat spiritualia bono naturali inde: & matri ejus, significat etiam vero naturali: Et ederunt & biberunt, significat appropriationem boni & veri sic initiati: ille & viri qui cum illo, significat quæ in naturali homine: & pernoctarunt, significat pacem ejus: & surrexerunt in mane, significat elevationis gradum: & dixit, mitte me domino meo, significat affectionem conjunctionis.

3163. Fuit, ut audivit servus Abrahami verba illorum, & incurvavit se ad terram Jehovæ, quod significet perceptionem gaudii in naturali homine, constat a significatione audire verba, quod sit percipere; a repræsentatione servi Abrahami, quod sit in genere naturalis homo, quatenus inservit Rationali, hic Divino, de qua n: 3019. 3020: & a significatione incurvare se Jehovæ, quod sit gaudere, de qua n: 2927. 2950. 3118.

3164. Et eduxit servus vasa argenti, & vasa auri, & vestes, quod significet verum & bonum, & ornatus eorum, constat a significatione vasorum argenti, vasorum auri, & vestium, in sensu interno; quod argentum significet verum, videatur n: 1551. 2048, & quod aurum bonum, n: 113. 1551. 1552; vasa argenti, & vasa auri dicuntur, quia prædicantur de affectione veri, quæ hic est Rebecca, verum enim in se spectatum non est nisi vas seu recipiens boni, n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2261. 2269. 3068: vasa argenti sunt in specie scientifica, nam hæc sunt recipientia veri, vasa auri sunt in specie vera, quia hæc sunt recipientia boni; vestes autem quod sint ornatus, constare potest absque explicatione. Talia Antiquo tempore dabantur virgini cum desponsaretur, & hoc repræsentationis & significationis causa, quod virgo desponsata referret Ecclesiæ verum conjungendum bono; sicut quoque describitur Ecclesia Antiqua in sua prima ætate, apud Ezechielem, "Cum esset tempus amorum, *Vestivi te acupicto*, accinxi te bysso, & obtexi te serico,

rico, & *ornavi te ornatu*, & dedi *armillas super manus* tuas, & torquem super guttur tuum, & dedi *monile super nasum* tuum, & inaures super aures tuas, & coronam ornatus in caput tuum; sic *ornata es auro & argento*, & *vestes tuæ* byssus, & sericum, & acupictum," xvi: 8. 9. 10. 11. 12. 13: & cum eadem Ecclesia a vero & bono recessit, ita ibi describitur, "Sumsisti de *vestibus tuis*; & fecisti tibi excelsa variegata; & accepisti *vasa ornatus* tui, ex *auro meo*, & ex *argento meo*, quod dederam tibi, & fecisti tibi imagines maris, & sumsisti *vestes* acupicti, & texisti eas," Vers: 16. 17. 18; ex quibus manifeste patet, quod argentum, aurum, & vestes, non aliud sint, quam quæ sunt Ecclesiæ, nempe verum & bonum, & illa quæ sunt veri & boni.

3165. Et dedit Rebeccæ, quod significet quæ tunc affectionis veri, constat ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit affectio veri, de qua n: 2865. 3077: per illa quæ mox supra, nempe per vasa argenti, vasa auri, & vestes, describitur affectio veri, ut sponsa, quare significatur per illa verba, quod talis tunc esset affectio veri, seu quod idem, quæ tunc affectionis veri.

3166. Et pretiosa dedit fratri ejus, quod significet spiritualia bono naturali inde, constat ex significatione pretiosorum, quod sint spiritualia, de qua sequitur; & ex significatione fratris, quod sit bonum naturale, de qua n: 3160; ut & Labanus, qui hic est frater, quod sit affectio veri in naturali homine, de qua n: 3129. 3130: quod pretiosa significent spiritualia, constat ex Verbo etiam alibi, ut ubi agitur de Josepho, apud Mosen, "Benedicta a Jehovah terra ejus, de *pretioso cœli*, de rore, & de abysso jacente subter: & de *pretioso proventuum solis*; & de *pretioso producti mensium*; & de *pretioso collium æternitatis*, & de *pretioso terræ* & plenitudinis ejus," Deut: xxxiii: 13. 14. 15. 16, ibi per pretiosum cœli, pretiosum proventuum solis, pretiosum producti mensium, pretiosum collium æternitatis, & pretiosum terræ, significantur varia genera spiritualium: præterea pretiosa dicebantur lapides pretiosi, margaritæ, balsama, aromata, ac similia, quæ omnia significant spiritualia. Quid Spiritualia, prius multoties dictum est, nempe quod in Regno Domini sint cœlestia & sint spiritualia, & quod cœlestia sint boni, ac spiritualia veri inde; nihil in universo est, quod non ad bonum, & ad verum, se refert, omne quod est usus & vitæ, se refert ad bonum, quod autem est doctrinæ & scientiæ cumprimis de usu & vita, ad verum, seu quod idem, quod est voluntatis, vocatur bonum vel malum, quod autem est intellectus, dicitur verum vel falsum; bonum itaque, quod solum est amoris & charitatis, & a Domino influit, est cœleste, verum autem quod inde, est spirituale. Cur fratri data sunt pretiosa, quando sorori, cum facta sponsa, vasa argenti, vasa auri, & vestes, causa erat, quia frater significabat bonum in naturali homine, & quia bonum hoc illustratur, cum verum initiatur bono in rationali, omnis enim illustratio boni & veri in naturali homine est inde.

3167. Et matri, quod significet etiam vero naturali, nempe spiritualia inde, sicut bono naturali, de quo mox supra, constat ex significatione matris, quod sit Ecclesia, quæ ex vero mater dicitur, de qua n: 289. 2717.

Ut

Ut sciatur, quomodo se habet, quod Spiritualia bono naturali & vero naturali inde quod verum initiatur bono in rationali, paucis dicendum; unicuique homini est internum & externum, ejus internum vocatur Internus homo, & ejus externum Externus homo; sed quid Internus homo & Externus, paucis notum est; Internus homo est idem ac Spiritualis homo, ac Externus est idem ac Naturalis homo; Spiritualis homo est qui intelligit & sapit ex illis quæ sunt lucis cœli, Naturalis autem ex illis quæ sunt lucis mundi, de utraque Luce videatur n: 3138; in cœlo enim non sunt nisi quam spiritualia, in mundo autem non nisi quam naturalia; homo ita creatus est, ut spiritualia & naturalia in illo, hoc est, spiritualis & naturalis ejus homo concordarent seu unum facerent, sed tunc spiritualis homo deberet disponere omnia in naturali, ac naturalis obedire, sicut servus suo domino; sed per lapsum Naturalis homo cæpit se extollere supra Spiritualem, ita invertit ipsum ordinem Divinum, exinde naturalis homo separavit se a spirituali, nec magis spiritualia ei, quam quæ intrare possent quasi per rimas, & dare facultatem cogitandi & loquendi: ut autem spiritualia influerunt iterum in naturalem hominem, regenerandus erat a Domino, hoc est, Verum e naturali homine initiandum & conjungendum bono in rationali; quod cum fit, naturali homini accedunt spiritualia, influit enim tunc lux cœli, ac illustrat illa quæ in naturali homine, & facit, ut quæ ibi, recipiant lucem, bona ibi calorem lucis, hoc est, amorem & charitatem, Verum autem radios lucis, hoc est, fidem; ita sunt bono naturali & vero naturali spiritualia inde: Bonum naturale est tunc omne jucundum & volupe ex fine inserviendi spirituali, ita proximo, magis Reipublicæ, adhuc magis Regno Domini, & super omnia Domino; & Verum naturale est omne doctrinale & scientificum propter finem sapiendi, hoc est, faciendi illa.

3168. Et ederunt & biberunt, quod significet appropriationem boni & veri sic initiati, constat a significatione edere, quod sit communicari & conjungi, ita appropriari, de qua n: 2187. 2343, quod quia prædicatur de pane, & per panem significatur bonum, n: 276. 680. 2165. 2177. 2187, est appropriatio boni quæ per edere significatur; & a significatione bibere, quod etiam sit communicari & conjungi, ita appropriari, de qua n: 3089, sed quia prædicatur de vino, & per vinum significatur verum, n: 1071. 1798, est appropriatio veri, quæ per bibere significatur. Ipsa res se habet, ut mox supra n: 3167, dictum, cum verum initiatur bono, & magis cum ei conjungitur, in rationali, quod bonum & verum spiritualis hominis, hoc est, spiritualia adproprientur naturali.

3169. Ille & viri qui cum illo, quod significent quæ in naturali homine, constat a repræsentatione servi, qui hic est ille, quod sit naturalis homo, de qua n: 3019. 3020; & a significatione virorum qui cum illo, quod sint omnia quæ in naturali homine, de qua n: 3148.

3170. Et pernoctarunt, quod significet pacem ejus, constat a significatione pernoctare, quod sit requiescere, & in sensu interno pacem habere. Res ita se habet, cum spiritualia appropriantur naturali homini, tunc recedunt quæ

cupidi-

cupiditatis mali & perſuaſionis falſi ſunt, ita illa quæ irrequiem inducunt; & accedunt quæ ſunt affectionis boni & veri, ita illa quæ pacem faciunt; omnis enim irrequies eſt ex malo & falſo, & omnis pax ex bono & vero: quid pax, & qualis ejus ſtatus, videatur n: 92. 93. 1726. 2780.

3171. Et ſurrexerunt in mane, quod ſignificet elevationis gradum, conſtat a ſignificatione ſurgere, quod involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927; & a ſignificatione mane, quod ſit Dominus, tum Regnum Ipſius, ut & ſtatus pacis qui inde, de qua n: 2405. 2780: Naturale dicitur elevari, cum ſpiritualia ei appropriantur; nam omnis elevatio eſt a ſpiritualibus & cœleſtibus, per hæc enim homo elevatur verſus cœlum, ita propius ad Dominum.

3172. Et dixit, mitte me domino meo, quod ſignificet affectionem conjunctionis, conſtat a communi ſenſu qui reſultat a ſenſu interno verborum; quod enim vellet, ut mitteret ſe domino ſuo, erat affectionis, ut affectio veri, quæ eſt Rebecca, conjungeretur, nam deſponſatio, hoc eſt, initiatio jamdum peracta eſt, affectio conjunctionis eſt quæ hic ſignificatur.

3173. Verſ: 55. 56. 57. 58. *Et dixit frater ejus & mater ejus, maneat puella cum nobis dies aut decem, poſt ibis. Et dixit ad illos, ne moremini me, & Jehovah proſperavit viam meam, mitte me, & vadam, domino meo. Et dixerunt, vocemus puellam, & interrogemus os illius. Et vocarunt Rebeccam, & dixerunt ad illam, an eas cum viro hoc, & dixit, ibo.* Dixit frater ejus & mater ejus, ſignificat dubitationem naturalis hominis: maneat puella cum nobis, ſignificat detentionem ab illis: dies aut decem, poſt ibis, ſignificat ſtatum diſceſſionis illis apparentem plenum: & dixit ad illos, ne moremini me, ſignificat affectionis boni voluntatem: & Jehovah proſperavit viam meam, ſignificat quod omnia nunc proviſa: mitte me, & vadam, domino meo, ſignificat quoad initiationis ſtatum: Et dixerunt, vocemus puellam & interrogemus os illius, ſignificat conſenſum ſolum affectionis veri: Et vocarunt Rebeccam, & dixerunt ad illam, an eas cum viro hoc, & dixit, ibo, ſignificat ejus plenum conſenſum.

3174. Dixit frater ejus & mater ejus, quod ſignificet dubitationem naturalis hominis, conſtat ex ſignificatione fratris, quod ſit bonum in naturali homine, de qua n: 3160; & ex ſignificatione matris, quod ſit verum ibi, de qua n: 3167; proinde frater & mater ſignificant naturalem hominem, nam is ex bono & vero conſtituitur; quod ſit dubitatio, patet, ſcilicet num puella aliquot dies adhuc manſura, vel tunc cum viro itura.

3175. Maneat puella cum nobis, quod ſignificet detentionem ab illis, conſtat a ſignificatione manere, quod hic ſit detineri, ut quoque a ſerie in ſenſu interno patet: res enim ita ſe habet, homo nuſquam in aliquod verum naſcitur, ne quidem in aliquod verum naturale, ut quod non furandum, non occidendum, non adulterandum, & ſimilia; minus in aliquod verum ſpirituale, ut quod aliquis Deus ſit, quod ei internum quod victurum poſt mortem, ita nec quicquam novit ex ſe quod eſt vitæ æternæ; illa & hæc addiſcit; ſi non addiſceret, multo pejor foret bruto animali; nam ex hæreditario ſuo habet,

bet, quod se supra omnes amet, quodque omnia quæ in mundo possidere cupiat; inde est, quod nisi leges civiles, & timores pro jactura honoris, lucri, famæ, ac vitæ, detinerent, absque ulla conscientiæ perceptione furaretur, occideret, adulteraretur; quod ita sit, patet manifeste, homo enim, etiam qui instructus, usque illud absque conscientia facit, imo defendit, & multis confirmat quod ita faciendum, quantum licet, quid non si non fuisset instructus: in spiritualibus similiter, ex ipsis enim, qui intra Ecclesiam nati sunt, Verbum habent, & constanter instruuntur, usque sunt perplures, qui pauca & vix quicquam adscribunt Deo, sed omnia & singula naturæ, ita qui corde non credunt aliquem Deum esse, sic nec victuros post mortem, proinde qui nihil scire volunt, de illis quæ sunt vitæ æternæ; ex his patet, quod homo in nullum verum nascatur, sed quod omne addiscet, & hoc per viam externam, nempe auditionis & visus, per hanc viam insinuari debet verum, & implantari ejus memoriæ; sed verum quamdiu ibi solum est, modo est scientia; ut autem verum imbuat hominem, inde evocabitur, & versus interiora magis auferretur, nam humanum ejus est interius, nempe in ejus rationali, nisi enim homo sit rationalis, non est homo, quale itaque rationale alicui, & quantum ei, talis est homo, & tantus: homo nusquam potest esse rationalis, nisi ei sit bonum; bonum, quod homini præ animalibus; est amare Deum, & amare proximum, omne bonum humanum est inde; huic bono est verum initiandum & conjungendum, & hoc in rationali; verum bono initiatur & conjungitur, cum homo amat Deum, & amat proximum, tunc enim verum intrat ad bonum, nam bonum & verum se mutuo agnoscunt, est enim ex bono omne verum, & verum spectat bonum ut suum finem utque suam animam, ita ex quo vitam habeat. Sed verum ægre potest e naturali homine separari, & inde elevari in rationale, sunt enim in naturali homine fallaciæ, sunt cupiditates mali, sunt quoque persuasiones falsi, quamdiu hæc ibi sunt, ac se adjungunt vero, tamdiu naturalis homo detinet verum apud se, nec sinit ut inde elevetur in rationale, hoc est quod significatur in sensu interno per hæc, "Maneat puella cum nobis dies aut decem, post ibis," causa est, quia in dubio ponit verum, & ratiocinatur de illo num ita sit; ut primum autem cupiditates mali, & persuasiones falsi, ac inde fallaciæ, a Domino separantur, ac homo incipit ex bono aversari ratiocinia contra Verum, atque ridere dubia, tunc Verum in statu est discedere e naturali, ac elevari in rationale, ac induere statum boni, sit enim Verum tunc boni, & vita ei. Ut hæc melius capiantur, sint exempla; Verum spirituale est, quod omne bonum a Domino, & omne malum ab inferno; hoc Verum multis confirmandum & illustrandum est, antequam e naturali homine elevari possit in rationale, nec usquam potest illuc elevari, priusquam homo in amore Dei est, non enim prius agnoscitur, ita non creditur: similiter se habet cum aliis veris, ut cum hoc, quod Providentia Divina sit in omnium singularissimis, & nisi sit in singularissimis, quod nulla sit in universali: ut & cum hoc Vero, quod tunc primum vivere incipiat homo, cum perit id quod in mundo credit omne vitæ esse; & quod vita, quæ tunc excipit, sit ineffabilis & indefinita respective,

respective, & quod hanc prorsus ignoret homo quamdiu est in malo: hæc & similia nusquam credi possunt, nisi homo sit in bono, bonum est quod capit, nam Dominus per bonum cum sapientia influit.

3176. Dies aut decem, post ibis, quod significet statum discessionis illis apparentem plenum, constat ex significatione diei, quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; a significatione decem, quod sit plenum, de qua n: 1988. 3107; hic plenum apparens naturali; & ex significatione ire, quod sit discedere; inde patet, quod dies aut decem post ibis, significet statum discessionis illis apparentem plenum; quare nunc sequitur, "dixit ad illos, ne moremini me," quo significatur affectionis boni voluntas.

3177. Quod Jehovah prosperavit viam meam, significet quod omnia nunc provisa, constare potest absque explicatione; quod enim Jehovah prosperet viam, est quod provideat, hic quoad verum quod conjungendum bono, nam per viam significatur verum, n: 627. 2333.

3178. Mitte me, & vadam, domino meo, quod significet quoad initiationis statum, constat ab illo sensu qui resultat a sensu interno verborum; eadem verba etiam involvunt affectionem conjunctionis, nam hæc est statui initiatæ.

3179. Et dixerunt, vocemus puellam, & interrogemus os illius, quod significet consensum solum affectionis veri, constat ex significatione puellæ, quod sit affectio in qua innocentia, de qua n: 3067. 3110, hic affectio veri, quia est Rebecca, quæ antequam consentit, dicitur puella, at cum consentit, ut mox sequitur, vocatur Rebecca, quod Rebecca sit affectio veri, videatur n: 3077; & ex significatione interrogare os illius, quod sit percipere num consentiat; ita est consensus solus affectionis veri, qui hic significatur. Res ita se habet, quod ipsum verum quod initiandum bono, agnoscat suum bonum, quia bonum agnoscit suum verum, inde consensus, sed quod sit consensus inspiratus vero a bono, videatur supra n: 3161: apud hominem nusquam apparet, quod aliquis consensus sit a parte veri, cum hoc initiatur & conjungitur bono, hoc est, cum homo regeneratur, nec a parte boni quod cognoscat suum verum, & hoc initiet & sibi conjungat, cum tamen hæc fiunt prorsus ita; quæ enim existunt cum regeneratur homo, ei prorsus ignota sunt, si modo sciret unum ex myriade, obstupesceret; innumerabilia, imo indefinita arcana sunt, per quæ ducitur tunc homo a Domino, aliqua solum eorum elucent ex sensu interno Verbi: Antiqua Ecclesia formavit sibi ideam illorum ex conjugiis, nempe ex virginis statu ante desponsationem, ex ejus statu postquam desponsata, ex statu cum nuptui danda, ac dein cum nupta; denique cum marito pareret; fructus veri ex bono, seu fidei ex charitate, vocabant liberos, & sic porro: talis fuit Antiquæ Ecclesiæ sapientia; libri eorum ita quoque scripti sunt; etiam mos ita scribendi inde ad ipsos gentiles emanavit; voluerunt enim per illa quæ in mundo exprimere ea quæ in cœlo, imo ex naturalibus videre spiritualia; sed sapientia illa hodie prorsus deperdita est.

3180.

3180. Et vocarunt Rebeccam, & dixerunt ad illam, an eas cum viro hoc, & dixit, ibo, quod significet ejus plenum consensum, constare potest ex sensu resultante ex interno verborum; nam cum ad interrogationem respondit, *ibo*, est quod plene consentiat. Plenus consensus veri est, cum Verum percipit in se imaginem boni, ac in bono ipsam effigiem sui ex qua.

3181. Vers: 59. 60. 61. *Et miserunt Rebeccam sororem suam, & nutricem ejus, & servum Abrahami, & viros ejus. Et benedixerunt Rebeccæ, & dixerunt illi, soror nostra tu sis in millia myriadis, & hæreditet semen tuum portam osorum tuorum. Et surrexit Rebecca, & puellæ ejus, & equitabant super camelis, & ibant post virum; & accepit servus Rebeccam, & ivit.* Miserunt Rebeccam sororem suam, significat separationem ab affectione Veri Divini: & nutricem ejus, significat ab innocentia quæ illi: & servum Abrahami & viros ejus, significat a Divinis in naturali homine: & benedixerunt Rebeccæ, & dixerunt illi, significat votiva ex illustratione Divina: soror nostra tu sis in millia myriadis, significat affectiones veri fructificationem in infinitum: & hæreditet semen tuam portam osorum tuorum, significat Regnum spirituale Domini ex conjugio boni & veri in Divino Humano, cui Regno charitas & fides, ubi prius malum & falsum: Et surrexit Rebecca, significat affectionis veri elevationem & separationem inde: & puellæ ejus, significat affectiones inservientes: & equitabant super camelis, significat intellectuale elevatum super scientifica naturalia: & ibant post virum, significat ex auspicio Divini veri naturalis: & accepit servus Rebeccam & ivit, significat quod Divinum bonum naturale initiaret.

3182. Miserunt Rebeccam sororem suam, quod significet separationem ab affectione Veri Divini, constat a significatione mittere, quod sit separari; & a repræsentatione Rebeccæ sororis, quod sit affectio Veri Divini, de qua supra n: 3077. 3179; quod soror sit verum, videatur n: 1495. 2508. 2524. 2556. 3160. Quomodo se res habet, constare potest ab illis, quæ supra in hoc Capite dicta & ostensa sunt; ut autem melius pateant, adhuc paucis dicendum; cum Verum, quod initiandum & conjungendum bono, elevatur e naturali, tunc separatur ab illis quæ ibi sunt; separatio illa est, quæ significatur per quod miserunt Rebeccam sororem suam; separatur tunc, cum homo non amplius ex vero spectat bonum, sed ex bono verum, seu quod idem, cum non amplius ex doctrina vitam, sed ex vita doctrinam; ut pro exemplo, doctrina docet hoc verum, quod non aliquis odio habendus, nam qui aliquem odio habet, illum quovis momento occidit; homo prima sua ætate vix hoc admittit; progrediente autem, cum reformatur, inter doctrinalia, secundum quæ vivendum, refert; tandem vivit secundum illud; tunc non amplius ex doctrinali cogitat, sed ex vita agit; hoc cum fit, doctrinæ hoc verum elevatum est e naturali, imo separatum a naturali, ac implantatum bono in rationali; quo facto, non amplius patitur, ut naturalis homo per aliquod apud se sophisticum, id in dubium vocet, imo nec sinit, ut contra illud ratiocinetur.

3183. Et nutricem ejus, quod significet ab innocentia quæ illi, nempe quam quoque miserunt, hoc est, separarunt a se, constat a significatione nutricis seu lactatricis, quod sit innocentia: Lactentes & Lactantes aliquoties in Verbo memorantur, & per illos significatur status primus infantum, qui status quod sit status innocentiæ patet; introducitur enim homo, ut primum nascitur, in statum innocentiæ, ut ille sit planum reliquorum statuum, ac intimus in illis, qui status significatur in Verbo per Lactentem; dein in statum affectionis boni cœlestis, hoc est, amoris erga parentes, qui apud illos est loco amoris in Dominum, hic status significatur per Infantem; postea in statum affectionis boni spiritualis, seu amoris mutui, hoc est, charitatis erga consimiles, qui status significatur per pueros; cum adhuc magis adolescit, in statum affectionis veri, hic significatur per juvenes, sequentes autem status per viros, & tandem per senes; ultimus hic status, qui per senes significatur; est status sapientiæ, in qua innocentia infantiæ, ita primus status & ultimus uniuntur, ac homo cum senex, sicut iterum infans sed sapiens introducitur in Regnum Domini: inde constare potest, quod Innocentia sit status primus, qui est lactentis; ipsa lactans seu lactatrix inde quoque significat innocentiam, nam dantis & recipientis, sicut agentis & patientis, similis percipitur status: dicitur hic quod miserint etiam nutricem seu lactatricem, ob causam, ut describeretur affectio veri, quod nempe esset ab innocentia, affectio enim veri non est affectio veri, nisi in illa sit innocentia, n: 2526. 2780. 3111; per innocentiam enim influit Dominus in affectionem illam, & quidem cum sapientia, nam vera innocentia est ipsa sapientia, videatur n: 2305. 2306; & qui in illa sunt, apparent in oculis angelorum ut infantes, n: 154. 2306. Quod Lactens in Verbo significet innocentiam, etiam ab aliis locis patet, ut apud Davidem, "Ex ore *Infantum* & *Lactentium* fundasti robur," Psalm: VIII: 3. Matth: XXI: 16; ubi infantes pro amore cœlesti, lactentes pro innocentia: apud Jeremiam, "Quare vos facientes malum magnum contra animas vestras, ad excidendum vobis virum & fæminam, *Infantem* & *Lactentem* e medio Jehudæ, ut non reliquas faciam vobis reliquias," XLIV: 7; ubi infans & lactens similiter pro cœlesti amore & ejus innocentia, quæ cum nulla fiunt, tunc non amplius aliquæ reliquiæ, hoc est, non aliquid bonum & verum in interno homine a Domino reconditum manens, quod hæc sint reliquiæ, videatur n: 1906. 2284; omnia enim bona & vera pereunt cum innocentia, est enim innocentia immediate ex ipso Divino, ita est ipsum essentiale in illis: apud Eundem, "*Infans* & *Lactens* deficit in plateis urbis," Thren: II: 11, similiter: apud Eundem, "Balænæ præbent mammam, *Lactant fœtus suos*; filia populi mei crudelis, adhæsit lingua *Lactentis* palato ejus in siti; *Infantes* petierunt panem, porrigens non illis," Thren: IV: 3. 4; lactens etiam pro innocentia, infantes pro affectionibus boni: apud Mosen, "Foris orbabit gladius, & e conclavibus terror, etiam juvenem, etiam virginem, etiam *Lactentem* cum viro sene," Deut.: XXXII: 25; orbabit gladius juvenem, virginem, lactentem cum viro sene, pro quod falsum,

falſum, deſtruet affectionem veri & affectionem boni, atque innocentiam cum ſapientia; apud Eſaiam, "Afferent filios tuos in ſinu, & filiæ tuæ ſuper humero apportabuntur, & erunt reges *nutritii tui*, & dominæ illorum *Lactatrices tuæ*," XLIX: 22. 23; reges nutritii pro intelligentia, dominæ lactatrices pro ſapientia, quæ quod ſit innocentiæ, ſupra dictum eſt.

3184. Et ſervum Abrahami & viros ejus, quod ſignificet a Divinis in naturali homine, conſtat a ſignificatione ſervi Abrahami, quod ſit naturalis homo, de qua n: 3019. 3020; & a ſignificatione virorum ejus, quod ſint omnia quæ ibi, de qua n: 3169; quod ſint Divina in naturali homine, patet, quia fuit miſſus ab Abrahamo, qui quod Divinum Domini repræſentet, prius multoties oſtenſum.

3185. Et benedixerunt Rebeccæ & dixerunt illi, quod ſignificet votiva ex illuſtratione Divina, conſtat a ſignificatione benedicere, quando vale dicitur abeunti, quod ſit fauſta vovere; hic quod ex illuſtratione Divina, patet ex illis quæ mox ſequuntur, tum quia illuſtratio influit in naturalem hominem per affectionem Veri, quæ Rebecca, cum initiatur bono, quod Jiſchakus.

3186. Soror noſtra tu ſis in millia myriadis, quod ſignificet affectionis veri fructificationem in infinitum, conſtat ex ſignificatione ſororis, quæ Rebecca, quod ſit affectio veri, de qua n: 3077. 3179. 3182; & a ſignificatione ſis in millia myriadis, quod ſit fructificatio in infinitum, millia myriadis hic ſunt infinitum, quia agitur de Domino, in Quo omnia & ſingula ſunt infinita: apud hominem ſe habet ita; non prius fructificantur bona, ac multiplicantur vera apud illum, quam cum conjunctio facta veri & boni in rationali ejus, hoc eſt, cum regeneratus, tunc enim fructus ſeu fœtus ex legitimo ſeu cœleſti conjugio, quod eſt boni & veri, exiſtunt; prius quidem apparent bona quæ facit etiam ſicut bona, & vera ſicut vera, ſed non ſunt genuina, nam ipſa anima, quæ eſt bonum in quo innocentia a Domino, non ineſt, ita nec afficiunt hominem, & faciunt illum felicem, affectio amoris & charitatis cum felici, quæ anima, datur a Domino, cum regeneratur homo. Quod per mille ſignificetur multum, tum infinitum, videatur n: 2575, magis adhuc per myriadem, & adhuc magis per millia myriadis, ut quoque alibi; apud Moſen, "Cum quieſcebat arca, dixit, redi Jehovah, *myriades millium* Iſraelis," Num: X: 36, ubi per myriades millium etiam ſignificatur infinitum, quia prædicatur de Domino, qui ibi Jehovah: apud Eundem, "Jehovah exortus de Seir illis, exſplenduit de monte Paran, & venit ex *Myriadibus* ſanctitatis," Deut: XXXIII: 2, myriades etiam pro infinito: apud Davidem, "Currus Dei *myriades millium* pacificorum," Pſalm: LXVIII: 18, Currus Dei pro illis quæ ſunt Verbi ac inde Doctrinæ, myriades millium pro infinitis quæ ibi: apud Johannem, "Vidi & audivi vocem Angelorum multorum circa thronum, erat numerus illorum *myriades myriadum*, & chiliades chiliadum," Apoc: V: 11, pro innumerabilibus.

3187. Et hæreditet ſemen tuum portam oſorum tuorum, quod ſignificet Regnum Spirituale Domini ex conjugio boni & veri in Divino Humano, cui Regno charitas & fides, ubi prius malum & falſum, conſtare poteſt ex illis,

quæ fupra n: 2851 dicta & explicata funt, ubi fere eadem verba. Quod Semen fint illi qui vocantur Spirituales, ita in fenfu univerfali omnes qui conftituunt Regnum fpirituale Domini, feu quod idem, ipfum illud Regnum, conftat ex fignificatione feminis, quod fit charitas & fides, de qua n: 1025. 1447. 1610. 1911, proinde illi qui in charitate funt per fidem, qui quod fint Spirituales, videatur n: 2088. 2184. 2507. 2708. 2715. 2954; quod illis charitas & fides ex conjugio boni & veri in Divino Humano Domini, ita illis inde falus, n: 2661. 2716. 2833. 2834. In Ecclefia Antiqua erat hoc votivum folenne, virgini defponfatæ cum nuptum iret, nempe, Sis in millia myriadis, & hæreditet femen tuum portam hoftium feu oforum tuorum; at fapientes ibi per illa verba intelligebant fpiritualia, nempe cum intraverint in conjugium boni & veri, hoc eft, cum regenerati, quod tunc bona & vera in millia myriadis, hoc eft, in immenfum fructificarentur; & quod charitas & fides fuccederet loco ubi prius malum & falfum: at vero cum Antiquæ Ecclefiæ fapientia exfpiravit, tunc non amplius fenfum fpiritualem inde capiebant, fed prorfus mundanum, nempe quod pofteritas innumerabilis fieret, & illa occuparet & hæreditaret terram gentium; Jacobi pofteri præ reliquis ita illa intellexerunt, feque confirmabant ex eo, quod non folum creverint in immenfum, fed etiam hæreditaverint terram, quæ illis erat porta hoftium eorum; non fcientes, quod omnia hæc repræfentativa effent, nempe repræfentativa Regni cœleftis & fpiritualis Domini, & quod inde expulfis malis & falfis fuccederent loco eorum bonum & verum; quod luculenter conftabit, quando, ex Divina Domini Mifericordia, repræfentativa illa aperientur: in particulari, nempe apud unumquemvis hominem, qui fit Regnum Domini, ita quoque fe habet; is antequam illud fit, feu regeneratur, interius non eft nifi malum & falfum, etiam infernales & diabolici fpiritus occupant illud, quod vocatur porta, de qua n: 2851; at cum is fit regnum Domini, hoc eft, cum regeneratur, tunc mala & falfa, feu quod idem, infernales & diabolici fpiritus inde expelluntur, ac intrant bonum & verum, ac locum illum hæreditant; confcientia boni & veri tunc ibi eft: ficut in particulari, ita quoque fe habet in communi. Inde nunc patet, quid per illa verba in fenfu interno intelligitur.

3188. Et furrexit Rebecca, quod fignificet affectionis veri elevationem & feparationem inde, nempe elevationem ad rationale, & feparationem e naturali, conftat ex fignificatione furgere, quod involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171, & quia elevationem, etiam feparationem; & ex repræfentatione Rebeccæ, quod fit affectio veri, de qua n: 3077. 3179; inde patet, quod furrexit Rebecca, fignificet affectionis veri elevationem, & feparationem e naturali, de qua videatur n: 3182.

3189. Et puellæ ejus, quod fignificet affectiones infervientes, conftat ex fignificatione puellæ, cum ita dicta Rebecca, quod fit affectio in qua innocentia, de qua n: 3067. 3110; at cum ita dicuntur quæ Rebeccam fequebantur ut infervirent, fignificantur affectiones infervientes. Unaquævis affectio apparet ficut aliquod fimplex aut unum, at quod innumerabilia contineat,

tineat, videatur n: 3078; omnia, quæ ibi, ſunt affectiones, conſociatæ in forma incomprehenſibili; ſunt quoque ſibi mutuo ſubordinatæ, ſunt enim quæ miniſtrant, & quæ famulantur; ſocietates cœli in tali forma ſunt, imo totum cœlum, ordinatæ a Domino ſecundum formam Divinam quæ in Ipſo, forma Regni ſpiritualis Domini exiſtit ſecundum ordinationem affectionum in Divino Humano Ipſius, de qua ordinatione in hoc Capite & in ſequentibus in ſenſu interno agitur; ſed pauciſſima ſunt, quæ ad captum explicari poſſunt, ſunt adæquata perceptioni Angelorum.

3190. Et equitabant ſuper camelis, quod ſignificet intellectuale elevatum ſuper ſcientifica naturalia, conſtat a ſignificatione equitare, quod ſit elevari quoad intellectuale, de qua n: 2761. 2762; & a ſignificatione camelorum, quod ſint ſcientifica communia in naturali homine, de qua n: 3048. 3071, ita ſcientifica naturalia. Res ita ſe habet, cum Verum e naturali elevatur in rationale, tunc aufertur e ſphæra lucis mundanæ in ſphæram lucis cœleſtis, ita quaſi ab obſcuro noctis in clarum diei; quæ enim ſunt lucis mundi, in qua ſunt omnia naturalia, ſunt reſpective ſicut in nocte, at quæ ſunt lucis cœli, in qua ſunt ſpiritualia, ſunt reſpective ſicut in die; quare cum verum e naturali elevatur verſus rationale, homo elevatur ſimul in intelligentiam, ac in ſapientiam; omnis etiam intelligentia & ſapientia apud hominem eſt inde: tale ſignificatur per quod intellectuale elevatum ſit ſuper ſcientifica naturalia.

3191. Et ibant poſt virum, quod ſignificet ex auſpicio Divini veri naturalis, conſtat ex ſignificatione ire poſt ſeu ſequi, quod in ſenſu interno hic ſit ex ductu ſeu auſpicio; & ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 3134, hic Divinum Verum naturale, ut ſupra n: 3184.

3192. Et accepit ſervus Rebeccam & ivit, quod ſignificet quod Divinum bonum naturale initiaret, conſtat a ſignificatione ſervi, quod ſit Divinum bonum naturale, ut ſupra n: 3184; & a ſignificatione accipere Rebeccam & ire, quod ſit initiare, nempe introducere ad Jiſchakum, hoc eſt, ad Divinum Bonum in Rationali, ut conſtare poteſt, abſque ulteriore explicatione. Res ita ſe habet, Verum e naturali ad bonum in rationali non potuit elevari, niſi per Divinum Verum & Divinum Bonum, utrumque naturale; Divinum Verum naturale, quod Vir dictum, viam monſtrabit ac ducet, Divinum Bonum naturale, quod Servus vocatur, introducet & initiabit; ſunt illa, ut comparative dicatur, ſicut binæ alæ quæ elevant: ſed hæc plenius ad captum adhuc non poſſunt explicari, ſciendum prius erit, quid Divinum Verum naturale, & quid Divinum Bonum naturale; in ſequentibus, ubi de Joſepho, de illis in ſenſu interno agitur.

3193. Verſ: 62. 63. *Et Jiſchak venit a veniendo Beerlachai roi, & ille habitans in terra meridiei. Et exivit Jiſchak ad meditandum in agro verſus veſperam, & ſuſtulit oculos ſuos, & vidit, & ecce cameli venientes.* Jiſchak venit a veniendo Beerlachai roi, ſignificat Divinum Bonum Rationale ex Ipſo Divino Vero natum: & ille habitans in terra meridiei, ſignificat inde in Divina luce: Et exivit Jiſchak ad meditandum in agro, ſignificat Rationalis ſtatum in bono: verſus veſperam, ſignificat reſpective ad illa quæ infra: & ſuſtulit oculos

oculos suos & vidit, significat intentionem: & ecce cameli venientes, significat ad communia scientifica in naturali homine.

3194. Jischak venit a veniendo Beerlachai roi, quod significet Divinum Bonum Rationale ex ipso Divino Vero natum, constat ex repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale Domini, de qua n: 2083. 2630, hic quoad Divinum Bonum ibi, quia nondum Verum Divinum e naturali evocatum, quod per Rebeccam repræsentatur, ipsi conjunctum, in his, quæ nunc sequuntur, de conjunctione agitur; & a significatione venire a veniendo Beerlachai roi, quod sit ex Divino Vero natum; Beerlachai roi in lingua originali significat *fontem vivo videnti me*, ut supra Genes: XVI: 15, ubi legitur, "Hagar vocavit nomen Jehovæ loquentis ad se, Tu Deus videns me, quia dixit, num etiam hic vidi post videntem me; propterea vocavit fontem Beerlachai roi (fons vivo videnti me:) quæ quid significant, videatur n: 1952 ad 1958; ibi quoque patet, quod fons sit Divinum Verum; Vivus videns me quod sit Divinum Bonum Rationale, quod ibi vocatur Domini Interior homo, ex Divino Vero. Cum arcanissimo hoc ita se habet; Ipsissimo Divino est Bonum & Verum, Dominus quoad Divinum Humanum exivit ex Divino Bono, & natus ex Divino Vero; seu quod idem, Ipsum Esse Domini erat Divinum Bonum, & Ipsum Existere erat Divinum Verum, exinde Divinum Bonum Rationale Domini, cui Divinum Verum ex Humano conjunxit.

3195. Et ille habitans in terra meridiei, quod significet inde in Divina luce, constat ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293, & quod prædicetur de bono, n: 2268. 2451. 2712; & ex significatione terræ meridiei, quod sit Divina Lux; meridies enim significat lucem, & quidem lucem intelligentiæ, quæ est sapientia n: 1458; terra autem meridiei locum & statum ubi illa lux; ita hic, quod Jischak venit a veniendo Beerlachai roi, & ille habitans in terra meridiei, significat quod Divinum Bonum Rationale, quia ex Divino Vero natum, in Divina Luce esset. Lux multoties in Verbo memoratur, & per illam in sensu interno significatur verum quod ex bono; in sensu autem interno supremo per Lucem significatur Ipse Dominus, quia Ille est ipsum Bonum & Verum: est quoque actualiter Lux in cœlo, sed infinite illustrior quam lux in terra, videatur n: 1053. 1117. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632; in Luce illa se mutuo vident Spiritus & Angeli & per illam conspicua est omnis gloria quæ in cœlo; sed Lux illa quoad lucidum quidem apparet similis luci in mundo, sed usque non est similis, non enim est naturalis, sed est spiritualis, in se habet sapientiam, sic ut non aliud sit quam sapientia, quæ ita ante oculos illorum lucet, quare etiam quo sapientiores Angeli, eo in illustriore Luce sunt, n: 2776; hæc Lux etiam illuminat intellectum hominis cumprimis regenerati, sed non ab homine appercipitur quamdiu in vita corporis est, propter lucem mundi quæ tunc regnat; spiritus mali in altera vita etiam se mutuo vident, & quoque vident plura repræsentativa, quæ existunt in mundo spirituum, hoc quidem ex Luce cœli, sed est lumen quale ex igne carbonario, in tale enim vertitur Lux cœli, cum ad illos

alluit:

alluit: quod ipsam Lucis originem concernit, fuit illa ab æterno a Solo Domino, nam Ipsum Divinum Bonum, & Divinum Verum, ex quo Lux, est Dominus; Divinum Humanum, quod ab æterno, Joh: XVII: 5, fuit ipsa illa Lux; quæ Lux, quia non amplius afficere potuit genus humanum, quod se tantum removit a bono & vero, ita a Luce, & se conjecit in tenebras, ideo Dominus voluit ipsum Humanum per nativitatem induere; sic enim non modo rationalia hominis, sed etiam ejus naturalia illuminare potuit; Divinum enim fecit in Se tam Rationale quam Naturale, ut illis, qui in tam densis tenebris essent, etiam Lux esse posset: quod Dominus sit Lux, hoc est, ipsum Bonum & Verum, ita ex Ipso omnis intelligentia & sapientia, proinde salus, constare potest a pluribus locis in Verbo; ut apud Johannem, "In principio erat *Verbum*, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, in Ipso vita erat, & *vita erat Lux hominum*; Johannes venit ut testaretur de *Luce*; non erat ille *Lux*, sed ut testaretur de *Luce*. Erat *Lux vera* quæ *illuminat* omnem hominem venientem in mundum," I: 1. 4. 7. 8. 9: Verbum erat Divinum Verum, ita Ipse Dominus quoad Divinum Humanum, de quo dicitur, quod Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: apud Eundem, "Hoc est judicium, quod *Lux* venit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam *Lucem*," III: 19, Lux pro Divino Vero: apud Eundem, "Jesus dixit, *Ego sum Lux mundi*, qui Me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit *Lucem vitæ*," VIII: 12: apud Eundem, "Adhuc breve tempus *Lux* vobiscum est, ambulate quousque *Lucem* habetis, ne tenebræ vos apprehendant; quousque *Lucem* habetis, *credite in Lucem*, ut *filii Lucis* sitis," XII: 35. 36: apud Eundem, "Qui videt Me, videt Ipsum qui misit Me, *Ego Lux in mundum veni*, & omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat," XII: 45. 46: apud Lucam, "Viderunt oculi mei salutare tuum, quod præparasti ante faciem omnium populorum, *Lucem in revelationem gentium*, & gloriam populi tui Israelis," II: 30. 31. 32, propheticum Simeonis de Domino cum natus: apud Matthæum, "Populus sedens in tenebris, vidit *Lucem magnam*, & sedentibus in regione & umbra mortis, *Lux exorta est*," IV: 17. Esai: IX: 1; ex quibus locis manifeste patet, quod Dominus quoad Divinum Bonum & Verum in Divino Humano, dicatur Lux; etiam in Propheticis Veteris Testamenti; ut apud Esaiam, "Erit *Lux Israelis* in ignem, & Sanctus ejus in flammam," X: 17: apud Eundem, "Ego Jehovah vocavi Te in justitia, & dabo Te in fœdus populi, & in *Lucem gentium*," XLII: 6: apud Eundem, "Dedi Te in *Lucem Gentium*, ut sis salus mea usque ad extremitatem terræ," XLIX: 6: apud Eundem, "Surge, illuminare, quia venit *Lux tua*, & gloria Jehovæ super Te exorta est; ambulabunt Gentes ad *Lucem tuam*, & reges ad *splendorem* ortus tui," LX: 1. 3. Quod omnis Lux cœli, proinde sapientia & intelligentia sit a Domino, apud Johannem, "Urbs Sancta Hierosolyma nova descendens a Deo e cœlo, parata sicut *sponsa* ornata marito, non opus habet sole, neque luna, ut *luceant* in ea, gloria Dei *illustrabit* illam, & *Lucerna illius Agnus*," Apoc: XXI: 2. 23: de eadem porro, "Nox non erit ibi, neque opus habent

bent lucerna & luce solis, quia *Dominus Deus illustrat illos*," Apoc: XXII: 5: etiam apud Esaiam, "Non erit tibi amplius sol in lucem interdiu, & in splendorem luna non lucebit tibi, sed *erit tibi Jehovah in lucem æternitatis*, & Deus tuum in decus tuum: non occidet amplius sol tuus, & luna tua non colligetur, quia *Jehovah erit tibi in lucem æternitatis*," LX: 19. 20: non erit amplius sol in lucem interdiu, est in splendorem luna non lucebit, pro quod non illa quæ sunt lucis naturalis, sed quod illa quæ sunt lucis spiritualis, quæ significantur per quod Jehovah erit in lucem æternitatis; quod Jehovah hic & alibi in Veteri Testamento nominatus, sit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2156. 2329. 2921. 3023. 3035. Qui quod sit Lux cœli, etiam aperuit tribus discipulis, Petro, Jacobo, & Johanni, nempe cum transformatus, quod *splenduerit facies Ipsius sicut Sol*, Vestimenta autem Ipsius facta sint sicut *Lux*," Matth: XVII: 2: "Facies sicut Sol erat Divinum Bonum, vestimenta sicut Lux erat Divinum Verum: inde sciri potest, quid intelligitur per hoc quod in Benedictione, "*Lucere faciat Jehovah facies suas super te*, & misereatur tui," Num: VI: 25; quod facies Jehovæ sint Misericordia, pax, bonum, videatur n: 222. 223; & quod Sol sit Divinus Amor, ita quod Divinus Amor Domini sit, qui solis instar apparet in cœlo angelorum, n: 30 ad 38. 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495.

3196. Et exivit Jischak ad meditandum in agro, quod significet Rationalis statum in bono, constat a repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua sæpe prius; & a significatione meditari in agro, quod sit ejus status in bono; meditari enim est status Rationalis cum mentem intendit; ager autem est doctrina & quæ sunt doctrinæ, n: 368, ita quæ sunt Ecclesiæ quoad bonum, n: 2971; inde formula antiqua, *meditari in agro*, pro cogitare in bono, quod est hominis non uxorati, cogitantis de uxore.

3197. Versus vesperam, quod significet respective ad illa quæ infra, constat a significatione Vesperæ, quod sit obscurum, de qua n: 3056, & quia illa quæ infra sunt apud hominem, nempe illa quæ sunt mentis naturalis, sunt obscura respective ad illa quæ supra sunt, nempe illa quæ sunt mentis rationalis, ideo per vesperam significantur illa quæ in obscuro respective, ut constare potest a serie rerum in sensu interno; agitur enim de Vero e naturali, quod conjungendum bono in rationali; & quia hic agitur de conjunctione, & de illustratione naturalis hominis per illud, ideo, per meditari in agro versus vesperam, significatur status rationalis in bono respective ad illa quæ infra; status in bono describitur per quod habitaret in terra meridiei, hoc est, in Divina Luce, ad quam respective illa, quæ infra, erant in vespera, nempe antequam conjunctio facta Veri & Boni, & antequam Naturale quoque Divinum factum.

3198. Et sustulit oculos suos & vidit, quod significet intentionem, constat a significatione tollere oculos, quod sit cogitare, de qua n: 2789. 2829; hic intentio, quia dicitur, sustulit oculos & vidit, & prædicatur de Rationali Bono, cui nondum Verum e naturali conjunctum.

3199. Et ecce cameli venientes, quod significet ad communia scientifica in naturali homine, constat ex significatione camelorum, quod sint scientifica communia in naturali homine, de qua n: 3048. 3071; intentio fuit ad illa, quia inde verum exspectabatur, ut constat ab illis, quæ supra in hoc Capite sæpe dicta & ostensa sunt.

3200. In binis his Versibus describitur status boni rationalis, cum in exspectatione Veri est, quod sicut sponsa sibi marito conjungendum; in mox sequentibus binis Versibus describitur status Veri cum prope est, ac percipit bonum cui conjungendum: sed sciendum, quod hi status non semel exstiterint, sed continue per totam Domini vitam in mundo, usque dum glorificatus; apud regenerandos ita quoque se habet, non enim uno tempore regenerantur, sed continue per totam vitam, etiam in altera vita; perfici enim homo nusquam potest.

3201. Vers: 64. 65. *Et sustulit Rebecca oculos suos, & vidit Jischakum, & cecidit desuper camelo. Et dixit ad servum, quis vir ille ibi ambulans in agro obviam nobis, & dixit servus, ille dominus meus; & accepit peplum & obtexit se.* Sustulit Rebecca oculos suos & vidit Jischakum, significat reciprocam intentionem affectionis veri: & cecidit desuper camelo, significat separationem ejus a scientificis in naturali homine, ad perceptionem boni rationalis: Et dixit ad servum, significat explorationem a Divino naturali: quis vir ille ibi ambulans in agro obviam nobis, significat de Rationali quod in solo bono: & dixit servus, ille dominus meus, significat agnitionem: & accepit peplum & obtexit se, significat apparentias veri.

3202. Sustulit Rebecca oculos suos & vidit Jischakum, quod significet reciprocam intentionem affectionis veri, constat a significatione tollere oculos & videre, quod sit intentio, de qua supra n: 3198, hic reciproca, quia de Jischako prius dictum, quod sustulerit oculos & viderit, hic de Rebecca, quod sustulerit oculos & viderit Jischakum; & a repræsentatione Rebeccæ, quod sit affectio veri, de qua sæpe prius.

3203. Et cecidit desuper camelo, quod significet separationem ejus a scientificis in naturali homine, ad perceptionem boni Rationalis, constat ex significatione cadere, quod sit separari; & a significatione camelorum, quod sint scientifica in naturali homine, de qua n: 3048. 3071; quod ad perceptionem Boni Rationalis quod per Jischakum repræsentatur, patet. Quid sit separari a naturali homine, supra n: 3161. 3175. 3182. 3188. 3190, dictum & ostensum est, nempe quod tunc affectio veri separetur inde, cum non amplius sit scientiæ, sed vitæ; cum enim sit vitæ, per habitum imbuit ita hominem, sicut indoles aut natura illum; & cum ita induit, tunc sicut sponte effluit in actum, & hoc absque quod ex aliquo scientifico cogitet de illo; imo cum sit vitæ, tunc imperare potest scientificis, & inde innumerabilia depromere, quæ confirmant; ita se habet cum omni vero, quod in prima ætate est scientiæ, at progrediente sit vitæ: se habet sicut apud infantes, cum discunt ambulare, discunt loqui, discunt cogitare, ac discunt ex intellectu videre, & ex judicio concludere, quæ cum per habitum facta sunt

voluntaria, & sic spontanea, tunc evanescunt ex scientificis, nam sponte effluunt; ita quoque se habet cum illis quæ sunt cognitionum boni & veri spiritualis apud homines qui a Domino regenerantur seu renascuntur, illi principio nec aliter sunt quam infantes, vera spiritualia illis primum sunt scientifica, doctrinalia enim cum addiscuntur & memoriæ inferuntur, non aliud sunt, sed illa a Domino successive inde evocantur, ac implantantur vitæ, hoc est, bono, nam bonum est vita; quo facto, fit quasi versura, nempe quod homo inchoet ex bono, hoc est, ex vita agere, nec amplius, ut prius, ex scientia; ita qui e novo nascitur, similis in hoc est infanti, sed sunt vitæ spiritualis quæ imbuit, usque ut non ex doctrinali seu vero, sed ex charitate seu bono agat; cum hoc fit, tunc primum est in statu beato, & in sapientia: Ex his constare potest, quid sit separari a scientificis in naturali homine, quod significatur per quod Rebecca ceciderit desuper camelo, & hoc antequam novit quod Jischakus esset; quæ quod arcana involvant, quisque videre potest.

3204. Et dixit ad servum, quod significet explorationem a Divino naturali, constat a significatione dicere hic, quod sit explorare, nam interrogavit, quis vir ille ibi ambulans in agro; & a significatione servi, quod sit Divinum naturale, de qua supra n: 3191. 3192.

3205. Quis vir ille ambulans in agro obviam nobis, quod significet de Rationali quod in solo bono, nempe exploratio, constat ex illis quæ supra dicta sunt de Jischako, quod exiverit ad meditandum in agro, quo significabatur Rationalis status in bono, videatur n: 3196, hic Rationale significatur per virum illum, & esse in bono, per ambulare, nempe meditando, in agro; obviam nobis est ad conjunctionem.

3206. Et dixit servus, ille dominus meus, quod significet agnitionem, nempe per Divinum naturale, quod hic est servus, constare potest absque explicatione; quod initiatio fiat per Divinum naturale, videatur n: 3192; & quod Bonum agnoscat suum Verum, ac Verum suum Bonum, n: 3179.

3207. Et accepit peplum & obtexit se, quod significet apparentias veri, constat a significatione pepli, quo sponsæ obtegebant faciem, cum primum viderent sponsum, quod sint apparentiæ veri; sponsæ enim apud antiquos repræsentabant affectiones veri, & sponsi affectiones boni, seu quod idem, Ecclesiam, quæ sponsa dicebatur ex affectione veri, affectio boni quæ a Domino erat sponsus, inde Ipse Dominus passim in Verbo vocatur sponsus: velabant sponsæ faciem ad primum accessum ad sponsum, ut repræsentarent apparentias veri; sunt apparentiæ veri non vera in se, sed apparent sicut vera, de quibus infra; affectio veri non nisi quam per apparentias veri potest accedere ad affectionem boni, nec prius exuitur apparentiis, quam cum conjungitur, tunc enim fit Verum Boni, ac fit genuinum quatenus bonum est genuinum; ipsum Bonum est sanctum quia est Divinum procedens a Domino, ac influit per viam seu januam superiorem in homine; Verum autem originetenus non est sanctum, quia influit per viam seu januam inferiorem, & primum fit naturalis hominis, sed cum elevatur inde versus rationalem, purificatur

catur per gradus, & ad primum aſpectum affectionis boni, ſeparatur a ſcientificis, ac induit apparentias veri, & ſic accedit ad bonum, indicium quod tali origine, & quod primum aſpectum Boni Divini ſuſtinere non poſſet, antequam in thalamum ſponſi, hoc eſt, in ſanctuarium boni intraverit ac facta conjunctio; tunc enim Verum non amplius ſpectat bonum ex apparentiis ſeu per apparentias, ſed a bono ſpectatur abſque illis: ſed ſciendum, quod nuſquam aliqua vera apud hominem, ne quidem apud Angelum, ſint pura, hoc eſt, abſque apparentiis, ſunt omnia & ſingula apparentiæ veri, at uſque recipiuntur a Domino pro Veris, ſi in illis bonum; Domino Soli ſunt Vera pura quia Divina, eſt enim Dominus ſicut ipſum Bonum, ita ipſum Verum; ſed videantur, quæ de Veris & eorum apparentiis dicta ſunt, nempe quod Velamina, & quod Vela Tentorii, ſignificaverint apparentias veri, n: 2576. Quod Vera apud hominem ſint apparentiæ imbutæ fallaciis, n: 2053. Quod Rationalia hominis ſint apparentiæ veri, n: 2519. Quod Vera ſint in apparentiis, n: 2196. 2203. 2209. 2242. Quod Bonum Divinum influat in apparentias, etiam in fallacias, n: 2554. Quod apparentiæ veri adaptentur a Domino ſicut forent vera, n: 1832. Quod in Verbo loquutum ſit ſecundum apparentias, n: 1838. Quid autem ſint apparentiæ, conſtare poteſt manifeſte ab illis in Verbo, ubi ſecundum apparentias loquutum eſt; ſed ſunt apparentiarum veri gradus, apparentiæ veri naturales ſunt pleræque fallaciæ, ſed quum apud illos ſunt qui in bono, tunc non dicendæ ſunt fallaciæ, ſed apparentiæ, etiam aliquo reſpectu vera, bonum enim quod in illis, in quo Divinum, facit, ut eſſentia illis alia ſit; apparentiæ autem veri rationales, ſunt interiores magis & magis; in illis ſunt cœli, nempe Angeli qui in cœlis, de quibus videatur n: 2576: ut aliqua idea habeatur, quid apparentiæ veri, ſint illuſtrationi hæc; I. Credit homo quod reformetur & regeneretur per verum fidei, ſed hoc eſt apparentia, reformatur & regeneratur per bonum fidei, hoc eſt, per charitatem erga proximum, & amorem in Dominum. II. Credit homo, quod Verum det percipere quid bonum, quia docet, ſed eſt apparentia, bonum eſt quod dat vero percipere, bonum enim eſt anima, ſeu vita veri. III. Homo credit, quod Verum introducat ad bonum, cum ille ſecundum Verum, quod didicit, vivit, ſed eſt bonum quod influit in verum, & id ad ſe introducit. IV. Homini apparet, quod Verum perficiat bonum, cum tamen bonum perficit verum. V. Homini apparent bona vitæ ſicut fructus fidei, ſed ſunt fructus charitatis: ex his paucis aliquatenus ſciri poteſt, quid ſint apparentiæ veri; tales ſunt innumerabiles.

3208. Verſ: 66. 67. *Et narrabat ſervus Jiſchako omnia verba quæ fecit. Et introduxit illam Jiſchak in tentorium Saræ matris ſuæ; & accepit Rebeccam, & erat ei in mulierem, & amavit illam; & conſolatus eſt Jiſchakus poſt matrem ſuam.* Narrabat ſervus Jiſchako omnia verba quæ fecit, ſignificat perceptionem ex Divino naturali, quomodo ſe res haberet: Et introduxit illam Jiſchak in tentorium Saræ matris ſuæ, ſignificat ſanctuarium Veri in Divino Humano: & accepit Rebeccam, & erat ei in mulierem, & amavit

illam,

illam, significat conjunctionem: & consolatus est Jischakus post matrem suam, significat statum novum.

3209. Narrabat servus Jischako omnia verba quæ fecit, quod significet perceptionem ex Divino naturali quomodo se res haberet, constat a significatione narrare, quod sit percipere; perceptio enim est quasi narratio interna, qua propter percipere in historicis Verbi exprimitur per narrare, & quoque per dicere, n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862; ex significatione servi hic, quod sit Divinum naturale, de qua sequitur; & ex significatione verborum, quod sint res, de qua n: 1785; ex quibus patet, quod narrabat servus omnia verba quæ fecit, significet quod Divinum Bonum Rationale perceperit a Divino Naturali, quomodo se res haberet. Res ita se habet, Rationale est in gradu supra naturale, ac Rationale Bonum in Domino fuit Divinum, Verum autem, quod elevaretur e naturali, non fuit Divinum, priusquam conjunctum Divino Bono Rationalis; ut itaque Bonum Rationalis influeret in naturale, erit medium, medium non aliud esse potuit quam naturale quod participaret a Divino; hoc repræsentatur per servum seniorem domus Abrahami administrantem omnia quæ ei, n: 3019. 3020, qui quod significet Divinum naturale, videatur n: 3191. 3192. 3204. 3206.

3210. Et introduxit illam Jischak in tentorium Saræ matris suæ, quod significet sanctuarium veri in Divino Humano, constat a significatione tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 2145, 2151. 2576, ita sanctuarium; & a significatione Saræ matris, quod sit Verum Divinum, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065, 2904, ex quo natum Divinum Humanum, cujus Rationale repræsentatur per filium Jischakum; inde patet, quod introduxit illam Jischak in tentorium matris suæ, significet quod Bonum rationale adduxerit Verum, quod per Rebeccam repræsentatur, apud se in sanctuarium veri. Quid Sanctuarium veri, constare potest ab illis, quæ supra n: 3914 de Divino Humano Domini dicta sunt, nempe quod Ipsissimo Divino sit Bonum & Verum, & quod Dominus quoad Divinum Humanum exiverit ex Divino Bono & natus (nempe quoad Ipsum Divinum:) ex Divino Vero, seu quod idem, quod ipsum Esse Domini fuerit Divinum Bonum, at ipsum Existere Divinum Verum, exinde Divinum Bonum Rationale, cui Divinum Verum ex humano conjunxit; de Arcanissimo hoc non plura dici possunt; modo quod ipsissimum Divinum Bonum & Verum in Divino Humano Domini, cui conjunctum Verum ex humano, sit, quod significatum est per Sanctuarium, quod Sanctum sanctorum fuit, in Tabernaculo, & in Templo; & quale illius repræsentatum est per illa quæ inibi, ut per Altare aureum, per mensam ubi panes propositionis, per Candelabrum, interius adhuc per Propitiatorium, & per Arcam, ac intime per Testimonium, quod erat Lex e Sinai promulgata, hæc erat ipsum Sanctum sanctorum, seu Sanctuarium Veri.

3211. Et accepit Rebeccam, & erat ei in mulierem, & amavit illam, quod significet conjunctionem, nempe boni & veri, constare potest absque expli-

explicatione: quod dicatur, quod Rebecca ei fuerit in mulierem, non in uxorem, caufa eft, quia inter Bonum rationale, & Verum e naturali evocatum & Divinum factum, non fit conjugium, fed fœdus inftar fœderis conjugialis; ipfum Conjugium Divinum, quod in Domino, eft unio Divinæ Effentiæ cum Humana, & Humanæ cum Divina, videatur n: 2803; hæc eft caufa, quod Rebecca dicatur mulier, non uxor.

3212. Et confolatus eft Jifchakus poft matrem fuam, quod fignificet ftatum novum, conftare poteft a fignificatione confolationem accipere, quod fit ftatus novus, ftatus enim confolationis eft novus, qui quod fucceſſerit priori, fignificatur per poft matrem fuam. Status novus eft ftatus glorificationis Rationalis ficut prius quoad Bonum ita nunc quoad Verum; Rationale glorificatum eft, cum Divinum factum quoad utrumque. Quod Dominus quoad Humanum novus factus, hoc eft, glorificatus, feu quod idem, Divinus, nufquam aliquis capere poteft, ita nec credere, qui in mundanis & corporeis amoribus eft, is quid fit fpirituale & cœlefte, prorfus nefcit, & ne quidem fcire vult; at qui non in mundanis & corporeis amoribus eft, is percipere illud poteft, credit enim quod Dominus fit unus cum Patre, & quod ab Ipfo omne fanctum procedat; proinde quod Divinus fit etiam quoad Humanum, & qui credit, fuo modo percipit: Status glorificationis Domini capi aliquo modo poteft ex ftatu regenerationis hominis, nam regeneratio hominis eft imago glorificationis Domini, n: 3043. 3138; cum homo regeneratur, tunc fit prorfus alius, ac fit novus, ideo etiam cum regeneratus eft, vocatur denuo natus, & e novo creatus; tunc, quamvis ei fimilis facies, & fimilis loquela, ufque non eft fimilis mens; mens ejus, cum regeneratus, eft aperta verfus cœlum, & inibi habitat amor in Dominum & charitas erga proximum cum fide, mens eft quæ hominem alium & novum facit, mutatio ftatus non poteft appercipi in hominis corpore, fed in ejus fpiritu, eft corpus modo operimentum ejus fpiritus, illud cum exuitur, tunc fpiritus ejus apparet, & quidem prorfus alia forma cum regeneratus eft, eft ei tunc forma amoris & charitatis in pulchritudine inexpreſſibili, n: 553, loco prioris quæ fuit forma odii & crudelitatis cum deformitate etiam inexpreſſibili; exinde conftare poteft quid fit regeneratus, feu denuo natus, aut a novo creatus, quod nempe prorfus alius & novus; ex hac imagine aliquatenus concipi poteft quid Glorificatio Domini, Ipfe non regeneratus eft ficut homo, fed Divinus factus, & hoc ex Ipfiſſimo Amore Divino, factus enim eft Ipfe Amor Divinus; qualis tunc Ipfius forma fuit, apparuit Petro, Jacobo, & Johanni, cum Ipfum videre illis datum non oculis corporis fed oculis fpiritus, nempe quod fplenduerit facies Ipfius ficut Sol, Matth: XVII: 2; & quod hoc effet Divinum Humanum Ipfius, conftat ex voce quæ tunc e nube, dicente, Hic eft Filius meus dilectus, ibid: Verf: 5, quod Filius fit Divinum Humanum, videatur n: 2628.

Con-

Continuatio de Repræsentationibus & Correspondentiis.

3213. *IN mundo spirituum, innumerabilia & pæne continua existunt Repræsentativa, quæ sunt rerum spiritualium & cælestium formæ, non absimiles illis quæ in mundo: unde illa, ex diuturno cum spiritibus & angelis commercio, scire datum; influunt e cælo, & ex Angelorum ibi ideis & loquelis; Angelorum enim ideæ ac inde loquelæ, cum delabuntur ad spiritus, sistuntur repræsentative diversimode; spiritus probi, ex illis scire possunt, quid Angeli inter se loquuntur, nam intus in repræsentativis est Angelicum, quod quia afficiens est, percipitur, etiam quoad quale. Angelicæ ideæ & loquelæ non aliter possunt sisti coram spiritibus, nam idea Angelica indefinita continet præ idea spiritus, quæ nisi formaretur ac sisteretur repræsentative, & sic visualiter per imagines, spiritus illa vix quicquam intelligeret, nam pleraque sunt ineffabilia, at cum repræsentantur per formas, tunc fiunt spiritibus comprehensibilia quoad communiora; & quod mirabile, in illis; quæ repræsentantur, ne quidem minimum est, quod non exprimit aliquid spirituale & cæleste, quod est in idea Angelicæ societatis, e qua repræsentativum defluit.*

3214. *Repræsentativa spiritualium & cælestium existunt quandoque longa serie, per tempus horarium aut bihorium continuata, ordine tali successive, ut mirabile; sunt societates apud quas illa fiunt; ac datum est mihi per plures menses cum illis esse; sed illæ Representationes tales sunt, ut si modo unam suo ordine memorarem & describerem, plures paginæ implerentur; sunt perquam jucundæ, nam continue aliquid novum inexspectatum succedit; & hoc usque dum illud, quod repræsentatur, plene perficitur; cumque omnia perfecta sunt, contemplari illa licet uno intuitu, & tunc simul datur appercipere, quid singula significant: Spiritus boni in ideas spirituales & cælestes ita quoque initiantur.*

3215. *Repræsentativa, quæ existunt coram spiritibus, sunt incredibili varietate, sunt usque pleraque similia illis quæ in tellure, ac in tribus ejus regnis; ut sciatur qualia sunt, videantur quæ prius de illis relata sunt, n:* 1521. 1532. 1619 *ad* 1622. 1623. 1624. 1625. 1807. 1808. 1971. 1974. 1977. 1980. 1981. 2299. 2601. 3758.

3216. *Ut*

3216. *Ut adhuc melius sciatur, quomodo se habet cum Repræsentativis in altera vita, nempe cum illis quæ apparent in mundo spirituum, sint quoque hic aliquot exempla. Cum apud Angelos sermo est de Doctrinalibus charitatis & fidei, quandoque tunc in sphæra inferiore, ubi est societas spirituum correspondens, apparet idea Urbis seu Urbium, cum palatiis inibi, tali arte architectonica, ut stupendum, sit ut dicas ibi ac inde ipsam illam artem esse, præter domos vario aspectu; & quod mirabile, in illis omnibus & singulis, non datur minimum punctum, aut minimum visibile, quod non aliquid ex idea ac sermone Angelico repræsentat: exinde constare potest, quam innumerabilia illi insunt; tum quid significatum est per Urbes visas Prophetis in Verbo, ut quid per Civitatem Sanctum seu Novam Hierosolymam; ut & quid per Urbes in Verbo Prophetico, quod nempe Doctrinalia charitatis & fidei, n:* 412. 2450.

3217. *Cum sermo est Angelis de intellectuali, tunc in mundo spirituum sub illis seu in societatibus, quæ correspondent, apparent Equi, & hi magnitudine, forma, colore, positu, secundum ideas quas Angeli de Intellectuali habent, etiam illi varie phalerati. Est etiam locus aliquantum profunde paulo ad dextrum, qui domicilium Intelligentium vocatur, ubi Equi continue apparent; & hoc ex causa, qui in cogitatione sunt de Intellectuali, in quorum cogitationes cum influunt Angeli, quibus sermo de Intellectuali, repræsentantur Equi: inde constare potuit, quid significatum per Equos visos Prophetis, & quoque per Equos in Verbo nominatos, quod nempe Intellectualia, n:* 2760. 2761. 2762.

3218. *Cum Angeli in affectionibus sunt, & simul de illis in sermone, tunc cadunt talia in sphæra inferiore apud spiritus in species repræsentativas animalium; cum sermo est de Affectionibus bonis, sistuntur animalia pulchra, mitia & utilia, qualia in cultu repræsentativo Divino in Ecclesia Judaica circa sacrificia adhibita sunt, ut Agni, Oves, Hædi, Capræ, Arietes, Hirci, Vituli, Juvenci, Boves; & tunc quicquid usquam apparet super animali, aliquam effigiem cogitationis illorum repræsentat, quod probis spiritibus etiam datur percipere: inde constare potest, quid per Animalia in ritibus Ecclesiæ Judaicæ significatum est, & quid per eadem in Verbo nominata, quod nempe affectiones, n:* 1823. 2179. 2180. *At vero sermo Angelorum de affectionibus malis, repræsentatur per bestias tetras, feroces, ac inutiles, ut per tigrides, ursos, lupos, scorpiones, serpentes, mures, & similes, sicut quoque per illas in Verbo significantur.*

3219. *Cum*

3219. *Cum Angeli in sermone sunt de cognitionibus, & de ideis ac de influxu, tunc in mundo spirituum apparent sicut aves formatæ secundum sermonis illorum subjectum; inde est, quod aves in Verbo significent rationalia, seu illa quæ sunt cogitationis,* n: 40. 745. 776. 991. *Quondam mihi in conspectum veniebant Aves, una obscura & deformis, binæ autem nobiles & pulchræ; & cum viderem illas, ecce tunc incidebant in me aliqui spiritus, tali vehementia, ut tremorem incuterent nervis & ossibus, opinatus sum quod nunc sicut aliquoties prius, mali spiritus in me invaderent, conatu perdendi, sed non tale erat; cessante tremore, & spirituum qui incidebant, emotione, loquutus cum illis, quærens quid esset, dicebant, quod delapsi sint e quadam societate Angelica, in qua sermo fuit de cogitationibus & influxu, & quod illi fuissent in opinione, quod illa quæ sunt cogitationis influant ab extra, scilicet per sensus externos, secundum apparentiam; sed Societas cælestis, in qua erant, quod influant ab intra; & quia in falso essent, quod inde delapsi sint, non quod dejecti, nam Angeli nullum a se dejiciunt, sed quia in falsitate, deciderunt inde a se; & quod hæc causa fuisset. Inde scire datum, quod sermo in cælo de cogitationibus & influxu repræsentetur per aves, & illorum qui in falso sunt, per aves obscuras & deformes, qui autem in vero, per aves nobiles & pulchras; ac simul instructus, quod omnia cogitationis influant ab intra, non autem ab extra tametsi ita apparet; ac dictum, quod contra ordinem sit, ut posterius influat in prius, aut crassius in purius, ita ut corpus in animam.*

3220. *Cum de illis, quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, ac de perceptionibus & cognitionibus, Angelis est sermo, tunc influxus inde in societates Spiritum correspondentes, cadit in repræsentationes talium, quæ sunt in Regno vegetabili, ut in Paradisorum, Vinearum, Sylvarum, pratorum cum floribus, ac in venustates plures, quæ excedunt omnem imaginationem hominis: inde est, quod illæ quæ sunt sapientiæ ac intelligentiæ, describantur in Verbo per Paradisos, Vineas, Sylvas, Prata, & quod, ubi hæc nominantur, talia significentur.*

3221. *Sermones Angelici quandoque repræsentantur per Nubes, perque nubium formas, colores, motus, & translationes; affirmativa veri per nubes candidas & ascendentes, negativa per nubes obscuras & descendentes; affirmativa falsi per nubes furvas & atras; consensus & dissensus per nubium varias consociationes & dissociationes, & hæc in cæruleo, quale est cæli nocturni.*

3222. *Præ-*

3222. *Præterea amores & illorum affectiones repræsentantur per flammas, & hoc variatione inexpressibili; Veritates autem per Luces, ac per innumerabiles Lucis modificationes; inde constare potest, unde est, quod per flammas in Verbo significentur bona quæ sunt amoris, & per luces vera quæ sunt fidei.*

3223. *Sunt binæ Luces, ex quibus illuminatur homo, Lux mundi & Lux cœli; Lux mundi est a sole, Lux cœli est a Domino; Lux mundi est pro homine naturali seu externo, ita pro illis rebus quæ sunt in illo; res, quæ ibi, tametsi non apparent quod lucis illius sint, usque sunt, nam a naturali homine nihil capi potest, nisi per talia quæ in mundo solari existunt & apparent, & sic nisi a luce ibi ac umbra aliquid formæ habent; omnes ideæ temporis & ideæ spatii, quæ in naturali homine tantum faciunt, ut absque illis cogitare nequeat, etiam lucis mundi sunt: Lux autem cœli pro homine spirituali seu interno est; mens hominis interior, ubi ideæ ejus intellectuales quæ immateriales vocantur, in illa luce est; hoc nescit homo, tametsi intellectum suum vocat visum, & ei adscribit lucem: causa est, quia, quamdiu in mundanis & corporeis est modo perceptionem talium, quæ sunt lucis mundi, habet, non autem talium quæ sunt lucis cœli; lux cœli est a solo Domino, universum cœlum in illa luce est. Hæc Lux nempe cœli immensum perfectior est luce mundi; quæ in luce mundi faciunt unum radium, illa in Luce cœli faciunt myriades; in luce cœli inest intelligentia & sapientia; illa lux est quæ influit in lucem mundi quæ in Externo seu Naturali homine, & facit ut is sensualiter objecta rerum percipiat; nisi illa lux influeret nusquam homini aliqua apperceptio foret, nam illis, quæ luminis mundi sunt, vita inest inde. Inter illas Luces seu inter illa quæ in luce cœli & in luce mundi sunt, datur correspondentia, quando Externus seu naturalis homo unum facit cum Interno seu Spirituali, hoc est, cum ille huic inservit; & quæ tunc existunt in luce mundi, sunt repræsentativa talium quæ in luce cœli.*

3224. *Mirum est, quod homo nondum sciat, quod Mens sua intellectualis in quadam luce sit, quæ prorsus alia est a luce mundi; sed talis est conditio, ut qui in Luce mundi sunt, illis Lux cœli sint quasi tenebræ, & qui in Luce cœli, illis lux mundi sint quasi tenebræ; hoc principaliter venit ex amoribus, qui sunt calores lucis; qui in amoribus sui & mundi sunt, ita in solo calore lucis mundi, illi tantummodo afficiuntur malis & falsis, & hæc sunt quæ exstinguunt vera, quæ sunt lucis cœli: qui autem in amore in Dominum & amore erga proximum*

ſunt, ita in calore ſpirituali, qui eſt lucis cœli, illi afficiuntur bonis & veris, quæ exſtinguunt falſa, ſed uſque apud hos datur correſpondentia. Spiritus qui ſolum in illis quæ lucis mundi, & inde in falſis e malis, ſunt, illi in altera vita quidem lucem e cœlo habent, ſed talem lucem, qualis eſt fatua, & qualis ex carbone ignito aut torre effluit, ſed hæc lux illico exſtinguitur appropinquante luce cœli, & fit caligo; qui in illa luce ſunt, in phantaſiis ſunt; & quæ in phantaſiis vident, credunt vera, nec alia illis vera ſunt; phantaſiæ illorum etiam alligatæ ſunt objectis ſpurcis & obſcœnis, quibus maxime delectantur, ita cogitant ſicut deliri ac inſani; de falſis non ratiocinantur num ita ſit, ſed affirmant momento, at de bonis & veris continua eſt illis ratiocinatio, quæ terminatur in negativum: Vera enim & bona quæ a luce cœli, influunt in interiorem mentem, quæ illis eſt clauſa, quare lux circum & extra illam influit, & fit talis, ut non niſi quam a falſis apparentibus illis ut veris modificetur; vera & bona non agnoſci poſſunt, quam apud illos, quibus interior illa mens aperta eſt, in quam Lux a Domino influat, quæ quantum aperta eſt, tantum illa agnoſcuntur: illa mens aperta eſt ſolum apud illos, qui in innocentia ſunt, in amore in Dominum, & in charitate erga proximum; non autem apud illos qui in veris fidei, niſi ſimul in bono vitæ, ſunt.

3225. *Exinde nunc conſtare poteſt, quid correſpondentia, & unde illa, tum quid repræſentatio, & unde; quod nempe Correſpondentia ſit inter illa quæ ſunt lucis cœli ac lucis mundi, hoc eſt, inter illa quæ ſunt Interni ſeu Spiritualis hominis & quæ ſunt Externi ſeu Naturalis: & quod Repræſentatio ſit quicquid exiſtit in illis quæ ſunt lucis mundi, hoc eſt, quicquid in Externo ſeu Naturali homine, reſpective ad illa quæ ſunt lucis cœli, hoc eſt, quæ ſunt ex Interno ſeu ſpirituali homine.*

3226. *Inter facultates eminentes, quas homo in ſe habet, tametſi id neſcit, & quas in alteram vitam, cum illuc poſt ſolutionem a corpore tranſit, ſecum fert, eſt quod repræſentativa, quæ apparent in altera vita, percipiat quid ſignificant; tum quoque quod poſſit ſenſu animi ſui plene intra momentum temporis exprimere, quod per horas nequiit in corpore, & id per ideas ex illis quæ ſunt lucis cœli, adjutas & ſicut alatas factas per ſpecies repræſentativas rei, de qua ſermo, convenientes, quæ tales ſunt, ut non deſcribi poſſint: & quia homo poſt mortem in illas facultates venit, & non opus habet, ut de illis in altera vita inſtruatur, inde conſtare poteſt, quod homo in illis ſit, hoc eſt, quod illa in ipſo ſint, cum vivit in corpore, tametſi hoc neſcit. Quod ita ſit, cauſa eſt, quia apud*

apud hominem continuus influxus per cælum a Domino est; influxus ille est spiritualium & cælestium, quæ cadunt in ejus naturalia, ac ibi sistuntur repræsentative; in cælo apud Angelos non aliud cogitatur, quam de cælestibus & spiritualibus, quæ sunt Regni Domini; sed in mundo apud hominem, vix aliud quam de corporeis & naturalibus, quæ sunt regni in quo est, & necessitatum vitæ, in quibus; & quia spiritualia & cælestia cæli, quæ influunt, sistuntur repræsentative apud hominem in ejus naturalibus, ideo manent illa insita, ac in illis est homo, cum corporea exuit, & mundana relinquit.

3227. *Continuatur de Repræsentationibus & Correspondentiis ad finem Capitis sequentis.*



GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

3028. AGitur in hoc Capite de filiis Abrahami ex Kethurah; tum quoque de filiis Jiſchmaelis, qui nominantur; poſtea de Jiſchako & Rebecca, quod illis nati Eſau & Jacob; & demum quod Eſau vendiderit primogenituram Jacobo pro pulte lentium: quiſque videre poteſt, quod hæc talia ſint, ut quidem inſervient Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illius temporis, ſed quod parum vitæ ſpirituali, pro qua tamen eſt Verbum: quid homini, ſi ſciat, quinam filii Abrahamo ex Kethurah, & quinam Jiſchmaeli; tum quoque, quod Eſau laſſus ex venatione deſideravit pultem lentium, & quod Jacobus ex calliditate tunc, pro illa ſibi comparaverit primogenituram: ſimiliter in Capite ſequente, quod paſtores Abimelechi cum paſtoribus Jiſchaki rixati ſint de puteis quos foderunt, pæne ſimiliter ac cum paſtoribus Abrahami prius Cap: XXI; præter quod aliquibus in locis ſint meræ recenſiones Nominum, ut poſterorum Eſavi, Cap: XXXVI; & ſic in reliquis; in quibus, quatenus hiſtorica ſunt, tam parum Divini eſt, ut neutiquam dicere poſſis, quod Verbum illud quoad omnem vocem, etiam quoad omnem jotham, divinitus inſpiratum ſit, hoc eſt, quod a Domino per cœlum ad hominem, qui illa ſcripſit, demiſſum; quod enim a Domino demiſſum eſt, illud eſt Divinum in omnibus & ſingulis, ita non quoad Hiſtorica, quia illa ſunt res geſtæ hominum, niſi ex illis quæ in hiſtoricis penitus abdita continentur, quorum omnia & ſingula agunt de Domino, & de Ipſius Regno; Hiſtorica Verbi præ omnibus aliis hiſtoricis in univerſo terrarum orbe, id ſingulare habent, quod talia involvant.

3229. Si Verbum quoad Hiſtorica ſolum, hoc eſt, quoad ſenſum externum ſeu literalem modo Verbum eſſet, tunc omnia Hiſtorica, quæ ibi, ſancta forent; & quod magis, plures, qui ibi, ut ſancti æſtimarentur, & fieret, ſicut fit apud multos, quod ut dii colerentur, quia de illis, in ſanctiſſimo, quod ſcriptum eſt, agitur; quemadmodum illi qui Patres nominantur, nempe Abraham, Jiſchak, & Jacob, & poſt illos, Patres tribuum, duodecim filii Jacobi, & poſtea David, ac plures; cum tamen omnes illi homines fuerunt, & quidam illorum parum ſolliciti de cultu Divino; & quod teſtari poſſum, quod apud

illos

illos nihil prorſus ſupra communem ſortem humanam ſit; & quoque quod in cœlis prorſus ignorentur; de quibus, & de quorum ſtatu in altera vita, alibi, ex Divina Domini Miſericordia, dicendum. Inde nunc manifeſte conſtare poteſt, quod Senſus Externus ſeu Literalis, ſit Verbum ſolum ex Senſu Interno ſeu Spirituali, qui in illo, & ex quo ille.

CAPUT XXV.

1. ET addidit Abraham, & accepit mulierem, & nomen ejus Keturah.

2. Et peperit ei Simranem, & Jochſchanem, & Medanem, & Midianem, & Jiſchbakum, & Schuachum.

3. Et Jochſchan genuit Schebam, & Dedanem. Et filii Dedanis fuerunt Aſchurim, & Letuſchim, & Leumim.

4. Et filii Midianis, Ephah, & Epher, & Chanoch, & Abidah, & Eldaah. Omnes illi filii Keturæ.

5. Et dedit Abraham omnia, quæ ei, Jiſchako.

6. Et filiis concubinarum, qui Abrahamo, dedit Abraham dona; & miſit illos ab apud Jiſchako filio ſuo, adhuc illo vivente, orientem verſus ad terram orientis.

7. Et hi dies annorum vitarum Abrahami, quos vixit, centum anni, & ſeptuaginta anni, & quinque anni.

8. Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & ſatur; & collectus ad populos ſuos.

9. Et ſepeliverunt eum Jiſchack & Jiſchmael filii ejus, ad ſpeluncam Machpelæ, ad agrum Ephronis filii Zochar Chittæi, quæ ſuper facies Mamre.

10. Agrum, quem emit Abraham ex filiis Cheth ibi ſepultus Abraham & Sarah uxor ejus.

11. Et fuit poſt mortem Abrahami, & benedixit Deus Jiſchako filio ejus; & habitabat Jiſchak cum Beerlachai roi.

* * * *

12. Et hæ nativitates Jiſchmaelis filii Abrahami, quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo.

13.

13. Et hæc nomina filiorum Jischmaelis, in nominibus eorum, secundum nativitates eorum: Primogenitus Jischmaelis Nebajoth, & Kedar, & Abdeel, & Mibsam.

14. Et Mischmah, & Dumah, & Massa.

15. Chadar, & Thema, Jetur, Naphisch, & Kedmah.

16. Et illi filii Jischmaelis, & illa nomina illorum, in villis illorum & in castellis illorum, duodecim principes populorum suorum.

17. Et hi anni vitarum Jischmaelis, centum anni & triginta anni & septem anni; & exspiravit & mortuus est, & collatus ad populos suos.

18. Et resederunt a Chavillah usque ad Schur, quæ super facies Ægypti, in veniendo ad Aschur; super facies omnium fratrum suorum cecidit.

* * * *

19. Et hæ nativitates Jischaki filii Abrahami; Abraham genuit Jischakum.

20. Et fuit Jischack filius quadraginta annorum in accipiendo illo Rebeccam filiam Bethuelis Aramæi, e Paddan Aram, sororem Labanis Aramæi, sibi ad mulierem.

21. Et oravit Jischack ad Jehovam propter mulierem suam, quia sterilis ea, & exoratus illi Jehovah, & concepit Rebecca mulier ejus.

22. Et collidebant se filii in medio illius, & dixit, si ita, ad quid hoc ego, & ivit ad interrogandum Jehovam.

23. Et dixit Jehovah illi, duæ gentes in utero tuo, & duo populi e visceribus tuis separabuntur, & populus præ populo valebit, & major serviet minori.

24. Et impleti sunt dies ejus ad pariendum, & ecce gemini in utero ejus.

25. Et exivit primus, rufus totus is, sicut tunica pilosa, & vocabant nomen ejus Esau.

26. Et post ita, exivit frater ejus, & manus ejus prehendens in calcaneum Esavi, & vocabat nomen ejus Jacob. Et Jischak filius sexaginta annorum in pariendo illos.

* * * *

27. Et adoleverunt pueri, & fuit Esau vir sciens venationis, vir agri; & Jacob vir integer habitans tentoria.

28. Et amabat Jischak Esavum, quia venatio in ore ejus; & Rebecca amans Jacobum.

29. Et coxit Jacob pultem, & venit Esau de agro, & is lassus.

30. Et dixit Esau ad Jacobum, fac mihi sorbere quæso e rubro, rubrum hoc, quia lassus ego, propterea vocavit nomen ejus Edom.

31. Et dixit Jacob, vende sicut hodie primogenituram tuam mihi.

32. Et dixit Esau, ecce ego vadens ad moriendum, & ad quid hoc mihi primogenitura.

33. Et dixit Jacob, jura mihi sicut hodie, & juravit illi, & vendidit primogenituram suam Jacobo.

34. Et Jacob dedit Esavo panem & pultem lentium, & edit, & bibit, & surrexit, & ivit, & contemsit Esau primogenituram.

CONTENTA.

3230. IN hoc Capite in sensu interno, *Primo* agitur de Regno spirituali Domini, & de ejus derivationibus, Vers: 1. 2. 3. 4. Quod illud separatum sit a Regno cœlesti Domini, Vers: 5. 6. Quod repræsentativum Domini per Abrahamum finitum sit, Vers: 7. 8. Et quod inchoaverit repræsentativum Domini per Jischakum & Jischmaelem, Vers: 9. 10. 11.

3231. *Secundo* agitur de Ecclesia Spirituali, quæ repræsentatur per Jischmaelem, ac de illius derivationibus, Vers: 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

3232. *Tertio* agitur de conceptione & ortu Divini Naturalis, quoad Bonum quod est Esau, & quoad Verum, quod est Jacob, Vers: 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

3233. *Quarto* agitur de prioritate Boni & Veri in Ecclesia, Vers: 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.



SENSUS INTERNUS.

3234. *ET addidit Abraham, & accepit mulierem; & nomen ejus Keturah.* Addidit Abraham & accepit mulierem, significat alterum statum Domini, quem Abraham repræsentat; Abraham & Sarah repræsentarunt Dominum quoad Divinum cœleste, Abraham & Kethurah Dominum quoad Divinum Spirituale; ita Abraham hic Dominum quoad Divinum Bonum Spirituale, & ejus mulier quoad Divinum Verum illi Bono adjunctum: & nomen ejus Kethurah, significat essentiam hujus Divini Veri.

3235. Addidit Abraham & accepit mulierem, quod significet alterum statum Domini, quem Abraham repræsentat, & quod Abraham & Sarah repræsentaverint Dominum quoad Divinum cœleste, Abraham & Keturah quoad Divinum Spirituale, constat ex illis, quæ hactenus de Abrahamo & ejus Uxore Sarah, dicta & ostensa sunt, & ex illis quæ de Abrahamo & Kethurah hic memorantur: sed quia dicitur, quod Abraham hic alterum statum Domini repræsentet, & quod Abraham & Sarah Dominum quoad Divinum cœleste, at Abraham & Keturah Dominum quoad Divinum Spirituale, sciendum quid sit Divinum cœleste, & quid Divinum Spirituale; Divinum cœleste & Divinum Spirituale se habet respective ad illos qui recipiunt Divinum Domini, nam Dominus apparet unicuique qualis est qui recipit, ut constare potest ab illis quæ n: 1838. 1861, dicta sunt, ac patet manifeste ex eo, quod Dominus aliter appareat cœlestibus, aliter vero spiritualibus; cœlestibus enim apparet ut Sol, spiritualibus autem ut Luna, n: 1529. 1530. 1531. 1838; Cœlestibus apparet Dominus ut Sol, quia illi in amore cœlesti sunt, hoc est, in amore in Dominum; Spiritualibus autem ut Luna, quia illi in amore spirituali sunt, hoc est, in charitate erga proximum; differentia est, qualis inter lucem solis interdiu, ac lucem lunæ noctu, tum qualis inter calorem utriusque, ex quo germinationes; hæc sunt quæ intellecta sunt in Capite Primo Geneseos, per hæc verba, "*Et fecit Deus duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum die, & Luminare minus ad dominandum nocte,*" Vers: 16; est in genere Domini Regnum Cœleste, & est Spirituale, hoc est, consistit ex Cœlestibus & ex Spiritualibus; & quia Domini Divinum apparet Cœlestibus ut cœleste, & Spiritualibus ut spirituale, inde est, quod dicatur, quod Abraham & Sarah repræsentaverint Dominum quoad Divinum cœleste, & Abraham & Kethurah quoad Divinum spirituale. Sed quia vix alicui notum est, quid Cœleste, & quid spirituale, tum quinam illi sunt, videantur quæ prius de illis dicta & ostensa sunt, nempe, Quid cœleste & quid spirituale, n: 1155. 1577. 1824. 2048. 2184. 2227. 2507. Quinam Cœlestes & quinam spirituales, n: 2088. 2669. 2708. 2715. Quod Cœlestis homo sit similitudo Domini & ex amore bonum agat, & quod spiritualis sit imago Domini & ex fide bonum agat, n: 50. 51. 52. 1013. Quod Cœlestes percipiant ex bono verum, & quod nusquam de vero ratiocinentur, n: 202. 337. 607. 895. 1121. 2715. Quod apud hominem cœlestem inseminetur bonum in parte ejus voluntaria, sed apud hominem spiritualem in parte ejus intellectuali; & quod in hac parte apud Spirituales nova voluntas creetur, n: 863. 875. 895. 897. 927. 1023. 1043. 1044. 2256. Quod Cœlestes ex ipso bono videant indefinita, sed quod Spirituales, quia ratiocinantur num ita sit, non venire possint ad primum terminum lucis illorum, n: 2718. Quod Spiritualibus sit obscurum respective, n: 1043. 2708. 2715. Quod Dominus in mundum venerit, ut salvaret spirituales, n: 2661. 2716. 2833. 2834.

3236. Quod Abraham hic repræsentet Dominum quoad Divinum Bonum Spirituale, & quod ejus mulier quoad Divinum Verum illi Bono adjunctum, constare

conftare poteft ex illis quæ prius de maritis & uxoribus dicta funt, nempe quod Maritus repræfentet Bonum, & Uxor Verum, ficut prius Abraham & Sarah, n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. 2198. 2904; & ficut in Capite præcedente Jifchak & Rebecca, n: 3077: quod Maritus repræfentet bonum, & Uxor Verum, caufa eft, quia Ecclefia comparatur conjugio, & quoque eft conjugium boni & veri, bonum eft quod Maritus repræfentat, quia primo loco eft, verum autem quod uxor quia fecundo; ideo quoque Dominus in Verbo vocatur Sponfus, Vir, Maritus, & Ecclefia Sponfa, Mulier, Uxor. Quid fpirituale bonum & fpirituale verum illi bono adjunctum, conftare poteft ab illis locis, quæ mox fupra n: 3235 citata funt; apud hominem Spirituale bonum eft in genere id quod vocatur bonum fidei, & hoc non aliud quam charitas erga proximum, fed ut fit charitas, veniet ex nova voluntate, qua fpiritualis homo donatus eft a Domino; fpirituale verum illi bono adjunctum eft id quod dicitur verum fidei, & hoc non aliud quam quod fpectat charitatem primo ut finem propter quem, & dein ut principium ex quo, fed ut fit fpirituali homini Verum fidei, feu fides, veniet ex novo intellectu quo donatus eft a Domino, & novus intellectus lucem fuam habebit a nova voluntate.

3237. Et nomen ejus Keturah, quod fignificet effentiam hujus Divini Veri, conftat ex fignificatione nominis, quod fit quale, & vocare nomine quod fit noffe qualis eft, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009; at quia de Divino non prædicatur quale, fed effe, ideo hic per nomen fignificatur effentia, & quidem Divini Veri, quod fignificatur hic per *Ejus*, nempe mulieris, quod hic mulier fit Divinum Verum, videatur mox fupra n: 3236; inde patet, quid Keturah in genere involvit.

3238. Verf: 2. 3. 4. *Et peperit ei Simranem, & Jochfchanem, & Medanem, & Midianem, & Jifchbakum, & Schuachum. Et Jochfchan genuit Schebam & Dedanem: & filii Dedanis fuerunt Afchurim, & Letufchim, & Leumim. Et filii Midianis, Ephah & Epher, & Chanoch, & Abidah, & Eldaah: omnes illi filii Keturæ.* Peperit ei Simranem, & Jochfchanem, & Medanem, & Midianem, & Jifchbakum, & Schuachum, repræfentant communes fortes Regni Spiritualis Domini in cœlis & in terris: & Jochfchan genuit Schebam & Dedanem, fignificat a prima forte derivationes: Et filii Dedanis fuerunt Afchurim, & Letufchim, & Leunim, fignificat ab altera forte derivationes: Et filii Midianis Ephah & Epher, & Chanoch, & Abidah, & Eldaah, fignificat a tertia forte derivationes: Omnes illi filii Keturæ, fignificat quoad doctrinalia & cultus inde.

3239. Peperit ei Simranem & Jochfchanem, & Medanem, & Midianem, & Jifchbakum, & Schuachum, quod repræfentent communes fortes Regni Spiritualis Domini in cœlis & in terris, non ita conftare poteft ex Verbo, quia non alii ex illis memorantur alibi quam Midian, de quo fequitur; ex eo tamen, quod omnes perfonæ, quotcunque nominantur in Verbo aliquid repræfentent; ut ab illis omnibus, qui hactenus a Primo Capite Genefeos memorati funt, fatis conftare poteft, quod Nomina tam perfonarum, quam reg-

 norum,

norum, & provinciarum & urbium, in sensu interno Verbi res significent, videatur n: 768. 1224. 1264. 1876. 1888, & multoties alibi, ubi hoc in particulari e Verbo confirmatur: quod reliqui ab his præter Midianem non alibi in Verbo memorentur, est causa, quia sunt ex filiis Orientis, de quibus passim in Verbo, qui quod in communi significent illos, qui ex Regno Spirituali Domini sunt, infra ad Vers: 6 hujus Capitis videbitur: quod hi Abrahami ex Ketura filii id repræsentent, constat ex eo, quod Abraham & Keturah repræsentent Dominum quoad Divinum Spirituale, nempe Abraham Dominum quoad Divinum Bonum Spirituale, Keturah quoad Divinum Verum Spirituale illi Bono conjunctum, de quibus mox supra n: 3235. 3236; exinde sequitur, quod filii illorum repræsentent communes sortes Regni quod ex Divino Spirituali Domini. Communes sortes dicuntur, quia Regnum Domini repræsentatur per terram, quæ distribuitur per sortes inter illos quibus illa datur sicut hæreditas possidenda, quemadmodum terra Canaan filiis Israelis; sortes in communi sunt duodecim, nam per duodecim significantur omnia charitatis & inde fidei, quæ sunt Regni Domini, de quibus infra ad Vers: 16; hic autem sunt Sex, ita dimidio numero, sed dimidius numerus idem involvit ac integer, nam multiplicatio & divisio, modo simile inest, non ipsam rem quoad essentiale variant.

3240. Et Jochschan genuit Schebam & Dedanem, quod significet a prima sorte derivationes, constat ex repræsentatione Jochschanis, & ejus filiorum Schebæ & Dedanis, de quibus sequitur. Hic quia mera sunt nomina, & per illa significantur Ecclesiæ Spiritualis Domini status & derivationes, dicendum quomodo se cum illis in communi habet: Ecclesia Cœlestis in eo differt ab Ecclesia Spirituali, quod illi qui ab Ecclesia cœlesti sunt, ac Cœlestes vocantur, sint in amore, nempe in ejus bono & vero, sed illi, qui ab Ecclesia Spirituali, ac Spirituales dicuntur, sint in fide, nempe in ejus bono & vero; Bonum quod Cœlestibus, est amoris in Dominum, ac Verum quod illis est amoris erga proximum; Bonum autem quod est Spiritualibus, est Charitatis erga proximum, Verum quod illis, est fidei quatenus hæc est doctrina de charitate; inde constare potest, quod Regno Domini Spirituali, sicut Cœlesti Ipsius, sit Bonum & Verum, sed cum multa differentia. Sciendum porro, quod illi, qui sunt in Regnis, inter se distinguantur per Bonum & Verum, ex causa, quia sunt qui plus in Bono, & sunt qui plus in Vero, inde nunc sunt Derivationes, nempe derivationes boni & derivationes veri; derivationes boni in Regno Spirituali Domini sunt quæ repræsentantur per Jochsanis filios, de quibus in hoc Versu; at derivationes veri ibi, sunt qui repræsentantur per filios Midianis, de quibus in Versu sequente. Nunc, quia binæ Classes Spiritualium sunt, nempe qui plus in bono & qui plus in vero, inde bina illis doctrinalia sunt, nempe doctrinalia charitatis & doctrinalia fidei; doctrinalia charitatis pro illis qui in bono fidei sunt, & hic significantur per Jochscanis filios, at doctrinalia fidei pro illis qui in vero fidei, & significantur per filios Midianis: Scheba & Dedan sunt, qui primam classem constituunt, hoc est, qui in Spirituali Regno Domini in Bono fidei sunt, & quibus

bus doctrinalia charitatis, inde est, quod per Schebam & Dedanem significentur cognitiones cœlestium, seu quod idem, illi qui in cognitionibus cœlestium sunt, hoc est, qui in doctrinalibus charitatis, nam doctrinalia sunt cognitiones, & charitatis est cœleste quod Spirituali homini; quod Scheba & Dedan sint illi, ostensum est in Parte Prima, n: 117. 1168. 1171. 1172, sed ibi Schebah & Dedan sunt pronepotes Chami, & vocantur filii Ramæ; sed sciendum, quod Chamus, sicut etiam Japheth & Schem nusquam fuerint, sed quod illi, qui ab Ecclesia post diluvium Noachus dicta, fuerunt, distincti fuerint quoad Bona & Vera in tres Classes, quæ Classes ita nominatæ sunt, n: 736. 1062. 1065. 1140. 1141. 1162, & passim alibi; fuerunt usque Gentes, quæ ita vocatæ sunt, sed ex aliis, ut Scheba & Dedan, qui quod ex Jochschane, filio Abrahami ex Kethurah, hic patet. Quod Schebah sint illi qui in cognitionibus cœlestium, ita qui in bono fidei, constat ex illis locis, quæ n: 117. 1171, allata sunt; & quod Dedan similiter, ex locis quæ n: 1172, & porro ex his; apud Esaiam, "Propheticum de Arabia; in sylva in Arabia pernoctabitis *turmæ Dedanim*; obviam sitienti adferte aquas, habitatores terræ Thema, cum pane ejus prævenite vagabundum; nam coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenso," XXI: 13. 14, in sylva pernoctare, pro desolari quoad bonum, Arabia enim sunt qui in cœlestibus, hoc est, qui in bonis fidei, ibi in sylva pernoctare est non amplius in bonis esse, inde desolatio, quæ quoque describitur per vagari coram gladiis, coram gladio extenso; cœlestia, hoc est bona fidei, seu quod idem, opera charitatis, quæ eis, significantur per obviam sitienti adferre aquas, & cum pane prævenire vagabundum: apud Jeremiam, "Accepi calicem a manu Jehovæ, & bibere feci omnes gentes, ad quas misit me Jehovah, Hierosolymam, & urbes Jehudæ, & reges ejus, & principes ejus, ad tradendum eos in desolationem; Pharaonem Regem Ægypti, & servos ejus, & principes ejus, & omnem populum ejus; omnes Reges Tyri, & omnes Reges Zidonis; *Dedanem* & Themam, & Bus, & omnes abscissos anguli; omnes Reges *Simri*, & omnes Reges Elam, & omnes Reges Mediæ: & omnes Reges Septentrionis," XXV: 17. 18. 19. 22. 23. 25, 26; ibi etiam de desolatione Ecclesiæ Spiritualis agitur, cujus Ecclesiæ differentiæ ordine memorantur, & significantur per Hierosolymam, urbes Jehudæ, Ægyptum, Tyrum, Zidonem, *Dedanem*, Themam, Bus, Simri, Elam, Mediam; apud Ezechielem, "*Schebah* & *Dedan*, & mercatores Tharschisch, & omnes leones, juvenes ejus dicent tibi: num ad spoliandum spolium tu venisti, num ad prædandum prædam congregasti congregationem tuam, ad auferendum argentum & aurum, ad capiendum pecora & possessionem, ad spoliandum spolium magnum," XXXVIII: 13, ibi de Gogo, per quem significatur cultus externus separatus ab interno, qui idololatricus, n: 1151; Schebah & Dedan, pro cultus internis, nempe bonis fidei; Tharschisch pro cultu externo correspondente, argentum, aurum, pecora, possessio, spolia, quæ Gogas, seu externum cultus separatum ab interno, auferre vult, sunt cognitiones boni & veri, pro quibus pugnant, & quas defendunt illi qui sunt Schebah & Dedan, quare vocantur leones ju-

venes: Schebah in proprio sensu sunt illi qui in cognitionibus boni, Dedan qui in cognitionibus veri ex bono.

3241. Et filii Dedanis fuerunt Aschurim; & Letuschim, & Leumim, quod significet ab altera sorte derivationes, constare potest a repræsentatione Dedanis, quod sint illi qui in fidei bono, proprie qui in fidei vero ex bono, n: 3240 fin: quod ex altera sorte derivationes sint, patet: sunt imprimis fidei vera ex bono, quæ per tres illos significantur; at quid per unumquemvis, quidem dici potest, sed non confirmari per Verbum alibi, nam non amplius memorantur. In Regno Domini sunt innumerabiles varietates quoad bona & vera, ex innumerabilibus illis usque unum Cœlum constituitur; sunt enim tot varietates, ut nusquam una societas sit prorsus similis alteri, hoc est, in eodem bono ac vero, videatur n: 684. 685. 690; unum ibi constituitur ex pluribus variis ita a Domino dispositis ut concordent, concordantia seu harmonia plurium inditur a Domino per quod omnes se ad Ipsum referant, n: 551; se habet hoc sicut organa, membra & viscera corporis, illorum nullum est prorsus simile alteri, sed omnia inter se varia at usque unum faciunt, & quidem per id quod omnia referant se ad unam animam, & per hanc ad cœlum, & sic ad Dominum; nam omne inconnexum a Domino est nihil: inde constare potest, quod differentiæ veri & boni in specie innumerabiles sint; sed genera illorum, & quidem communissima, quæ sunt Ecclesiæ Spirituales, significantur per hos filios & nepotes Abrahami. Qui ab Ecclesia Spirituali sunt, quia nullam perceptionem habent, sicut qui ab Ecclesia cœlesti, quid bonum & verum, sed quæ didicerunt, pro veris agnoscunt, ideo continue in lite sunt de illis, ac ratiocinantur num ita sit, ac unusquisque manet in illo doctrinali, & vocat verum, quod ejus Ecclesiæ est, inde tot differentiæ sunt; præter quod plerique concludant de bonis & veris ab apparentiis & fallaciis, unus dissimiliter ac alter, sed nullus ex aliqua perceptione, imo quid perceptio non sciunt: quia intellectus illorum ita obscuratus est quoad bona & vera fidei, non mirum est, quod dissensiones sint de omnium Essentialissimo, nempe de Domini Divino, Humano, & Sancto procedente, cœlestes percipiunt quod non Tria sint sed Unum, Spirituales autem manent in idea Trium, at volunt ut cogitent quod sint Unum; cum itaque de Essentialissimo dissensiones sunt, constare potest, quod Doctrinalium varietates & differentiæ innumerabiles sint; inde sciri potest, unde derivationes, quæ significantur per illos qui hic nominantur: at licet tot varietates & differentiæ doctrinalium sunt, seu tot derivationes, usque tamen simul unam formant Ecclesiam, quando omnes charitatem pro essentiali Ecclesiæ agnoscunt, seu quod idem, quando vitam spectant ut finem doctrinæ, hoc est, quærunt quomodo homo Ecclesiæ vivit, non ita quomodo sentit, nam quisque secundum vitæ bonum non secundum doctrinæ verum a vitæ bono separatum, donatur a Domino sorte in altera vita.

3242. Et filii Midianis Ephah & Epher, & Channoch & Abidah, & Eldaah, quod significet a tertia sorte derivationes, constare potest a repræsentatione Midianis, quod sint illi qui in vero fidei, de qua infra, & cum illi qui

in

in Vero fidei sunt Midian, sequitur quod filii sint derivationes inde. Cum illis qui in Vero fidei sunt, ita se habet; in Regnum Domini nullus admittitur, nisi qui in bono fidei est, bonum enim fidei est vitæ, fidei vita manet, non autem fidei doctrina, nisi quantum hæc cum vita unum facit; at usque qui in vero fidei sunt, hoc est, qui profitentur fidem, & eam dicunt essentialem, ex eo quod ita didicerunt, & tamen usque in bono vitæ sunt, hoc est, qui corde sunt Christiani, non ore in spirituali Regno Domini sunt; facile enim aliquis persuaderi potest, quod fides sit essentiale, cum ita traditur a magistris & is in puerili ætate imbuitur opinione illa, & quia illi qui doctissimi audiunt, & antistites, ita dicunt, quorum quidam timent dicere vitæ bonum, quia vita illos damnat, præterea etiam quia illa quæ sunt fidei perceptibiliter influunt, non ita illa quæ sunt charitatis: qui ergo in vero fidei sunt, & usque in bono vitæ, illi sunt qui vocantur Midian, vera autem, secundum quæ vivunt, sunt filii Midianis: sicut illi qui in vero fidei conjunctio bono ejus, sunt Midian, ita quoque in opposito sensu illi qui in falso sunt ex eo quod bonum vitæ non illis; ut ex sequentibus constare potest; apud Esaiam, "Turma Camelorum obteget te, *dromades Midianis* & *Ephæ*, omnes e Scheba venient; aurum & thus portabunt, & laudes Jehovæ annuntiabunt," LX: 6; ubi de Regno Spirituali Domini, dromades Midianis & Ephæ pro doctrinalibus; doctrinalia boni sunt aurum, doctrinalia veri sunt thus, utraque sunt laudes Jehovæ; inde etiam patet, quid Ephah significat. Quod per *Midianitas*, qui extraxerunt Josephum e fovea, ac vendiderunt Jischmaelitis, & in Ægyptum Potiphari, Gen: XXXVII: 28. 36, significentur illi qui in Vero simplicis boni, videbitur, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus ad Versus illos. Quod etiam per Midianem significentur illi qui in falso, quia bonæ vitæ non illis, constare potest ex illis quæ de Midiane apud Mosen dicuntur, quod nempe, "Seniores Moab & *seniores Midianis*, cum præstigiis in manu, iverint ad Bileamum, & loquuti sint ad illum verba Balaki," Num: XXII: 4. 7, seq: Moabus in bono sensu pro illis qui in bono naturali sunt & se facile seduci patiuntur, at in opposito pro illis qui adulterant bona, n: 2468; Midian in bono sensu pro illis qui in Vero simplicis boni, ut dictum, & ita se facile persuaderi sinunt, in opposito, ut hic, pro illis, qui falsificant vera, falsificationes significantur per præstigias in manu, & facta ex falsis per quod miserint ad Bileamum contra filios Israelis, qui sunt bona & inde vera fidei. Scortationes filiorum Israelis cum *Midianitarum fæminis*, propter quas plaga, quæ sedata per quod Pinchasus transfoderit *Midianitiden* & virum Israelis in lupanari, Num: XXV: 6. 7. 8, seq: simile significant, nam per scortationes repræsentabantur falsificationes veri, n: 2466. 2729; & quia falsificationes veri sunt quæ in sensu interno significantur per scortationes, ideo ex mandato, duodecim mille ex filiis Israelis percusserunt illos, occiderunt eorum reges, & omnem masculum, ac mulieres, quas captivas duxerunt, quæ cognoverant virum; & præter inter se diviserunt," Num: XXV: 16. 17. Cap: XXXI: 1 ad f. quod duodecim mille essent, erat quia duodecim significarent omnia fidei, n: 5077. 2089. 2129 f. 2130 f;

2130 f; per quæ falsa destruuntur; reges, quos occiderunt, sunt falsa, etiam masculus, mulieres, quæ cognoverant virum, sunt affectiones falsi, præda, quæ aurum, argentum, pecora, sunt vera quæ falsificata, inde patet, quod omnia & singula ibi sint repræsentativa punitionis & destructionis falsi per vera. Similiter quæ de Midianitis referuntur in Libro Judicum, nempe, "Quod filii Israelis, quia fecerunt malum in oculis Jehovæ, dati sint in *manum Midianis* septem annis; & quod filii Israelis propter *Midianem* fecerint sibi speluncas in montibus, & antra, & munitiones; & quando Israel fecit sementem, quod *Midian* & Amaleck, & *Filii Orientis* ascenderint, & corruperint proventum terræ illorum; ac dein quod liberati a Guideone per trecentos, qui lamberunt lingua aquas sicut Canis, & quod domum missi, qui procubuerunt super genua & biberunt, præter plura, de quibus Cap: VI. VII. VIII; ibi quoque omnia & singula sunt repræsentativa falsificationis veri, & propter id punitionis, usque ad illud, quod destruerentur per talia quæ significantur per lambere lingua aquas ut canis; quid autem singula in sensu interno significant, prolixum nimis foret hic explicare; ex Divina Domini Misericordia, suo loco dicetur. Apud Habakuck, "Vidit & dissipavit gentes, & dispersi sunt montes temporis, & humiliarunt se colles sæculi; sub aven vidi tentoria Kuschanis, contremuerunt *cortinæ terræ Midianis*," III: 6. 7, ibi de adventu Domini; tentoria Kuschanis pro religioso ex malo; cortinæ terræ Midianis pro religioso ex falso.

3243. Omnes illi filii Kethuræ, quod significet quoad doctrinalia & cultus inde, constat ex significatione filiorum, quod sint vera ac doctrinalia, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623; & ex repræsentatione Keturæ, quod sit Divinum Verum spirituale Divino Bono spirituali conjunctum, de qua n: 3236. 3237, ita illa quæ sunt Regni Spiritualis Domini, cujus cultus quia est secundum doctrinalia, ideo est quod filii Kethuræ sint doctrinalia, & quoque cultus inde.

3244. Vers: 5. 6. *Et dedit Abraham omnia, quæ ei, Jischako. Et filiis concubinarum, qui Abrahamo, dedit Abraham dona, & misit illos ab apud Jischako filio suo, adhuc illo vivente, orientem versus ad terram orientis.* Dedit Abraham omnia, quæ ei, Jischako, significat in supremo sensu omnia Divina in Divino Rationali; in sensu respectivo, cœlestia amoris Regno cœlesti Domini: Et filiis concubinarum, qui Abrahamo, dedit Abraham dona significat Spirituales adoptatos a Divino Humano Domini, quod illis sortes in Regno Spirituali Domini: & misit illos ab apud Jischako filio suo, significat distinctionem & separationem Spiritualium a Cœlestibus: adhuc illo vivente, significat quibus vitam dare potuit: orientem versus ad terram orientis, significat ad bonum fidei.

3245. Dedit Abraham omnia, quæ ei, Jischako, quod significet in supremo sensu omnia Divina in Divino Rationali; & in sensu respectivo cœlestia amoris Regno cœlesti Domini, constat ex repræsentatione Abrahami, quod sit Dominus quoad Ipsum Divinum, de qua prius; & ex repræsentatione Jischaki; quod sit Dominus quoad Divinum Rationale, de qua etiam prius;

prius; & quia Dominus in ſenſu interno eſt & Abraham & Jiſchak, ac Dominus Rationale ſuum ex Divino ſuo Divinum fecit, inde eſt, quod dedit Abraham omnia, quæ ei, Jiſchako, ſignificet omnia Divina in Divino Rationali: ad hæc ſpectant illa, quæ præcedunt, & illa quæ ſequuntur, nempe quod in Rationali Domini omnia Divina facta; agitur enim in ſenſu interno, ubi de Abrahamo, de Jiſchako, & de Jacobo, de Humano Domini quomodo Divinum factum. Sunt duo, quæ Humanum proprie conſtituunt, nempe Rationale & Naturale; Rationale Domini repræſentatur per Jiſchakum, Naturale autem Ipſius per Jacobum, Dominus utrumque Divinum fecit; quomodo Rationale, continetur in illis quæ de Jiſchako dicta ſunt, at quomodo Naturale, in illis quæ de Jacobo in ſequentibus dicuntur; ſed hoc nempe Naturale, non Divinum fieri potuit, antequam Rationale Divinum factum, nam per hoc, illud; inde itaque eſt, quod per illa Verba ſignificentur omnia Divina in Divino Rationali. Præterea, omnia & ſingula, quæ in ſenſu interno de Domino, etiam de Ipſius Regno & Eccleſia agunt, ex cauſa, quia Divinum Domini facit Regnum Ipſius, inde eſt, quod ubi de Domino, etiam de Regno Ipſius agatur, videatur n: 1965; ſed ſenſus internus de Domino eſt ſenſus ſupremus, ſenſus autem internus de Regno Ipſius eſt ſenſus reſpectivus; ſenſus reſpectivus horum verborum, nempe quod Abraham dedit omnia Jiſchako, eſt quod cœleſtia amoris Regno Cœleſti Domini; per Jiſchakum enim in ſenſu reſpectivo ſignificatur Regnum Cœleſte, nam per reliquos Abrahami filios, nempe qui ei ex Kethurah, ſignificatur Regnum Spirituale Domini, ut ſupra oſtenſum, etiam per Jiſchmaelem, de quo infra.

3246. Et filiis concubinarum, quæ Abrahamo, dedit Abraham dona, quod ſignificet Spirituales adoptatos a Divino Humano Domini, quod illis ſortes in Regno Spirituali Domini, conſtat ex ſignificatione filiorum concubinarum, quod ſint Spirituales de quibus ſequitur; ex repræſentatione Abrahami hic, quod ſit Divinum Humanum Domini, ita per Verba, *qui Abrahamo*, ſignificatur; quod illi, nempe Spirituales, adoptati ſint a Divino Humano Domini; & ex ſignificatione donorum, quæ Abraham illis dedit, quod ſint ſortes in Regno Spirituali Domini. Ex illis, quæ prius aliquoties de illis qui Spirituale Domini Regnum conſtituunt, & Spirituales vocantur, oſtenſa ſunt, ut n: 3235, & alibi, conſtare poteſt, quod illi non filii ex ipſo Conjugio boni & veri ſint, ſed ex fœdere quodam non ita conjugiali; ex eodem quidem patre ſunt, ſed non ex eadem matre, hoc eſt, ex eodem Divino Bono, ſed non ex eodem Divino Vero: Cœleſtibus enim, quia ex ipſo conjugio Boni & Veri ſunt, eſt Bonum & inde Verum, quare nuſquam inquirunt quid verum, ſed ex bono percipiunt illud; nec de Vero ulterior illis ſermo eſt, quam quod ita ſit, ſecundum illa quæ Dominus docet apud Matthæum, "Eſto ſermo veſter, ita ita, non non, quod ultra hæc eſt, ex malo eſt," v: 36; Spirituales autem, quia ex fœdere non ita conjugiali, non ſciunt quid Verum ex aliqua perceptione, ſed verum dicunt id, quod a parentibus & magiſtris illis verum eſſe, dictum eſt, quare apud illos non eſt con-

conjugium boni & veri; sed usque Verum, quod ita credunt, a Domino adoptatur pro vero, quando in bono vitæ sunt; videantur de his n: 1832. Inde nunc est, quod Spirituales hic dicantur filii concubinarum, & per illos intelligantur omnes filii Keturæ hactenus nominati, tum quoque filii ex Hagare, de quibus mox infra Vers: 12 & 18. Ut repræsentarentur & Cœlestes & Spirituales in conjugiis olim, concessum fuit præter Uxorem etiam Concubinam habere, Concubina illa dabatur marito ab uxore, & tunc dicebatur ejus mulier, seu quod data sit ei in mulierem, sicut cum Hagar Ægyptia Abrahamo a Sarah, Gen: XVI: 3; cum ancilla Bilha Jacobo ex Rachele, Gen: XXX: 4, & ancilla Silpa Jacobo ex Lea, Gen: XXX: 9, ibi dicuntur mulieres, sed alibi concubinæ, ut Hagar Ægyptia in hoc Versu; Bilha Gen: XXXV: 22; etiam ipsa Keturah 1 Paral: I: 32. Quod antiqui illi concubines habuerint præter uxorem, sicut non modo Abraham & Jacob, sed etiam posteri illorum, ut Guideon, Jud: VIII: 31; Saül, 2 Sam: III: 7. David, 2 Sam: V: 13. Cap: XV: 16; Salomo, 1 Reg: XI: 3, erat ex permissione, repræsentationis causa, nempe Ecclesiæ cœlestis per uxorem, & Ecclesiæ spiritualis per concubinam; ex permissione, quia tales fuerunt ut illis nullus amor conjugialis, ita nec conjugium illis conjugium, sed modo copulatio carnalis sobolis procreandæ causa, talibus absque læsione amoris & inde fœderis conjugialis, permissiones esse potuerunt, nusquam autem illis qui in bono & vero sunt, & qui interni homines sunt vel fieri possunt; ut primum enim homo in bono & vero est, ac in internis, cessant talia; inde est quod Christianis non liceat, sicut Judæis, ad uxorem sibi aliquam concubinam adjungere, & quod hoc adulterium sit. Quod Spirituales adoptati sint a Divino Humano Domini, videantur quæ de eadem re prius n: 2661. 2716. 2833. 2834, dicta & ostensa sunt.

3247. Et misit illos ab apud Jischako filio suo, quod significet distinctionem & separationem Spiritualium a cœlestibus, constare potest ab illis quæ supra nunc dicta sunt, quod nempe filii Abrahami ex Keturah & ex Hagare Ægyptia, qui filii concubinarum dicuntur, sint Spirituales, & quod Jischakus in sensu respectivo sint cœlestes, n: 3245, & quod separati sint.

3248. Adhuc illo vivente, quod significet quibus vitam dare potuit, constat ex significatione adhuc illo vivente, seu cum adhuc ille viveret, quod sit vitam dare; per Abraham enim repræsentatur Dominus hic quoad Divinum Humanum; quod ex Divino Humano Domini sit Spiritualibus vita, videatur n: 2661. 2716. 2833. 2834, cum vita illis inde, dicitur Dominus vivere apud illos, ita quoque in familiari sermone; inde est, quod Abrahamo adhuc vivente significet in sensu interno vitam dare: Vita Spiritualibus datur per bonum fidei, quod intelligitur per verba quæ nunc sequuntur.

3249. Orientem versus ad terram Orientis, quod significet ad bonum fidei, constat ex significatione Orientis & terræ Orientis, de qua sequitur; bonum fidei, quod significatur per terram Orientis, non aliud est, quam quod in Verbo vocatur charitas erga proximum, & charitas erga proximum non aliud quam vita secundum præcepta Domini; quod per terram Orientis illud signifi-

ſignificetur, videatur n : 1250; idcirco qui in cognitionibus boni fidei fuerunt, dicti ſunt Filii Orientis; terra filiorum Orientis erat Aram ſeu Syria, quod Aram ſeu Syria ſint cognitiones boni, videatur n : 1232. 1234; & Aram Naharaim ſeu Syria fluviorum ſint cognitiones veri, n : 3051, & quia per Syros ſeu filios orientis ſignificati ſunt qui in cognitionibus boni & veri, illi præ reliquis dicti ſunt ſapientes, ut in Libro Regum, ubi de Salomone, "Multiplicata eſt ſapientia Salomonis præ *ſapientia omnium Filiorum Orientis*," Cap : v : 10; & apud Matthæum, de illis qui venerunt ad Jeſum cum natus, "*Sapientes ab Oriente* venerunt Hieroſolymam, dicentes, ubi eſt ille Rex Judæorum, qui natus eſt, vidimus enim Ejus *Stellam in Oriente*, & venimus ut adoremus Ipſum," ii : 1 : 2; in Syria enim erant ultimæ reliquiæ Eccleſiæ Antiquæ, quare ibi adhuc reſiduæ erant Cognitiones boni & veri; ut quoque conſtare poteſt a Bileamo, qui non modo adoravit Jehovam, ſed etiam de Domino prophetavit, ac Ipſum vocavit *Stellam e Jacobo*, & Sceptrum ex Iſraele," Num : xxiv : 17; quod ille ex filiis Orientis in Syria fuerit, patet, ipſe enim de ſe dicit, cum edidit enuntiatum, "E Syria adduxit me Balakus Rex Moabi, de *Montibus Orientis*," Num : xxiii : 7: quod Aram ſeu Syria fuerit, ubi filii Orientis, etiam conſtare poteſt, ex eo, quod, cum Jacobus in Syriam iret, dicitur iviſſe *Terram filiorum orientis*," Gen : xxix : 1.

3250. Verſ: 7. 8. 9. 10. *Et hi dies annorum vitarum Abrahami, quos vixit, centum anni, & ſeptuaginta anni, & quinque anni. Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & ſatur; & collectus ad populos ſuos. Et ſepeliverunt eum Jiſchak & Jiſchmael filii ejus, ad ſpeluncam Machpelæ, ad agrum Ephronis filii Zochar Chittæi, quæ ſuper facies Mamre. Agrum, quem emit Abraham ex filiis Cheth: ibi ſepultus Abraham & Sarah uxor ejus.* Hi dies annorum vitarum Abrahami quos vixit, ſignificat ſtatum repræſentativum Domini quoad Ipſum Divinum, per Abrahamum: centum anni ſeptuaginta anni & quinque anni, ſignificat illa quæ ſunt ejus ſtatus: Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham, ſignificat finem repræſentationis per Abrahamum: in ſenectute bona, ſenex & ſatur, ſignificat novum repræſentationis: & collectus ad populos ſuos, ſignificat quod hæc de Abrahamo: Et ſepeliverunt eum Jiſchak & Jiſchmael filii ejus, ſignificat quod exciperet nunc repræſentativum Domini per Jiſchakum & Jiſchmaelem: ad ſpeluncam Machpelæ, ſignificat reſurrectionem quoad verum: ad agrum Ephronis filii Zochar Chittæi, quæ ſuper facies Mamre, ſignificat quoad bonum; etiam ſignificat Spirituales, ut prius, qui ex Divino Humano Domini recipiunt verum & bonum, & ſalvantur: Agrum quem emit Abraham ex filiis Cheth, ſignificat Domini Regnum ſpirituale inde: ibi ſepultus Abraham & Sarah uxor ejus, ſignificat reſuſcitationem.

3251. Hi dies annorum vitarum Abrahami quos vixit, quod ſignificet ſtatum repræſentativum Domini quoad Ipſum Divinum, per Abrahamum, conſtat ex ſignificatione dierum & annorum, quod ſint ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; & ex ſignificatione vitarum hic, quod etiam ſint

 ſtatus,

ſtatus, de qua n: 2904, hic ſtatus repræſentativi qui per Abrahamum; omnis enim vita ejus, qualis in Verbo deſcripta eſt, fuit repræſentativa, de cujus fine nunc agitur. Quod Abraham repræſentaverit Dominum quoad Ipſum Divinum, in explicationibus oſtenſum eſt; ob finem ut repræſentaret, vocatus eſt nomine Abraham, interjecta litera H, quæ ex nomine Jehovæ deſumpta eſt, n: 2011; repræſentavit Abraham & Ipſum Divinum quod Pater vocatur, & Divinum Humanum quod Filius dicitur, ita Dominum quoad utrumque, at Divinum Humanum quod ab æterno, a quo exſtitit, & ad quod Humanum in tempore natum redegit, cum illud glorificavit: hæc repræſentatio Domini eſt per Abrahamum.

3252. Centum anni & ſeptuaginta anni & quinque anni, quod ſignificent illa quæ ſunt ejus ſtatus, conſtare poteſt ex eo, quod omnes numeri in Verbo ſignificent res, videantur n: 482. 487. 575. 647. 648. 1963. 1988. 2075. 2252, ita hic numerus, qui quod ſignificet illa quæ ſunt ſtatus, de quo nunc, ſequitur: dum mens ſolum in hiſtorico eſt, apparet ſicut numeri, ut hi, qui ſunt annorum ætatis Abrahami, non aliquem interiorem ſenſum involverent ſed quod uſque involvant, patet ab omnibus illis quæ prius de numeris oſtenſa ſunt, & conſtare poteſt ex eo, quod in numero, quatenus eſt numerus, nihil ſanctum ſit, cum tamen omnium minimum in Verbo ſanctum eſt.

3253. Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham, quod ſignificet finem repræſentationis per Abrahamum, conſtat a ſignificatione exſpirare & mori, quod ſit deſinere ſeu finem habere, n: 494, hic finem repræſentationis; nam omne vitæ Abrahami, quod deſcriptum eſt in Verbo, non de Abrahamo, niſi ſolum in ſenſu hiſtorico, ſed eſt de Domino ac Ipſius Regno, quare cum dicitur de illo, quod exſpiraverit & mortuus ſit, non aliud ſignificari poteſt in Verbo, hoc eſt, in ſenſu ejus genuino, quam quod ſtatus repræſentativus Domini per Abrahamum finem habeat.

3254. In ſenectute bona, ſenex & ſatur, quod ſignificet novum repræſentationis, conſtat a ſignificatione ſenectutis in ſenſu interno, quod ſit exuere vetus & induere novum, de qua n: 1854. 2198. 3016: quod ſit novum, ſeu ſtatus novus, qui per ſenectutem in ſenſu interno ſignificatur, eſt, quia apud angelos, pro quibus ſenſus internus Verbi, nulla idea temporis eſt, ita nulla talium quæ ſunt temporis, ut ætatum hominis, nempe infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, adultæ ætatis, & ſenectutis, ſed pro illis omnibus ideam habent ſtatuum, ut pro tempore infantiæ habent ideam ſtatus innocentiæ, pro tempore pueritiæ & adoleſcentiæ ideam ſtatus affectionis boni & veri, pro adulta ætate ideam ſtatus intelligentiæ, ac pro ſenectute ideam ſtatus ſapientiæ, n: 3183; & quia tunc homo ab illis quæ ſunt temporis, tranſit in illa quæ ſunt vitæ abſque tempore, ac ſic novum ſtatum induit, per ſenectutem ſignificatur novum, & hic novum repræſentativum, quia de hoc apud Abrahamum prædicatur ſenectus, tum ſenex & ſatur, ut ab illis, quæ mox ſupra dicta ſunt, conſtare poteſt.

3255. Quod collectus ad populos ſuos, ſignificet quod hæc de Abrahamo, conſtat a ſignificatione colligi ad populos ſuos, quod ſit non amplius de ipſo; colligi

colligi enim ad populos ſuos, eſt abire ab illis, inter quos prius fuit, & tranſire ad ſuos; ita hic non amplius repræſentare. Antiquis ſolenne fuit dicere, cum aliquis moreretur, quod colligeretur ad patres ſuos, aut ad populos ſuos, & intellexerunt per id, quod actualiter venirent ad parentes ſuos, ad cognatos, & affines, in altera vita; ab Antiquiſſimis, qui cœleſtes homines fuerunt, hoc habuerunt, illi enim, cum vivebant in terra, etiam ſimul cum angelis fuerunt in cœlo, ac ita noverunt quomodo ſe res haberet; nempe, quod omnes, qui in eodem bono ſunt, in altera vita conveniant & ſimul ſint, & quoque omnes qui in eodem vero ſunt; de illis dicebant, quod congregarentur ad ſuos patres, de his autem quod colligerentur ad ſuos populos; patres enim apud illos ſignificabant bona, n: 2803, & populi ſignificabant vera, n: 1259. 1260; etiam illi, qui fuerunt ab Antiquiſſima Eccleſia, quia in ſimili bono fuerunt, ſimul in cœlo cohabitant, n: 1115; & quoque plures ex illis, qui ab Antiqua Eccleſia, & in ſimili vero: inter ſe, n: 1125. 1127: & præterea homo, dum in corpore vivit, ſemper quoad Animam ſuam, in aliqua ſocietate ſpirituum eſt in altera vita, n: 1277. 2379, homo qui malus eſt, in ſocietate ſpirituum infernalium, qui bonus in ſocietate angelorum, ita quiſque in ſocietate talium, cum quibus quoad bonum & verum, vel quoad malum & falſum, convenit; in eandem hanc ſocietatem venit homo cum moritur, n: 687; hæc ſunt, quæ apud Antiquos ſignificabantur per quod congregarentur ad patres, aut colligerentur ad populos ſuos; ſicut hic dicitur de Abrahamo cum exſpiravit, & in eodem hoc Capite de Jiſchmaele, Verſ: 17, de Jiſchako, Gen: XXXV: 29; de Jacobo, Gen: XLIX: 29. 33; de Aharone, Num: XX: 24. 26; de Moſe, Num: XXVII: 13. Cap: XXXI: 2. Deut: XXXII: 50; de generatione prima quæ intrabat in terram Canaanem, Judic: II: 10. At in ſenſu interno Verbi, ubi agitur de vita alicujus, quod repræſentaverit, tunc per colligi ad populos ſignificatur, quod non amplius de illo, ut ſupra dictum.

3256. Et ſepeliverunt eum Jiſchak & Jiſchmael filii ejus, quod ſignificet quod exciperet nunc repræſentativum Domini per Jiſchakum & Jiſchmaelem, conſtare poteſt a ſignificatione ſepelire; quod ſepeliri ſit reſuſcitari & reſurgere, n: 2916. 2917, oſtenſum eſt: hic quia actum eſt, de repræſentatione Domini per Abrahamum, quod ille ſtatus finem habuerit, & nunc incipiat repræſentatio per Jiſchakum & Jiſchmaelem, idcirco per ſepelire hic ſignificatur reſuſcitatio illius ſtatus, ſe habent ſignificationes applicate ad illa, de quibus prædicantur. Cum Repræſentativis in Verbo ita ſe habet, quod continua ſint, tametſi apparent interrupta per mortes illorum qui repræſentarunt; at mortes eorum non aliquam interruptionem ſignificant, ſed continuationem; ideo etiam ſepulturæ illorum ſignificat repræſentativum in alio reſuſcitatum & continuatum.

3257. Ad ſpeluncam Machpelæ, quod ſignificet reſurrectionem quoad verum; & ad agrum Ephronis filii Zochar Chittæi quæ ſuper facies Mamre, quod ſignificet quoad bonum; & quod etiam ſignificet Spirituales, ut prius, qui ex Divino Humano Domini recipiunt verum & bonum, & ſalvantur;

 tum

tum agrum quem emit Abraham ex filiis Cheth, quod ſignificet Domini Regnum Spirituale inde; & quod ibi ſepultus Abraham & Sarah uxor ejus, ſignificet reſcuſcitationem, conſtare poteſt, ex illis quæ de ſignificatione omnium horum prius in Cap: XXIII, n: 2913 2928. 2968. 2969. 2970. 2971. 2975. 2980, dicta & oſtenſa ſunt; & de ſignificatione ſepeliri, n: 2916. 2917.

3258. Verſ: 11. *Et fuit poſt mortem Abrahami, & benedixit Deus Jiſchako filio ejus; & habitabat Jiſchak cum Beerlachai roi.* Fuit poſt mortem Abrahami, ſignificat poſt ſtatum & tempus repræſentationis Domini per Abrahamum: & benedixit Deus Jiſchako filio ejus, ſignificat principium repræſentationis Domini per Jiſchakum: & habitabat Jiſchak cum Beerlachai roi, ſignificat Divinum Rationale Domini in Divina luce.

3259. Fuit poſt mortem Abrahami, quod ſignificet poſt ſtatum & tempus repræſentationis Domini per Abrahamum, conſtat a ſignificatione Mori, ubi agitur de vita alicujus repræſentativa, quod ſit finis repræſentationis, de qua ſupra n: 3253; inde hic, poſt mortem Abrahami, ſignificat poſt ſtatum & tempus repræſentationis Domini per Abrahamum.

3260. Et benedixit Deus Jiſchako filio ejus, quod ſignificet principium repræſentationis per Jiſchakum, conſtare poteſt a ſignificatione benedixit Deus; ad opus, quod inchoabatur, Antiquis ſolenne fuit dicere, benedicat Deus, & per illud ſignificabatur idem ac quod per hoc votivum, ſit fauſtum & felix, inde eſt, quod in ſenſu remotiori, per benedicat Deus, ſicut per, ſit fauſtum & felix, ſignificetur principium, hic principium repræſentationis per Jiſchakum, quia immediate ſequitur poſt finem ejus per Abrahamum, ſignificatum per mortem ejus.

3261. Et habitabit Jiſchak cum Beerlachairoi, quod ſignificet Divinum Rationale Domini in Divina Luce, conſtat a ſignificatione habitare, quod ſit vivere, de qua n: 1293; & a ſignificatione Beerlachairoi, quod ſit Divinum Bonum Rationale ex ipſo Divino Vero natum, de qua n: 3194; inde ſenſus proximus eſt, quod viveret ſeu eſſet Divinum Rationale in Divino Bono quod ex ipſo Divino Vero natum, ſed non erat ibi, quare non dicitur in Beerlachairoi, ſed cum Beerlachairoi, hoc eſt, ſi interpreteris. Cum fonte vivi videntis me, quod eſt cum Divino illo Bono; Jiſchak enim habitabat in terra meridiei, ſecundum illa quæ in Cap: præc: Verſ: 62, ubi ita, "Et Jiſchak venit a veniendo Beerlachairoi, & ille habitans in terra meridiei;" & quia ibi per terram meridiei, ſignificatur Divina Lux inde, n: 3195, idcirco hic non aliud ſignificatur.

* * * *

3262. Verſ: 12. *Et hæ nativitates Jiſchmaelis filii Abrahami, quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo.* Hæ nativitates Jiſchmaelis filii Abrahami, ſignificat derivationes Eccleſiæ Spiritualis per Jiſchmaelem repræſentatæ: quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo, ſignificat ſpiritualis hominis nativitatem ex influxu Divino in affectionem ſcientiarum.

3263.

3263. Hæ nativitates Jischmaelis filii Abrahami, quod significet derivationes Ecclesiæ Spiritualis per Jischmaelem repræsentatæ, constat ex significatione nativitatum, quod sint derivationes fidei, ita Ecclesiæ, de qua n: 1145. 1255. 1330; ex repræsentatione Jischmaelis, quod sint rationales, & qui ab Ecclesia spirituali Domini, de qua n: 2078. 2691. 2699; & ex significatione filiorum Abrahami, quod sint illi qui in vero a Domino, per filios enim significantur vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2623; & per Abrahamum repræsentatur Dominus, etiam quoad Divinum Humanum, n: 3251, a Quo Verum & bonum spiritualibus, n: 2661. 2716. 2833. 2834. Quod Ecclesiam Spiritualem Domini concernit, sciendum, quod illa sit per universum terrarum orbem; non enim limitata est ad illos qui Verbum habent, & inde norunt Dominum, & aliqua vera fidei; sed etiam est apud illos qui Verbum non habent, & ideo prorsus ignorant Dominum, & consequenter non sciunt aliqua vera fidei, (omnia enim vera fidei spectant Dominum:) hoc est, apud Gentes ab Ecclesia remotas; sunt enim plures inter illos, qui norunt ex lumine rationali, quod unus Deus sit, quod Ille creaverit omnia, & quod conservet omnia, tum quod ab Ipso omne bonum, consequenter omne verum: & quod similitudo cum Ipso faciat hominem beatum; ac præterea vivunt secundum religiosum suum, in amore in illum Deum, & in amore erga proximum; ex affectione boni faciunt opera charitatis, & ex affectione veri colunt Supremum; qui tales inter gentes, sunt qui in Ecclesia Domini Spirituali sunt; & tametsi ignorant Dominum cum in mundo sunt, usque in se habent cultum Ipsius ac tacitam agnitionem, cum in bono sunt, in omni enim bono est Dominus præsens; quapropter etiam illi in altera vita facile Ipsum agnoscunt, & præ Christianis qui non ita in bono, vera fidei in Ipsum recipiunt, ut constare potest ex illis, quæ de Gentium & Populorum statu & sorte extra Ecclesiam in altera vita, n: 2589 ad 2604, ab experientia, detecta sunt: Lumen naturale quod illis, in se habet spirituale, nam absque Spirituali, quod a Domino, talia nusquam agnosci possunt. Exinde nunc constare potest, quid Jischmael, proinde quid Jischmaelitæ, in sensu repræsentativo, nempe quod illi ab Ecclesia Spirituali Domini, qui quoad vitam in simplici bono, & ideo quoad doctrinam in naturali vero sunt; tales quoque significantur per Jischmaelitas in sequentibus ubi de Josepho, "Ecce *turma Jischmaelitarum* venit e Gilead, & cameli illorum ferentes ceram, resinam & stacten, euntes ad deferendum in Ægyptum," XXXVII: 25; ubi Jischmaelitæ pro illis qui in simplici bono, in quali gentes probæ; cameli ferentes ceram, resinam, & stacten pro interioribus bonis talium; similiter per Jischmaelitas ibi Vers: 28, & Cap: XXXIX: 1: & quoque in Libro Judicum, "Quod ex petitione Guideonis quisque daret inaurem prædæ suæ, nam inaures auri illis, *siquidem Jischmaelitæ illi*," Cap: VIII: 24, inaures auri significabant illa quæ sunt simplicis boni, n: 3103.

3264. Quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo, quod significet Spiritualis hominis nativitatem ex influxu Divino in affectionem scientiarum, constat ex significatione parere, quod sit existere, de qua n: 2621.

n: 2621. 2629; ex repræfentatione Hagaris Ægyptiæ, quod fit vita exterioris hominis, de qua n: 1896. 1909; & ex fignificatione Ancillæ, quod fit affectio fcientiarum & cognitionum quæ exterioris hominis, de qua n: 1895. 2691; Ancilla Saræ dicitur, quia per Saram repræfentatur Domini Divinum Verum, cui fubordinata eft affectio fcientiarum & cognitionum veri; quoniam per Jifchmaelem repræfentatur Spiritualis homo, patet quod per illa verba, "Quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo," fignificetur Spiritualis hominis nativitas ex influxu Divino in affectionem fcientiarum; quod Rationale hominis ita nafcatur, videatur n: 1895. 1896. 1902. 1910. 2094. 2557. 3030. 3074, proinde quod Spirituale, hoc enim non datur nifi in Rationali, quare Spiritualis homo & Rationalis pæne idem eft, differunt Spirituales inter fe modo fecundum quale rationis &, quale vitæ inde; quod eorum nativitas feu regeneratio fit ex influxu Divino in affectionem cognitionum, videatur n: 1555. 1904. 2046. 2063. 2189. 2657. 2675. 2691 f. 2697. 2979. Videantur quæ de Jifchmaele prius dicta & oftenfa funt, nempe quod per illum repræfentatum fit primum Rationale Domini quod nondum Divinum, n: 1893; quod poftmodum repræfentati vere rationales feu fpirituales, n: 2078. 2691; ita Ecclefia Spiritualis Domini, n: 2699.

3265. Verf: 13. 14. 15. 16. *Et hæc nomina filiorum Jifchmaelis, in nominibus eorum, fecundum nativitates eorum; Primogenitus Jifchmaelis Nebajoth, & Kedar, & Abdeel, & Mibfam. Et Mifchmah, & Dumah, & Maffa. Chadar, & Thema, Jetur, Naphifch, & Kedmah. Hi illi filii Jifchmaelis, & illa nomina illorum, in villis illorum & in caftellis illorum; duodecim principes populorum fuorum.* Hæc nomina filiorum Jifchmaelis, fignificat qualitates doctrinalium illorum: in nominibus eorum, fecundum nativitates eorum, fignificat interiores qualitates fecundum derivationes fidei: primogenitus Jifchmaelis, Nebajoth, & Kedar, & Abdeel, & Mibfam; & Mifchmah, & Dumah, & Maffa; Chadar, & Thema, Jetur, Naphifch, & Kedmah, fignificat omnia quæ funt Ecclefiæ Spiritualis, cum primis apud Gentes: Hi illi filii Jifchmaelis, & illa nomina illorum, fignificat doctrinalia & quale illorum: in villis illorum, fignificat externa Ecclefiæ: in caftellis illorum, fignificat interna: duodecim principes populorum fuorum, fignificat omnia primaria Ecclefiæ illius Spiritualis.

3266. Hæc nomina filiorum Jifchmaelis, quod fignificet qualitates doctrinalium illorum, nempe Spiritualium, conftat ex fignificatione Nominis, quod fit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; ex fignificatione filiorum, quod fint vera, tum doctrinalia, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623; & ex repræfentatione Jifchmaelis, quod fint fpirituales, de qua fupra, n: 3263.

3267. In nominibus eorum, fecundum nativitates eorum, quod fignificet interiores qualitates fecundum derivationes fidei, conftat ex fignificatione nominis, quod fit quale, feu nominum, quod fint qualitates, de qua nunc fupra n: 3266, hic qualitates interiores, quia dicitur, hæc *nomina* filiorum Jifchmaelis in *nominibus* eorum, ubi nomina priori loco funt qualitates communes, hic

hic qualitates quæ in illis, ſeu quæ quoad illa, hoc eſt, interiores; & quia hæ qualitates ſunt ſecundum derivationes fidei, quæ ſignificantur per, ſecundum nativitates eorum; quod nativitates ſint derivationes fidei, ita Eccleſiæ, videatur n: 1145. 1255. 1330. 3263. Cum Eccleſia Spirituali Domini ita ſe habet, quod ſparſa ſit per totum terrarum orbem, & quod ubivis quoad credenda ſeu vera fidei, ſit varia; varietates illi ſunt derivationes quæ ſignificantur per nativitates, quæ tam ſimul eodem tempore, quam ſucceſſive exiſtunt; ipſum Regnum Spirituale Domini in cœlis etiam eſt tale, nempe quoad illa quæ ſunt fidei, varium, uſque adeo, ut non ſit una ſocietas, ne quidem unus in ſocietate, qui in illis quæ ſunt veri fidei, prorſus concordem cum aliis ideam habeat, n: 3241; ſed uſque Regnum Spirituale Domini in cœlis eſt unum; cauſa eſt, quia charitas omnibus eſt principale, charitas enim facit Eccleſiam ſpiritualem, non fidem, niſi fidem dicas charitatem; qui in charitate eſt, is proximum amat, & quod diſſentiat a ſe in credendis, hoc excuſat, modo in bono & vero vivat; etiam gentes probas, tametſi ignorant Dominum, & non aliquid fidei norunt, non damnat; qui enim in charitate, hoc eſt, in bono vivit, is a Domino recipit vera, qualia ejus bono conveniunt, & gentes talia quæ in altera vita flecti poſſunt in vera fidei, n: 2599. 2600. 2601. 2602. 2603; at qui non in charitate eſt, hoc eſt, non in bono vivit, is nuſquam poteſt aliquod verum recipere; ſcire quidem verum poteſt, ſed non ejus vitæ implantatur, ita id in ore quidem poteſt ferre, ſed non in corde; verum enim non conjungi poteſt malo, quare etiam illi, qui ſciunt vera, quæ vocantur credenda, & non in charitate ſeu in bono vivunt, tametſi in Eccleſia ſunt, quia ibi nati, uſque tamen non ab Eccleſia ſunt, nam nihil Eccleſiæ eſt in illis, hoc eſt, nihil boni, cui conjungatur verum.

3268. Filius primogenitus Jiſchmaelis, Nebajoth, & Kedar, & Abdeel, & Mibſam, & Miſchmah, Dumah, & Maſſa, Chadar, & Thema, Jetur, Naphiſch, & Kedmah, quod ſignificent omnia quæ ſunt Eccleſiæ ſpiritualis, cumprimis apud gentes, conſtat ex repræſentatione horum qui nominantur, quidam ex illis memorantur in Verbo imprimis prophetico, ut Nebajoth, Kedar, Dumah, & Thema, & ibi ſignificant talia, quæ ſunt Eccleſiæ Spiritualis cumprimis apud gentes; & præterea patet ex eo, quod duodecim ſint, & per duodecim ſignificentur omnia quæ ſunt fidei, ita Eccleſiæ, de qua re in ſequentibus; & ideo in Verſu ſeq: 16 dicitur, quod fuerint duodecim principes populorum ſuorum. Quod per Nebajoth & Kedar repræſententur illa quæ ſunt Eccleſiæ ſpirituales cumprimis apud gentes, nempe ejus bona ac inde vera, conſtat apud Eſaiam, "Turma camelorum obteget te, dromadas Midianis & Ephæ, omnes a Scheba venient; aurum & thus portabunt, & laudes Jehovæ annuntiabunt: Omnis *grex Kedaris* congregabuntur tibi; *Arietes Nebajoth* miniſtrabunt tibi, aſcendent ad beneplacitum altare meum," LX: 6. 7; ibi in ſupremo ſenſu de Domino, in ſenſu reſpectivo de Regno Ipſius, grex Kedaris pro bono ſpirituali; quod grex ſit ſpirituale bonum, videatur n: 343. 415. 2566; Arietes Nebajoth pro vero ſpirituali, quod Aries ſit ſpirituale verum, n: 2833: quod Kedar ſit Arabia,

ex

ex ſequentibus locis patet, & quod Arabia nominatur ſit Kedar a filio Jiſchmaelis, conſtare poteſt ex eo, quod quæ in binis illis Verſibus memorantur, ſint terræ vel gentes, omnes a filiis ac nepotis Abrahami nominatæ, ut Midian, Epha, Scheba, de quibus ſupra Verſ: 2. 3. 4, ita hic Kedar & Nebajoth. Apud Ezechielem, "*Arabia* & omnes *principes Kedaris*, hi negotiatores manus tuæ, in agnis, & arietibus, & hircis, in his negotiatores tui," XXVII: 21, ibi de Tyro, hoc eſt, de illis qui in cognitionibus boni & veri ſunt; quod Tyrus illi ſint, videatur n: 1201; Arabia pro ſpirituali bono, principes Kedaris pro ſpiritualibus veris; agni, arietes, hirci ſunt ſpiritualia bona & vera. Apud Jeremiam, "Surgite, aſcendite *ad Kedarem*, & devaſtate filios Orientis, tentoria eorum, & greges eorum ſument, cortinas eorum, & omnia vaſa eorum, & camelos eorum auferent ſibi," XLIX: 28. 29; ibi de vaſtatione Eccleſiæ ſpiritualis per Kedarem & filios orientis intellectæ; tentoria & greges pro Eccleſiæ illius bonis, cortinæ & vaſa pro ejus veris; ſunt ſancta cultus, quæ per tentoria & greges, & per cortinas & vaſa ſignificantur, ſancta autem cultus omnia ſe referunt ad bonum & verum. Qui autem non in vero ſunt, quia non in bono, ſunt qui repræſentantur per Arabes & per Kedares in deſerto ut apud Eſaiam, "Babel non habitabitur in æternum, *non morabitur ibi Arabs*," XIII: 20: apud Eundem, "Extollant deſertum, & urbes ejus, *villæ* quas *habitat Kedar*," XLII: 10. 12: apud Jeremiam, "Super viis ſediſti illis, ſicut *Arabs in deſerto*," III: 2: apud Davidem, "Væ mihi, quia peregrinor Meſchechi, moror cum tentoriis *Kedaris*," Pſalm: CXX: 5: apud Eſaiam, "In *ſylva in Arabia* pernoctabitis turmæ Dedanim; obviam ſitienti afferte aquas, habitatores *terræ Thema*, cum pane ejus prævenite vagabundum, quia coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenſo, coram arcu tenſo, & coram gravitate belli; quia ſic dixit Dominus ad me, in adhuc annum, juxta annum mercenarii, & conſumetur omnis GLORIA KEDARIS, & reliquum numeri arcus fortium *filiorum Kedaris*," XXI: 13. 14, in ſylva Arabiæ pernoctare, pro vaſtari quoad verum, turmæ Dedanim pro illis qui ſunt in cognitionibus, n: 3240. 3241 f; habitatores terræ Thema, pro illis qui in ſimplici bono, in quali gentes probæ; quæ quod ex filio Jiſchmaelis Thema dicto fuerint, conſtat; Kedar pro illis qui in ſimplici vero; de quibus dicitur, quod vagaturi coram gladiis, & coram gravitate belli, quo ſignificatur quod non ſuſtinebunt pugnas tentationum, quia non amplius in bono. Apud Jeremiam, "Tranſite inſulas Kitthæorum & videte, & *Kedarem mittite*, & attendite valde, & videte num factum ſicut hoc, num mutavit gens deos, & illi non dii," II: 2, inſulæ Kitthæorum pro illis qui remotiores a cultu ſunt, hoc eſt, pro Gentibus quæ in ſimplici bono, & inde in naturali vero, n: 1156. 1158; quod etiam Kedar ſint illi, patet. Apud Eundem, "Accepi calicem e manu Jehovæ, & bibere feci omnes gentes, ad quas me miſit Jehovah, & Dedanem & *Themam*, & Bus, & omnes abſciſſos anguli; & omnes *reges Arabiæ*, & omnes reges occidentis, habitantes in deſerto," XXV: 17. 23. 24,

ibi

ibi etiam agitur de vaſtatione Eccleſiæ ſpiritualis, ac inter plures nominantur Thema & Arabia, inde patet quod per Themam, ſicut per Arabiam, ſignificentur illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt; ſed Arabiæ tribuuntur reges tum urbes, at Kedari principes & villæ. Præter illos etiam Duma memoratur apud Eſaiam, Cap: XXI: 11. 12. Quod per gentes illas ſignificentur illa quæ ſunt Eccleſiæ Spiritualis, inde eſt, quia Antiqua Eccleſia, quæ Spiritualis erat, etiam apud illos fuit, n: 1238. 2385, ſed doctrinalia illorum & ritualia varia fuerunt, at uſque una Eccleſia, quia non fidem ſed charitatem eſſentialem fecerunt; at temporis tractu, ſicut charitas deſiit, etiam illud Eccleſiæ, quod apud illos, nullum factum eſt, uſque tamen manſit repræſentativum Eccleſiæ per illos, cum varietate ſecundum illud Eccleſiæ quod fuerat apud illos; inde eſt, ubi nominantur in Verbo, quod non ſignificentur illi, ſed ſignificetur modo illud Eccleſiæ in communi quod fuerat ibi.

3269. Hi illi filii Jiſchmaelis, & illa nomina illorum, quod ſignificet doctrinalia & quale eorum, conſtat ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, tum doctrinalia, & nominis, quod ſit quale, de quibus ſupra n: 3266.

3270. In villis illorum, quod ſignificet externa Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione villarum, quod ſint illa quæ ſunt externa fidei, ita Eccleſiæ; externa Eccleſiæ ſunt ritualia, interna ſunt doctrinalia cum hæc non ſcientiæ ſed vitæ ſunt: externa repræſentabantur per villas, quia erant extra urbes, interna autem per ipſas urbes; quod urbes ſint doctrinalia, videatur n: 402. 2268. 2450. 2712. 2943. 3216.

3271. In caſtellis illorum, quod ſignificet interna, conſtat a ſignificatione caſtellorum, quod ſint interna fidei, hic Eccleſiæ, quia de Gentibus cumprimis prædicantur, quibus non fidei verum, ſed rationale & naturale verum; hæc Vera vocantur caſtella, cum Vera fidei urbes. In lingua originali hæ voces, quæ ſignificant villas & caſtella, etiam ſignificant atria & palatia, & ſunt atria ſimiliter externa Eccleſiæ, & palatia interna.

3272. Duodecim principes populorum ſuorum, quod ſignificet omnia primaria Eccleſiæ illius Spiritualis, conſtat ex ſignificatione duodecim, quod ſint omnia fidei ſeu Eccleſiæ, de qua n: 577. 2089. 2129 f. 2150 f; a ſignificatione principum, quod ſint primaria, de qua n: 1482. 2089; & a ſignificatione populorum, quod ſint illi qui in veris, de qua n: 1259. 1260, ita qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, nam illi dicuntur in veris eſſe. Quod Numeri omnes in Verbo ſignificent res, manifeſte conſtare poteſt a numero duodecim, qui toties occurrit; ille numerus, ubicunque in Verbo legitur, ſignificat omnia; ſicut duodecim Tribus in Veteri Teſtamento, & duodecim Apoſtoli in Novo, ſignificant omnia fidei, proinde omnia Eccleſiæ; ita hic duodecim Principes, omnia primaria Eccleſiæ illius quæ per totidem filios Jiſchmaelis repræſentantur: quod numerus duodecim ea ſignificet, conſtare poteſt ex illis, quæ in citatis ſupra locis allata ſunt, tum quoque ex his in Verbo; apud Johannem, "Audivi numerum obſignatorum ex omni Tribu Iſraelis; ex Tribu Judæ *Duodecim mille* obſignati: ex Tribu Ruben *Duodecim mille* obſignati: ex Tribu Gad *Duodecim mille* obſignati," & ſic porro, Apoc: VII: 4. 5.

4. 5. 6. ſeq: ubi per duodecim mille obſignatos ex omni Tribu, non aliud ſignificatur, quam quod omnes qui in fide, hoc eſt, qui in ejus bono, ſunt, ſalventur: apud Eundem, "Mulier circumdata ſolem, & luna ſub pedibus ejus, & ſuper capite ejus Corona *ſtellarum duodecim*," Apoc: XII: 1, Mulier pro Eccleſia, n: 252. 253, ſol pro amore cœleſti, luna pro amore ſpirituali, n: 30 ad 38. 1529. 1530. 2441. 2495; duodecim ſtellæ pro omnibus fidei, quod ſtellæ ſint cognitiones boni & veri, quæ ſunt fidei, n: 2495. 2849: apud Eundem, "Civitas ſancta Hieroſolyma Nova, habens *portas duodecim*, & ſuper portas *angelos duodecim*; & nomina ſcripta, quæ ſunt *duodecim tribuum* filiorum Iſraelis: murus civitatis habebat *fundamenta duodecim*, & in iis nomina *duodecim Apoſtolorum* Agni: menſus eſt Civitatem in ſtadiis *duodecies mille*; & menſus eſt murum ejus *Centum quadraginta quatuor* cubitorum (duodecies duodecim:) quæ eſt menſura hominis, hoc eſt, Angeli: *duodecim* portæ *duodecim* margaritæ," Apoc: XXI: 12. 14. 16. 17. 21; ibi per Civitatem Sanctam nihil aliud ſignificatur quam Regnum Domini Spirituale; & per portas, murum, fundamenta, illa quæ ſunt Charitatis & fidei, quorum *omnia* per duodecim toties nominata, ſignificantur; quod non duodecim Tribus, nec duodecim Apoſtoli, intelligantur, unicuique conſtare poteſt: apud Eundem, "In medio plateæ ejus & fluvii, hinc illinc arbor vitæ, faciens *fructus duodecim*, juxta menſem quemvis reddens fructum ſuum," Apoc: XXII: 2, fructus duodecim ſunt omnia charitatis. Apud Matthæum, "Jeſus dixit, amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis Me, in regeneratione, quando ſedebit Filius hominis ſuper throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam vos ſuper *duodecim thronis*, judicantes *duodecim tribus* Iſraelis," XIX: 28, hic non per Apoſtolos apoſtoli, non per thronos throni, nec per tribus tribus intelliguntur, ſed omnia quæ ſunt fidei, videatur n: 2129. Præterea in Verbo Veteris Teſtamenti, ubi nominantur duodecim tribus, ſunt omnia Eccleſiæ quæ ſignificantur: ita quoque ſe habet cum *duodecim lapidibus* juxta nomina *duodecim tribuum* Iſraelis, in Urim & Thumim," Exod: XXVIII: 21; cum *duodecim panibus* propoſitionis ſupra menſam ordinatis," Levit: XXIV: 5. 6; ſimiliter cum reliquis. Quod etiam omnia fidei in ipſis hominibus duodecim filiorum Jacobi ſeu Iſraelis, contineantur, ex Divina Domini Miſericordia, ad Cap: ſeq: XXIX & XXX, videbitur.

3273. Verſ: 18. *Hi anni vitarum Jiſchmaelis, centum anni & triginta anni & ſeptem anni; & exſpiravit & mortuus eſt, & collectus ad populos ſuos. Et reſederunt a Chavillah uſque ad Schur, quæ ſuper facies Æypti, in veniendo ad Aſchur; ſuper facies omnium fratrum ſuorum cecidit.* Hi anni vitarum Jiſchmaelis, ſignificant ſtatum repræſentativum Regni Spiritualis Domini per Jiſchmaelem: centum anni triginta anni & ſeptem anni, ſignificant illa quæ ſunt iſtius ſtatus: & exſpiravit & mortuus eſt, ſignificat finem repræſentationis per Jiſchmaelem; & collectus ad populos ſuos, ſignificat quod hæc de Jiſchmaele: Et reſederunt a Chavillah uſque ad Schur quæ ſuper facies Ægypti in veniendo ad Aſchur, ſignificat extenſionem intelligentiæ: ſuper facies

facies omnium fratrum suorum cecidit, significat contentiones de vero, sed quod superior.

3274. Hi anni vitarum Jischmaelis, quod significet statum repræsentativum Regni Spiritualis Domini per Jischmaelem, constat ex significatione annorum & vitarum, quod hic sint status repræsentativi, de qua supra n: 3251; & ex repræsentatione Jischmaelis, quod sit Regnum spirituale Domini, de qua n: 2699. 3263. 3268.

3275. Centum anni & triginta anni & septem anni, quod significent illa quæ sunt istius status, constare potest ab illis quæ supra n: 3252 de ætate Abrahami dicta sunt.

3276. Et exspiravit & mortuus est, quod significet finem repræsentationis per Jischmaelem, constat etiam ex illis quæ supra n: 3253, dicta sunt, ubi eadem verba, & idem sensus internus. Pariter, quod collectus ad populos suos, significet quod hæc de Jischmaele, supra n: 3255.

3277 Et residerunt a Chavillah usque ad Schur quæ super facies Ægypti in veniendo ad Aschur, quod significet extensionem intelligentiæ. Et super facies omnium fratrum suorum cecidit, quod significet contentiones de vero, sed quod superior, constat ex illis quæ n: 115. 1951 dicta, ubi hæc explicata sunt.

* * * *

3278. Vers: 19. 20. *Et hæ nativitates Jischaki filii Abrahami; Abraham genuit Jischakum. Et fuit Jischak filius quadraginta annorum in accipiendo illo Rebeccam filiam Bethuelis Aramæi e Paddan aram, sororem Labanis Aramæi, sibi ad mulierem.* Hæ nativitates Jischaki filii Abrahami, significat Divinum Rationale Domini ex quo Divinum Naturale: Abraham genuit Jischakum, significat ex Ipso Divino Divinum Rationale: & fuit Jischak filius quadraginta annorum, significat ex propria potentia per tentationum pugnas: in accipiendo illo Rebeccam, significat conjunctionem Divini Veri: filiam Bethuelis Aramæi e Paddan Aram sororem Labanis Aramæi sibi ad mulierem, significat quale & statum.

3279. Hæ nativitates Jischaki filii Abrahami, quod significet Divinum Rationale Domini ex quo Divinum Naturale, constat ex significatione nativitatum, quod sint derivationes, de qua n: 1145. 1255. 1330, nempe derivationes fidei ubi de fide agitur, & derivationes Ecclesiæ ubi de Ecclesia, ut supra, derivationes Ecclesiæ Spiritualis per nativitates Jischmaelis, n: 3263; hic autem quia Nativitates prædicantur de Domino, sunt Divinæ nativitates quæ intelliguntur, nempe quod ex Ipso Divino natum sit Divinum Rationale, quod significatur per quod ex Abrahamo Jischakus, & quod ex Divino Rationali Divinum Naturale, significatur per quod ex Jischako Esau & Jacob, nam per Esavum & Jacobum repræsentatur Domini Divinum Naturale, per Esavum illud quoad bonum, & per Jacobum illud quoad verum, de quibus in nunc sequentibus agitur; hæc sunt, quæ per nativitates hic significantur.

3280. Abraham genuit Jifchakum, quod fignificet ex Ipfo Divino Divinum Rationale, conftat ex repræfentatione Abrahami, quod fit Ipfum Divinum; & ex repræfentatione Jifchaki, quod fit Divinum Rationale, de quibus fæpius prius.

3281. Et fuit Jifchak filius quadraginta annorum, quod fignificet ex propria potentia per tentationum pugnas, conftat ex repræfentatione Jifchaki, quod fit Divinum Rationale, de qua fæpius prius; ex fignificatione quadraginta, quod fint tentationes, de qua n: 730. 862; & ex fignificatione annorum, quod fint ftatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; inde fenfus internus horum verborum eft, quod Dominus Rationale fuum etiam quoad Verum per pugnas tentationum, ita ex propria potentia, Divinum fecerit; quod Dominus ex propria potentia per tentationes in fe admiffas omne in fe humanum, Divinum fecerit, prius n: 1616. 1663. 1668. 1690. 1787. 2083. 2523. 2632. 2776. 3030. 3043. 3141, oftenfum eft.

3282. In accipiendo illo Rebeccam, quod fignificet conjunctionem Divini Veri, conftat ex repræfentatione Rebeccæ, quod fit Divinum Verum adjunctum Divino Bono in Rationali, de cujus ortu ex naturali homine, in Capite præcedente actum eft.

3283. Filiam Bethuelis Aramæi e Paddan aram, fororem Labanis Aramæi fibi ad mulierem, quod fignificet quale & ftatum, conftat ex repræfentatione Bethuelis & Labanis, tum ex fignificatione Aram & Paddan aram, quod fint illa quæ ortum Divini Veri per Rebeccam repræfentati quoad quale & ftatum involvunt; quid autem per unumquemvis, nempe per Bethuelem & Labanem, repræfentatur, & quid per Aram feu Syriam fignificatur, in Capite præcedente explicatum eft: quod hæc iterum dicantur, caufa eft, quia in fequentibus agitur de Naturali Domini; Naturale Domini non potuit Divinum fieri, priufquam Ipfius Rationali adjunctum fuit Verum; & hoc Divinum factum; nam influxus in Naturale effe debuit ex Divino Bono Rationalis per Divinum Verum ibi; omnis enim vita naturalis hominis quoad intelligenter fcire & facere, eft inde; Rationale enim eft quod ordinat omnia in naturali, & fecundum ordinationem ibi res convenienter intuetur; eft enim Rationale ficut vifus fuperior, qui cum in fcientifica Naturalis hominis fpectat, eft ficut in campum infra fe; lux illius vifus eft Veri, fed origo lucis eft Boni in Rationali; fed de his plura in fequentibus.

3284. Verf: 21. 22. 23. *Et oravit Jifchak ad Jehovam propter mulierem fuam, quia fterilis ea, & exoratus illi Jehovah, & concepit Rebecca mulier ejus. Et collidebant fe filii in medio illius; & dixit, fi ita, ad quid ego; & ivit ad interrogandum Jehovam. Et dixit Jehovah illi, duæ gentes in utero tuo, & duo populi e vifceribus tuis feparabuntur, & populus præ populo valebit, & major ferviet minori.* Oravit Jifchak ad Jehovam, fignificat communicationem Divini quod Filius cum Divino quod Pater: propter mulierem quod fterilis ea, fignificat quod nondum Divinum Naturale: & exoratus illi Jehovah, fignificat effectum: & concepit Rebecca mulier ejus, fignificat quod ex

ex Divino Vero ut a matre: & collidebant ſe filii in medio illius, ſignificat pugnam de qua: & dixit, ſi ita, ad quid hoc, ego, ſignificat anguſtiam: & ivit ad interrogandum Jehovam, ſignificat ſtatum communicationis: Et dixit Jehovah illi, ſignificat perceptionem ex Divino: duæ gentes in utero tuo, ſignificat naturale quoad bonum interius & exterius, quod conceptio: & duo populi e viſceribus tuis ſeparabuntur, ſignificat quod inde verum: & populus præ populo valebit, ſignificat quod primo verum erit ſuperius quam bonum veri: & major ſerviet minori, ſignificat quod bonum veri inferius erit ad tempus.

3285. Oravit Jiſchak ad Jehovam, quod ſignificet communicationem Divini quod Filius cum Divino quod Pater, conſtat ex ſignificatione orare, quod ſit communicari, oratio enim non aliud eſt quam communicatio; ex repræſentatione Jiſchaki, quod ſit Divinum Rationale; Divinum quod Filius eſt Jiſchakus, ſeu Rationale cum ipſi verum conjunctum eſt; Divinum autem quod Pater eſt hic Jehovah: hæc communicatio fuit in Domino, nam Pater fuit in Filio, & Filius in Patre, Joh: XIV: 10. 11.

3286. Propter mulierem quod ſterilis ea, quod ſignificet quod nondum Divinum Naturale, conſtat ex ſignificatione mulieris, quod ſit Divinum Verum conjunctum Bono Rationalis, quod Verum repræſentari per Rebeccam in Capite præcedente oſtenſum eſt; & a ſignificatione ſterilis, quod nondum Divinum naturale: ſe enim hoc ita habet; Divinum Naturale exſtiterat ex Divino Bono Rationalis ut a patre, & a Divino vero ibi ut a matre; cum nondum Divinum Naturale, tunc dicitur Verum Rationalis ſterile, hic mulier ſterilis. Apud hominem ita eſt; cum is regeneratur, tunc a Domino inſinuatur Rationali ejus bonum, hoc eſt, velle bene proximo, huic velle ſeu bono adjungitur verum e naturali homine; hoc facto, nondum regeneratum eſt naturale, quod ſciri poteſt ex eo, quod ſæpe internus ſeu rationalis homo pugnet cum externo ſeu naturali, & quamdiu pugna eſt, naturale non eſt regeneratum; & cum hoc non regeneratum eſt, eſt Rationale quoad verum ſterile; ita in communi, ſimiliter in omni particulari, in quo rationale diſſentit a naturali, dicitur in eo particulari rationale quoad verum ſterile: opus regenerationis in eo maxime verſatur, ut rationali homini naturalis correſpondeat, non ſolum in communi, ſed etiam in particulari, & naturalis homo redigitur in correſpondentiam a Domino per rationale, quod nempe rationali bonum inſinuetur, & huic bono ſicut humo vera implantentur, & dein per vera rationalia redigatur naturale ad obedientiam, & cum obedit tunc correſpondet; & quantum correſpondet, tantum regeneratus eſt homo.

3287. Et exoratus illi Jehovah, quod ſignificet effectum, conſtare poteſt abſque explicatione, quia cum exoratus eſt Jehovah, tunc ſit ſeu efficitur oratio.

3288. Quod concepit Rebecca mulier ejus, ſignificet quod ex Divino Vero ut a matre, conſtat ex repræſentatione Rebeccæ, quod ſit Divinum Verum Rationalis, de qua in Capite præcedente; & a ſignificatione concipere, quod ſit primum ortus Divini Naturalis ut a matre; nam, ut mox ſupra dictum

eſt,

eſt, Divinum Naturale ortum eſt a Divino Bono Rationalis, ut a patre, & a Divino Vero Rationalis ut a matre: quod ita ſit, vix aliquis novit, & hoc eo minus, quia pauci ſciunt, quod Rationale diſtinctum ſit a Naturali, nec alii ſciunt hoc, quam qui vere rationales ſunt, nec vere rationales ſunt alii quam qui regenerati ſunt a Domino; qui non regenerati ſunt, non capiunt hoc, nam illis rationale eſt idem ac naturale.

3289. Et collidebant ſe filii in medio illius, quod ſignificet pugnam, de qua, conſtat a ſignificatione collidere, quod ſit pugnare; & a ſignificatione filiorum hic, quod ſit Naturale quoad bonum & quoad verum; nam quod Eſau & Jacob, qui filii, repræſentent Divinum Naturale Domini, Eſau illud quoad bonum, Jacob quoad verum, ex ſequentibus conſtabit. De colliſione hac ſeu pugna agitur etiam in hoc Capite, & eſt illa de prioritate, num bonum ſit prius vel num verum, ſeu quod idem, num charitas quæ boni ſit prior vel num fides quæ veri; in Eccleſia Spirituali a primis temporibus de eo inter plures pugnatum eſt; & quia de prioritate illa in ſequentibus agitur, ideo dicitur, quod collidebant ſe filii in medio ejus, & per illa ſignificatur pugna, *de qua.*

3290. Et dixit, ſi ita, ad quid hoc, ego, quod ſignificet anguſtiam, conſtare poteſt ex ſenſu horum verborum, quod ſint anguſtiæ, & quidem propter colliſionem, hoc eſt, pugnam inter fratres: ſi ita, ſignificat ſi de hoc pugnarent; ad quid hoc, ſignificat quod de ea re non pugnandum; ego ſeu ad quid ego, ſignificat ſi pugnarent de illa re quod influxum ex rationali vero non reciperent, inde anguſtia.

3291. Et ivit ad interrogandum Jehovam, quod ſignificet ſtatum communicationis, conſtat ex ſignificatione interrogare, quod ſit communicari cum dicitur de Domino; Jehovah enim erat in Ipſo qui interrogabatur; in ſenſu tamen hiſtorico communicatio illa exprimitur per orare, n: 3285, & ſtatus communicationis per interrogare.

3292. Et dixit Jehovah illi, quod ſignificet perceptionem ex Divino, conſtat inde, tum ex ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2506. 2515. 2552; ita dicere Jehovah eſt percipere ex Divino.

3293. Duæ gentes in utero tuo, quod ſignificet naturale quoad bonum interius & exterius, quod conceptio, conſtat ex ſignificatione gentium, quod ſint bona, imprimis Eccleſiæ, de qua n. 1159. 1258. 1260. 1416. 1849, hic quod ſint bona quæ in naturali, patet ex eo, quod Eſau & Jacob, qui tunc in utero, repræſentent Divinum naturale Domini, ut manifeſte conſtabit ex ſequentibus, ubi de illis agitur; naturale ſicut rationale conſiſtit ex bono & vero, bonum in naturali eſt omne id quod affectionis naturalis eſt, & jucundum vocatur, verum autem omne id quod ſcientiæ eſt, & ſcientificum dicitur; hæc bina erunt in naturali, ut ſit naturale; ipſum ſcientificum per ſe abſtracte a jucundo, quod eſt affectionis, non eſt aliquid, a jucundo ibi habet naturale ſuam vitam, nam ex illo habet, ut ſcire aliquid poſſit; jucundum autem, quod eſt bonum naturalis abſque ſcientifico eſt aliquid, ſed modo eſt

est vitale, quale apud infantes; ut itaque naturale sit humanum, ex utroque consistet, perficitur unum ab altero, sed ipsam vitam habet a bono. Quod autem hoc bonum concernit, de quo hic agitur, est duplex, interius & exterius, interius communicat cum interiori homine, hoc est, cum rationali, exterius cum externo, hoc est, cum illis quæ sunt corporis, & facit vitam sensibus externis, tum quoque actionibus, absque communicatione utrinque non potest homo ratione vivere, nec potest corpore; communicatio interior est, quæ manet homini post mortem, & ibi facit vitam ejus naturalem, nam spiritus etiam vitam naturalem habet, vita enim ejus spiritualis terminatur in naturali ut in plano ultimo, nam non potest homo statim post mortem spiritualiter cogitare, nisi ex illis quæ sunt Naturalis ejus; communicatio autem exterior est, quæ est homini cum vivit in corpore, sed ea cessat per corporis mortem: ex his nunc constare potest, quid per duas gentes in utero significatur, nempe Naturale quoad bonum interius & exterius. In utero, significat in sensu interno conceptionem, ideo hic dicitur, quod sit conceptio.

3294. Et duo populi e visceribus tuis separabuntur, quod significet quod inde verum, constat ex significatione populi, quod sit verum, de qua n: 1259. 1260; & ex significatione separari e visceribus, quod sit oriri inde: in Verbo ubi agitur de nativitate, cum a matre, dicitur exire, ex utero seu ventre, & cum ex patre, dicitur separari e visceribus; nam uterus & lumbi prædicantur de illis quæ sunt amoris, hoc est, boni, cum autem dicitur separari ex visceribus, significatur ortus veri; ideo hic cum agitur de bono, dicitur quod duæ gentes ex utero tuo, & cum de vero, dicitur, duo populi e visceribus tuis separabuntur, & per hæc significatur in sensu interno ortus veri ex bono: duo populi dicuntur, quia sicut bonum est interius & exterius, n: 2393, ita etiam est verum; verum interius in naturali est id, quod conjungitur bono interiori naturalis, at verum exterius est id quod conjungitur bono exteriori naturalis; interius verum vocatur naturale verum, at exterius vocatur sensuale: quomodo autem cum his veris se habet, ex sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, constabit, ubi agitur de Jacobo, nam per Jacobum utrumque illud verum repræsentatur.

3295. Et populus præ populo valebit, quod significet quod primo verum erit superius quam bonum veri, constat a significatione populi, quod sit verum, de qua nunc supra n: 3291; & ex significatione valere præ, quod sit superius esse: Populus primo loco nominatus significat verum, at populus secundo loco bonum veri; bonum veri est bonum quod existit ex vero, estque in sua prima existentia verum, sed vocatur bonum, quia apparet ut bonum; inde est, quod per populum etiam significetur hoc bonum, quod dicitur bonum veri primo existens: ut aliqua idea hujus boni habeatur, sciendum, quod homo antequam regeneratus est, faciat bonum ex vero, at postquam regeneratus est, faciat bonum ex bono, vel clarius, homo antequam regeneratus est, ex intellectu faciat bonum, sed postquam regeneratus, ex voluntate; bonum itaque quod ex intellectu, non est in se bonum, sed verum,

verum, at quod ex voluntate, hoc eſt bonum: ut pro exemplo, qui parentes ſuos non honorat, at ex præcepto decalogi diſcit illos honorare, is primum dum honorat illos, eſt ex præcepto; ſed is honor, quia eſt ex præcepto, non eſt bonum in ſe, quia non eſt ex amore, eſt vel ex obedientia legis, vel ex timore legis, at uſque dicitur bonum veri, ſed eſt in ſua prima exiſtentia verum, nam tunc non facit bonum, ſed facit verum; at cum honorat illos ex amore, tunc eſt bonum: ita in reliquis.

3296. Et major ſerviet minori, quod ſignificet quod bonum veri inferius erit ad tempus, conſtat ex ſignificatione majoris, quod ſit bonum; a ſignificatione ſervire, quod ſit inferius eſſe; & a ſignificatione minoris, quod ſit verum: hoc quomodo ſe habet, conſtare poteſt a ſequentibus, nam ibi deſcribitur per Eſavum & Jacobum, nam, ut dictum, per Eſavum repræſentatur bonum, per Jacobum verum; quod colliſio ſeu pugna exſtiterit de prioritate & dominatu, in ſenſu interno deſcribitur per Jacobum quod primogenituram ſuſtulerit Eſavo, tum quod quoque benedictionem, ſed uſque quod hoc factum ſit modo ad tempus, patet ex prophetico Jiſchaki de Eſavo, "Et ſuper gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies, & erit cum dominaris, diſrumpes jugum illius deſuper collo tuo," Gen: XXVII: 40. Quod hæc internum ſenſum habeant, & quod abſque ſenſu interno non ſciri poſſit, quid ſignificant, patet, nempe quid quod duæ gentes in utero, & duo populi ex viſceribus ſeparabuntur, & quod populus præ populo valebit, & major ſerviet minori; quod tamen ſignificent illa quæ dicta ſunt, conſtat a ſequentibus, in quibus de illa re multum agitur: & præterea ægre poteſt credi, quod illa talia involvant, niſi ſciatur quomodo ſe habet cum bono & vero, deque unius naſcentia ex altero, & de ſtatus mutatione apud hominem cum regeneratur; in ſenſu interno agitur quidem de Domino, & hic quomodo Dominus Naturale ſuum Divinum fecit, ſed uſque in ſenſu repræſentativo etiam agitur de regeneratione hominis; eſt enim regeneratio hominis imago glorificationis Domini, n: 3043. 3138. 3212, hoc eſt, in regeneratione ut in quadam imagine apparet quomodo Dominus Humanum ſuum glorificavit, ſeu, quod idem, Divinum fecit; ſicut enim Dominus ſtatum ſuum humanum prorſus mutavit in Divinum, ita etiam Dominus apud hominem, cum regenerat illum, ſtatum ejus prorſus mutat, nam veterem ejus hominem facit novum.

3297. Verſ: 24. 25. 26. *Et impleti ſunt dies ejus ad pariendum, & ecce gemini in utero ejus. Et exivit primus rufus totus is, ſicut tunica piloſa, & vocabant nomen ejus Eſau. Et poſt ita, exivit frater ejus, & manus ejus prehendens in calcaneum Eſavi, & vocabat nomen ejus Jacob: & Jiſchak filius ſexaginta annorum in pariendo illos.* Impleti ſunt dies ejus ad pariendum, ſignificat ſtatum primum effectus: & ecce gemini in utero ejus, ſignificat quod utrumque ſimul conceptum: & exivit primus rufus totus is ſicut tunica piloſa, ſignificat bonum vitæ veri naturale: & vocabant nomen ejus Eſau, ſignificat quale ejus: Et poſt ita, exivit frater ejus, ſignificat Verum: & manus ejus prehendens in calcaneum Eſavi, ſignificat infimum boni naturalis, cui

cui adhærebat aliqua potentia: & vocabat nomen ejus Jacob, significat doctrinam veri naturalis: & Jischak filius sexagintá annorum in pariendo illos, significat Divini Rationalis statum tunc.

3298. Impleti sunt dies ejus ad pariendum, quod significet statum primum effectus, constat a significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; quod illi impleti sint ad pariendum, significat statum primum effectus: parere enim in sensu spirituali spectat bonum & verum, & in illo sensu est existere, n: 2621. 2629: se habet cum bono & vero, sicut se habet cum prole, quod concipiantur, quod sint in utero, quod nascantur, dein quod adolescant; post conceptionem inchoat efficiens seu conceptum semen producere effectum, hoc fit in utero; hi status cum impleti sunt, & prope est ad pariendum, tunc inchoat effectus, & vocatur primum effectus, nam tunc agere incipit proles sicut a se, & eniti ad ipsum statum, qui status effectus vocatur.

3299. Et ecce gemini in utero ejus, quod significet utrumque simul conceptum, constat a significatione geminorum, quod sint utrumque, nempe bonum quod repræsentatur per Esavum & verum quod repræsentatur per Jacobum; & a significatione in utero, quod sit conceptio, de qua supra n: 3293. Quod utrumque, nempe bonum & verum naturalis, simul conceptum sit, ita se habet; quicquid nascitur, trahit suum esse a patre, & suum existere a matre, utrumque erit ut fiat aliquid; naturale quoad bonum concipitur a Rationalis bono ut a patre, & quoad verum, concipitur a Rationalis vero ut a matre, n: 3286. 3288; bonum est quod dat vitam sed per verum, utrumque hoc vocatur anima, sed usque bonum principaliter est anima, verum autem induit illud sicut specie tenelli vasis seu corporis, sic ut bonum sit in vero: hæc sunt quæ significantur per quod gemini in utero ejus.

3300. Et exivit primus rufus totus is sicut tunica pilosa, quod significet bonum vitæ veri naturale, constat ex significatione exire, quod sit nasci; ex significatione rufi, quod sit bonum vitæ, de qua sequitur; & ex significatione tunicæ pilosæ, quod sit verum naturalis, de qua etiam sequitur; quod is primus fuerit, significat quod bonum quoad essentiam sit prius, ut supra n: 3299, dictum; dicitur etiam tunica pilosa, ut significetur quod bonum indutum sit vero, sicut tenello vase aut corpore, ut quoque supra n: 3299 dictum, tunica in Verbo nec aliud in sensu interno significat quam tale quod aliud investit, quare etiam vera comparantur vestibus n: 1073. 2576. Quod rufum seu rubrum significet bonum vitæ, inde est, quia omne bonum est amoris, ac ipse amor est ignis cœlestis & spiritualis, etiam comparatur igni, & quoque vocatur ignis, videatur n: 933. 934. 935. 936; tum quoque amor comparatur sanguini, & quoque vocatur sanguis, n: 1001; quia utrumque rubet, ideo bonum, quod est amoris, significatur per rufum seu rubrum; ut quoque constare potest ab his in Verbo locis; in prophetia Jacobi, tunc Israelis, "Lavabit in vino indumentum suum, & in sanguine uvarum velamen suum, *Ruber oculis præ vino* & albus dentes præ lacte," Gen: XLIX: 11.

Vide 3301. pag. 246 & 3302. pag. 245.

doctrinalia veri, ideo ad Vers: seq: 30, ubi Esau vocatur Edom, ex Divina Domini Misericordia, ex locis e Verbo, confirmabitur.

3303. Et post ita, exivit frater ejus, quod significet verum, constat ex significatione fratris, quod sit bonum, tum quoque verum, hæc fratres vocantur; quod charitas sit frater fidei, seu bonum frater veri, videatur n: 367, ita vicissim, est fides frater charitatis, seu verum frater boni; etiam in naturali, affectio boni vocatur frater, & affectio veri soror, n: 3160, etiam maritus & mulier, tum vir & mulier; sed hæc semper in respectu ad status de quibus agitur.

3304. Et manus ejus prehendens in calcaneum Esavi, quod significet infimum boni naturalis cui adhærebat aliqua potentia, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878, & quod prædicetur de vero, n: 3091; ex significatione prehendere, quod sit adhærere; ex significatione calcanei, quod sit infimum naturalis, de qua n: 259; & a repræsentatione Esavi, quod sit bonum naturalis, de qua n: 3302; inde patet, quod manus ejus prehendens in calcaneum Esavi significet infimum boni naturalis cui verum adhærebat aliqua potentia. Cum hoc, quod Verum adhæserit infimo bono naturalis aliqua potentia, ita se habet; naturale, seu naturalis homo, cum regeneratur, conceptionem suam quoad bonum & verum, habet a Rationali, seu per rationalem a Spirituali, per hunc a Cœlesti, & per hunc a Divino, ita succedunt influxus, qui a Divino inchoans ac ita succedens terminatur in Naturalis infimo, hoc est, in mundano & corporeo; cum naturale infimum vitio affectum est per hæreditarium a matre, tunc non potest bono uniri verum, sed modo ei adhærere aliqua potentia, nec prius bono unitur verum, quam cum vitium illud abactum est; quæ causa est, quod quidem bonum connoscatur homini, non autem verum, ideo infantes absque omni cognitione veri sunt, & quod addiscendum verum sit, & dein conjungendum bono, videatur n: 1831. 1832; quapropter etiam dicitur, quod colliserint se in medio ejus, hoc est, pugnaverint, n: 3289; inde est, quod a prima conceptione verum supplantet bonum, sicut dicitur de Jacobo quod Esavum, "Num quod vocat nomen illius Jacob, & *supplantavit me his duabus vicibus*," Gen: XXVII: 36: & apud Hoscheam, "Ad visitandum super Jacobum vias ejus, secundum opera ejus retribuet ei, in *utero supplantavit fratrem suum*," XII: 3. 4. Qui in Historicis solum mentem tenent, nec eam amovere inde possunt, non aliud sciunt, quam quod hæc, & quæ præcedunt, prænuntient illa quæ evenerunt inter Esavum & Jacobum, de quibus a sequentibus etiam confirmantur; sed tale est Verbum Domini, quod Historica in sua serie sint, & spiritualia, quæ sunt sensus interni, in sua, ut illa spectentur ab Externo homine, hæc autem ab Interno, & sic sit inter utrumque, nempe Externum hominem & Internum correspondentia; & hoc per Verbum, Verbum enim est unio terræ & cœli, ut pluries ostensum; ita in unoquovis, qui in sancto est cum legit Verbum, est unio Externi ejus hominis qui est in terra, cum Interno ejus qui est in cœlo.

3305.

3305. Et vocabat nomen ejus Jacob, quod significet doctrinam veri naturalis, constat a significatione vocare nomen seu vocare nomine, quod sit quale, de qua mox supra n: 3302; quale, quod repræsentatur per Jacobum, est doctrina veri naturalis, ut constare potest ex repræsentatione Esavi, quod sit bonum vitæ veri naturalis, n: 3300, & ex plurimis locis in Verbo, ubi nominatur: sunt enim duo, quæ naturale constituunt, sicut sunt duo quæ Rationale, imo quæ totum hominem, unum quod est vitæ, alterum quod est doctrinæ; quod vitæ, est voluntatis, quod doctrinæ, est intellectus; illud vocatur bonum, hoc autem verum; bonum illud est quod repræsentatur per Esavum, verum autem per Jacobum, seu quod idem, bonum vitæ veri naturalis est quod repræsentatur per Esavum, & doctrina veri naturalis quæ per Jacobum: sive dicas bonum vitæ veri naturalis, & doctrinam veri naturalis, sive illos qui in iis sunt, idem est, bonum vitæ enim, & doctrina veri, non dari potest absque suo subjecto, si absque illo, est abstractum quid, quod usque spectat hominem, in quo sit; quare per Jacobum hic significantur illi qui in doctrina veri naturalis sunt. Qui in sensu literæ solo manent, per Jacobum in Verbo intelligi credunt omnem illum populum, qui ex Jacobo, & propterea illi populo tribuunt omnia illa, quæ de Jacobo & historice & prophetice dicta sunt; sed Verbum est Divinum, in eo principaliter, quod omnia & singula, quæ ibi, non spectent unam gentem seu unum populum, sed universum genus humanum, nempe quod est, quod fuit, & quod erit; & adhuc universalius, nempe Regnum Domini in cœlis; & in supremo sensu Ipsum Dominum; quia ita est, est Verbum Divinum; si modo unam gentem, tunc foret humanum, & nihil plus Divini inibi, quam apud gentem illam esset sanctum cultus; quod tale non fuerit apud populum, qui Jacob vocatur, cuivis notum esse potest: inde etiam patet, quod per Jacobum in Verbo non Jacob intelligatur, tum quod per Israelem non Israel, quod in Propheticis pæne ubivis, ubi Jacob, etiam Israel nominetur, & nemo scire potest, quid in specie per unum, & quid per alterum intelligitur, nisi ex sensu qui altius latet, & in se arcana cœli recondit. Quod itaque per Jacobum significetur in sensu interno Doctrina veri naturalis, seu quod idem, illi qui in ea doctrina sunt, ex quacunque gente sint, & quod in sensu supremo intelligatur Dominus, constare potest ab his locis; apud Lucam, "Angelus dixit ad Mariam, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus thronum Davidis patris sui, ita ut regnet super *domum Jacobi* in sæcula, & Regni Ipsius non sit finis," 1: 31. 32. 33; quod hic per domum Jacobi non gens seu populus Judaicus intellectus sit, quisque videt, Regnum enim Domini non fuit super illum populum, sed super omnes in universo, qui in fide in Ipsum sunt, & ex fide in charitate; inde constat, quod per Jacobum ab Angelo nominatum, non sit populus Jacobi intellectus, consequenter nec alibi, per semen Jacobi, per natos Jacobi, per terram Jacobi, per hæreditatem Jacobi, per Regem Jacobi, per Deum Jacobi, quæ toties in Verbo Veteris Testamenti leguntur, non illa sint: similiter se habet cum Israele, ut

apud

dicens, ecce concipies & paries filium, & *novacula non ascendet super caput ejus, erit Naziræus Dei* puer ab utero," Jud: XIII: 3. 5; dein quod indicaverit Delilæ, quod *si raderetur, recederet ab illo robur ejus*, & redderetur infirmus; & tunc *cum rasus fuit*, quod recesserit robur, & comprehenderint illum Philistæi: & postea cum incepit *capillus capitis ejus crescere*, sicut abrosus fuit, quod redierit robur, ut columnas domus emoveret, Jud: XVI: 1 ad f: quis non videt, quod in his cœleste arcanum sit, & quod id nemo sciat, nisi qui instructus est de repræsentativis, quod nempe Naziræus referret Cœlestem hominem, & quamdiu crinis illi, referret naturale illius hominis, qui in tam potenti & forti vero est, ut dictum; & quia tunc temporis omnia repræsentativa, quæ a Domino mandata fuerunt, talem vim & effectum haberent, inde Simsoni robur; sed is non Naziræus sanctificatus fuit, quales illi de quibus supra, nempe quod induerit statum boni loco veri: effectus roboris ejus propter crines erat inde principaliter, quod repræsentaret Dominum, qui ex naturali homine quoad verum pugnaret cum infernis, & ea subjugaret, & hoc antequam indueret Divinum Bonum & Verum, etiam quoad naturalem hominem. Inde quoque patet, cur mandatum, quod "Sacerdos magnus, super cujus caput est effusum oleum unctionis, & impleta manus ad induendum vestes, *caput suum non raderet*, & vestes suas non diffueret," Levit: XXI: 10; & similiter Sacerdotes Levitæ, ubi de novo Templo agitur, quod *caput suum non raderent*, & *comam suam non demitterent*," Ezech: XLIV: 20, ut nempe repræsentarent Divinum Naturale Domini quoad verum quod ex bono, & vocatur boni verum. Quod pilus seu crinis significet Naturale quoad verum, etiam ex propheticis Verbi constat, ut apud Ezechielem, "Sicut germen agri dedi te, unde crevisti & adolevisti in decora decorum, ubera solidata sunt, & *Crinis tuus crevit*," XV: 7, ubi de Hierosolyma, quæ ibi Antiqua Ecclesia, quæ temporis tractu perversa facta, ubera solidata pro bono naturali, crinis qui crevit pro vero naturali. Apud Danielem, "Videns fui usque dum throni projecti sunt, & antiquus dierum sedit, vestit ejus sicut nix alba, & *Crinis Capitis ejus sicut lana munda*; thronus ejus sicut flamma ignis," VII: 9: & apud Johannem, "In medio septem candelabrorum, similis filio hominis, indutus talari, & circumcinctus ad ubera Zona aurea, caput autem, & *Capilli albi*, sicut lana alba, sicut nix, sed oculi ejus sicut flamma ignis," Apoc: I: 13. 14, capilli albi sicut lana munda pro Divino Naturali quoad verum; ipsum verum in Verbo, ac in ritualibus Ecclesiæ Judaicæ, repræsentatum fuit per album, quod, quia a Bono, dicitur lana munda; quod veri repræsentatio sit per album, & boni per rubrum, erat quia verum est Lucis, & bonum est Ignis ex quo lux. Crinis, sicut reliqua in Verbo, etiam oppositum sensum habet, & significat Naturale quoad verum perversum; ut apud Esaiam, "In die illo *detondebit* Dominus *per novaculam mercenariam* in transitibus fluvii per regem Aschuris, *caput*, & pilos pedis, & etiam *barbam* consumet," VII: 20: apud Ezechielem, "Fili hominis, sume tibi gladium acutum, *novaculam tonsoriam* accipias

pias tibi, quam *traduces ſuper caput tuum*, & *ſuper barbam tuam*; dein accipias tibi lances ponderis, & dividas illa; tertiam igne comburas in medio urbis; tertiam percutias gladio circum eam; & tertiam diſpergas in ventum; accipies de illo parum numero, & liges eam in alis tuis; tandem de illis iterum accipias, & projicias ea in medium ignis, & comburas ea igne, ex quo exibit ignis ad totam domum Iſraelis," v: 1. 2. 3. 4, ita repræſentative deſcribitur, quod nullum amplius eſſet verum naturale interius & exterius, quod eſt crinis & barba; quod concupiſcentiæ illud deſtruxerint, ſignificatur per quod combureretur igne; quod ratiocinia, per quod gladio percuteretur circum circa; quod falſa principia, per quod diſpergeretur in ventum; hæc ſimile involvunt ac illa, quæ Dominus docet apud Matthæum, "quod ſemen, quod eſt verum, aliud ceciderit inter ſpinas, aliud in petram, & aliud ſuper viam," xiii: 1 ad 9. Quod Crines ſignificent vera immunda & falſa quæ naturalis hominis, etiam repræſentatum eſt per quod, "Fæmina quæ maritanda ex captivis hoſtium, ducenda eſſet in domum, *abradendi capilli capitis ejus*, præcidendi ungues, removendæ veſtes captivitatis ejus," Deut: xxi: 12. 13: tum quod, cum conſecrarentur Levitæ, ſpargeretur ſuper eos aqua expiationis, *tranſire facerent novaculam ſuper omnem carnem eorum*, & lavarentur veſtes, & ſic puri eſſent," Num: viii: 7: & quoque, quod Nebuchadnezar ab homine expulſus ſit, ut herbam ſicut boves comederet, & a rore cœlorum corpus ejus tingeretur, *uſque dum crinis ejus ſicut aquilarum creſceret*, & ungues ejus ſicut avium," Dan: iv: 30: quod in lepra obſervarentur colores *pili & barbæ*, ut albus, rubeſcens, flavus, niger; etiam in veſtibus; & quod mundatus a lepra abraderet *omnem pilum capitis, barbæ, palpebrarum*, Levit: xiii: 1 ad fin: Cap: xiv: 8. 9, ſignificabat falſa immunda ex prophano, quod eſt lepra in ſenſu interno. Calvities autem ſignificabat Naturale, in quo nihil veri, ut apud Eſaiam, "Aſcendit Bajith, & Dibon, excelſa ad fletum ſuper Nebo, & ſuper Medba Moabus ejulabit, *in omnibus capitibus ejus calvities, omnis barba raſa*," xv: 2: apud Eundem, Erit loco operis implexi *calvities*, aduſtio loco pulchritudinis," iii: 24. Quod pueri, qui dixerunt Eliſæo, *aſcende Calve, aſcende Calve*, diſcerpti ſint ab urſis e ſylva, 2 Reg: ii: 23. 24, repræſentabat illos qui blaſphemant Verbum, ſicut quod inibi non verum; Eliſæus enim repræſentabat Dominum quoad Verbum, n: 2762: inde quoque patet, quantum tunc temporis valuerunt repræſentativa.

3302. Et vocabant nomen ejus Eſau, quod ſignificet quale ejus, nempe Naturalis quoad bonum, conſtat a ſignificatione vocare nomen ſeu vocare nomine, quod ſit ſcire qualis eſt, ita quale, de qua n: 144. 145. 440. 760. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; & quod nomina in Verbo, quotcunque ibi ſunt, in ſenſu interno ſint res, n: 1224. 1888, ita quoque Eſau: quod Eſau ſit Divinum Naturale Domini quoad Divinum Bonum primo conceptum, conſtat ex illis quæ dicta ſunt, & ex illis quæ de Eſavo ſequuntur; tum ex Verbo alibi; ſed quia Eſau & Edom pæne ſimile ſignificant, cum differentia, quod Edom ſit Divinum Naturale quoad Bonum cui adjuncta doctrinalia

hic Num. pertinet ad pag ~~246~~ 242.

12, ubi de Jehudah, per quem ibi intelligitur Dominus, ut cuivis constare potest; indumentum ibi & velamen est Divinum Naturale Domini; vinum & sanguis uvarum, est Divinum Bonum & Divinum Verum Naturalis, de illo dicitur quod sit ruber oculis præ vino, de hoc quod sit albus dentes præ lacte; est conjunctio boni & veri in Naturali, quæ ita describitur. Apud Esaiam, "Quis hic qui venit ex Edom, *Ruber quoad vestem*, & vestes sicut *calcantis in torculari*," LXIII: 2, ubi Edom pro Divino Bono Divini Naturalis Domini, ut ex sequentibus patebit, ruber quoad vestem est bonum veri, vestes sicut calcantis in torculari est verum boni. Apud Jeremiam, "Albi erant Naziræi ejus præ nive, candidi erant præ lacte, *Rubri erant osse præ gemmis rubentibus*, sapphirus polities eorum," Thren: IV: 7, per Naziræos repræsentabatur Dominus quoad Divinum Humanum, cumprimis quoad Divinum Naturale, ita bonum ibi per quod rubri essent osse præ gemmis rubentibus. Quia Rubrum significabat bonum, imprimis bonum naturalis, id est, Ecclesia Judaica, ubi omnia & singula repræsentativa erant Domini, ac inde Regni Ipsius, consequenter boni & veri, quia ex his Regnum Domini, mandatum est, quod tegumentum Tentorii esset *ex pellibus arietum rubrorum*, Exod: XXV: 5. Cap: XXVI: 14. Cap: XXXV: 5. 6. 7. 23. Cap: XXXVI: 19; Et quoque quod aqua expiationis fieret ex cinere combustæ *Vaccæ Rubræ*, Num: XIX: 2 seq: nisi color ruber significavisset aliquod cœleste in Regno Domini, nusquam mandatum fuisset, quod Arietes essent rubri, & vacca rubra; quod sancta per illa repræsentata sint, agnoscit quisque qui Verbum sanctum habet: quia ruber color illud significabat, ideo etiam tegumentis Tentorii intertexta fuerunt & alligata quæ ex colore *Coccineo*, *purpureo*, *hyacinthino*, Exod: XXXV: 5. Sicut pæne omnia etiam sensum oppositum habent, ut sæpius dictum, ita quoque rubrum, significat tunc malum quod est amoris sui, & hoc inde quoque, quia cupiditates amoris sui comparantur igni, & vocantur ignis, n: 934 f. 1297. 1527. 1528. 1861. 2446; similiter comparantur sanguini, & vocantur sanguis, n: 374. 954. 1005, inde Rubrum in opposito sensu illa significat, ut apud Esaiam, "Dixit Jehovah, si fuerint peccata vestra sicut *coccinea*, sicut nix albescent; si *rubuerint sicut purpura*, sicut lana erunt," I: 18. Apud Nahum, "Clypeus fortium Belialis, *Ruber factus*, viri roboris *Purpurati*, in *igne facularum* currus in die," ii: 4. Apud Johannem, "Visum est aliud signum in cœlo, ecce *draco magnus Rufus*, habens capita septem, & super capitibus diademata septem," XII: 3: apud Eundem, "Vidi, ecce equus albus, & sedens super illo habens arcum, cui data est corona, hic evivit vincens, & ut vinceret; tunc *exivit alius equus rufus*, & sedenti super equo datum est ut auferret pacem de terra, & ut se invicem occiderent, unde data est illi machæra magna; post exivit equus niger, tandem equus pallens, cui nomen mors," Apoc: VI: 2 ad 8.

hic Num. pertinet ad pag. 242.

3301. Quod tunica pilosa, significet verum naturalis, constat ex significatione tunicæ, quod sit tale quod aliud investit, hic ideo verum quia hoc investit bonum, est enim verum sicut vestis, n: 1073. 2576, seu quod pæne idem est, est verum vas recipiens boni, n: 1469. 1496. 1832. 1900. 2063. 2261.

2261. 2269; tum a significatione pilosæ, quod sit naturale quoad verum: Pilus seu crinis aliquoties in Verbo memoratur, & ibi significat naturale; causa est, quia pili sunt excrescentiæ in ultimis hominis, sicut quoque naturale est respective ad ejus rationale & ad hujus interiora; apparet homini cum vivit in corpore, quod naturale sit in illo omne, sed hoc tantum abest a vero, ut naturale potius sit excrescentia ab internis ejus, sicut sunt pili ab illis quæ sunt corporis; etiam ab internis pæne similiter procedunt; quare etiam homines, qui in vita corporis mere naturales fuerunt, in altera vita cum sistuntur videndi secundum statum illum, apparent quoad pæne omnem faciem criniti; & præterea naturale hominis repræsentatur per crines; cum ex bono est, per crines decoros & concinne positos; cum autem non ex bono, per crines indecoros & inordinatos; ex repræsentativo hoc est, quod pili seu crines in Verbo significent Naturale imprimis quoad verum; ut apud Sachariam, "Fient in die illo, pudefient prophetæ, vir propter visionem suam, cum prophetaverit, & non induent *tunicam pilosam* ut mentiantur," XIII: 4, prophetæ pro illis qui docent vera, hic qui falsa, n: 2534; visio pro veris, hic pro falsis, tunica pilosa pro naturali quoad verum, & quia non verum erat sed falsum, dicitur ut mentiantur; induebantur talibus prophetæ, ut illud verum, quia externum, repræsentarent: ideo quoque Elias Thesbita ex amictu tali dicitur *vir pilosus*," 2 Reg: I: 8: & Johannes, qui Prophetarum ultimus, habebat vestimentum ex *Pilis camelinis*, Matth: III: 4, quod Cameli sint scientifica in naturali homine, videatur n: 3048. 3071. 3143. 3145, & quod scientifica sint naturalis hominis vera, n: 3293. Quod Crinis significaverit naturale quoad verum, constat manifeste a Naziræis, quibus mandatum, quod omnibus diebus naziræatus eorum, *novacula non transiret super caput eorum*, usque dum impleti fuissent dies, quibus se abstinerent Jehovæ, & tunc demitterent comam capitis sui, & quod tunc ad ostium Tentorii conventus *caput Naziræatus sui tonderent*, & *crinem* tunc darent super ignem qui sub sacrificio eucharistico, Num: VI: 5. 18. 19; repræsentabant illi Dominum quoad Divinum Humanum, ac inde Cœlestis Ecclesiæ hominem, qui similitudo Domini, n: 51, & naturale illius hominis per crinem; quare cum sanctificarentur, naturalem suum hominem veterem seu priorem, in quem nati erant, exuerent, ac novum induerent; quod significatum est per quod, cum impleti essent dies, quibus se abstinerent Jehovæ, *demitterent comam capitis* sui, & darent super ignem sub sacrificio; status enim cœlestis hominis est, quod in bono sit, & ex bono sciat omnia vera, & nusquam ex veris de bono, minus ex scientificis de bono, cogitet & loquatur, videatur n: 202. 317. 2715. 2718. 3246; præterea cœlestes homines, sunt tales quod, antequam exuunt illum statum, in naturali tam forti quoad verum sint, ut pugnare possint cum infernis, nam verum est quod pugnat, nusquam bonum, ad bonum inferna ne quidem e longinquo accedere possunt; quod verum tale sit, & bonum tale, videatur n: 1950. 1951. Inde patet, unde robur Simsoni *ex crine*, de quo ita, "Apparuit Angelus Jehovæ matri Simsonis,

 dicens,

apud Matthæum, "Angelus Domini apparuit in somnio Josepho, dicens, experrectus sume Puerum, & matrem Ipsius, & fuge in Ægyptum, ut impleretur quod dictum a Propheta, dicente, ex Ægypto vocavi filium meum," II : 13. 14. 15; apud Prophetam ita dicitur, "*Cum puer Israel*, tunc dilexi illum, & ex Ægypto vocavi filium meum," Hosch : XI : 1; quod hic Israel sit Dominus, manifeste patet; & tamen ex sensu literæ non aliud sciri potest, quam quod puer Israel sint primi posteri Jacobi, qui in Ægpptum venerunt, & dein evocati sunt: similiter se habet alibi, ubi Jacob & Israel nominantur, tametsi hoc non apparet ex sensu literæ; ut apud Esaiam, "Audi *Jacob serve mi*, & *Israel quem elegi*, sic dixit Jehovah factor tuus & formator tuus ab utero, juvat te, ne time *serve mi Jacob*, & *Jeschurun* quem elegi, quia effundam aquas super sitientem, & rivos super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super natos tuos; hic dicet Jehovæ ego, & hic *vocabit se nomine Jacobi*, & ille scribet manu sua Jehovæ, & *nomine Israelis cognominabit se*," XLIV : 1. 2. 3. 5; ubi manifeste Jacob & Israel pro Domino, ac semen & nati Jacobi pro illis qui in fide in Ipsum sunt. In Prophetico de filiis Israelis apud Mosen, "Josephus sedebit in firmo arcus sui, & corroborabuntur brachia manuum ejus a manibus *fortis Jacobi*, inde pastor *Lapis Israelis*," Gen : XLIX : 24, ibi fortis Jacobus & lapis Israelis etiam manifeste pro Domino. Apud Esaiam, "Gloriam meam alii non dabo, attende Mihi *Jacob*, & *Israel vocate a Me*, Ego idem, Ego primus, etiam Ego novissimus," XLVIII : 11. 12; etiam Jacob & Israel ibi est Dominus. Apud Ezechielem, "Accipiam lignum Josephi, quod in manu Ephraimi & tribuum Israelis sociorum ejus, & addam eos super illo cum ligno Jehudæ, & faciam eos in lignum unum, ut sint unum in manu mea: Ego accipiam *filios Israelis* ab inter gentes, quo abiverunt, & congregabo eos e circuitu, & adducam eos super terram suam, & faciam eos in gentem unam in terra, in *montibus Israelis*, & Rex unus erit omnibus illis in Regem, & non erunt amplius duæ gentes, & non dividentur amplius in duo regna iterum: *servus meus David* Rex super eos, & pastor unus erit omnibus illis; tunc habitabunt super terra, quam dedi *servo meo Jacobo*, in qua habitarunt patres vestri; habitabunt super ea, illi & filii illorum, & filii filiorum illorum, usque in æternitatem; *David servus meus* princeps illis in æternum: pangam illis fœdus pacis, fœdus æternitatis erit cum illis; dabo illos, & multiplicabo illos, & ponam sanctuarium meum in medio eorum in æternum; sic erit habitaculum meum apud illos, & ero illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum, ut cognoscant gentes, quod Ego Jehovah sanctificem *Israelem*, in esse sanctuarium meum in medio eorum in æternum," XXXVII : 19. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28; hic iterum manifeste patet, quod per Josephum, per Ephraimum, per Jehudam, per Israelem, per Jacobum, perque Davidem, non intelligantur illi, sed quod in supremo sensu Divina Spiritualia, quæ in Domino, & quæ Domini in Regno & in Ecclesia Ipsius; quod David non erit Rex illis & princeps in æternum, ut dicitur, quisque scire potest, sed quod per Davidem intelligatur Dominus, n: 1888; etiam sciri

ſciri poteſt, quod Iſrael non congregabitur quo diſperſus eſt, & quod illi non ſanctificabuntur, & ſanctuarium in medio eorum ponetur in æternum, ut dicitur, ſed quod illi, qui per Iſraelem in ſenſu repræſentativo ſignificantur, qui quod ſint omnes fideles, notum eſt. Apud Micham, "Colligendo colligam *Jacobum* omnem te, congregando congregabo *reliquias Iſraelis*, una ponam eum ſicut oves Bozræ," ii: 12, ſimiliter. Apud Eſaiam, "Venturos radicabit *Jacob*, efflorefcet & florebit *Iſrael*, & implebuntur facies orbis proventu," XXVII: 6, etiam ſimiliter: apud Eundem, "Sic dixit Jehovah ad *domum Jacobi*, Qui redemit Abrahamum, non jam pudefiet *Jacobus*, & non jam facies ejus palleſcent, quia in videndo illo natos ſuos, opus manuum mearum, in medio ejus ſanctificabunt nomen meum, & ſanctificabunt *Sanctum Jacobi*, & *Deum Iſraelis* timebunt, & ſcient errantes ſpiritu intelligentiam," XXIX: 22. 23. 24: apud Eundem, "Dixit Jehovah Uncto ſuo Koreſcho, cujus apprehendi dextram, ad ſubjiciendum coram ipſo gentes, & lumbos regum ſolvam, ad aperiendum coram ipſo januas, & portæ non claudantur: Ego ante te ibo, & tortuoſa rectificabo, januas æris confringam, & vectes ferri concidam, dabo tibi theſauros latebrarum, & occultas opes abſconditorum, ut cognoſcas quod Ego Jehovah, *qui vocatus nomine tuo Deus Iſraelis*, propter *ſervum meum Jacobum*, & *Iſraelem* electum meum; vocavi te nomine tuo, cognominavi te cum non noſceres Me," XLIV: 1. 2. 3. 4, ubi etiam manifeſte de Domino. Apud Micham, "In extremitate dierum, erit mons domus Jehovæ conſtitutus in caput montium, ibunt gentes multæ, & dicent, ite & aſcendamus ad montem Jehovæ, & ad *domum Dei Jacobi*, ut doceat nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis Ipſius, nam e Zione exibit doctrina, & verbum Jehovæ e Hieroſolyma," IV: 1. 2. Apud Davidem, "Amat Jehovah portas Zionis præ omnibus *habitaculis Jacobi*, glorioſa prædicanda in te Civitas Dei," Pſalm: LXXXVII: 1. 2. 3. Apud Jeremiam, "Servient Jehovæ Deo ſuo, & *Davidi Regi ſuo*, quem excitabo eis; & tu ne timeas *ſerve mi Jacob*, & ne terrearis *Iſrael*, quia ecce Ego ſervans te e longinquo," XXX: 9. 10. Apud Eſaiam, "Attendite inſulæ ad me, & auſcultate populi e longinquo, Jehovah ab utero vocavit me, e viſceribus matris meæ meminit nominis mei, & dixit mihi, *ſervus meus tu Iſrael*, in quo glorioſus reddar," XLIX: 1. 3. Apud Eundem, "Tunc deliciaberis ſuper Jehovah, & eveham te in excelſa terræ, & cibabo te *hæreditate Jacobi*," LVIII: 14. Apud Eundem, "Producam *ex Jacobo ſemen*, & ex Jehuda hæredem montium meorum, ut poſſideant eum electi mei, & ſervi mei habitent ibi," LXV: 9. In omnibus illis locis per Jacobum & Iſraelem in ſenſu ſupremo intelligitur Dominus, & in ſenſu repræſentativo Regnum Domini ſpirituale, & Eccleſiæ, quæ ex doctrina veri & vita boni Eccleſia eſt, per Jacobum illi qui in externis illius Eccleſiæ ſunt, & per Iſraelem qui in internis. Ex his & perpluribus aliis locis conſtare poteſt, quod per Jacobum nullibi intellectus ſit Jacob, nec per Iſraelem Iſrael, ſicut nec per Jiſchakum Jiſchak, & per Abrahamum Abraham, ubi nominantur, ut apud Matthæum, "Multi ab oriente & occidente venient, & accumbent cum *Abrahamo*, & *Jiſchako*, &

Jacobo, & regno cœlorum," VIII : 11 : apud Lucam, " Videbitis *Abrahamum, Jischakum* & *Jacobum*, & omnes prophetas in Regno Dei," XIII : 28 ; & apud Eundem, " Lazarus ſublatus ab Angelis in *ſinum Abrahami*," XVI : 22 ; ignorant enim Abrahamum, Jiſchakum & Jacobum in cœlo, & qui ibi non aliud per illa verba, cum ab homine leguntur, percipiunt, quam Dominum quoad Divinum & Divinum Humanum, & cum Abrahamo, Jiſchako & Jacobo accumbere, quam eſſe cum Domino, & in Abrahami ſinu eſſe, quam eſſe in Domino ; ſed dictum eſt ita, quia homo tunc temporis tam remotus erat ab internis, ut non ſciret aliud, nec ſcire vellet aliud, quam quod omnia in Verbo ſe haberent ſecundum literam, & cum ſecundum literam cum illis loquutus eſt Dominus, quod fidem reciperent, & quoque quod tunc internus ſenſus ineſſet, per quem conjunctio hominis cum Se. Quia ita eſt, conſtare poteſt, quid in Verbo Veteris Teſtamenti ſignificatur per Deum Jacobi, & per Sanctum Iſraelis, quod nempe Ipſe Dominus ; quod Deus Jacobi ſit Dominus, videatur 2 Sam : XXIII : 1. Eſai : ii : 3. Cap : XLI : 21. Mich : IV : 2. Pſalm : XX : 1. XLVI : 7. LXXV : 9. LXXVI : 6. LXXXI : 1. 4. LXXXIV : 8. XCIV : 7. CXIV : 7. CXXXII : 2. CXLVI : 2. Quod Sanctus Iſraelis ſit Dominus, Eſai : I : 4. Cap : V : 19. 24. Cap : X : 20. Cap : XII : 6. Cap : XVII : 7. Cap : XXIX : 19. Cap : XXX : 11. 12. 15. Cap : XXXI : 1. Cap : XXXVII : 23. Cap : XLI : 14. 16. 20. Cap : XLIII : 3. 14. Cap : XLV : 11. Cap : XLVII : 4. Cap : XLVIII : 17. Cap : XLIX : 7. Cap : LIV : 5. Cap : LV : 5. Cap : LX : 19. Jer : L : 29. Ezech : XXXIX : 7. Pſalm : LXXI : 22. LXXXVIII : 41. LXXXIX : 18.

3306. Et Jiſchak filius ſexaginta annorum in pariendo illos, quod ſignificet Divini Rationalis ſtatum tunc, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra n : 3252. 3275, dicta ſunt de numeris : quid autem numerus ſexaginta involvit, conſtare poteſt ex numeris ſimplicibus, ex quibus conflatur, nempe ex quinque & duodecim, quinquies enim duodecim ſunt ſexaginta, quid quinque, videatur n : 649. 1686, quid duodecim n : 3272 : tum quoque ex ſex & decem, nam ſexies decem ſunt ſexaginta, quid ſex, videatur n : 720. 737. 900, & quid decem, n : 576. 2284. 3107 : etiam ex duobus & triginta, nam bis triginta ſunt ſexaginta, quid duo videatur n : 720. 900. 1335. 1686, & quid triginta n : 2276 ; numerus ſexaginta, quia ex illis compoſitus eſt, involvit illa in ſuo ordine, quæ omnia ſunt ſtatus, in quo tunc Divinum Rationale Domini ; patent illa coram Angelis in clara luce a Domino, coram homine autem, cumprimis illo, qui in numeris in Verbo nihil arcani latere credit, exponi nequeunt, tam incredulitatis cauſa, quam quia tot contenta in ſeriem captui adæquatam redigi nequeunt.

* * * *

3307. Verſ : 27. *Et adoleverunt pueri, & fuit Eſau vir ſciens venationis, vir agri ; & Jacob vir integer, habitans tentoria. Et amabat Jiſchak Eſavum, quia venatio in ore ejus ; & Rebecca amans Jacobum.* Adoleverunt pueri, ſignificat ſtatum primum : & fuit Eſau vir ſciens venationis, ſignificat bonum

num vitæ ex veris ſenſualibus & ſcientificis: vir agri, ſignificat bonum vitæ ex doctrinalibus: & Jacob vir integer ſignificat verum: habitans tentoria, ſignificat cultum inde: Et amabat Jiſchak Eſavum quia venatio in ore ejus, ſignificat quod Divinum Bonum Divini Rationalis Domini amaret bonum veri: & Rebecca amans Jacobum, ſignificat quod Divinum Verum Divini Rationalis amaret doctrinam veri.

3308. Adoleverunt pueri, quod ſignificet ſtatum primum, nempe conjunctionis boni & veri, conſtat ex ſignificatione adoleſcere, cum prædicatur de bono & vero, quoad ortum & progreſſum, quod ſit hujus, nempe progreſſus, ſtatus primus, de quo ſequitur; & a ſignificatione puerorum, quod ſit bonum & verum, bonum enim repræſentatur per puerum Eſavum, & verum per puerum Jacobum, ut ſupra oſtenſum: cum bono & vero ſe habet, ſicut cum prole, quod concipiantur, quod ſint in utero, quod naſcantur, quod adoleſcant, tum quod creſcant ætate uſque ad ultimam; quod concipiantur, ſint in utero, & naſcantur, pertinet ad ſtatum ortus; quod autem adoleſcant, creſcant ætate uſque ad ultimam, pertinet ad ſtatum progreſſus; ſtatus progreſſus ſuccedit a nativitate, & eſt ſtatus conjunctionis boni & veri, primum hujus ſtatus eſt, quod ſignificatur hic per adoleſcere, hic ſtatus incipit illico poſt nativitatem, & continuatur uſque ad ultimum vitæ, & apud illos, qui in bono ſunt, poſt vitam corporis in æternum; Angeli ita continue perficiuntur.

3309. Et fuit Eſau vir ſciens venationis, quod ſignificet bonum vitæ ex veris ſenſualibus & ſcientificis, conſtat ex repræſentatione Eſavi, quod ſit bonum vitæ, de qua ſupra; & ex ſignificatione viri ſcientis venationem, quod ſint illi qui in affectione veri, de qua ſequitur; vir enim ſciens prædicatur de affectione veri, ſeu de illis qui in affectione veri ſunt; venatio autem ſignificat ipſa vera, ſed vera quæ ſunt naturalis hominis ex quibus bona; & quia vera naturalis hominis ſunt illa, quæ vocantur ſcientifica, n: 3293, & ſcientifica ſunt imprimis duplicis generis, ſeu duplicis gradus, nempe ſenſualia & ſcientifica, per venationem hic ſignificantur utraque; ſenſualia ſunt, in quibus pueri, ſcientifica in quibus iidem cum adoleſcunt; nullus enim poteſt eſſe in veris ſcientificis, niſi prius ſit in veris ſenſualibus, nam ideæ ſcientificorum ab his comparantur; ex his dein vera adhuc interiora poſſunt addiſci & capi, quæ vocantur doctrinalia, quæ ſignificantur per virum agri, de quibus mox ſequitur. Quod per Venationem ſignificentur vera ſenſualia & ſcientifica, in quibus docentur, & quibus afficiuntur illi qui in bono vitæ ſunt, eſt, quia Venatio in lato ſenſu ſunt illa quæ per Venationem capiuntur, ut Arietes, hædi, capræ, & ſimilia, quæ quod ſint bona ſpiritualia, videatur n: 2088. 2830; & quia etiam venationis arma, quæ fuerunt pharetra, arcus & jacula, ſunt doctrinalia veri, n: 2680. 2686. 2709; quod talia ſint, quæ per venationem ſignificantur, conſtare poteſt ex illis quæ ad Eſavum a patre ejus Jiſchako Cap: ſeq: XXVII, dicuntur, "Tolle quæſo *arma tua*, *pharetram* tuam, & *arcum* tuum, & exi agrum, & *venare mihi venationem*, & fac mihi

 cupedias,

cupedias, quemadmodum amavi," Verf: 3. 4; & ad Jacobum, qui ibi pro Efavo, in eodem Capite, "Adfer mihi ut *edam e venatione filii mei*, ideo ut benedicat tibi Anima mea," Verf: 25; ex quibus patet, quid per venationem fignificatur: inde eft, quod venari fit docere, ut & perfuadere, & hoc in utroque fenfu, nempe ex affectione veri, & ex affectione falfi; ex affectione veri apud Jeremiam, "Reducam eos fuper terram eorum, quam dedi patribus eorum; ecce Ego mittens ad pifcatores multos, & pifcabuntur eos; & poft ita, mittam ad *multos Venatores*, & *venabuntur eos* defuper omni monte, & defuper omni colle, & e foraminibus petrarum," XVI: 15. 16; pifcatores pro illis qui ex veris fenfualibus docent, n: 40. 991, Venatores qui ex veris fcientificis, & quoque ex doctrinalibus; fuper omni monte, & fuper omni colle, pro docere illos qui in affectione boni & in affectione veri funt, quod mons & collis fint illa, videatur n: 795. 796. 1430; fimile involvit venari in agro, ut Genef: XXVII: 3: perfuadere ex affectione falfi, apud Ezechielem, "Ecce Ego quoad pulvillos veftros, quibus *vos venantes ibi animas* ad evolandum, & difrumpam velamina veftra, & eripiam populum meum e manu veftra, & non erunt amplius in manu veftra *in Venationem*," XIII: 18. 19. 20. 21; de fignificatione Venationis in hoc fenfu videatur n: 1178; fed huic generis Venationi tribui folent retia.

3310. Vir agri quod fignificet bonum vitæ ex doctrinalibus, conftat ex fignificatione agri; in Verbo multis in locis nominatur Terra, & Humus, & Ager; & per Terram, cum in bono fenfu, fignificatur Regnum Domini in cœlis & in terris, ita Ecclefia, quæ eft Regnum Domini in terris, fimiliter per Humum, fed in ftrictiori fenfu, n: 566. 662. 1066. 1067. 1068. 1262. 1413. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928; eadem quoque fignificantur per Agrum, fed in adhuc ftrictiori fenfu, n: 368. 2971; & quia Ecclefia non eft Ecclefia ex doctrinalibus, nifi quantum illa fpectant bonum vitæ ut finem, feu quod idem, nifi doctrinalia fint conjuncta bono vitæ, ideo per agrum fignificatur principaliter bonum vitæ; quod ut fit Ecclefiæ, erunt doctrinalia ex Verbo, quæ bono illi implantata fint; abfque doctrinalibus eft quidem bonum vitæ, fed nondum bonum Ecclefiæ, ita nondum vere fpirituale, nifi modo potentia, ut poffit fieri, ficut eft bonum vitæ apud gentes, quæ non Verbum habent, & ideo ignorant Dominum. Quod ager fit bonum vitæ, cui implantentur illa quæ funt fidei, hoc eft, vera fpiritualia quæ funt Ecclefiæ, manifefte conftare poteft a parabola Domini apud Matthæum, "Exivit feminans ad feminandum, & dum ille feminavit, alia ceciderunt fuper viam duram, & venerunt aves & comederunt ea; alia ceciderunt in petrofa, ubi non habuerunt humum multam, unde cito exorta funt, propterea quod non habuerunt profunditatem terræ, cum vero fol exortus eft, exufta funt, & propterea quod non habuerunt radicem, exaruerunt: alia ceciderunt inter fpinas, & afcenderunt fpinæ, & fuffocarunt ea: alia vero ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum, aliud centuplum, aliud fexagecuplum, aliud trigecuplum: qui habet aurem ad audiendum, audiat,"

XIII : 4 ad 9. Marc : IV : 3 ad 9. Luc : VIII : 5 ad 8 ; agitur ibi de quadruplici genere terræ seu humi in agro, hoc est, in Ecclesia ; quod ibi semen sit Verbum Domini, ita verum, quod fidei dicitur, & quod bona terra sit bonum quod Charitatis, patet, nam bonum in homine est, quod recipit Verbum ; via dura est falsum, petrosum est verum quod non radicem habet in bono, spinæ sunt mala. Cum bono vitæ ex doctrinalibus, quod significatur per virum agri, ita se habet ; qui regenerantur, primum faciunt bonum ex doctrinalibus, nam ex se non sciunt bonum, doctrinalia amoris & charitatis sunt, ex quibus discunt, ex illis sciunt quis Dominus, quis proximus, quid amor, & quid charitas, ita quid bonum ; cum in hoc statu sunt, in affectione veri sunt, & vocantur *Viri agri :* at dein, cum regenerati sunt, non faciunt bonum ex doctrinalibus, sed ex amore & charitate, nam tunc in ipso bono sunt, quod per doctrinalia dedicerunt, & tunc vocantur *Homines agri :* se habet hoc, sicut qui ex natura inclinat ad adulteria, furta, cædes, sed ex præceptis decalogi discit, quod talia inferni sint, & sic ab illis abstinet ; in hoc statu afficitur is præceptis, quia timet infernum, & discit ex illis, & similiter ex Verbo multa, quomodo instruere debeat vitam ; tunc cum bonum agit, ex præceptis bonum agit ; at cum in bono est, incipit aversari adulteria, furta, cædes, ad quæ prius inclinavit, tunc cum in illo statu est, non amplius ex præceptis bonum agit, sed ex bono, quod tunc apud illum ; is in priori statu, ex vero discit bonum, in posteriore ex bono docet verum : ita quoque se habet cum veris spiritualibus, quæ vocantur doctrinalia, & adhuc interiora præcepta sunt : doctrinalia enim sunt interiora Vera, quæ Naturali homini ; prima sunt sensualia, altera sunt scientifica, interiora sunt doctrinalia ; hæc vera fundantur super veris scientificis, quatenus homo non nisi quam ex scientificis ideam, notionem, seu conceptum aliquem illorum habere & retinere possit ; vera scientifica autem fundantur super veris sensualibus, nam absque sensualibus scientifica ab homine non capi possunt ; hæc vera, nempe scientifica & sensualia sunt, quæ significantur per virum scientem venationis ; doctrinalia autem sunt quæ significantur per virum agri ; succedunt ita apud hominem ; quapropter antequam homo in adulta ætate est, & per vera sensualia & scientifica in doctrinalibus est, non regenerari potest, non enim confirmari potest in veris doctrinalium, nisi per ideas ex scientificis & sensualibus, nam nihil usquam datur apud hominem in ejus cogitatione, etiam quoad arcanissimum fidei, quod non secum ideam naturalem & sensualem habet, tametsi homo ut plurimum nescit qualem ; sed in altera vita, si desiderat, sistitur illa ei coram intellectu, etiam, si cupit, coram visu ; nam in altera vita possunt talia sisti coram visu, quod incredibile apparet, sed usque est ita.

3311. Et Jacob vir integer, quod significet verum, constat ex repræsentatione Jacobi, quod sit doctrina veri naturalis, n : 3305 ; & ex significatione integri, quod prædicetur de illis qui in vero sunt, ita de Vero, n : 612.

3312. Habitans tentoria, quod significet cultum inde, constat ex significatione Tentoriorum, quod sint sanctum amoris, & inde cultus, n : 414. 1102. 2145. 2152 ; quod Tentoria significent sanctum cultus, inde est, quia antiquissimo

quiffimo tempore, homo Ecclefiæ, qui in amore in Dominum fuit, & inde in fancto cultu, in tentoriis habitavit, & ibi fuum cultum fanctum habuit: & quia tunc repræfentari cæptum fanctum amoris & inde fanctum cultus per tentoria, mandatum fuit, ut Tentorium, fecundum typum oftenfum Mofi in monte Sinai, facerent, & ibi cultum fuum Divinum inftituerent; exinde etiam feftum tabernaculorum, & quod tunc habitarent tentoria, erat ex caufa repræfentationis fancti cultus, qui fuit Ecclefiæ cœleftis homini; exinde patet, quod per habitare tentoria fignificetur cultus.

3313. Et amabat Jifchak Efavum quia venatio in ore ejus, quod fignificet quod Divinum Bonum Divini Rationalis amaret bonum veri, conftat ex repræfentatione Jifchaki, quod fit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 3012. 3013. 3194. 3210; ex repræfentatione Efavi, quod fit Divinum Naturale Domini quoad bonum ibi, de qua n: 3302. 3300, & in fequentibus ubi de Edomo; & ex fignificatione venationis, quod fit bonum vitæ ex veris naturalibus, de qua n: 3309; in ore ejus fignificat, quod in affectione naturali ejus effet; nam in Verbo dicitur id effe in Corde, quod interius eft & procedit ex bono, & id effe in ore quod exterius eft & procedit ex vero; & quia bonum veri, quod hic repræfentatur per Efavum, & fignificatur per venationem, eft exterius, nempe in affectione naturali, procedens ex vero, dicitur in ore Jifchaki fuiffe.

3314. Et Rebecca amans Jacobum, quod fignificet quod Divinum Verum Divini Rationalis amaret doctrinam veri, conftat a repræfentatione Rebeccæ, quod fit Divinum Verum Divini Rationalis, de qua n: 3012. 3013. 3077, & in toto Capite præced: ubi de Rebecca agitur; & ex repræfentatione Jacobi, quod fit doctrina veri naturalis, & in fenfu fupremo Domini Divinum Naturale quoad verum, de qua n: 3305. Quod Divinum Bonum Rationalis amaret Bonum quod Naturali, & Divinum Verum Divini Rationalis amaret Verum quod Naturali, ita fe habet; eft Bonum & Verum, quod conftituit Rationale, & eft quoque Bonum & Verum quod conftituit Naturale; Bonum Rationalis influit abfque Vero, ita immediate, in Bonum Naturalis, & quoque per Verum, ita mediate; at Bonum Rationalis influit per Verum Rationalis in Verum naturalis, ita mediate, & quoque per Bonum Naturalis in Verum ibi, ita quoque mediate; inde eft, quod arctior conjunctio fit Boni Rationalis cum Bono Naturalis, quam cum Vero hujus, quæ conjunctio fignificatur per quod Jifchak amaret Efavum; & quod arctior conjunctio fit Veri Rationalis cum Vero naturalis quam cum Bono hujus, quæ conjunctio fignificatur per quod Rebecca amaret Jacobum. Hæc quidem talia funt, quæ ægre cadere poffunt in captum, cumprimis ex caufa, quia omnium communiffima hujus rei non funt in Orbe, ne quidem in Erudito, nota, ut quod Rationale fit diftinctum a Naturali, quodque Bonum & Verum fit quod conftituit Rationale & quod Naturale, & minus quod Rationale influat in Naturale ut homo cogitare poffit, & velle ficut cogitat; cum hæc, quæ communiffima funt, ignota funt, ægre poteft capi influxus, de quo fupra; hæc funt tamen, in quibus Angeli lucem habent, & innumerabilia percipiunt, & hoc cum delectatione,

tatione, in qua sunt, cum de Divino Domini quoad Humanum simul datur illis cogitare: homo, qui est in bono, & in quo Angelicum dum est in corpore, etiam aliqua luce a Domino in his & similibus donatur; at qui non in bono est, tædium sentit, cum de talibus cogitat, & tædium eo majus, quo plus de illis cogitat applicate ad Divinum quod Humano Domini; qui itaque tales sunt, præstat, ut animum removeant inde, nam nihil usque capiunt, imo rejiciunt, dicendo corde, quid mihi hoc, non inde mihi honor, nec inde mihi lucrum.

3315. Vers: 29. 30. *Et coxit Jacob pultem, & venit Esau de agro, & is lassus. Et dixit Esau ad Jacobum, fac mihi sorbere quæso e rubro, rubrum hoc, quia lassus ego; propterea vocavit nomen ejus Edom.* Coxit Jacob pultem, significat doctrinalium congeriem: & venit Esau de agro, significat studium boni vitæ: & is lassus, significat statum pugnæ: Et dixit Esau ad Jacobum, significat perceptionem Domini ex bono naturalis: fac mihi sorbere quæso e rubro, significat desiderium doctrinalium: rubrum hoc, significat apparenter bonum: quia lassus ego, significat, hic ut prius, statum pugnæ: propterea vocavit nomen ejus Edom, significat inde quale ejus quoad bonum, cui adjuncta doctrinalia veri.

3316. Coxit Jacob pultem, quod significet doctrinalium congeriem, constat ex repræsentatione Jacobi, quod sit doctrina veri naturalis, de qua n: 3305, ita doctrinalia quæ in naturali homine; & ex significatione pultis, quod sit congeries talium; & coquere illam, est congerere, in lingua enim originali est vox propria pultis, quasi diceres, pultavit pultem, hoc est, congessit. Est primus status conjunctionis boni & veri, qui in hoc Versu, & in sequentibus, hujus Capitis ad finem, describitur. Primus status hominis qui regeneratur, seu apud quem bono conjungitur verum, est, quod omnium primo in ejus Naturali homine, seu in hujus reconditorio, quod Memoria vocatur, congerantur doctrinalia veri, absque certo ordine; doctrinalia, quæ ibi tunc sunt, comparari possunt alicui congeriei indigestæ & incompositæ, & quasi cuidam chao; at hoc ob finem, ut in ordinem redigantur, nam quicquid redigetur in ordinem, principio tale est, hoc est quod significatur per pultem, quam Jacobus coxit, hoc est, congessit: illa in ordinem a se non rediguntur, sed a bono quod in illa influet, & quantum & qualiter bonum agit in illa, tantum & taliter in ordinem illa redigit; bonum cum primum appetit illa & desiderat, ob finem conjungendi sibi illa, apparet sub specie affectionis veri; hæc sunt, quæ significantur per quod Esau dixit ad Jacobum, fac mihi sorbere quæso e rubro, rubrum hoc. Remotiora quidem hæc apparent a sensu literæ, sed usque cum hæc leguntur ab homine, & secundum sensum literæ ab illo capiuntur, Angeli, qui tunc apud eum, prorsus nullam ideam pultis, nec Jacobi, nec Esavi, nec rubri, nec sorbere e rubro, habent, sed loco illorum habent ideam spiritualem, quæ prorsus alia est, & remota a naturali illa, in eam ideam, nempe in spiritualem, momento vertuntur illa; ita quoque se habet cum reliquis in Verbo; ut pro exemplo, cum ibi legitur Panis, Angeli non percipiunt panem, sed momento pro pane percipiunt

cipiunt amorem cœleſtem, & quæ amoris cœleſtis ſunt, hoc eſt, amoris in Dominum; cumque in Verbo legitur Vinum, non percipiunt vinum, ſed pro vino amorem ſpiritualem, & quæ amoris illius ſunt, hoc eſt, amoris erga proximum; ita cum legitur puls ſeu pulmentum, non percipiunt pultem ſeu pulmentum, ſed doctrinalia nondum conjuncta bono, ita inordinatam eorum congeriem: inde conſtare poteſt, quæ eſt qualis cogitatio & perceptio Angelorum eſt, & quam remota illa eſt a cogitatione & perceptione hominis; ſi homo ſimiliter cogitaret, dum in ſancto eſt, ut dum in Sancta Cœna, & pro Pane perciperet amorem in Dominum, & pro Vino amorem erga proximum, tunc in ſimili cogitatione & perceptione foret cum Angelis, qui tunc propius ad illum accederent, uſque tandem ut conſociare poſſent cogitationes, ſed quantum homo ſimul in bono foret. Quod puls ſeu pulmentum ſignificet congeriem, etiam conſtare poteſt ex illis quæ de filiis prophetarum & Eliſæo dicuntur, in Libro Regum, "Eliſæus rediit Gilgalem, & fames in terra, & filii prophetarum ſedentes coram illo; & dixit puero ſuo, appone ollam magnam, & *coque pultem* filiis prophetarum: & exivit unus in agrum ad colligendum olera, & invenit vitem agri, & colligit ex illa colycinthidas agri plenitudinem veſtis ſuæ, & venit & concidit in *ollam pultis*, quia non noverunt, & effuderunt viris ad comedendum, & factum, in comedendo eos *de pulte*, & illi clamabant, & dicebant, mors in olla, Vir Dei, & non potuerunt edere; & dixit, & accipite farinam, & miſit in ollam, & dixit, effunde populo, & comederunt, & non fuit verbum malum in olla," 2 Reg: IV: 38. 39. 40. 41; hæc in ſenſu interno prorſus alia ſignificant, quam in ſenſu literæ, nempe fames in terra penuriam cognitionum boni & veri, n: 1460, filii prophetarum docentes, n: 2534, puls congeriem ex ſcientificis male confarctam, farina verum quod ex bono, ſeu ſpirituale quod ex cœleſti, n: 2177, ita quod Eliſæus miſerit farinam in ollam, & tunc non fuerit malum in illa, ſignificat quod congeries illa emendata ſit per verum ſpirituale ex Verbo Domini, Eliſæus enim repræſentabat Dominum quoad Verbum, n: 2762, abſque ſpirituali hoc ſenſu narratio de pulte, & mutatio per farinam, non fuiſſet digna memoratu in Verbo ſanctiſſimo; repræſentationis illorum cauſa factum eſt hoc miraculum, ſicut etiam reliqua miracula in Verbo, quæ omnia in ſe recondunt Divina.

3317. Et venit Eſau de agro, quod ſignificet ſtudium boni vitæ, conſtat ex repræſentatione Eſavi, quod ſit bonum vitæ veri naturalis, de qua n: 3300; & ex ſignificatione venire de agro, quod ſit ſtudium boni; meditari enim in agro, eſt cogitare in bono, n: 2971, nam ager eſt bonum quod Eccleſiæ.

3318. Et is laſſus, quod ſignificet ſtatum pugnæ, conſtare poteſt a ſignificatione laſſi ſeu laſſitudinis, quod ſit ſtatus poſt pugnam, hic ſtatus pugnæ, quia agitur de ſtatu conjunctionis boni cum vero in naturali homine; quod laſſus hic ſignificet ſtatum pugnæ, non conſtare poteſt niſi ex ſerie rerum in ſenſu interno, & inde præcipue, quod bonum cum vero in Naturali homine non conjungi poſſit abſque pugnis, ſeu quod idem, abſque tentationibus: ut ſciatur

fciatur quomodo hoc fe habet, fed apud hominem, paucis dicendum; homo non eft aliud quam organum feu vas quod recipit vitam a Domino, ex fe enim homo non vivit, n: 290. 2021. 2536. 2706. 1954. 2886 ad 2889. 3001; vita, quæ influit apud hominem a Domino, eft ex Divino Ipfius amore, hic feu vita inde, influit & fe applicat vafis, quæ in rationali, & quæ in naturali hominis; hæc vafa apud hominem in contrario fitu funt refpective ad vitam ex malo hæreditario in quod nafcitur homo, & ex malo actuali quod ipfe fibi comparat; quantum vero vita, quæ influit, difponere poteft vafa ad fe recipiendum, tantum difponit: vafa hæc in rationali homine, & in naturali ejus, funt illa quæ vocantur vera, & in fe non funt nifi perceptiones variationum formæ illorum vaforum, ac mutationum ftatus fecundum quas diverfimode variationes exiftunt, quæ fiunt in fubtiliffimis fubftantiis, modis inexpreffibilibus, n: 2487; ipfum bonum, cui eft vita a Domino, feu quod eft vita, eft quod influit & difponit: cum itaque vafa illa, quæ varianda quoad formas, in contrario fitu & verfu funt, refpective ad vitam, ut dictum, conftare poteft quod illa redigenda fint in fitum fecundum vitam, feu in obfequium vitæ; hoc fieri nequaquam poteft, quamdiu homo in illo ftatu eft, in quem natus, & in quem femet redegit, non enim obediunt, quia funt obnixe refiftentia, & contra cœleftem ordinem, fecundum quem agit vita, fe obfirmantia, bonum enim, quod movet illa, & cui obfequuntur, eft amoris fui & mundi, hoc ex craffo calore, qui ineft, facit ut illa fint talia; quare, antequam obfequiofa fieri, & aliquid vitæ amoris Domini recipiendi idonea effe poffunt, emollienda funt; emollitio illa non per alia media fit, quam per tentationes; tentationes enim auferunt illa quæ funt amoris fui, & quæ funt contemtus aliorum præ fe, confequenter quæ funt fui gloriæ, tum quæ funt odii & vindictæ eapropter; cum itaque illa funt aliquantum temperata & domita per tentationes, tunc incipiunt vafa illa fieri cedentia, & obfecundantia vitæ amoris Domini, quæ continue apud hominem influit; inde nunc eft, quod bonum, primo in rationali homine, deinde in naturali, incipiat conjungi veris ibi, nam vera, ut dictum eft, non funt aliud quam perceptiones variationum formæ fecundum ftatus qui continue mutantur, & perceptiones funt a vita quæ influit; inde caufa, quod homo per tentationes, feu quod idem, per pugnas fpirituales regeneretur, hoc eft, fiat novus, & quod donetur alia indole poftea, nempe quod fiat manfuetus, humilis, fimplex & contritus corde: ex his nunc conftare poteft, quem ufum præftant tentationes, nempe illum, quod bonum a Domino non modo influere poffit, fed etiam difponere vafa ad obedientiam, & fic fe cum illis conjungere: quod vera fint vafa recipientia boni, videatur n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2261. 2269. Hic itaque, quia agitur de conjunctione boni & veri in Naturali homine, & primum conjunctionis exiftit per pugnas, quæ funt tentationum, conftare poteft, quod per, *is laffus*, fignificetur ftatus pugnæ. Quod autem Dominum attinet, de quo in fupremo fenfu hic agitur; Ipfe per pugnas tentationum graviffimas, redegit omnia in Se in ordinem Divinum, ufque adeo, ut nihil ufquam remanferit ex humano quod traxerat a matre, n: 1444. 1573.

 2159.

2159. 2574. 2649. 3036, ſic ut non novus factus ſicut alius homo, ſed prorſus Divinus, homo enim, qui per regenerationem novus fit, uſque in ſe retinet inclinationem ad malum, imo ipſum malum, ſed detinetur a malo per influxum vitæ amoris Domini, & hoc vi admodum forti; at Dominus omne malum, quod Ipſi hæreditarium fuit a matre, prorſus ejecit, & Se Divinum fecit, etiam quoad vaſa, hoc eſt, quoad vera; hoc eſt, quod in Verbo vocatur Glorificatio.

3319. Et dixit Eſau ad Jacobum, quod ſignificet perceptionem Domini ex bono Naturalis, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2862; ex repræſentatione Eſavi, quod ſit Dominus quoad bonum Naturalis, de qua n: 3300. 3302, & in mox ſequentibus, ubi de Edomo; & ex repræſentatione Jacobi, quod ſit verum Naturalis, de qua n: 3305, de quo perceptio.

3320. Fac mihi ſorbere quæſo e rubro, quod ſignificet deſiderium doctrinalium; & quod rubrum hoc, ſignificet apparenter bonum, conſtat a ſignificatione ſorbere, quod ſit communicari & conjungi, de qua n: 3089; inde, fac mihi ſorbere quæſo, eſt deſiderare conjunctionem veri ſeu doctrinalium ſecum; & ex ſignificatione rubri, quod ſit bonum, de qua n: 3300, hic apparenter bonum, quia doctrinalia utcunque diſpoſita apparent externa forma ut bonum, tametſi interius ſint congeries, n: 3315. Quod hæc memorentur, eſt quoque quia inde Eſavo nomen Edom; rubrum enim in lingua originali dicitur Edom, & hoc inde, ut per Edom ſignificetur bonum, cui adjuncta doctrinalia veri.

3321. Quia laſſus ego, quod ſignificet ſtatum pugnæ, conſtat ex ſignificatione laſſi ſeu laſſitudinis, quod ſit ſtatus pugnæ, de qua ſupra n: 3317; quod hic iterum dicatur laſſus, eſt confirmationis cauſa, quod conjunctio boni cum vero in Naturali fiat per pugnas ſpirituales, hoc eſt, per tentationes: cum conjunctione boni cum vero in Naturali, ita in genere ſe habet, quod Rationale hominis prius recipiat vera, quam Naturale ejus, & hoc ob cauſam, ut vita Domini, quæ, ut dictum, eſt amoris, influere poſſit per Rationale in Naturale, & hoc diſponere, & redigere ad obedientiam, Rationale enim eſt purius, & Naturale craſſius, ſeu quod idem, illud eſt interius hoc exterius; ſecundum ordinem eſt, qui notus eſſe poteſt, quod illud influere poſſit in hoc, non autem viciſſim; inde eſt quod Rationale hominis prius poſſit accommodari veris, & illa recipere, quam Naturale, hoc manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod Rationalis homo, apud regenerandum, multum pugnet cum Naturali, ſeu quod idem, Internus cum Externo; Internus enim homo, ut quoque notum eſt, videre poteſt vera, & quoque velle illa, ſed Externus renuit & reſiſtit; ſunt enim in Naturali homine Scientifica, quæ multam ſui partem trahunt ex fallaciis ſenſuum, quæ tametſi falſa ſunt, uſque credit eſſe vera; ſunt quoque innumerabilia, quæ Naturalis homo non capit, eſt enim in umbra & calligine reſpective, & quæ non capit, credit vel non exiſtere, vel non ita eſſe: ſunt cupiditates, quæ ſunt amoris ſui & mundi, & illa quæ iis favent, vocat vera; & cum homo iis dominium cedit, ſunt omnia, quæ inde,

inde, contraria veris ſpiritualibus: ſunt quoque ratiocinia ex falſis ab infantia impreſſis: & præterea homo illa quæ in naturali ſuo homine ſunt, ſenſu manifeſto capit, non autem ita illa, quæ in ejus Rationali, priuſquam exutus eſt corpore; hoc quoque facit, quod credat id eſſe omne, & quod non in ſenſum naturalem cadit, vix credat eſſe aliquid: talia & plura faciunt, quod Naturalis homo multo ſerius & difficilius recipiat vera, quam Rationalis ejus; inde pugna, quæ ſatis diu perſtat, nec ceſſat priuſquam vaſa recipientia boni in Naturali homine per tentationes emollita ſint, ut ſupra n: 3317, oſtenſum; nam vera non ſunt niſi quam vaſa recipientia boni, n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2261. 2269, quæ vaſa eo duriora ſunt, quo homo obfirmatior eſt in illis, de quibus dictum; & quo obfirmatior, eo gravior pugna, ſi regenerandus. Ideo, quia ita ſe habet cum Naturali homine, ut in illo vera conjungantur bono, hoc fiat per pugnas tentationum, hic iterum dicitur, quod laſſus ego.

3322. Propterea vocavit nomen ejus Edom, quod ſignificet inde quale ejus quoad bonum cui adjuncta doctrinalia veri, conſtat ex ſignificatione vocare nomen, ſeu vocare nomine, quod ſit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006; & ex repræſentatione Edomi; in Verbo paſſim memoratur Eſau, tum quoque Edom, & per Eſau ibi ſignificatur bonum Naturalis, antequam illi nempe bono ita conjuncta ſunt doctrinalia veri, tum quoque bonum vitæ ex influxu e Rationali; & per Edomum ſignificatur bonum Naturalis cui adjuncta ſunt doctrinalia veri; at in oppoſito ſenſu ſignificat Eſau malum amoris ſui, antequam ei nempe amoris ſui ita adjuncta ſunt falſa, & Edom malum illius amoris, cum ei illa adjuncta ſunt; pleraque nomina in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, ut ſæpius oſtenſum, ex cauſa, quia eadem quæ fuerunt bona & vera in Eccleſiis ſucceſſu temporis in mala & falſa per adulterationes varias degenerantur: quod per Eſavum & Edomum illa ſignificentur, conſtare poteſt ex his locis; apud Eſaiam, "Quis hic qui *venit ex Edom*, conſperſus veſtes e *Bozra*, honorabilis in veſtitu ſuo, incedens in multitudine roboris ſui; quare *rubicundus* quoad veſtem ſuam, & veſtes ejus ſicut calcantis in torculari, torcular calcavi ſolus, & de populis nullus vir mecum, circumſpexi ſed nullus auxilians, & obſtupui & nemo fulciens, & ſalvavit me brachium meum," LXIII: 1. 2. 3. 5, ibi quod Edom ſit Dominus, manifeſte conſtat; & quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum Divini Naturalis, patet, nam agitur de conjunctione boni & veri in Humano Domini, & de pugnis tentationum per quas illa conjunxit; veſtes ibi quod ſint vera naturalis hominis, ſeu vera inferiora reſpective, videatur n: 2576, & rubicundus quod ſit bonum naturalis, n: 3300; quod Dominus propria potentia per pugnas tentationum vera ibi conjunxerit bono, deſcribitur per quod torcular calcavit ſolus, & de populis nullus vir mecum, circumſpexi ſed nullus auxilians, obſtupui & nemo fulciens, & ſalvavit Me brachium meum, brachium quod ſit potentia, n: 878. In Libro Judicum, "Jehovah, cum *exiviſti e Seir*, cum *egreſſus es ex agro Edomi*, terra contre-

muit, etiam cœli ftillarunt, etiam nubes ftillarunt, montes defluxerunt," v : 4. 5; egredi ex agro Edomi pæne fimile fignificat ac apud Efaiam, venire ex Edom: pariter apud Mofen, "Jehovah de Sinai venit, & *exortus eft de Seir illis*," Deut: XXXIII: 2. Apud Eundem, "Video Ipfum, & non jam, confpicio Ipfum & non propinquus; orietur ftella e Jacobo, & furget fceptrum ex Ifraele, & *erit Edomus hæreditas*, & erit *hæreditas Seir*, hoftium illius, & Ifrael faciens robur, & dominabitur de Jacobo, & perdet reliquum ex urbe," Num: XXIV: 17. 18. 19, ubi de adventu Domini in mundum, cujus Humana Effentia dicitur ftella e Jacobo, & fceptrum ex Ifraele; Edomus & Seir, quæ hæreditas, pro Divino Bono Divini Naturalis Domini, quod fiet hæreditas hoftium illius pro quod fucceffurum loco illorum quæ prius in Naturali fuerunt; dominium tunc fuper vera ibi intelligitur per quod dominabitur fuper Jacobo, & perdit reliquum ex urbe, quod Jacobus fit Verum Naturalis, n: 3305, & quod urbs fit doctrinale, n: 402. 2268. 2450. 2712. 2943. 3216, fuper hæc dicitur dominari, cum fubordinata & fubjecta funt bono, & prius quam ita, vocantur hoftes, quia continue repugnant, ut fupra n: 3320, oftenfum. Apud Amos, "In die illo erigam tentorium Davidis collapfum, & obfepiam rupturas eorum, & deftructa ejus reftituam, & ædificabo eam juxta dies æternitatis, ut poffideant *reliquias Edomi*, & omnes gentes, fuper quas vocatum eft nomen meum," IX: 11. 12; tentorium Davidis pro Ecclefia & cultu Domini, reliquiæ Edomi pro illis qui in bono funt intra Ecclefiam, gentes fuper quas vocatum eft Nomen Ipfius pro illis qui in bono extra Ecclefiam, quod gentes fint qui in bono, n: 1259. 1260. 1416. 1849. Apud Davidem, "*Super Edomum* mittam calceum meum: quis deducet me ad urbem munitionis, quis ducet me *ufque ad Edomum*, nonne Tu Deus," Pfalm: LX: 10. 11. 12; Edomus pro bono Naturalis, quod fit bonum Naturalis patet ex fignificatione calcei, quod fit infimum naturale, n: 1748. Apud Danielem, "In tempore finis collidetur cum eo rex meridiei, ideo quafi procella irruet in eum rex feptentrionis cum curru, & inundabit, & penetrabit; & cum venerit in terram decoris, multi corruent; hi tamen eripientur e manu ejus, *Edom* & Moab, & primitiæ filiorum Ammonis," XI: 40. 41, agitur ibi de ftatu ultimo Ecclefiæ; rex feptentrionis pro falfis, feu quod idem, pro illis qui in falfis; Edom pro illis qui in fimplici bono, quod eft bonum quale apud eos, qui Externam Ecclefiam Domini conftituunt; pariter Moabus & filii Ammonis, n: 2468, & quia uterque, nempe Edomus & Moabus, fignificant illos qui in bono, ideo multis in locis uterque fimul nominatur, fed differentia eft, quod Edomus fit bonum Naturalis cui adjuncta doctrinalia veri, Moabus autem bonum naturale, quale etiam apud illos, apud quos non conjuncta funt, illi & hi externa forma apparent fimiles, fed non interna. Inde nunc patet, cur dictum, quod *non abominarentur Edomitam*, quia frater, nec Ægyptium quia peregrini in terra ejus fuerunt," Deut: XXIII: 8, quia per Edomitam fignificatur bonum naturalis, & per Ægyptium vera ejus, quæ funt fcientifica, n: 1164. 1165. 1186.

1186. 1462, ideo in bono ſenſu uterque nominatur. Inde etiam patet, cur Jehovah ad Moſen dixerit, quod *non miſcerent manus cum filiis Eſavi*, & non daretur filius Jacobi e terra eorum uſque ad veſtigium volæ pedis," Deut: ii: 4. 5. 6. In oppoſito autem ſenſu per Eſavum & Edomum repræſentantur illi, qui deflectunt e bono, per id quod prorſus contemnant verum, nec volunt ut aliquid veri fidei adjungatur, quod principaliter fit ex cauſa amoris ſui, quare in oppoſito ſenſu per Eſavum & Edomum ſignificantur illi; quod etiam repræſentatum eſt, per quod Rex Edomi cum populo numeroſo ac manu forti exiret, & renueret permittere Iſraeli tranſire per terminum ſuum," Num: xx: 14 ad 22; hoc malum, nempe amoris ſui, quod tale ſit, ut non admittat vera fidei, ita nec doctrinalia veri, variis in locis in Verbo per Eſavum & Edomum, deſcribitur, & ſimul ſtatus Eccleſiæ cum talis ſit; ut apud Jeremiam, " Contra *Edomum*, num nulla amplius ſapientia in Themane, num periit conſilium ab intelligentibus, num putida facta eſt ſapientia eorum; fugite, averterunt ſe, profundarunt ſe ad habitandum, habitatores Dedanis, *quia calamitatem Eſavi* adducam ſuper eum; Ego *denudabo Eſavum*, revelabo occulta ejus, & abſcondi non poſſit, devaſtatum eſt ſemen ejus, & fratres ejus, & vicini ejus; relinque orphanos tuos, Ego vivificabo, & viduas tuas, ſuper Me confidant; erit *Edomus* in vaſtitatem, omnis qui tranſit præter eam, obſtupeſcet & ſibilabit ſuper omnibus plagis ejus," XLIX: 7. 8. 10. 11. 17 ſeq: Apud Davidem, " Dicunt non memoretur nomen Iſraelis amplius, quia conſultant corde una, ſuper te fœdus pangunt *Tentoria Edomi*, & Jiſchmaelitæ, & Moabus, & Hagræi," Pſalm: LXXXIII: 5. 6. 7. Apud Obadiam, " Sic dixit Dominus Jehovih *Edomo*, ecce parvum dedi te in gentibus, contemtus tu valde, *ſuperbia cordis tui* decepit te, habitans in fiſſuris petræ, altitudine ſedis tuæ, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram; *ſi exaltaveris te* ſicut aquila, & ſi inter ſtellas poſueris nidum, inde detraham te: quomodo *perquiſiti Eſau*, inveſtigata abdita eorum, nonne in die illo perdam *ſapientes ex Edomo*, & intelligentes *e monte Eſavi*, a cæde propter violentiam fratris tui Jacobi operiet te pudor, & exſcinderis in æternum, erit domus Jacobi ignis, & domus Joſephi flamma, & *domus Eſavi* in ſtipulam, & accendent eos, & conſument eos, & non erit reſiduum *domui Eſavi*, & hæreditabunt meridionales *montem Eſavi*," I: 2. 6. 8. 9. 10. 18. 19. 21; Edom & Eſau ibi pro malo naturalis hominis ex amore ſui oriundo, quod contemnit & rejicit omne verum, unde ejus devaſtatio. Apud Ezechielem, " Fili hominis, pone facies tuas contra *montem Seir*, & propheta contra illum, & dic illi, ſic dixit Dominus Jehovih, Ego contra te *Mons Seir*, & extendam manum meam contra te, & dabo te vaſtitatem & devaſtationem, quia eſt tibi inimicitia æternitatis, & fluere facis filios Iſraelis ſuper manus gladii, in tempore interitus eorum, in tempore iniquitatis finis, quia dixiſti de duabus gentibus, & de duabus terris, mihi ſunt, & hæreditabimus eam, & Jehovah ibi eſt: & cognoſces quod Ego Jehovah audiverim omnes contumelias tuas, quas dixiſti contra montes Iſraelis, vaſtitas erit *Mons Seir*, & omnis *Edom tota*," XXXV: 2. 3. 4. 8. 9. 10. 12. 15, ibi manifeſte patet, quod Edom

Edom in oppoſito ſenſu ſint illi, qui contemnunt, rejiciunt, & contumeliis afficiunt bona & vera ſpiritualia, quæ ſunt montes Iſraelis. Apud Eundem, "Sic dixit Dominus Jehovih, ſi non in igne zeli mei loquutus ſim ſuper reliquias gentium, & *ſuper Edomum totam*, qui dederunt terram meam ſibi in hæreditatem cum gaudio omnis cordis, cum contemtu animæ," XXXVI: 5, ſimiliter, dare terram ſibi in hæreditatem pro vaſtare Eccleſiam, hoc eſt, bonum & verum quæ ſunt Eccleſiæ. Apud Malachiam, "Verbum Jehovæ contra Iſraelem, amavi vos, dixit Jehovah, & dicitis, in quo amaſti nos, nonne *frater Eſau Jacobo*, & amo Jacobum, & *Eſavum* odio habeo, & pono montem ejus vaſtitatem," I: 1. 2. 3; ibi Eſau pro malo naturalis, quod non admittit verum ſpirituale, quod eſt Iſrael, n: 3305, & doctrinale veri, quod eſt Jacob, n: 3305, & propterea vaſtatur, quod eſt odio habere; quod non aliud ſit odio habere, patet ab illis quæ ſupra de Eſavo & Edomo in bono ſenſu e Verbo allata ſunt: cum autem Verum non ſe adjungi patitur bono, tunc de Jacobo viciſſim dicitur, ut apud Hoſcheam, "Ad viſitandum ſuper Jacobum vias ejus, ſecundum opera ejus retribuet ei, *in utero ſupplantavit fratrem ſuum*," XII: 3. 4.

3323. Verſ: 31. 32. 33. *Et dixit Jacob, vende ſicut hodie primogenituram tuam mihi. Et dixit Eſau, ecce ego vadens ad moriendum, & ad quid hoc mihi, primogenitura. Et dixit Jacob, jura mihi ſicut hodie, & juravit illi, & vendidit primogenituram ſuam Jacobo.* Dixit Jacob, ſignificat doctrinam veri: vende ſicut hodie primogenituram mihi, ſignificat quod quoad tempus prior eſſet doctrina veri apparenter: Et dixit Eſau, ecce ego vadens ad moriendum, ſignificat quod reſurgeret dein: & ad quid hoc mihi, primogenitura, ſignificat quod tunc non opus ſit prioritate: Et dixit Jacob, ſignificat doctrinam veri: jura mihi ſicut hodie, & juravit illi, ſignificat confirmationem: & vendidit primogenituram ſuam Jacobo, ſignificat quod prioritas interea conceſſa.

3324. Dixit Jacob, quod ſignificet doctrinam veri, conſtat ex repræſentatione Jacobi, quod ſit doctrina veri naturalis, de qua n: 3305, ſeu quod idem, illi qui in doctrina veri ſunt. Agitur in his Verſibus uſque ad finem hujus Capitis, de jure prioritatis, num ſit veri, aut num boni, ſeu quod idem, num doctrinæ veri aut num vitæ boni, ſeu quoque quod idem, num fidei quatenus hæc eſt verum doctrinæ, aut num charitatis quatenus hæc eſt bonum vitæ; homo cum ex perceptione naturali concludit, credit quod fides quatenus eſt verum doctrinæ, prior ſit quam charitas quatenus eſt bonum vitæ, quia quomodo intrat verum, quod eſt doctrinæ, percipit, non autem quomodo bonum quod eſt vitæ, illud enim intrat per viam externam nempe ſenſualem, hoc autem per viam internam; tum quod non aliter ſcire poſſit, quam quod verum, quia docet quid bonum, ſit prius bono; etiam quia reformatio hominis ſit per verum & quoque ſecundum verum, uſque adeo ut perficiatur homo quoad bonum quantum veri ei conjungi queat, conſequenter quod perficiatur bonum per verum; & magis, quia in vero poteſt eſſe homo, & ex illo cogitare & loqui, & hoc cum apparente zelo, tametſi non ſimul eſt

eſt in bono; etiam ex vero eſſe in fiducia ſalvationis: hæc & plura alia faciunt, quod homo, cum ex ſenſuali & naturali homine judicat, autumet quod verum quod eſt fidei ſit prius quam bonum quod eſt charitatis; ſed illa omnia ſunt ratiocinia ex fallaciis, quia ita coram ſenſuali & naturali homine apparet; ipſum Bonum quod vitæ eſt prius, bonum quod vitæ eſt ipſa humus cui inſeminanda vera, & qualis humus, talis receptio ſeminum, hoc eſt, verorum fidei; recondi quidem prius poſſunt vera in memoria, ſicut ſemina in theca, aut ſicut apud aviculas in gutturali earum loculo, ſed non fiunt hominis, niſi humus ſit præparata, & qualis humus, hoc eſt, quale bonum, talis germinatio & fructificatio illorum: ſed videantur quæ de his multoties prius oſtenſa ſunt, quæ adducuntur ut ſciatur inde quid bonum & quid verum, & quod prioritas ſit bono & non vero, nempe, Cur non diſtincta idea inter bonum & verum habeatur, n: 2507. Quod bonum influat per viam internam homini ignotam, verum autem comparetur per viam externam homini notam, n: 3030. 3098. Quod vera ſint vaſa recipientia boni, n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2261. 2269. 3068. 3318. Quod Bonum agnoſcat ſuum verum, cui conjungatur, n: 3101. 3102. 3179: & quod exquiſitiſſime exploretur & præcaveatur, ne falſum conjungatur bono, & ne verum malo, n: 3033. 3101. 3102. Quod bonum faciat ſibi verum, cui conjungatur, quia non aliud pro vero agnoſcit, quam quod concordat, n: 3161. Quod verum non aliud ſit quam quod ex bono, n: 2434. Quod verum ſit forma boni, n: 3049. Quod verum habeat in ſe imaginem boni, & in bono ipſam effigiem ſui, ex qua, n: 3180. Quod ſemen quod eſt verum, radicetur in bono quod eſt charitatis, n: 880. Quod fides nuſquam dabilis ſit quam in vita ſua, hoc eſt, in amore & charitate, n: 379. 389. 654. 724. 1608. 2340. 2349. Quod ab amore & charitate ſpectare queant vera quæ ſunt doctrinalium fidei, non viciſſim, n: 2454: ſpectare a fide, & non ab amore & charitate, quod ſit ſpectare poſt ſe, & reverti retro, n: 2454. Quod verum vivificetur ſecundum cujuſvis bonum, ita ſecundum ſtatum innocentiæ & charitatis apud hominem, 1776. 3111. Quod vera fidei ab aliis recipi nequeant quam qui in bono ſunt, n: 2340. 2349. Qui in nulla charitate ſunt, quod non agnoſcere poſſint Dominum, ita nihil veri fidei; ſi profitentur, quod ſit externum quid abſque interno, aut ex hypocriſi, n: 2354. Quod nulla prorſus fides, ubi non charitas, n: 654. 1162. 1176. 2419. Quod ſapientia, intelligentia & ſcientia, ſint filii charitatis, n: 1226. Quod Angeli, quia in amore, ſint in intelligentia & ſapientia, n: 2500. 2572. Quod vita Angelica conſiſtat in bonis charitatis, & quod Angeli ſint formæ charitatis, n: 454. 553. Quod amor in Dominum ſit ſimilitudo Ipſius, & charitas erga proximum imago Ipſius, n: 1013. Quod Angeli percipiant quicquid eſt fidei per amorem in Dominum, n: 202. Quod nihil vivat, quam amor & affectio, n: 1589. Qui amorem mutuum ſeu charitatem habent, quod Domini vitam habeant, n: 1799. 1803. Quod amor in Dominum & erga proximum ſit ipſum cœlum, n: 1802. 1824. 2057. 2130. 2131. quod præſentia Domini ſit ſecundum ſtatum amoris & charitatis, n: 904. Quod omnia

præcepta

præcepta decalogi, & omnia fidei ſint in charitate, n: 1121. 1798. Quod cognitio doctrinalium fidei nihil faciat, ſi homo non habeat charitatem, nam doctrinalia charitatem ſpectant ut finem, n: 2049. 2116. Quod non agnitio veri, ita nec fides dari queat, niſi homo ſit in bono, n: 2261. Quod ſanctum cultus ſe habeat ſecundum qualitatem & quantitatem veri fidei implantati in charitate, n: 2190. Quod nulla ſalvatio per fidem, ſed per vitam fidei, quæ charitas, n: 2228. 2261. Quod Regnum cœleſte illis qui fidem charitatis habent, n: 1608. Quod in cœlo ſpectentur omnes a charitate & fide inde, n: 1258. Quod in cœlum non admittantur, niſi per velle bonum ex corde, n: 2401. Quod ſalventur qui in fide, modo in fide ſit bonum, 2261. 2442. Quod fides, quæ non implantata eſt bono vitæ, in altera vita prorſus pereat, n: 2228. Si fides cogitativa ſalvaret, quod omnes introducerentur in cœlum, ſed quia vita obſtat, non poſſunt, n: 2364. Qui pro principio habent ſolam fidem ſalvare, quod illi vera contaminent falſo principii, n: 2383. 2385. Quod fructus fidei ſit bonum opus, hoc charitas, hæc amor in Dominum, hic Dominus, n: 1873. Quod fructus fidei ſint fructus boni, quod eſt amoris & charitatis, n: 3146. Quod fiducia ſeu confidentia, quæ dicitur fides quæ ſalvat, non dari queat niſi apud illos qui in bono vitæ ſunt, n: 2982. Quod bonum ſit vita veri, n: 1589. Quando vera dicuntur vitam adepta, n: 1928. Quod Bonum a Domino influat in vera cujuſcunque generis, ſed maxime intereſt, ut ſint vera genuina, n: 2531. Quod tantum influat bonum & verum a Domino, quantum removetur malum & falſum, n: 2411. 3142. 3147. Quod bonum influere in verum nequeat, quamdiu homo eſt in malo, n: 2388. Quod verum non prius ſit verum, quam cum ſit acceptum a bono, n: 2429. Quod ſit conjugium boni & veri in omnibus & ſingulis, n: 2173. 2503. 2507. Quod affectio boni ſit vitæ, & affectio veri propter vitam, n: 2455 f. Verum quod tendat ad bonum, & procedat a bono, n: 2063. Quod per influxum vera e naturali homine evocentur, eleventur, & implantentur bono in rationali, n: 3085. 3086. Verum cum conjungitur homini quod adproprietur homini, n: 3108. Ut verum conjungatur bono, erit conſenſus ab intellectu & voluntate, cum a voluntate, tunc conjunctio, n: 3157. 3158. Quod Rationale quoad Verum comparetur per cognitiones, & quod vera adproprientur, cum conjunguntur bono, & quod tunc ſint voluntatis, & propter vitam, n: 3161. Quod Verum initietur & conjungatur bono, non ſemel ſed per totam vitam, & porro, n: 3200. Quod ſicut lux abſque calore nihil producit, ita verum fidei nihil abſque bono amoris, n: 3146. Qualis idea veri abſque bono, & qualis ejus lux in altera vita, n: 2428. Quod fides ſeparata ſit ſicut lux hyemis, & fides ex charitate ſicut lux veris, n: 223. Qui verum quod fidem actu ſeparant a charitate, quod conſcientiam habere nequeant, n: 1076. 1077. Cauſa cur fidem ſepararunt a charitate, & dixerunt fidem ſalvare, n: 2231. Cum regeneratur homo quod Dominus inſinuet bonum veris quæ apud illum, n: 2083. 2189. Quod homo non regeneretur per verum, ſed per bonum, n: 989. 2146. 2180. 2189. 2697. Cum regeneratur homo, quod Dominus obviam eat, & impleat

impleat vera, quæ apud eum, bono charitatis, n: 2063. Qui in bono vitæ sunt, & non in vero fidei, ut gentes & infantes, quod recipiant vera fidei in altera vita & regenerentur, n: 989; de gentibus n: 932. 1032. 2049. 2284. 2589 ad 2604; de infantibus, n: 2290. 2291. 2292. 2293. 2302. 2303. 2304. Quod regeneretur homo per affectionem veri, & quod regeneratus agat ex affectione boni, n: 1904. Quod apud regenerandum semen non radicari queat quam in bono, n: 880. 989. Quod lumen regenerati sit ex charitate, n: 854. Quod eadem vera apud unum sint vera, apud alium minus vera, & apud alios quoque falsa, & quod hoc se habeat secundum bonum quod vitæ, n: 2439. Quæ differentia inter bonum infantiæ, bonum ignorantiæ, & bonum intelligentiæ, n: 2280. Quinam in cognitiones veri & fidem venire possunt, & quinam non possunt, n: 2689. Quod Ecclesia non sit, nisi bono vitæ implantata sint doctrinalium vera, n: 3310. Quod doctrinale non faciat Ecclesiam, sed charitas, n: 809. 916. 1798. 1799. 1834. 1844. Quod doctrinalia Ecclesiæ nihil sint, nisi vivant secundum illa, n: 1515. Quod doctrina fidei sit doctrina charitatis, n: 2571. Quod Ecclesia sit ex charitate, non ex fide separata, n: 916. Quod quisque ex charitate nosse possit, num internum cultus habeat, n: 1102. 1151. 1153. Quod Ecclesia Domini in terrarum orbe ubivis varia sit quoad vera, sed quod una sit per charitatem, n: 3267. Quod Ecclesia foret una, si charitas omnibus, tametsi quoad ritualia & doctrinalia differrent, n: 809. 1285. 1316. 1798. 1799. 1834. 1844. Quod ex pluribus una Ecclesia fieret, si omnibus charitas essentiale Ecclesiæ foret, non fides, n: 2982. Quod bina doctrinalia sint, doctrinale charitatis, & doctrinale fidei, & quod in Antiqua Ecclesia fuerint doctrinalia charitatis, quæ hodie inter res perditas sunt, n: 2417. In qua ignorantia veri sunt, qui non in doctrinalibus charitatis sunt, n: 2435. Et quia hodie essentiale Ecclesiæ ponunt in fide, quod ne quidem videant, nec attendant ad illa, quæ Dominus toties loquutus est de amore & charitate, n: 1017. 2373. Quod bonum quod amoris in Dominum & charitatis erga proximum, sit superius & prius vero quod fidei, non vicissim, n: 363. 364.

3325. Quod *vende sicut hodie primogenituram tuam mihi*, significet quod quoad tempus prior esset doctrina veri apparenter, constat ex significatione *vendere*, quod sit sibi vindicare; ex significatione *sicut hodie*, quod sit quoad tempus, *hodie* in Verbi sensu interno significat perpetuum & æternum, n: 2838, ne itaque id sit, dicitur sicut hodie, & ita quoque per *sicut* fit quod sit apparenter; & ex significatione *primogenituræ*, quod sit prior esse, nempe doctrina veri, quæ per Jacobum repræsentatur, n: 3305. Per prius seu prioritatem, quæ est primogenitura, intelligitur non modo prioritas temporis, sed etiam prioritas gradus, quid nempe dominaturum sit, bonum seu verum; verum enim antequam conjunctum est bono, semper tale est, seu quod idem, illi qui in vero sunt, quod antequam regenerati sunt, credant verum & prius & superius bono esse, ita quoque tunc apparet, sed cum verum conjunctum est bono apud illos, hoc est, cum regenerati sunt, tunc vident & percipiunt, quod verum sit posterius & inferius, & tunc apud eos dominium est boni

 super

super verum, quod significatur per illa quæ Jischakus pater dixit ad Esavum, "Ecce de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore cæli desuper; & super gladio tuo vives, & fratri tuo servies; & erit, *cum dominaris, disrumpes jugum illius desuper collo tuo*," Gen: XXVII: 39. 40. Sed quia plures sunt intra Ecclesiam, qui non regenerantur, quam qui regenerantur; & qui non regenerantur, ex apparentia concludunt; ideo lis fuerat, & hoc ab antiquis temporibus, de prioritate num sit veri vel num boni; apud illos qui non regenerati sunt, & quoque apud illos qui non plene regenerati sunt, prævaluit opinio, quod verum prius sit, nondum enim perceptionem boni habuerunt, & quamdiu non alicui perceptio boni est, est in umbra seu in ignorantia de his: at qui regenerati sunt, quia in ipso bono sunt, ex intelligentia & sapientia quæ inde, appercipere possunt, quid bonum, & quod bonum sit a Domino, quodque influat per Internum hominem in Externum, & hoc continue, homine prorsus nesciente, & quod se adjungat veris doctrinalium quæ in memoria, consequenter quod bonum in se prius sit, tametsi non ita antea apparuerit: inde nunc lis de prioritate & superioritate unius præ altero, quæ repræsentata est per Esavum & Jacobum, tum quoque per Perez & Serach filios Judæ ex Thamare, Gen: XXXVIII: 28. 29. 30; postea etiam per Ephraim & Menasse filios Josephi, Gen: XLVIII: 13. 14. 17. 18. 19. 20, & hoc quia Ecclesia spiritualis talis est, ut per verum introducenda sit in bonum, & tunc absque perceptione boni, nisi quantum & quale in affectione veri latet, quo tempore nec discerni potest a jucundo amoris sui & mundi, quod simul in affectione illa est, & creditur esse bonum. Quod autem bonum sit primogenitum, hoc est, bonum amoris in Dominum, & amoris erga proximum, non enim aliud bonum quam quod inde est bonum, constare potest ex eo, quod in bono sit vita, non autem in vero nisi quæ a bono, & quod bonum influat in vera & faciat ut illa vivant, ut satis videri potest ab illis quæ prius de bono & vero dicta & ostensa sunt, de quibus n: 3524; quapropter omnes vocantur Primogeniti qui in amore in Dominum & in charitate erga proximum sunt, qui quoque repræsentati sunt per Primogenita in Ecclesia Judaica, hoc est, in sensu respectivo intellecti, quia Dominus est Primogenitus, & illi similitudines & imagines Ipsius: quod Dominus quoad Divinum Humanum sit Primogenitus, constat apud Davidem, "Ille vocabit Me, Pater meus Tu, Deus meus, & petra salutis meæ, etiam Ego *Primogenitum dabo illum*, altum Regibus terræ; in æternum servabo Illi misericordiam meam, & fœdus meum stabile Ille, & ponam in æternum semen Ipsius, & thronum Illius sicut dies sæculorum," Psalm: LXXXIX: 27. 28. 29, ubi de Domino: & apud Johannem, "A Jesu Christo, Qui est testis fidelis, *Primogenitus ex Mortalibus*, & princeps Regum terræ," Apoc: I: 5; ut quoque implerentur illa, quæ de Ipso scripta & repræsentata fuerunt, etiam *Primogenitus* natus est, Luc: ii: 7. 22. 23. Quod a Domino etiam illi dicantur Primogeniti, qui in amore in Ipsum & in charitate erga proximum sunt, quia similitudines & imagines Ipsius, constat apud Johannem, "Centum quadraginta quatuor millia, emti de terra; hi sunt qui cum mulieribus

non

non polluti ſunt, virgines enim ſunt; hi ſunt qui ſequuntur Agnum quo vadit; hi emti ſunt de hominibus, *Primitiæ (Primogeniti,)* Deo & Agno; & in ore eorum non inventus eſt dolus, immaculati enim ſunt coram throno Dei," Apoc: XIV: 4. 5; centum quadraginta quatuor, ſeu duodecies duodecim, pro illis qui in fide charitatis ſunt, n: 3272, millia pro innumerabilibus ſeu pro omnibus illis, n: 2575; Virgines pro bono amoris in Dominum & charitatis erga proximum, n: 2362. 3081, ita qui in innocentia, quæ etiam ſignificatur per ſequi agnum, nam Dominus ex innocentia vocatur Agnus; inde dicuntur Primitiæ aut Primogeniti: ex illis patet, quod Dominus quoad Divinum Humanum repræſentatus ſit in Eccleſia Judaica per Primogenita, & quoque illi qui in amore in Ipſum, nam illi ſunt in Domino; ſed Primogenita in Verbo duplicem repræſentationem habent, repræſentant Dominum quoad Divinum cœleſtem amorem, & quoad Divinum Spiritualem amorem; Divinus cœleſtis amor Domini eſt reſpectivus ad Eccleſiam cœleſtem, ſeu illos qui ab Eccleſia illa ſunt, qui cœleſtes vocantur ex amore in Dominum; Divinus Spiritualis amor Domini eſt reſpectivus ad amorem ſpiritualem, ſeu illos qui ab Eccleſia illa ſunt, qui Spirituales dicuntur ex amore in proximum; Divinus Domini amor eſt erga omnes, ſed quia varie ab hominibus recipitur, aliter ab homine cœleſti, & aliter ab homine ſpirituali, reſpectivus dicitur: de Primogenitis, quæ Dominum quoad Divinum cœleſtem, amorem repræſentarunt, & quoque illos reſpective, qui ab Eccleſia cœleſti fuerunt, ita apud Moſen, "*Primogenitum filiorum tuorum dabis Mihi*, ita facies bovi tuo, & gregi tuo; ſeptem diebus erit cum matre ſua, octavo dabis illud Mihi; & viri ſanctitatis eritis Mihi," Exod: XXII: 28. 29. 30; quod ſeptem diebus eſſet cum matre, erat quia ſeptimus dies ſignificabat hominem cœleſtem, n: 84. 85. 86. 87, & quod Septem inde ſignificent ſanctum, n: 395. 433. 716. 881; quod octavo die darentur Jehovæ, erat quia octavus dies ſignificabat continuum a principio novo, nempe continuum amoris, n: 2044. Apud Eundem, "*Primogenitum*, quod *in Primogenitum datur Jehovæ* in beſtia, non ſanctificabit vir illud, ſive bos, ſive pecus, Jehovæ eſt," Levit: XXVII: 26. 27. Apud Eundem, "*Primitiæ* omnium quæ in terra, quas adducent Jehovæ, tibi (Aharoni) erit: *omnis apertura uteri* quoad omnem carnem, quam offerent Jehovæ, in homine & in beſtia, erit tibi; verumtamen *redimes Primogenitum hominis*; & *Primogenitum* beſtiæ immundæ redimes: *Primogenitum bovis*, vel *Primogenitum ovis*, aut *Primogenitum capræ*, non redimes, ſanctum illa, ſanguinem eorum ſparges ſuper altare, & adipem eorum adolebis, ignitum in odorem quietis Jehovæ," Num: XVIII: 13. 15. 16. 17. 18. Apud Eundem, "*Omne Primogenitum*, quod naſcetur in armento tuo, & in grege tuo, maſculum, *ſanctificabis Jehovæ Deo tuo*, non facies opus per *Primogenitum bovis tui*; & non tondebis *Primogenitum gregis tui*; ſi fuerit in eo macula, claudum vel cœcum, quæcunque macula mala, non ſacrificabis illud Jehovæ Deo tuo," Deut: XV: 19. 20. 21. 22. Quia Primogenitum repræſentabat Dominum, ac illos qui Domini ſunt ex

amore in Ipſum, idcirca Tribus Levi accepta eſt loco omnis Primogeniti, & hoc ex cauſa, quia Levi repræſentabat Dominum quoad amorem, etiam Levi ſignificat amorem, Levi enim eſt adhæſio & conjunctio, & adhæſio ac conjunctio in ſenſu interno eſt amor, de qua re, ex Divina Domini Miſericordia, ad Cap: ſeq: XXIX: 34: de Levitis ita apud Moſen, "Loquutus Jehovah ad Moſen, dicendo, Ego ecce *accipiam Levitas* e medio filiorum Iſraelis *loco omnis Primogeniti, aperturæ uteri*, de filiis Iſraelis, & *erunt Mihi Levitæ*; quia *Mihi omne Primogenitum*, in die percuſſi omne *Primogenitum* in terra Ægypti, *ſanctificavi Mihi omne Primogenitum in Iſraele*, ab homine uſque ad beſtiam, Mihi erunt," Num: III: 11. 12. 13: apud Eundem, "Dixit Jehovah ad Moſen, numera *omnem Primogenitum maſculum* filiis Iſraelis, a filio menſis & ſupra, & tolle numerum nominum eorum, & *accipias Levitas Mihi*, Ego Jehovah, *loco omnis Primogeniti in filiis Iſraelis*, & beſtiam Levitarum *loco omnis Primogeniti* in beſtia filiorum Iſraelis," Num: III: 40. 41. ſeq: tum Cap: VIII: 14. 16. 17. 18; & quod Levitæ dati Aharoni, ib: Verſ: 19, quia Aharon repræſentabat Dominum quoad ſacerdotium, hoc eſt, quoad Divinum Amorem; quod Sacerdotium repræſentaverit Domini Divinum Amorem, videatur n: 1728. 2015 f. De Primogenitis autem, quæ Dominum quoad Divinum Spiritualem Amorem repræſentabant, & quoque illos reſpective qui ab Eccleſia ſpirituali, ita apud Jeremiam, "In fletu venient, & in precibus adducam eos, ducam eos ad fontes aquarum, in via recti, non impingent in illa, & ero Iſraeli in Patrem, *& Ephraim Primogenitus meus ille*," XXXI: 9; ibi de Nova Eccleſia ſpirituali, Iſrael pro bono ſpirituali, Ephraim pro vero ſpirituali, qui Primogenitus dicitur, quia agitur de Eccleſia plantanda, in qua intellectuale quod eſt veri, primogenitum eſt apparenter; ſucceſſit enim Ephraim loco Rubenis, & Primogenitus factus, Geneſ: XLVIII: 5. 20. 1 Chron: V: 1, & hoc, quia per Joſephum, cujus filii erant Ephraim & Menaſſe, repræſentabatur Dominus quoad Divinum Spiritualem Amorem: at quod Iſrael eſſentialiter ſit Primogenitus, hoc eſt, bonum ſpirituale, conſtat apud Moſen, "Jehovah dixit ad Moſen, dices ad Pharaonem, ſic dixit Jehovah, *filius Primogenitus meus Iſrael*, & dico ad te, mitte filium meum, ut ſerviat Mihi, & renuiſti mittere illum, ecce Ego occido filium tuum *primogenitum*," Exod: IV: 22. 23; ubi Iſrael in ſupremo ſenſu eſt Dominus quoad Divinum Spiritualem amorem, in ſenſu autem reſpectivo illi qui in ſpirituali amore ſunt, hoc eſt, qui in charitate erga proximum. In Eccleſia Spirituali, in initio, ſeu cum plantanda, eſt doctrina veri apud Externam Eccleſiam Primogenitum, & doctrinæ verum apud Internam, ſeu quod idem, doctrina fidei apud Externam, & ipſa fides apud Internam; at cum Eccleſia plantata eſt, ſeu apud quos actualiter eſt, eſt bonum charitatis apud Externam Primogenitum, & ipſa charitas apud Internam; cum autem Eccleſia ſe non plantari patitur, quod fit cum homo Eccleſiæ non amplius regenerari poteſt, recedit illa ſucceſſive a charitate & deflectit ad fidem, ac non amplius ſtudet vitæ, ſed doctrinæ, & cum hoc fit, in umbras ſe conjicit, & labitur in falſa &

& mala, & ſic nulla fit, & a ſe exſtinguitur; hoc repræſentatum eſt per Cainum quod occiderit fratrem ſuum Habelem, quod Cainus ſit fides ſeparata a charitate, & Habel charitas quam ille exſtinxit, videatur n: 340. 342. 357. 362 ſeq: dein per Chamum & filium ejus Canaan, quod illuſerit patri ſuo Noacho, n: 1062. 1063. 1076. 1140. 1141. 1162. 1179; poſtea per Rubenem primogenitum Jacobi, quod polluerit cubile patris ſui, Gen: XXXV: 22; & tandem per Pharaonem & Ægyptios, quod male tractaverint filios Iſraelis; quod omnes illi maledicti ſint, e Verbo conſtat; quod Cainus, "Jehovah dixit, quid feciſti, vox ſanguinum fratris tui clamantium ad Me ex humo; & nunc maledictus tu de humo, quæ aperuit os ſuum, accipiens ſanguines fratris tui e manu tua," Gen: IV: 10. 11: quod Chamus & Canaan, "Vidit Cham pater Canaanis nuditatem patris ſui, & indicavit duobus fratribus ſuis, & expergefactus Noachus e vino ſuo, dixit, maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis," Gen: IX: 22. 24: & quod Ruben, "Ruben primogenitus meus, tu robur meum, & principium potentiæ meæ, excellens honore, & excellens virtute; levis ſicut aqua, ne excellens ſis, quia aſcendiſti cubilia patris tui, tunc polluiſti ſtratum meum aſcendit," Gen: XLIX: 3. 4; ideo primogenitura privatus eſt, 1 Chron: V: 1: quod ſimile repræſentatum ſit per Pharaonem & Ægyptios, & quod ideo primogeniti & primogenita illorum occiſa ſint, conſtat ex repræſentatione illorum, quod ſint ſcientifica, n: 1164. 1165. 1186, per quæ cum homo intrat in arcana fidei, nec amplius quicquam credit, quam quod ſenſualiter & ſcientifice capere poteſt, tunc illa quæ ſunt doctrinæ fidei, & maxime quæ ſunt charitatis, pervertit & exſtinguit; hæc ſunt quæ in ſenſu interno repræſentantur per quod primogeniti & primogenita Ægypti occiſa ſint, de quibus ita apud Moſen, "Tranſibo per terram Ægypti nocte hac, & percutiam *omne Primogenitum in terra Ægypti*, ab homine uſque ad beſtiam, & in omnibus diis Ægypti faciam judicia, Ego Jehovah, & erit ſanguis in ſignum ſuper domibus veſtris, ubi vos, & cum videro ſanguinem, tranſibo præter vos, & non erit in vos plaga perditori, in percutiendo terram Ægypti," Exod: XII: 12; primogenitum Ægypti, eſt doctrinale fidei & charitatis, quod per ſcientifica, ut dictum, pervertitur; dii Ægypti, in quibus fierent judicia, ſunt falſa; quod non plaga a perditore ubi ſanguis erat ſuper domibus, eſt in ſupremo ſenſu, ubi Dominus quoad Divinum ſpiritualem amorem, in ſenſu reſpectivo ubi ſpiritualis amor, hoc eſt, charitas erga proximum, n: 1001: porro de Pharaone & Ægyptiis ita apud Eundem, "Dixit Moſes, ſic dixit Jehovah, ſicut medium noctis, Ego exibo in medium Ægypti, & *morietur omne Primogenitum in terra Ægypti*, a *Primogenito Pharaonis* ſeſſuro ſuper throno ejus, uſque ad *Primogenitum ancillæ*, quæ poſt molas, & omne *Primogenitum beſtiæ*: & omnibus filiis Iſraelis non movebit canis linguam ſuam a viro uſque ad beſtiam," Exod: XI: 4. 5. 6. 7. & adhuc, "Factum in media nocte, & Jehovah percuſſit *omne Primogenitum* in terra Ægypti, a *Primogenito Pharaonis* ſeſſuro ſuper throno ejus, uſque ad *Primogenitum captivi* qui in domo foveæ, & *omne Primogenitum beſtiæ*," Exod: XII: 29; quod hoc factum media nocte erat

erat quia nox significat statum ultimum Ecclesiæ, cum amplius nulla fides quia nulla charitas, n: 221. 709. 1712. 2353. Apud Davidem, "*Percussit omne Primogenitum in Ægypto*, principium potentiarum in tentoriis Chami," Psalm: LXXVIII: 51: apud Eundem, "Tunc venit Israel Ægyptum, & Jacobus peregrinus factus in terra Chami, Deus *percussit omne Primogenitum in terra eorum*, principium omnibus potentiis illorum," Psalm: CV: 23. 36; tentoria Chami vocantur cultus Ægyptiorum ex principiis falsi, oriundis ex vero separato a bono, seu quod idem, ex fide separata a charitate; quod tentoria sint cultus, videatur n: 414. 1102. 1566. 2145. 2152. 3312; & quod Cham sit fides separata a charitate, n: 1062. 1063. 1076. 1140. 1141. 1162. 1179; inde confirmatur etiam, quod primogenita Ægypti, quod occisa, nihil aliud significaverint: & quia omne Primogenitum occisum, ut usque Primogenitum repræsentaret Dominum quoad Divinum Spiritualem amorem, & simul illos qui in eo amore sunt, mandatum, illico cum exirent, ut sanctificaretur omne Primogenitum, de quibus ita apud Mosen, "Loquutus Jehovah ad Mosen, dicendo, *sanctifica Mihi omne Primogenitum, aperturam omnis uteri*, in filiis Israelis; in homine & in bestia, Mea sunto: transire facies *omnem aperturam uteri Jehovæ*, & omnem *aperturam fœtus bestiæ*, qui sunt tibi, masculi, Jehovæ. Et omnem aperturam asini redimes in pecude, si non redemeris, decollabis eum: & omnem *Primogenitum* in filiis tuis redimes. Et erit, quod interrogaverit te filius tuus cras, dicendo, quid hoc, & dices ad eum, in forti manu eduxit nos Jehovah ex Ægypto, e domo servorum, & fuit quod obfirmavit Pharao ad mittendum nos, & occidit Jehovah *omnem Primogenitum in terra Ægypti*, a *Primogenito* hominis ad usque *Primogenitum* bestiæ; propterea ego sacrifico Jehovæ *omnem aperturam uteri*, masculos, & *omnem Primogenitum* filiorum meorum redimo," Exod: XIII: 2. 12. 13. 14. 15. Cap: XXXIV: 19. 20. Num: XXIII: 3. 4. Ex his nunc constare potest, quid per Primogenituram in sensu spirituali significatur.

3326. Quod dixit Esau, ecce ego vadens ad moriendum, significet quod resurgeret dein, constat a repræsentatione Esavi, quod sit bonum naturalis, de qua n: 3302. 3322; & a significatione mori, quod sit ultimum status, cum aliquid desinit esse, de qua n: 2908. 2912. 2917. 2923, & quia finis prioris status est principium sequentis, hic per vadere ad moriendum, significatur resurgere dein, simile quod per sepeliri, quod sepeliri sit resurgere, videatur n: 2916. 2917. 3256. Quod resurgeret dein, est quod bonum prioritatem seu dominium obtinebit super vero, postquam verum quoad tempus prioritatem habuerit apparenter, de qua re supra.

3327. Et ad quid hoc mihi, primogenitura, quod significet quod tunc non opus sit prioritate, constare potest absque explicatione.

3328. Et dixit Jacob, quod significet doctrinam veri, constat a repræsentatione Jacobi, quod sit doctrina veri, ut supra, n: 3324.

3329. Jura mihi sicut hodie, & juravit illi, quod significet confirmationem, constat a significatione jurare, quod sit confirmare, de qua n: 2842; & quia

uia confirmatio erat quoad tempus, non dicitur hodie, ſed ſicut hodie, videatur n: 3325 pr.

3330. Et vendidit primogenituram ſuam Jacobo, quod ſignificet quod prioritas interea conceſſa, nempe doctrinæ veri quæ eſt Jacobus, conſtat a ſignificatione Primogenituræ, quod ſit prioritas, de qua ſupra n: 3325, quæ quod interea conceſſa ſit, patet ab illis quæ ſupra n: 3324. 3325, dicta & oſtenſa ſunt. Quod apud Spiritualem hominem principio dominetur Verum, eſt principaliter cauſa, quia in primo ejus ſtatu, ſunt jucunda amoris ſui & mundi, quæ credit bona, quæ ſe applicant veris ejus, & faciunt quoad plurimam partem affectionem veri apud eum; cogitat enim tunc, quod vera illi inſervire poſſint vel ad honores, vel ad lucrum, vel ad famam in mundo, vel quoque ad meritum in altera vita; hæc omnia excitant affectionem illam veri apud eum, & quoque accendunt, quæ tamen ſunt non bona, ſed mala; at uſque permittit Dominus, ut talia primo illo tempore ferant illum, quia alioquin non regenerari poterit, intelligentia & ſapientia venit tempore; interea per illa introducitur in bonum, hoc eſt, in charitatem, in qua cum eſt, tunc primum percipit quid bonum, & ex bono agit, & tunc de veris judicat & concludit ex illo bono, & quæ non cum illo bono concordant, vocat falſa & rejicit; dominans ita ſuper vera, ut herus ſuper ſuos famulos.

3331. Verſ: 34. *Et Jacob dedit Eſavo panem & pultem lentium, & edit, & bibit, & ſurrexit, & ivit; & contemſit Eſau primogenituram.* Jacob dedit Eſavo panem & pultem lentium, ſignificat bonum vitæ donatum bono veri & bono doctrinalium: & edit & bibit, ſignificat appropriationem: & ſurrexit, ſignificat elevationem inde: & ivit, ſignificat vitam: & contemſit Eſau primogenituram, ſignificat quod bonum vitæ nihili fecerit interea prioritatem.

3332. Jacob dedit Eſavo panem & pultem lentium, quod ſignificet bonum vitæ donatum bono veri & bono doctrinalium, conſtat a repræſentatione Eſavi, quod ſit bonum vitæ, de qua n: 3300. 3322; ex ſignificatione panis, quod ſit bonum amoris in genere, tam cœleſte quam ſpirituale, de qua n: 276. 680. 2165. 2177, ita quoque bonum veri, nam hoc eſt bonum ſpirituale; & ex ſignificatione pultis lentium, quod ſit bonum doctrinalium, puls enim ſeu pulmentum ſignificat congeriem doctrinalium, n: 3316, lentes autem bonum eorum; quod Jacob illa dederit Eſavo, in ſenſu interno ſignificat, quod illa bona ſint per doctrinam veri, quæ per Jacobum repræſentatur, n: 3305. In ultimo hoc Verſu, per hæc verba, & per illa quæ ſequuntur, deſcribitur progreſſus quoad verum & bonum, quomodo ſe habet apud hominem ſpiritualem cum regeneratur, nempe quod primum addiſcat doctrinalia veri; dein quod illis afficiatur, quod eſt bonum doctrinalium; poſtea quod per intuitionem in doctrinalia afficiatur veris quæ in illis, quod eſt bonum veri; tandem quod velit vivere ſecundum illa, quod eſt bonum vitæ; ita homo ſpiritualis, cum regeneratur, procedit a doctrina veri ad bonum vitæ: cum autem in bono vitæ eſt, tunc invertitur ordo, & ex illo bono ſpectat bonum veri, ab hoc bonum doctrinalium, & ab hoc doctrinalia veri; ex illis ſciri poteſt, quomodo homo a ſenſuali homine fit ſpiritualis, &

qualis

qualis homo eſt, cum ſpiritualis factus. Quod Bona illa, nempe bonum vitæ, bonum veri, & bonum doctrinalium, inter ſe diſtincta ſint, conſtare poteſt illis qui expendunt; bonum vitæ eſt quod profluit ex voluntate, bonum veri quod ex intellectu, bonum autem doctrinalium quod ex ſcientia; doctrinale eſt, in quo illa ſunt. Quod Lentes ſignificent bonum doctrinalium, conſtat ex eo, quod tritica, hordea, fabæ, lentes, milium, zeæ, ſint talia, quæ ſignificent panem, ſed cum differentia in ſpecie; quod panis in genere ſit bonum, ex illis quæ n: 276. 680. 2165. 2177, dicta & oſtenſa ſunt, patet, ita ſpecies boni ſignificantur per illa quæ nominata ſunt, ſpecies boni nobiliores per tritica & hordea, at minus nobiles per fabas & lentes, ut quoque pateſcit ab his apud Ezechielem, "Tu ſume tibi tritica & hordea, & fabam & *Lentes*, & milium & zeas, & des illa in vas unum, & facias illa tibi ad panem," IV: 9. 12. 13.

3333. Et edit & bibit, quod ſignificet appropriationem, conſtat a ſignificatione edere, quod ſit appropriatio boni, de qua n: 2187. 2343. 3168; & ex ſignificatione bibere, quod ſit appropriatio veri, de qua n: 3069. 3089. 3168.

3334. Et ſurrexit, quod ſignificet elevationem inde, conſtat a ſignificatione ſurgere, quod, ubi nominatur, involvat elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927; & quod elevari dicatur homo, cum perficitur quoad ſpiritualia & cœleſtia, hoc eſt, quoad verum quod eſt fidei, & quoad bonum, quod eſt amoris & charitatis, n: 3171.

3335. Et ivit, quod ſignificet vitam, conſtat a ſignificatione ire, quod ſit progredi in illa quæ boni ſunt, hoc eſt, in illa quæ ſunt vitæ, nam omne bonum eſt vitæ; ſimile pæne ac per proficiſci, peregrinari, & progredi, de quibus n: 1293. 1457.

3336. Et contemſit Eſau primogenituram, quod ſignificet quod bonum vitæ nihili fecerit interea prioritatem, conſtat a ſignificatione contemnere, quod ſit nihili facere; a repræſentatione Eſavi, quod ſit bonum vitæ, de qua n: 3300. 3322; & a ſignificatione primogenituræ, quod ſit prioritas, de qua n: 3325; quod ſit interea ſeu quoad tempus, videatur n: 3324. 3325. 3330; inde patet, quod per contemſit Eſau primogenituram, ſignificetur quod bonum vitæ nihili fecerit prioritatem interea. Ut hæc, quæ in hoc Capite de Eſavo & Jacobo dicta ſunt, capiantur, quid in ſenſu interno ſignificant, removenda eſt prorſus cogitatio ab hiſtoricis, ita a perſonis Eſavi & Jacobi, & loco illorum ſubſtituenda illa quæ repræſentant, nempe bonum naturalis & verum ejus, ſeu quod idem, homo ſpiritualis qui per verum & bonum regeneratur; nomina enim in ſenſu interno Verbi nihil aliud ſignificant quam res; cum bonum naturalis & verum ejus, loco Eſavi & Jacobi, capiuntur, tunc patet quomodo ſe habet cum regeneratione hominis per verum & bonum, quod nempe principio verum apud illum prioritatem & quoque ſuperioritatem habeat apparenter, tametſi bonum in ſe prius & ſuperius eſt. Ut evidentius pateat, quomodo cum prioritate & ſuperioritate illa ſe habet, paucis adhuc dicendum; notum eſſe poteſt, quod nihil uſquam intrare poſſit in me-

moriam

moriam hominis, & ibi remanere, nisi sit affectio quædam seu amor, qui inducit; si nulla affectio, seu quod idem, si nullus amor, non foret aliqua apperceptio; affectio illa seu amor ille est, cum quo res, quæ intrat, se copulat, & copulata remanet; ut constare potest ex eo, quod quando similis affectio seu amor redit, res illa recurrat, & sistatur præsens cum pluribus, quæ ex simili affectione seu amore prius intrarunt, & hoc in serie; inde cogitatio & ex cogitatione loquela hominis; similiter etiam cum res redit, si hoc fiat ex objectis sensuum, vel ex objectis cogitationis, vel ex loquela alius, etiam affectio, cum qua res intraverat, reproducitur; hoc experientia docet, & quilibet in hoc confirmari potest, si reflectit: Doctrinalia veri intrant quoque similiter in memoriam, & quæ primis temporibus inferunt illa, sunt affectiones variorum amorum, ut supra n: 3330 dictum; affectio genuina, quæ est boni charitatis, non tunc appercipitur, sed usque adest, & quantum illa potest adesse, adjungitur doctrinalibus veri a Domino, & tantum quoque remanent adjuncta: cum itaque tempus venit, ut regenerari possit homo, tunc Dominus inspirat affectionem boni, & per illam excitat res, quæ affectioni illi ab Ipso adjunctæ sunt, quæ res vocantur in Verbo reliquiæ, & tunc per illam, nempe affectionem boni, removet affectiones aliorum amorum successive, proinde etiam res quæ cum illis copulatæ fuerunt; ac ita dominari incipit affectio boni, seu quod idem, bonum vitæ; dominium quoque prius habuit, sed hoc non homini potuit apparere, nam quantum homo in amore sui & mundi est, tantum non apparet bonum quod est genuini amoris: inde nunc constare potest, quid per illa in sensu interno, quæ de Esavo & Jacobo historice relata sunt, significantur.



Continuatio de Correspondentiis & Repræsentationibus.

3337. QUID *Correspondentiæ, & quid Repræsentationes, constare potest ab illis, quæ prius dicta & ostensa sunt, quod nempe inter illa quæ sunt lucis cæli & lucis mundi, sint correspondentiæ, & quæ existunt in illis, quæ sunt lucis mundi, sint Repræsentationes, n: 3225: sed quid & qualis lux cæli, non ita homini notum esse potest, quia homo est in illis quæ sunt lucis mundi; & quantum in his, tantum illa, quæ in luce cæli sunt, apparent illi ut tenebræ, ac ut nihil: hæ binæ Luces sunt, quæ omnem intelligentiam hominis faciunt, influente vita: imaginatio hominis non est nisi quam formæ & species talium, quæ visu corporis ceperat, mirabiliter variatæ, ac ut ita dicam modificatæ; imaginatio autem interior seu cogitatio ejus, nec est nisi quam formæ & species talium, quæ visu mentis hauserat, adhuc mirabilius variatæ, ac* *ut*

ut ita dicam modificatæ: illa, quæ inde existunt, in se inanimata sunt, sed ex influxu vitæ a Domino animata fiunt.

3338. *Præter luces illas, etiam sunt calores, qui quoque sunt ex bino fonte, calor cœli ex Sole illius qui est Dominus, & calor mundi ex sole illius, qui est luminare oculis nostris conspicuum; calor cœli se manifestat coram Interno homine per amores & affectiones spirituales, calor autem mundi se manifestat coram Externo homine per amores & affectiones naturales; ille calor facit vitam Interni hominis, hic autem vitam Externi; nam absque amore & affectione ne hilum vivere potest homo: inter binos illos calores etiam sunt correspondentiæ: Calores illi fiunt amores & affectiones ex influxu vitæ Domini, & inde apparent homini sicut non calores essent, at usque sunt; nam nisi inde calor homini, tam quoad Internum, quam quoad Externum hominem, homo momento emortuus procumberet: patent hæc unicuique ex eo, quod homo quantum accenditur amore, tantum quoque calescat, & quantum recedit amor tantum torpescat: calor hic est, ex quo hominis voluntas vivit, lux autem, de qua supra, ex qua ejus intellectus.*

3339. *In altera vita apparent illæ Luces, & quoque illi Calores, ad vivum; Angeli in luce cœli vivunt, & quoque in calore illo, de quo dictum; ex Luce illis est intelligentia, ex calore illis est affectio boni; Luces enim, quæ apparent coram visu illorum externo, sunt origine sua ex Divina sapientia Domini, & Calores qui ab illis quoque percipiuntur, sunt a Divino amore Domini; quare quantum Spiritus & Angeli in intelligentia veri sunt, ac in affectione boni, tantum Domino propiores sunt.*

3340. *Luci illi opposita est caligo, & Calori illi oppositum est frigus; in illis vivunt infernales; Caligo illis est ex falsis in quibus sunt, & frigus illis est ex malis; & quo remotiores sunt a veris, eo major illis caligo, & quo remotiores a bono, eo majus illis frigus: cum videre datur in inferna, ubi tales sunt, apparet caliginosus nimbus, in quo degunt; & cum aliquis halitus inde effluit, percipiuntur vesaniæ exhalatæ a falsis, ac odia a malis. Datur quoque illis quandoque lumen, sed est sicut lumen fatuum, at hoc exstinguitur illis, & fit caligo, ut primum in lucem veri spectant; & datur illis quandoque calor, sed sicut balnei immundi, at hic vertitur illis in frigus, ut primum aliquid boni appercipiunt. Quidam in caliginosum illum nimbum, ubi infernales, missus est, ut sciret quomodo cum illis, qui ibi, se haberet; sed tutatus a Domino per Angelos; inde mecum loquutus dixit, quod ibi tantus furor insaniæ esset contra bonum & verum, & maxime contra Dominum, ut obstupesceret quod usquam resisti possent,*

poſſet, nam nihil aliud ſpirabant, quam odia, vindictas, cædes; cum tanta vehementia, ut deſtruere vellent omnes in univerſo; quare niſi furor ille continue a Domino repelleretur, periret omne genus humanum.

3341. *Quia Repræſentationes in altera vita non exiſtere poſſunt, quam per diſcriminationes lucis & umbræ, ſciendum, quod omnis lux, proinde omnis intelligentia & ſapientia, ſit a Domino; & quod omnis umbra, proinde omnis inſania & ſtultitia, ſit a proprio quod homini, ſpiritui, & angelo; ex binis illis originibus profluunt & derivantur omnes variegationes, quæ lucis & umbræ ſunt in altera vita.*

3342. *Omnis loquela ſpirituum & angelorum etiam per Repræſentativa ſit; ſiſtunt enim per mirabiles lucis & umbræ variationes illa, quæ cogitant, vive coram viſu interno & ſimul externo illius cum quo loquuntur, & per mutationes ſtatus affectionum convenientes inſinuant illa: Repræſentationes, quæ in loquelis exiſtunt, non ſunt ſimiles illis, de quibus prius dictum, ſed ſunt citæ & momentaneæ una cum ideis quæ ſunt loquelæ illorum: ſunt ſicut deſcribitur aliquid longa ſerie, & ſimul illud coram oculis exhibetur imagine; nam, quod mirum, ipſæ res ſpirituales quæcunque poſſunt per ſpecies imaginum, quæ incomprehenſibiles ſunt homini, repræſentative ſiſti, in quibus intus ſunt, quæ perceptionis veri, & adhuc interius quæ perceptionis boni ſunt: talia etiam in homine ſunt, nam homo eſt ſpiritus corpore amictus; ut conſtare ex eo poteſt, quod omnis loquela percepta aure, cum aſcendit verſus interiora, tranſeat in ideas viſualium non abſimiles, & ab his in intellectuales, & ſic ſit perceptio ſenſus vocum: qui ſuper his rite reflectit, inde ſcire poteſt, quod in ipſo ſpiritus ſit, qui internus ejus homo eſt, & quoque quod talis illi loquela ſit poſt corporis ſeparationem, quia in eadem eſt cum vivit, ſed non patet ei quod in illa ſit, propter obſcurum, imo caliginoſum, quod terreſtria, corporea & mundana inducunt.*

3343. *Loquela Angelorum interioris cœli, eſt adhuc pulchrius & amœnius repræſentativa, ſed ideæ, quæ repræſentative formantur, non ſunt expreſſibiles vocibus, & ſi exprimerentur aliquibus, excederent non modo captum, ſed etiam ſidem; ſpiritualia, quæ ſunt veri, ſiunt per modificationes lucis cœleſtis, in quibus affectiones, quæ indefinitis modis mirabiliter variantur; & cœleſtia, quæ ſunt boni, per variationes flammæ ſeu caloris cœleſtis; ita movent omnes affectiones. In hanc interiorem loquelam etiam venit homo poſt corporis ſeparationem, ſed modo qui in bono ſpirituali eſt, hoc eſt, in bono fidei, ſeu quod idem, in charitate erga proximum, cum vivit in mundo; nam interius in ſe illam habet, tametſi hoc neſcit.*

Mm 2 3344.

3344. *Loquela autem Angelorum adhuc interioris seu tertii cæli, est quoque repræsentativa, sed talis, ut nusquam aliqua idea capi possit, ita nec describi. Etiam hæc idea intus est in homine, sed in illo qui in amore cælesti est, hoc est, in amore in Dominum, ac post separationem corporis in illam, sicut natus in illam, venit, tametsi nihil ejus aliqua idea, ut dictum, capi ab ipso potuerit, quamdiu vixit in corpore. Verbo, per Repræsentativa adjuncta ideis vivit quasi loquela, omnium minime apud hominem, quia in loquela vocum est; magis apud angelos primi cæli; adhuc magis apud Angelos secundi; maxime autem apud Angelos tertii cæli, nam hi proxime in vita Domini sunt; quicquid a Domino, in se vivum est.*

3345. *Exinde constare potest, quod loquelæ ordine interiores sint, sed usque tales, quod una existat ab alia ordine, & quod una insit alteri ordine; hominis loquela nota est, qualis est, tum quoque cogitatio, ex qua illa loquela, cujus analytica sunt talia, ut nusquam explorari possint: spirituum bonorum seu angelorum primi cæli loquela & cogitatio ex qua illa, est interior, in qua adhuc mirabiliora & inexplorabiliora: Angelorum secundi cæli loquela & cogitatio, ex qua iterum illa, est adhuc interior, in qua adhuc perfectiora & ineffabiliora: Angelorum autem tertii cæli & cogitatio, ex qua iterum illa, est intima, in qua prorsus ineffabilia: & tametsi omnes loquelæ tales sunt, ut appareant sicut aliæ & diversæ, usque tamen una est, quia una format alteram, & una inest alteri, sed quod existit in exteriori est repræsentativum interioris. Hæc homo non credere potest, qui non ultra mundana & corporea cogitat, ac ideo putat quod interiora apud illum nulla sint, cum tamen interiora apud illum sunt omne, & exteriora, hoc est, mundana & corporea, in quibus ponit omne, sunt respective vix aliquid.*

3346. *Ut hæc scirem, & pro certo, ex Divina Domini Misericordia, datum est nunc per plures annos pæne continue cum Spiritibus & Angelis loqui, & cum spiritibus seu angelis primi cæli ipsamet illorum loquela; etiam quandoque cum Angelis secundi cæli, illorum; sed loquela angelorum tertii cæli modo apparuit mihi sicut radiatio lucis, in qua perceptio ex flamma boni quæ inerat.*

3347. *Audivi Angelos loquentes de Mentibus humanis, & illarum cogitatione & inde loquela, comparabant illas externæ hominis formæ, quæ usque existit & subsistit ex formis innumeris, quæ intus sunt, ut ex Cerebris, Medullis, Pulmonibus, Corde, Hepate, Pancreate, Liene, Ventriculo & Intestinis, præter a pluribus aliis, ut ab illis quæ generationi*

tioni in utroque sexu dicatæ sunt; & circum illa ex musculis innumeris, & tandem ex tegumentis; & quod hæc omnia contexta sint ex vasis & fibris, & quidem ex vasis & fibris intra vasa & fibras, ex quibus ductus & formæ minores; ita ex innumerabilibus; quæ omnia usque concurrunt, quodlibet suo modo, ad compositionem formæ externæ, in qua nihil eorum, quæ intra sunt, apparent; huic formæ, nempe externæ, comparabant mentes humanas, & earum cogitationes, ac inde loquelas; at Angelicas comparabant illis, quæ intus sunt, quæ respective indefinita sunt, & quoque incomprehensibilia: facultatem etiam cogitandi comparabant facultati viscerum agendi secundum formam fibrarum, dicentes quod facultas non esset fibrarum, sed vitæ in fibris, sicut facultas cogitandi non est mentis, sed vitæ a Domino influentis in illam. Comparationes tales, cum fiunt ab Angelis, simul etiam exhibentur per repræsentativa, per quæ formæ interiores, de quibus dictum, quoad minima incomprehensibilia sistuntur & visibiliter & intellectualiter, & hoc intra momentum: sed comparationes per spiritualia & cœlestia, quales fiunt apud Angelos cœlestes, illas comparationes quæ per naturalia fiunt, pulchritudine sapientiæ immensum excedunt.

3348. *Erant Spiritus ex alia tellure apud me satis diu, quibus cum narrarem sapientiam nostri orbis, quod inter scientias, ex quibus eruditi audiunt, etiam sint analytica per quæ explorare satagunt illa quæ mentis sunt & ejus cogitationum, & quod vocent illa Metaphysica & Logica, sed quod parum ultra terminos, & aliquot regulas versatiles, progressum fecerint; & quod de terminis litigent, ut quid forma, quid substantia, quid mens, quid anima, & quod per regulas illas communes versatiles acriter disputent de veris: tunc ab illis perceptum, quod talia abstrahant omnem rei sensum & intellectum; quando illis ut terminis inhærent, ac de illis per artificiosas regulas cogitant; dicebant, talia esse modo nigras nubeculas, quæ objiciuntur visui intellectuali, & quod detrahant intellectum in pulverem: addebant, quod apud illos non ita sit, sed quod rerum ideas clariores habeant per id, quod nihil de talibus sciant: videre etiam datum, quam sapientes essent; repræsentabant mirabiliter Mentem humanam, ut formam cœlestem, & ejus affectiones, ut activitatis sphæras illi convenientes, & hoc tam dextre, ut collaudati sint ab Angelis: repræsentabant etiam quomodo Dominus affectiones illas, quæ in se injucundæ sunt, flectat in jucundas: docti nostræ telluris aderant, nec hilum potuerunt comprehendere, tametsi de talibus philosophice multum in vita corporis loquuti sunt; illi cum iterum perciperent eorum cogitationes, quod modo inhæ-*

inhærerent terminis, ac inclinarent ad disputandum de singulis num ita sit, vocabant talia spumas fæculentas.

3349. *Ex illis, quæ hactenus dicta sunt, constare potest, quid Correspondentiæ sunt, & quid Repræsentationes; sed præter illa, quæ dicta & ostensa sunt ad finem Capitum præcedentium, n:* 2987 *ad* 3003, & *n:* 3213 *ad* 3227, *videantur etiam quid de illis sunt alibi, nempe hæc; Quod omnia in Verbi sensu literæ sint repræsentativa & significativa illarum rerum quæ in sensu interno, n:* 1404. 1408. 1409. 2763. *Quod Verbum per Mosen & Prophetas, per repræsentativa & significativa conscriptum sit, & quod alio stylo non scribi posset, ut sensum internum haberet, per quem communicatio cæli & terræ esset, n:* 2899. *Quod Dominus etiam ideo loquutus sit per repræsentativa, & quoque quia loquutus ex ipso Divino, n:* 2900. *Unde repræsentativa & significativa, quæ in Verbo, & in Ritualibus, n:* 2179. *Quod Repræsentativa orta sint a significativis Ecclesiæ Antiquæ, & hæc a perceptivis Ecclesiæ Antiquissimæ, n:* 920. 1409. 2896. 2897. *Quod Antiquissimi repræsentativa sua habuerint etiam ex somniis, n:* 1977. *Quod Chanoch sint illi, qui collegerunt perceptiva antiquissimorum, n:* 2896. *Quod in cælo continue repræsentativa Domini & Ipsius Regni sint, n:* 1619. *Quod cæli sint pleni repræsentativis, n:* 1521. 1532. *Quod ideæ Angelorum vertantur in varia repræsentativa in mundo spirituum, n:* 1971. 1980. 1981. *Repræsentativa, per quæ infantes introducuntur in intelligentiam, n:* 2299. *Quod Repræsentativa in natura sint ab influxu Domini, n:* 1632. 1881. *Quod in universa natura sint repræsentativa Regni Domini, n:* 2758. *Quod in Externo homine sint quæ correspondent, & quæ non correspondent Interno, n:* 1563. 1568.

3350. *Ut pateat, qualia sunt Repræsentativa, licet adhuc unum exemplum afferre; audivi Angelos interioris cæli perplures, qui simul seu in consortio formabant Repræsentativum; spiritus circum me non potuerunt percipere illud, nisi ex quodam interioris affectionis influxu; Chorus erat, in quo plures illi simul idem cogitabant, ac idem loquuti sunt; per Repræsentationes formabant Coronam auream cum adamantibus circum caput Domini; quod fiebat simul per Repræsentationum series citas, quales sunt cogitationis & loquelæ, de quibus supra n:* 3342. 3343. 3344, *dictum: & quod mirabile, tametsi perplures erant, usque tamen omnes sicut unus cogitabant & loquebantur, ita sicut unus repræsentabant, & hoc quia nemo ex se aliquid agere volebat, minus reliquis præesse, ac ducere chorum, qui hoc facit, momento ex se dissociatur; sed se a se mutuo duci*

duci passi sunt, ita omnes in singulari & in communi a Domino: in tales convenientias perducuntur omnes boni, qui in alteram vitam veniunt. Deinde auditi sunt Chori perplures, qui varia repræsentative exhibuerunt, & tametsi plures chori essent, & plures in unoquovis choro, usque sicut unus agebant, ex forma enim variorum resultabat unum, in quo pulchrum cæleste. Ita potest universum Cælum, quod ex myriadum myriadibus consistit; qui unum agunt, per quod in amore mutuo sunt, nam sic se duci patiuntur a Domino; & quod mirabile, quo plures sunt, hoc est, quo plures myriades, qui cælum constituunt, eo omnia & singula distinctius & perfectius fiunt; & quoque quo interioris cæli Angeli sunt, nam omnis perfectio crescit versus interiora.

3351. *Qui choros tunc formabant, erant ex provincia pulmonum, ita e Regno Spirituali Domini; influebant enim in respirationem leniter; sed distincti chori erant, qui pertinebant ad respirationem voluntariam, & qui ad spontaneam.*

3352. *Continuatio de Correspondentiis & Repræsentationibus, imprimis de illis quæ in Verbo, ad finem Capitis sequentis.*



GENE-

GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

3353. MAxima pars hominum credit, quod interitura sint omnia quæ in mundo aspectabili, cum ultimum judicium venit, quod nempe conflagrabit terra, Sol & Luna dissipabuntur, & sidera evanescent; & quod Novum Cœlum & nova terra postea exsurgent; eam opinionem ceperunt ex revelationibus propheticis, in quibus talia memorantur; sed quod aliter se res habeat, constare potest ab illis quæ de Ultimo Judicio prius n: 900. 931. 1850. 2117 ad 2133, ostensa sunt; inde patet, quod Ultimum Judicium non aliud sit, quam finis Ecclesiæ apud unam gentem, ac initium ejus apud aliam, qui finis & quod initium tunc existit, quando nulla amplius agnitio Domini, seu quod idem, quando nulla fides, nulla agnitio seu nulla fides est cum nulla charitas, nam fides nusquam dabilis est quam apud illos qui in charitate sunt; quod tunc Ecclesiæ finis sit & ejus translatio ad alios, patet evidenter ab omnibus illis, quæ Ipse Dominus de Ultimo illo die seu de Consummatione sæculi, docuit & prædixit apud Evangelistas, nempe apud Matthæum Cap: XXIV; apud Marcum Cap: XIII; & apud Lucam Cap: XXXI: sed quia illa absque clave, qui est sensus internus, a nemine comprehendi possunt, licet per vices illa, quæ ibi, evolvere; hic nunc primum hæc, quæ apud Matthæum, "*Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes, dic nobis quando ista fient, & quodnam signum tui adventus & consummationis sæculi: & respondens Jesus dixit illis; videte ne quis vos seducat; multi enim venient in Nomine meo, dicentes, ego sum Christus, & multos seducent: audituri autem estis bella, & rumores bellorum; videte ne turbemini; oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Excitabitur namque Gens contra gentem, & regnum contra regnum; & erunt fames, & pestes & terræ motus. Omnia vero hæc initium dolorum,*" XXIV: 3. 4. 5. 6. 7. 8; qui in sensu literæ manent, non scire possunt, num hæc & quæ sequuntur in illo Capite, dicta sint de destructione Hierosolymæ & dispersione Gentis Judaicæ, vel num de fine dierum, qui Ultimum Judicium vocatur; at qui in sensu interno sunt, clare vident, quod hic de fine Ecclesiæ agatur, qui finis est qui hic & alibi vocatur Adventus Domini, & Consummatio sæculi: & quia ille finis intelligitur, sciri potest, quod omnia illa significent

nificent talia quæ ſunt Eccleſiæ; quid autem ſignificant, conſtare poteſt a ſingulis in ſenſu interno: ut, quod *multi venient in Nomine Meo, dicentes, ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent*; ibi nomen non ſignificat nomen, nec Chriſtus Chriſtum, ſed nomen ſignificat illud per quod colitur Dominus, n: 2724. 3006; & Chriſtus ipſum verum, n: 3009. 3010; ita quod venturi qui dicent, hoc eſſe fidei, ſeu hoc eſſe verum, cum tamen nec fidei ſit, nec verum, ſed falſum: *quod audituri ſint bella & rumores bellorum*, eſt, quod exiſtent de veris diſceptationes & lites, quæ ſunt bella in ſenſu ſpirituali: quod *excitabitur gens contra gentem, & regnum contra regnum*, ſignificat quod pugnaturum malum cum malo, & falſum cum falſo, quod gens ſit bonum, at in oppoſito ſenſu malum, videatur n: 1259. 1260. 1416. 1849, & quod regnum ſit verum, at in oppoſito ſenſu falſum, n: 1672. 2547: *& erunt fames & peſtes, & terræ motus variis locis*, eſt quod amplius nullæ cognitiones boni & veri, ac ita quod Eccleſiæ ſtatus ſit mutatus, quod eſt terræ motus.

3354. Ex his patet, quid per illa verba Domini intelligitur, nempe quod primus ſtatus perverſionis Eccleſiæ, qui eſt, quando non amplius ſcire incipiunt quid bonum & quid verum, ſed de illis litigant inter ſe, a quibus falſitates: quia ille eſt primus ſtatus, dicitur, *quod nondum ſit finis*, & quod *illa ſint initium dolorum*, & vocatur ille ſtatus *Terræ motus variis locis*, qui in ſenſu interno ſignificat mutationem ſtatus Eccleſiæ in parte ſeu primum. Quod ad Diſcipulos dictum, ſignificat quod ad omnes qui ab Eccleſia, nam duodecim diſcipuli illos repreſentabant, n: 2089. 2129. 2130, quare dicitur, *videte ne quis vos ſeducat*, tum *audituri eſtis* bella & rumores bellorum, *videte ne turbemini*.

3355. Quod Terræ motus ſit in ſenſu interno Mutatio ſtatus Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 2928; & a ſignificatione Motus, quod ſit mutatio ſtatus, hic quoad illa quæ ſunt Eccleſiæ, nempe quoad bonum & verum; & quoque patet ab aliis locis in Verbo, ut apud Eſaiam, "Fiet, fugiens a voce pavoris cadet in foveam, & aſcendens e medio foveæ capietur in laqueo, quia cataractæ ab alto apertæ ſunt, & *concuſſa ſunt fundamenta terræ*, confringendo *confracta eſt terra*, commovendo *commota eſt terra*, nutando *nutat terra* ſicut ebrius, *vacillat* ſicut tugurium, & gravis ſuper *illam* prævaricatio ejus, & cadet & non addet reſurgere: & erit in die illo viſitabit Jehovah ſuper exercitum altitudinis in altitudine, & ſuper reges *humi*

fuper *humo*," xxiv: 18. 19. 20; ibi quod Terra fit Ecclefia, manifefte patet, nam de Ecclefia agitur, cujus fundamenta dicuntur concuffa, & illa confracta, commota, nutare & vacillare, cum bonum & verum non amplius cognofcitur; reges humi funt vera, hic falfa, fuper quæ vifitabitur, quod reges fint vera, & in oppofito fenfu falfa, videatur n: 1672. 2015, & quod humus fit fimile ac terra, nempe Ecclefia, fed cum differentia, n: 566. 1068. Apud Eundem, "Rarum reddam hominem præ auro puro, & hominis præ auro ophiris; propterea commovebo cœlum, & *commovebitur terra e loco fuo*, in indignatione Jehovæ Zebaoth, & in die excandefcentiæ iræ Ipfius," xiii: 12. 13, ubi de die Judicii; terra quoque ibi manifefte pro Ecclefia, quæ commoveri dicitur e loco, cum mutatur quoad ftatum, quod locus fit ftatus videatur n: 1273. 1274. 1275. 1377. 2625. 2837. Apud Eundem, "Num hic vir *commovens terram*, commovens *regna*, ponit orbem in defertum, & urbes ejus deftruit," xiv: 16. 17, ubi de Lucifero; terra pro Ecclefia, quam commovere dicitur, cum fibi vindicat omnia ejus; quod regna fint vera quæ Ecclefiæ, videatur n: 1672. 2547. Apud Ezechielem, "Erit in die illo, venit Gogus fuper *terram Ifraelis*; afcendet excandefcentia mea in ira mea, & in zelo meo, in igne indignationis meæ loquar, fi non in die illo erit *Terræ motus* magnus fuper *humo* Ifraelis," xxxviii: 18. 19. 20; Gogus pro cultu externo feparato ab interno, & fic facto idololatrico, n: 1151; terra & humus Ifraelis pro Ecclefia fpirituali; terræ motus pro mutatione ftatus ejus. Apud Joelem, Coram Ipfo *commota eft terra*, contremuerunt cœli, fol & luna atrati funt, & ftellæ contraxerunt fplendorem fuum," ii: 10; ubi etiam de die ultimi Judicii, commota terra pro mutato ftatu Ecclefiæ, fol & luna pro bono amoris & vero ejus, n: 1529. 1530. 2441. 2495, qui atrati dicuntur cum bona & vera non amplius agnofcuntur; ftellæ pro cognitionibus boni & veri, n: 2495. 2849. Apud Davidem, "*Concuffa eft, & commota eft terra*, & fundamenta montium trepidarunt, & concuffa funt, quia exarfit Ipfi," Pfalm: xviii: 7. 8; concuffa & commota terra, pro perverfo facto ftatu Ecclefiæ. Apud Johannem, "Porro vidi, cum aperuit figillum fextum, cum ecce *Terræ Motus magnus factus* eft, & fol factus eft niger ficut faccus pilofus, & luna tota facta eft ficut fanguis, & ftellæ cœli ceciderunt in terram," Apoc: vi: 12. 13, ibi terræ motus, fol, luna & ftellæ, fimile fignificant ac fupra apud Joelem: apud Eundem, "In illa hora *factus eft terræ motus magnus*, & decima pars urbis cecidit, & occubuerunt in *terræ motu* nomina hominum feptem millia," Apoc: xi: 13: Ex omnibus

omnibus illis locis patet, quod terræ motus non aliud sit, quam mutatio status Ecclesiæ, & quod terra non aliud in sensu interno sit quam Ecclesia; & quia Terra est Ecclesia, constat quod per Novum Cœlum & Novam Terram, quæ successura loco prioris, Esai: LXV: 17. Cap: LXVI: 22. Apoc: XXI: 1, non aliud significetur quam Nova Ecclesia Interna & Externa, n: 1733. 1850. 2117. 2118 f.

3356. Quod Motus sit status mutatio est inde, quia Motus fit in spatio & in tempore; & in altera vita nulla idea spatii & temporis est, sed loco eorum est status; in altera vita quidem apparent omnia sicut in spatio, & succedunt sicut in tempore, sed in se sunt status mutationes, nam inde illa; hoc notissimum est unicuique spiritui, etiam malis, qui per status mutationes aliis inductas faciunt ut appareant alibi, cum tamen ibi non sunt; etiam homini potest notum esse ex eo, quod quantum homo est in statu affectionum, & inde gaudii, & quantum in statu cogitationum & inde absentiæ a corpore, tantum non sit in tempore, nam plures horæ tunc apparent ei vix ut una; & hoc ex causa, quia ejus Interno homini seu Spiritui sunt status, quibus spatia & tempora in Externo correspondent; motus itaque, quia est successiva progressio in spatio & tempore, est mutatio status in sensu interno.

CAPUT XXVI.

1. ET fuit fames in terra, præter famem priorem, quæ fuit in diebus Abrahami; & ivit Jishak ad Abimelechum regem Philistæorum, Gerarem.

2. Et apparuit ad illum JEHOVAH, & dixit, ne descendas Ægyptum, reside in terra, quam dico ad te.

3. Peregrinare in terra hac, & ero cum te, & benedicam tibi, quia tibi & semini tuo dabo omnes terras has, & erigam juramentum quod juravi Abrahamo patri tuo.

4. Et multiplicari faciam semen tuum, sicut stellas cœlorum, & dabo semini tuo omnes terras has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

5. Propterea quod auscultavit Abraham voci meæ, & observavit observanda mea, præcepta mea, statuta mea, & leges meas.

6. Et habitabat Jischak in Gerar.

7. Et interrogaverunt viri loci ad mulierem ejus; & dixit, soror mea illa, quia timuit dicere, mulier mea, forte occidant me viri loci propter Rebeccam, quia bona aspectu illa.

8. Et factum, quia prolongabantur ei ibi dies, & prospexit Abimelech rex Philistæorum trans fenestram, & vidit, & ecce Jischak ridens cum Rebecca muliere sua.

9. Et vocabat Abimelech Jischakum, & dixit, atqui ecce mulier tua illa, & quomodo dixisti, soror mea illa; & dixit ad illum Jischak, quia dixi, forte moriar propter illam.

10. Et dixit Abimelech, quid hoc fecisti nobis, ut parum cubaret unus populi cum muliere tua, & adduxisses super nos reatum.

11. Et præcepit Abimelech omni populo, dicendo, tangens virum illum & mulierem ejus, moriendo morietur.

12. Et seminavit Jischak in terra illa, & invenit in anno illo centum mensuras, & benedixit ei JEHOVAH.

13. Et crevit vir, & ivit eundo & crescendo, usque ut magnus factus valde.

14. Et fuit ei acquisitio gregis, & acquisitio armenti, & servitium multum, & invidebant ei Philistæi.

15. Et omnes puteos, quos foderunt servi patris ejus, in diebus Abrahami patris ejus, obturabant illos Philistæi, & impleverunt illos pulvere.

16. Et dixit Abimelech ad Jischakum, vade a cum nobis, quia prævales præ nobis valde.

17. Et ivit abinde Jischak, & castrametatus est in valle Geraris, & habitabat ibi.

18. Et redibat Jischak, & refodit puteos aquarum, quos foderunt in diebus Abrahami patris ejus, & obturabant illos Philistæi post mortem Abrahami; & vocavit illis nomina, secundum nomina, quæ vocavit illis pater ejus.

19. Et foderunt servi Jischaki in valle, & invenerunt ibi puteum aquarum vivarum.

20. Et rixati sunt pastores Geraris cum pastoribus Jischaki, dicendo, nobis aquæ, & vocavit nomen putei Esek, quia contenderunt cum eo.

21. Et foderunt puteum alium, & rixati etiam super illo, & vocavit nomen illius Sithnah.

22. Et tranftulit exinde, & fodit puteum alium, & non rixati fuper illo, & vocavit nomen ejus Rechoboth, & dixit, quia nunc dilatari fecit Jehovah nos, & fructificabimur in terra.

23. Et afcendit exinde Beerfchebam.

24. Et apparuit ad eum JEHOVAH in nocte illa, & dixit, Ego DEUS Abrahami patris tui, ne timeas, quia cum te Ego, & benedicam tibi, & multiplicari faciam femen tuum, propter Abrahamum fervum meum.

25. Et ædificabat ibi altare, & invocavit Nomen Jehovæ, & tetendit ibi tentorium fuum, & perfoderunt ibi fervi Jifchaki puteum.

26. Et Abimelech ivit ad illum e Gerar, & Achufath focius illius, & Phicol dux exercitus illius.

27. Et dixit ad illos Jifchak, quapropter veniftis ad me, & vos odiftis me, & mififtis me a vobis.

28. Et dixerunt, videndo vidimus, quod fuit JEHOVAH cum te, & diximus, fit quæfo facramentum inter nos, inter nos & inter te, & excidamus fœdus cum te.

29. Si facias cum nobis malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus cum te tantummodo bonum, & mifimus te in pace; tu nunc benedictus JEHOVÆ.

30. Et fecit illis convivium, & ederunt & biberunt.

31. Et mane furrexerunt in matutino, & juraverunt vir fratri fuo: & mifit eos Jifchak, & iverunt a cum illo in pace.

32. Et fuit in die illo, & venerunt fervi Jifchaki, & indicaverunt ei fuper caufas putei, quem foderunt, & dixerunt ei, invenimus aquas.

33. Et vocavit eum Schibba, propterea nomen urbis Beerfchebah ufque ad diem hunc.

* * * *

34. Et fuit Efau filius quadraginta annorum, & accepit mulierem Jehudith, filiam Beeri Chittæi, & Bafemath filiam Elonis Chittæi.

35. Et fuerunt amaritudo fpiritus Jifchako & Rebeccæ.

CONTENTA.

3257. AGitur in hoc Capite in fenfu interno, de Veri apparentiis triplicis gradus, quomodo illæ Vero Divino adjunctæ funt, ut vera & eorum doctrinalia reciperentur, & Ecclefia exifteret.

3358. Agitur de Veri apparentiis superioris gradus, quæ in Verbi sensu interno sunt, in quibus sunt Angeli, & quibus inest Divinum Verum & Bonum, Vers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. Et quod Divinum Bonum & Verum non comprehendi possint, ita nec recipi, nisi sint in apparentiis, Vers: 7. 8. 9, 10. 11. 12. 13.

3359. Tum agitur de Veri apparentiis inferioris gradus, quæ in sensu interiori Verbi sunt, in quibus possint esse homines, qui ab Ecclesia Interna, Vers: 14. 15. 16. 17.

3360. Postea de Veri apparentiis adhuc inferioris gradus, quæ sunt sensus literalis Verbi, in quibus possint esse homines qui ab Ecclesia Externa, Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25: & per illas usque esse conjunctio cum Domino, Vers: 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33.

3361. De Veris scientificis adjunctis bono ibi.

SENSUS INTERNUS.

3362. Actum est in Capite XXI, de Abimelecho, quod pepigerit fœdus cum Abrahamo, & quod tunc Abraham redarguerit illum de puteo aquarum, quem eripuerant servi illius, hic pæne simile recurrit inter Abimelechum & Jischakum, etiam in eo, quod sicut Abraham dixerat uxorem suam esse sororem, ita quoque Jischakus; ex quibus patet, quod Divinum arcanum inibi sit cur iterum evenerunt, & iterum relata sunt, & quoque quod memoretur utrobivis de puteis; de quibus aliquid scire, nisi Divinum inibi reconditum sit, non tanti foret; sensus autem internus docet, quid inibi est, & quod agatur de conjunctione Domini cum illis qui in Regno Ipsius in cœlis & in terris per vera, & quidem per veri apparentias superioris gradus cum Angelis, & per veri apparentias inferioris gradus cum hominibus, consequenter per Verbum, in cujus sensu interno & externo sunt illæ: ipsa enim vera Divina sunt talia, ut nusquam ab aliquo Angelo, minus ab aliquo homine capi possint, excedunt omnem facultatem intellectus eorum; ut usque conjunctio sit Domini cum illis, influunt Vera Divina apud illos in apparentiis, in quibus cum illa sunt, & recipi possunt & agnosci; hoc fit adæquate ad cujusvis captum; quare apparentiæ, hoc est, vera angelica & humana, triplicis gradus sunt: hæc arcana Divina sunt, quæ in illis de Abimelecho & Abrahamo, & in his de Abimelecho & Jischako, actis & relatis, in sensu interno continentur.

3363. Vers: 1. *Et fuit fames in terra, præter famem priorem quæ fuit in diebus Abrahami; & ivit Jischak ad Abimelechum regem Philistæorum, Gerarem.* Fuit fames in terra præter famem priorem quæ fuit in diebus Abrahami, significat

nificat defectum cognitionum fidei: & ivit Jischak ad Abimelechum regem Philistæorum, Gerarem, significat doctrinalia fidei; Abimelech, est doctrina fidei spectans rationalia; rex Philistæorum, sunt doctrinalia; Gerar, est fides.

3364. Fuit fames in terra præter famen priorem in diebus Abrahami, quod significet defectum cognitionum fidei, constat a significatione famis, quod sit defectus cognitionum, de qua n: 1460; quod cognitionum fidei sit, patet a mox sequentibus, nempe a repræsentatione Abimelechi, & a significatione Geraris, quod sint illa quæ fidei sunt; fames in diebus Abrahami, quæ memoratur Cap: XII: 10, & de qua n: 1460, fuit defectus cognitionum quæ Naturalis hominis, fames autem, de qua hic, est defectus cognitionum quæ sunt Rationalis, quare dicitur, quod fuit fames in terra præter famem priorem quæ fuit in diebus Abrahami. Agitur hic in sensu interno de Domino, quod ab Ipsius Divino omnia doctrinalia fidei; non enim datur aliquod doctrinale, ne quidem minimum ejus, quod non a Domino, nam Dominus est ipsa doctrina, inde est quod Dominus dicatur Verbum, quia Verbum est Doctrina: sed quia omne quod in Domino est Divinum, & Divinum non capi potest ab aliquo creato, ideo doctrinalia quæ a Domino, quantum coram creatis apparent, non sunt Vera pure Divina, sed sunt Veri apparentiæ; at usque in apparentiis sunt Vera Divina; & quia hæc in illis sunt, etiam apparentiæ audiunt Vera: de his nunc in hoc Capite agitur.

3365. Et ivit Jischak ad Abimelechum regem Philistæorum, Gerarem, quod significet doctrinalia fidei, constat a repræsentatione Jischaki, quod sit Dominus quoad Divinum Rationale, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630; quod Jischakus sit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Bonum, n: 3012. 3194. 3210, & quoque quoad Divinum Verum, quod repræsentatur per conjugium Jischaki cum Rebecca, n: 3012. 3013. 3077, ita per Jischakum hic repræsentatur Dominus quoad Divinum Verum conjunctum Divino Bono Rationalis, nam cum Jischako fuit Rebecca, & dicta soror; a repræsentatione Abimelechi, quod sit doctrina fidei spectans rationalia, de qua n: 2504. 2509. 2510. 2530; a significatione regis Philistæorum, quod sint doctrinalia, quod rex in sensu interno sit verum quod est doctrinalis, videatur n: 1672. 2015. 2069, & quod Philistæi sint scientia cognitionum, quæ quoque est doctrinalium, n: 1197. 1198; & a significatione Geraris, quod sit fides, n: 1209. 2504; inde patet, quid significatur per quod iverit Jischak ad Abimelechum regem Philistæorum Gerarem, nempe quod ex Domino Doctrina fidei spectans rationalia, seu quod idem, doctrinalia fidei. Doctrinalia dicuntur omnia illa quæ sunt doctrinæ, quæ quatenus recipi possunt & agnosci in Cœlo ab Angelis, & in terra ab hominibus, dicuntur spectare rationalia; est enim rationale quod illa recipit & agnoscit; sed Rationale est tale, ut nusquam capere possit Divina, est enim finitum, & hoc non capere potest illa quæ sunt Infiniti, ideo Vera Divina a Domino coram rationali sistuntur per apparentias; inde est, quod doctrinalia non sint nisi quam apparentiæ Veri Divini, seu non nisi quam cœlestia & spiritualia vasa, in quibus Divi-

Divinum; & quia Divinum in illis, hoc est, Dominus, ideo afficiunt, inde conjunctio Domini cum Angelis & hominibus.

3366. Vers: 2. 3, *Et apparuit ad illum Jehovah, & dixit, ne descendas Ægyptum, reside in terra, quam dico ad te. Peregrinare in terra hac, & ero cum te, & benedicam tibi, quia tibi & semini tuo dabo omnes terras has, & erigam juramentum quod juravi Abrahamo patri tuo.* Apparuit ad illum Jehovah & dixit, significat ex Divino cogitationem; ne descendas Ægyptum, reside in terra quam dico ad te, significat quod non ad scientifica, sed ad rationalia, quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri: peregrinare in terra hac, significat instructionem: & ero cum te, significat Divinum: & benedicam tibi, significat quod sic incrementum: quia tibi, significat bonum: & semini tuo, significat verum: dabo omnes terras has, significat spiritualia: & erigam juramentum quod juravi Abrahamo patri tuo, significat ita confirmationem.

3367. Apparuit ad illum Jehovah & dixit, quod significet ex Divino cogitationem, constat ex significatione apparere, cum dicitur de Domino qui Jehovah, quod sit Ipsum Divinum quod in Ipso; quod in Domino Jehovah, & Ipse Dominus Jehovah, multis in locis prius ostensum est, videatur n: 1343. 1725. 1729. 1733. 1736. 1791. 1815. 1819. 1822. 1902. 1921. 1999. 2004. 2005. 2018. 2025. 2156. 2329. 2447. 2921. 3023. 3035. 3061; & quod Dominus, quantum univerat Essentiam Humanam Divinæ, tantum loquutus cum Jehovah ut cum Se Ipso, n: 1745. 1999; ita apparere ad illum Jehovah, in sensu interno significat ex Divino, quod cogitatio, constat a significatione dicere, quod sit percipere, & quoque cogitare, ut sæpius ostensum.

3368. Ne descendas Ægyptum, reside in terra quam dico ad te, quod significet quod non ad scientifica sed ad rationalia, quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, constat a significatione Ægypti, quod sint scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1462. 1186; & a significatione terræ, quod hic sint rationalia, quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, terra enim, quæ hic intelligitur, est Gerar ubi Abimelech rex Philistæorum, & per Gerarem significatur fides, perque Abimelechum doctrina fidei spectans rationalia, & per regem Philistæorum doctrinalia, videatur n: 3363. 3365; ideo per terram, nempe Gerarem ubi Abimelechus, non aliud in sensu interno significatur; significatio enim terræ est varia, videatur n: 620. 636. 1067, & significat quale gentis, de qua prædicatur n: 1262; in proprio autem sensu, significat Ecclesiam, n: 3355, & quia Ecclesiam, etiam significat illa quæ sunt Ecclesiæ, hoc est, illa quæ apud hominem faciunt Ecclesiam, proinde doctrinalia charitatis & fidei, ita quoque rationalia, quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, hæ enim quod sint Ecclesiæ vera, ita ejus doctrinalia, videatur supra n: 3364. 3365; sive dicas rationalia a Divino illustrata, sive apparentias veri, sive vera cœlestia & spiritualia, qualia in Regno Domini in cœlis seu in cœlo, & qualia in Regno Domini in terris seu in Ecclesia, idem est; eadem quoque dicuntur doctrinalia, sed hoc a veris quæ in illis; Rationale angelicum & humanum est & vocatur Rationale ex apparentiis veri illustratis a Divino,

Divino, absque illis non est Rationale; ita Rationalia sunt illæ. Quod hic dicatur, quod ad Ægyptum non descenderet, hoc est, quod non ad scientifica, est, quia de scientificis prius actum est, peregrinatio enim Abrahami in Ægypto, repræsentabat instructionem Domini in scientificis, in pueritia, videatur n: 1502: cum arcano, quod non descenderet in Ægyptum, sed peregrinaretur in terra Geraris, hoc est, quod non spectaret ad scientifica sed ad rationalia, ita se habet; omnes apparentiæ veri, in quibus Divinum, sunt Rationalis, usque adeo ut vera rationalia & apparentiæ veri sint idem, scientifica autem sunt Naturalis, usque adeo ut naturalia & vera scientifica sint idem; vera rationalia, seu apparentiæ veri, nusquam possunt esse & existere, nisi ex influxu Divini in Rationale, & per rationalia in scientifica quæ naturalis sunt; quæ tunc fiunt in Rationali apparent in naturali, sicut multorum imago simul in speculo; ac ita sistuntur coram homine, etiam coram Angelo; sed coram Angelo non ita evidenter in naturali, sed apud illos, qui in mundo spirituum, & in spirituali naturali sunt, inde his repræsentativa veri; similiter se habet apud unumquemvis hominem, nam, ut prius dictum, qui in bono est, exiguum cœlum est, seu quod idem, imago cœli maximi, & quia Divinum Verum non immediate influere potest in scientifica, quæ sunt naturalis ejus hominis, sed per rationalia, ut dictum, ideo hic dicitur, quod non descenderet Ægyptum, sed resideret in terra Geraris: sed de his non potest clara idea haberi, nisi sciatur qualis influxus est, ut & quales ideæ, quapropter de illis, ex Divina Domini Misericordia, ad finem Capitum, ubi experientiæ, agendum.

3369. Peregrinare in terra hac, quod significet instructionem, constat ex significatione peregrinari, quod sit instruere, de qua n: 1463. 2025; & ex significatione terræ hic, quod sint rationalia quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, de qua mox supra n: 3367; ita peregrinare in terra hac, significat instructionem in illis.

3370. Et ero cum te, quod significet Divinum, constare potest ex eo, quod Jehovah sit qui loquitur, ita ipsum Divinum, ex Quo cum dicitur, ero cum te, significat in serie, quod ita Divinum in illis.

3371. Et benedicam tibi, quod significet sic incrementum, constat a significatione benedicere, quod sit fructificare in bonis, & multiplicare in veris, de qua n: 731. 981. 1420. 1422. 2846. 3140; ita incrementum.

3372. Quia tibi, quod significet bonum, constare potest ex eo, quod tibi sit Jischako, per quem Dominus quoad Divinum Rationale repræsentatur, ut sæpius ostensum; & Divinum Rationale Domini non est nisi Bonum, etiam Verum ibi est Bonum, quia Divinum.

3373. Et semini tuo, quod significet verum, constat ex significatione seminis, quod sit verum, de qua n: 29. 255. 1025. 1447. 1610. 1949. 2848. 3310; ita Verum quod a Divino Domini, quod est Semen tuum. Qui Verbum modo secundum sensum literæ capiunt, non aliter scire possunt, quam quod semen sit posteritas, proinde hic posteritas Jischaki ex Esavo & Jacobo, principaliter ex Jacobo, quia in illa gente fuit Verbum, & historica

de illis tot ibi exſtant; ſed in ſenſu interno per ſemen non aliqua poſteritas ex Jiſchako intelligitur, ſed omnes illi qui filii ſunt Domini, ita filii Regni Ipſius, ſeu quod idem, qui in bono & vero ſunt quæ a Domino; & quia illi ſunt ſemen, ſequitur quod ipſum bonum & verum a Domino ſit ſemen, nam inde ſunt filii, quapropter etiam ipſa vera quæ a Domino vocantur filii Regni, apud Matthæum, "Qui ſeminat *bonum ſemen* eſt Filius hominis; ager eſt mundus, *ſemen ſunt filii regni*," XIII: 37. 38; inde quoque in genere per filios ſignificantur vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2623: quiſque, qui aliquantum altius ſeu interius cogitat, ſcire poteſt, quod per ſemen Abrahami, Jiſchaki & Jacobi, quod toties nominatur, & de quo toties dicitur quod benediceretur, & hoc præ omnibus gentibus & populis in orbe terrarum, in Divino Verbo non ſignificari poſſit poſteritas eorum, hi enim inter omnes gentes omnium minime in bono amoris in Dominum & charitatis erga proximum fuerunt, imo nec in aliquo vero fidei; nam quid Dominus, quid Ipſius Regnum, ita quid cœlum, & quid vita poſt mortem, prorſus neſciebant, tam quia non ſcire volebant, quam quia ſi reſciverint de illis, corde ſuo prorſus negaviſſent, ac ita bona & vera interiora prophanaviſſent, ſicut exteriora per id quod toties aperti idololatræ facti ſint, quæ cauſa eſt quod tam raro aliqua interiora in Verbi Veteris Teſtamenti ſenſu literæ exſtent; quia tales erant, ideo Dominus de illis ex Eſaia, dixit, "Excæcavit illorum oculos, & obturavit illorum cor, ut non videant oculis ſuis, & intelligant corde, & convertant ſe, & ſanem eos," Joh: XII: 40; & de illis, cum ſe dixerunt Semen Abrahami eſſe, "dixerunt, ſemen Abrahami ſumus; Pater noſter Abrahamus eſt, dicit illis Jeſus, ſi filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis; vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, Joh: VIII: 33. 39. 44; per Abrahamum hic etiam intelligitur Dominus, ut ubivis in Verbo, quod Ipſius non ſemen aut filii fuerunt, ſed ex diabolo, manifeſte dicitur: inde patet evidenter, quod per ſemen Abrahami, Jiſchaki & Jacobi in Verbo & hiſtorico & prophetico nullatenus intelligantur illi, nam Verbum ubivis Divinum eſt, ſed omnes qui ſemen Domini ſunt, hoc eſt, qui in bono & vero fidei in Ipſum: quod a Domino ſolo ſemen cœleſte, hoc eſt, omne bonum & verum, videatur n: 1438. 1614. 2016. 2803. 2882. 2883. 2891. 2892. 2904. 3195.

3374. Dabo omnes terras has, quod ſignificet ſpiritualia, conſtat ex ſignificatione terrarum, quod hic ſint rationalia quæ a Divino illuſtrata ſunt apparentiæ veri, de qua ſupra n: 3367; quæ apparentiæ quod ſint vera etiam ſupra n: 3364. 3365, oſtenſum eſt, proinde ſpiritualia, hæc enim non aliud ſunt, quam vera a Divino, ut conſtare poteſt ex illis, quæ multoties de ſignificatione ſpiritualium dicta ſunt: per Spirituale in genuino ſenſu intelligitur ipſa lux veri quæ a Domino, ſicut per cœleſte omnis flamma boni a Domino, inde conſtare poteſt, quod quia lux illa influit a Domino, tam in Rationale quam in Naturale hominis, Spirituale prædicetur de utroque, & quod ſit Divinum quoad verum quod influit: ex his ſciri poteſt, quid per Spirituale in genuino ſenſu ſignificatur, & quod ſit ſpirituale rationale & ſpirituale naturale.

3375. Et erigam juramentum quod juravi Abrahamo patri tuo, quod significet confirmationem, constat a significatione juramenti seu jurare, quod sit confirmatio, de qua n: 2842, hic non dicitur erigere fœdus quod cum Abrahamo sed juramentum, ex causa, quia fœdus prædicatur de cœlesti seu de bono, sed juramentum de spirituali seu de veris, videatur n: 3037, de quibus hic agitur; quapropter etiam in sequentibus non dicitur de Jischako, quod cum Abimelecho pepigerit fœdus, sed quod juraverit vir fratri suo, Vers: 31; at de Abrahamo, quod ille & Abrahamus pepigerint fœdus, Gen: XXI: 32. vide Psalm: CV: 10. Per confirmationem hic, quæ significatur per juramentum, intelligitur conjunctio Domini cum illis qui in Regno Ipsius, nam juramentum est confirmatio fœderis, & per fœdus significatur conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021.

3376. Sensus internus binorum horum Versuum est, quod Divinum Verum, cum influit per rationalia, sistat apparentias veri, ac ita fructificet se & multiplicet quoad bonum & verum, per quæ Dominus conjungit se cum Angelis & hominibus: quod hic sensus sit, non videri potest ex prima expositione, ubi sparsa apparent, nempe ex his, quæ n: 3366, Quod *ex Divino cogitatio fuerit, ne ad scientifica sed ad rationalia quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, & quod inde instructio ex Divino, ac incrementum, ita bonum & verum, quæ spiritualia, per quæ conjunctio Domini cum illis quæ in Verbo Ipsius*; sed hæc, quæ ita sparsa apparent coram homine, sunt usque in sensu interno ordinatissime conjuncta, & coram Angelis seu in cœlo apparent & percipiuntur in pulcherrima serie, imo cum repræsentativis Angelicis in forma cœlesti, & hoc cum varietate ineffabili: tale est Verbum ubivis in sensu suo interno.

3377. Vers: 4. 5. *Et multiplicari faciam semen tuum, sicut stellas cœlorum, & dabo semini tuo omnes terras has; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Propterea quod auscultavit Abraham voci meæ, & observavit observanda mea, præcepta mea, statuta mea, & leges meas.* Multiplicari faciam semen tuum, sicut stellas cœlorum, significat vera & cognitiones fidei: & dabo semini tuo omnes terras has, significat inde Ecclesias: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, significat omnes qui in bono tam intra quam extra Ecclesiam: propterea quod auscultavit Abraham voci meæ, significat unionem Essentiæ Divinæ Domini cum Essentia Humana per tentationes: & observavit observanda mea, præcepta mea, statuta mea, & leges meas, significat per continuas revelationes ex Se Ipso.

3378. Multiplicari faciam semen tuum sicut stellas cœlorum, quod significet vera & cognitiones fidei, constat a significatione seminis, quod sint vera, de qua supra n: 3373; & a significatione stellarum, quod sint cognitiones fidei, de qua n: 2495. 2849.

3379. Et dabo semini tuo omnes terras has, quod significent inde Ecclesias, constat ex significatione seminis, quod sint vera, ita illi qui in veris sunt, & inde vocantur filii regni, de qua supra n: 3373; & ex significatione terrarum, quod sint rationalia quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, de

qua etiam fupra n: 3368, ita illi qui in rationalibus a Divino illuftratis funt, feu quod idem, in luce cœlefti, in qua luce quia folum funt illi, qui in Regno Domini funt in cœlis, hoc eft, in cœlo, & qui in Regno Domini funt in terris, hoc eft, in Ecclefiis, patet quod per terras has fignificentur Ecclefiæ; Ecclefiæ enim funt non ex eo quod ita dicantur, & quod profiteantur Nomen Domini, fed quod fint in bono & vero fidei; ipfum bonum & verum fidei eft, quod facit Ecclefiam, imo quod eft Ecclefia, nam in bono & vero fidei eft Dominus, & ubi Dominus ibi Ecclefia.

3380. Et benedicentur in femine tuo omnes gentes terræ, quod fignificet omnes qui in bono tam intra quam extra Ecclefiam, conftat a fignificatione benedici, quod fit fructificari in bono, & multiplicari in veris, de qua fupra n: 231. 981. 1422. 2846. 3140; a fignificatione feminis, quod fint bona & vera quæ a Domino, de qua fupra n: 3373; & a fignificatione gentium terræ, quod fint omnes qui in bono, quod gentes fint bona, feu quod idem, illi qui in bonis, videatur n: 1259. 1260. 1416. 1849; ita benedici in femine tuo omnes gentes terræ, fignificat quod a bono & vero quod a Domino falventur omnes qui in mutua charitate vivunt, five intra Ecclefiam five extra illam fint; quod Gentes, quæ extra Ecclefiam, qui in bono funt, æque falventur, videatur n: 593. 932. 1032. 1059. 1327. 1328. 2049. 2051. 2284. 2589 ad 2604. 2861. 2986. 3263.

3381. Propterea quod aufcultavit Abraham voci meæ, quod fignificet unionem Effentiæ Divinæ Domini cum Effentia Humana per tentationes, conftat ex repræfentatione Abrahami, quod fit Dominus etiam quoad Divinum Humanum, de qua n: 2833. 2836. 3251; & a fignificatione aufcultare voci meæ, cum prædicatur de Domino, quod fit unire Effentiam Divinam Humanæ per tentationes, nam ex his prædicatur obedientia in Verbo de Domino; fpectant hæc illa quæ de Abrahamo relata funt Capite XXII, nempe cum Deus *tentaret illum*, diceret ad eum, quod fumeret filium fuum, & offerret illum in holocauftum, Verf: 1. 2, cui voci cum aufcultavit, dicitur, "Nunc novi, quod timeas Deum tu, & non cohibuifti filium tuum unicum a Me: in Me juravi, dictum Jehovæ, quia propterea quod fecifti verbum hoc, & non cohibuifti filium tuum unicum tuum, quod benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo femen tuum ficut ftellas cœlorum," Verf: 12. 16. 17; quod per non cohibere filium tuum unicum a Me, quod erat aufcultare voci, fignificetur unitio Humani cum Divino per ultimum tentationis, videatur n: 2827. 2844: quod hæc intelligantur per aufcultare voci Jehovæ feu Patris, etiam a Domini verbis in Gethfemane patet, apud Matthæum, "Pater mi, fi poffibile eft, tranfeat a Me calix hic, *verumtamen non ficut Ego volo, fed ficut Tu:* rurfus fecunda vice, Pater Mi, fi non poteft hoc poculum tranfire a Me, nifi bibero illud, *fiat voluntas tua*," XXVI: 29. 42. Marc: XVI: 36. Luc: XXII: 42: at quia Jehovah feu Pater erat in Ipfo, feu Ipfe in Patre & Pater in Ipfo, Joh: XIV: 10. 11, per aufcultare voci Jehovæ intelligitur, quod Dominus univerit Divinum Humano per tentationes propria potentia, quod etiam conftat ab ipfis Domini verbis apud Johannem,

hannem, "Quemadmodum cognoſcit Me Pater, & Ego cognoſco Patrem, & *Animam meam pono pro ovibus*, propter hoc Pater Me amat, quod *Ego pono animam meam*, ut rurſus accipiam illam; *poteſtatem habeo ponendi illam, & poteſtatem habeo rurſus accipiendi illam*; hoc præceptum accepi a Patre Meo," x: 15. 17. 18. Quod Dominus univerit Eſſentiam ſuam Divinam Eſſentiæ Humanæ per tentationes propria potentia, videantur n: 1663. 1668. 1690. 1691 f. 1725. 1729. 1733. 1737. 1787. 1789. 1812. 1820. 2776. 3318 f.

3382. Et obſervavit obſervanda mea, præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas, quod ſignificet per continuas revelationes ex Se Ipſo, nempe ſicut per tentationes, etiam per illas univerit Eſſentiam Divinam Humanæ, conſtare poteſt ex eo, quod obſervare obſervanda, præcepta, ſtatuta & leges, involvant omnia Verbi, nempe obſervanda omnia ejus in communi, præcepta ejus interna, ſtatuta ejus externa, & leges omnia in ſpecie; hæc quia prædicantur de Domino, Qui ab æterno fuit Verbum, & a Quo omnia illa, in ſenſu interno non ſignificari poteſt, quod Ipſe illa obſervaverit, ſed quod illa Sibi Ipſi, cum in ſtatu unitionis Humani cum Divino fuit, revelaverit: hæc quidem prima ſpecie apparent remotiora a ſenſu literæ, etiam a proximo ſenſu interno, at uſque cum hæc verba leguntur ab homine, ille ſenſus eorum verborum in cœlo eſt; nam, ut aliquoties prius dictum & videri poteſt ab exemplis n: 1873. 1874, ſenſus literæ in aſcenſu verſus cœlum exuitur, & loco ejus alius cœleſtis ſubit, uſque adeo ut non cognoſci poſſit quod ſit inde; qui enim in cœlo ſunt, in idea ſunt quod omnia Verbi in ſenſu interno agant de Domino, & quoque quod omnia Verbi ſint a Domino, etiam cum fuit in mundo quod ex Divino ita ex Se Ipſo cogitaverit, & Sibi omnem intelligentiam & ſapientiam per continuas revelationes ex Divino acquiſiverit, ideo ex illis verbis non aliud percipiunt; nam obſervare obſervanda, præcepta, ſtatuta & leges, non prædicabilia ſunt de Domino, quia Ipſe fuit Verbum, proinde Ipſe Qui obſervandus, Ipſe præceptum, tum Ipſe Statutum, & Ipſe Lex, ſpectant enim omnia illa Ipſum, ut Primum ex Quo, ac ut Ultimum ad Quem; ideo per illa verba in ſenſu ſupremo non aliud ſignificari poteſt, quam Unitio Divini Domini cum Humano per continuas revelationes ex Se Ipſo: quod Dominus ex Divino, ita a Se Ipſo, cogitaverit, ſecus ac alii homines, videatur n: 1904. 1914. 1935; & quod Sibi Ipſi acquiſiverit intelligentiam & ſapientiam per continuas revelationes ex Divino, n: 1616. 2500. 2523. 2632. Quod obſervare obſervanda ſint omnia Verbi in communi, & quod præcepta ſint Verbi interna, ſtatuta Verbi externa, & quod leges ſint omnia Verbi in ſpecie, in genuino ſenſu, conſtare poteſt a multis locis in ſenſu interno ſpectatis, quorum aliqua licet afferre, ut apud Davidem, "Beati integri via, ambulantes in *Lege Jehovæ*; beati cuſtodientes *Teſtimonia Ipſius*; utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendum *Statuta tua: Statuta tua* cuſtodiam; ne deſere me uſque adeo: in toto corde meo quæſivi Te, ne aberrare me fac a *Præceptis tuis:* in corde meo abſcondi *Verbum tuum*, ut non

non peccem Tibi: benedictus Tu Jehovah, doce me *Statuta tua*; labiis meis narravi omnia *Judicia oris tui:* in via *Testimoniorum tuorum* lætor: in *Mandatis tuis* meditor; & respicio *Vias tuas:* in *Statutis tuis* delector; non oblivifcor *Verbi tui:* retribue servo tuo, ut vivam, & custodiam *Verbum tuum*, revela oculos meos, ut videam mirabilia e *Lege tua:* ne abscond a me *Præcepta tua:* vivifica me juxta *Verbum tuum:* doce me *Statuta tua*; *viam Mandatorum* fac me intelligere," Psalm: cxix: 1 ad 27; agitur ibi in toto psalmo de Verbo, & de illis quæ Verbi sunt, quæ quod sint præcepta, statuta, judicia, testimonia, mandata, viæ, patet, sed quid illa in specie significant, nullatenus ex sensu literæ videri potest, in illo vix nisi quam repetitiones ejusdem rei sunt, at ex sensu interno, in quo aliud prorsus per præcepta, aliud per statuta, & alia per judicia, testimonia, mandata, vias, significantur: similiter alibi apud Eundem, "*Lex Jehovæ* perfecta, reducens animam: *Testimonium Jehovæ* firmum, sapientem reddens simplicem: *Mandata Jehovæ* recta, lætificantia cor: *Præceptum Jehovæ* purum, illuminans oculos: timor Jehovæ mundus stans in æternum: *Judicia Jehovæ* veritas," Psalm: xix: 8. 9. 10: Et in Libro Regum, "David ad Salomonem, *Observabis observandum* Dei tui, ad ambulandum in *Viis Ipsius*, ad servandum *Statuta Ipsius*, & *Præcepta Ipsius*, & *Judicia Ipsius*, & *Testimonia Ipsius*, juxta scriptum in *Lege Mosis*," 1 Reg: 11: 3; observare observandum pro omnibus Verbi in communi, primo enim loco nominatur, & sequentia spectat ut minus communia, est enim observare observandum idem ac servare servandum. Apud Mosen, "Amabis Jehovam Deum tuum, & *observabis observandum Ipsius*, & *Statuta* & *Judicia Ipsius*, & *Præcepta Ipsius*, omnibus diebus," Deut: xi: 1; ubi observare observandum, seu servare servandum similiter pro omnibus Verbi in communi; statuta pro Verbi externis qualia sunt ritualia & quæ repræsentativa & significativa sensus interni sunt; præcepta autem pro Verbi internis, qualia sunt illa quæ sunt vitæ & doctrinæ; imprimis quæ sunt sensus interni; sed de significatione Præceptorum & Statutorum, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicendum.

3383. Vers: 6. 7. *Et habitabat Jischak in Gerar. Et interrogaverunt viri loci ad mulierem ejus, & dixit, soror mea illa, quia timuit dicere, mulier mea, forte occidant me viri loci propter Rebeccam, quia bona aspectu illa.* Habitabat Jischak in Gerar, significat statum Domini quoad illa quæ sunt fidei respective ad rationalia quæ adjungenda: Et interrogaverunt viri loci ad mulierem ejus, significat disquisitiones hominum de Divino Vero: & dixit, soror mea illa, significat verum rationale: quia timuit dicere mulier mea, forte occidant me viri loci propter Rebeccam, significat quod non potuit aperire ipsa Divina Vera, sic Divinum Bonum non reciperetur: quia bona aspectu illa, significat quod facile recipi posset, quod Divinum dicatur.

3384. Habitabat Jischak in Gerar, quod significet statum Domini quoad illa quæ sunt fidei respective ad rationalia quæ adjungenda, constat a significatione habitare in Gerar, quod sit esse in illis quæ fidei sunt, ita status quoad illa;

illa; habitare enim fignificat vivere n: 1293, & Gerar illa quæ funt fidei, n: 1209. 2504. 3365; & a repræfentatione Jifchaki, quod fit Dominus quoad Divinum Rationale, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630; quod fint refpective ad rationalia quæ adjungenda, conftat ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ fequuntur, nam agitur in toto hoc Capite de illis, nempe de rationalibus quæ illuftrata a Divino Domini funt apparentiæ veri. Quod Habitare fit effe & vivere, ita ftatus, patet a perpluribus locis in Verbo; ut apud Davidem, "*Habitabo in domo Jehovæ* in longitudinem dierum," Pfalm: XXIII: 6: "Unum petii a Jehovah, hoc quæram, *Habitem in domo Jehovæ*, omnibus diebus vitæ meæ," Pfalm: XXVII: 4: "*Non habitabit in medio domus meæ*, faciens dolum," Pfalm: CI: 7; ubi habitare in domo Jehovæ pro effe & vivere in bono amoris, nam hoc eft domus Jehovæ. Apud Efaiam, "*Habitantes in terra umbræ mortis*, lux effulfit fuper eos," IX: 1, habitantes in umbra mortis pro ftatu eorum qui in ignorantia boni & veri funt: apud Eundem, "Babel *non habitabitur* in æternum," XIII: 20, pro ftatu damnationis illorum qui Babel funt: apud Eundem, "Jehovah Deus Ifraelis *habitans Cherubos*," XXXVII: 16; "Paftor Ifraelis *habitans Cherubos*, effulge," Pfalm: LXXX: 2; habitans cherubos eft Dominus quoad ftatum Providentiæ, ne quis in fancta amoris & fidei nifi præparatus a Domino immittatur, n: 308: apud Davidem, "In pace fimul cubo & dormio, nam Tu Jehovah folus *fecurum me habitare facis*," Pfalm: IV: 9; fecurum facere habitare pro ftatu pacis. Apud Jeremiam, "*Quæ habitas fuper aquis multis*, magna thefauris, venit finis tuus, menfura lucri tui," LI: 13, de Babele, habitare fuper aquis multis, pro effe in cognitionibus de vero. Apud Danielem, "Deus Ipfe revelat profunda & abfcondita, novit quid in tenebris, & *lux cum eo habitat*," ii: 22, habitare pro effe: apud Eundem, "Sub arbore illa umbram habebat beftia agri, & *in ramis ejus habitabant aves cœli*," IV: 9; & apud Ezechielem, "Sub ramis ejus pepererunt omnis fera agri, *& in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnæ*," XXXI: 6, habitare pro effe & vivere. Apud Hofcheam, "Area & torcular non pafcet eos, & muftum mentietur illi, *non habitabunt in terra Jehovæ*, & revertetur Ephraim Ægyptum," IX: 2. 3, non habitare in terra Jehovæ, pro non effe in ftatu boni amoris, ita non in Regno Domini.

3385. Et interrogaverunt viri loci ad mulierem ejus, quod fignificet difquifitiones hominum de Divino Vero, conftat ex fignificatione interrogare, quod fit difquirere; a fignificatione virorum loci nempe Geraris, quod fint illi qui in doctrinalibus fidei, quod Gerar fint illa quæ fidei, videatur n: 1209. 2504, ita viri loci funt homines talis ftatus; & ex fignificatione mulieris, hic Rebeccæ, quod fit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013. 3077. In illis quæ præcedunt actum eft de apparentiis veri, quod exiftant per influxum Divinum a Domino in rationalia hominis, hic nunc agitur de receptione illarum, & quidem primo ab illis qui in doctrinalibus fidei funt, & intelliguntur per viros loci feu Geraris, ac funt ex prima claffe illorum qui Spirituales vocantur; hi enim quia non perceptionem habent,

bent, sicut cœlestes, & in obscuro sunt respective, n: 1043. 2088. 2669. 2708 pr. 2715. 2718. 2831. 3235. 3241. 3246, disquirunt num ita sit, tum num Divinum Verum sit; & quia non perceptionem habent, num sit, datur illis tale quod apparet sicut verum, & hoc secundum rationale eorum, hoc est, secundum captum, sic enim recipitur; cuique permittitur credere veris sicut illa capit; si non id, non foret receptio, quia non aliqua agnitio: de his nunc agitur.

3386. Et dixit soror mea illa, quod significet verum rationale, constat a significatione sororis, quod sit verum rationale, de qua n: 1495. 2508. 2524. 2556; per verum rationale intelligitur illud quod apparet sicut verum secundum captum seu coram rationali, ut mox supra dictum. Arcanum quod Jischakus dixerit Rebeccam esse sororem suam, sicut Abrahamus prius in Ægypto, Gen: XII: 11. 12. 13. 19, & postea in Gerare, Gen: XX: 2. 5. 12, dixerat Saram esse sororem suam, simile involvit, ut videri potest ab explicatione ad illa loca; & quia simile tribus vicibus contigerat, & quoque illa memorantur in Verbo, constat quod arcanum maximi momenti sit, quod inest, quod nusquam alicui notum esse potest quam ex sensu interno; quid autem sit, patet ab illis quæ sequuntur.

3387. Quia timuit dicere mulier mea, forte occidant me viri loci propter Rebeccam, quod significet quod non potuit aperire ipsa Divina vera, sic Divinum Bonum non reciperetur, constat ex significatione timere dicere, quod sit non posse aperire; ex significatione mulieris, hic Rebeccæ, quod sit Divinum Domini Rationale quoad Divinum Verum, de qua n: 3012. 3013. 3077; ex significatione occidere me, quod sit non recipi bonum, per Jischakum enim, qui hic est *Me*, repræsentatur Divinum Bonum Rationalis Domini, n: 3012. 3194. 3210; tunc enim bonum dicitur occidi seu perire, cum non recipitur, nam fit nullum apud eum; & ex significatione virorum loci, quod sint illi qui in doctrinalibus fidei, de qua mox supra n: 3385; ex his nunc patet, quis sensus internus illorum verborum est, nempe si aperirentur ipsa vera Divina, quod ab illis qui in doctrinalibus fidei, non reciperentur, quia omnem eorum rationalem captum, ita omnem eorum fidem excedunt, & consequenter nihil boni a Domino influere posset, Bonum enim a Domino, seu Bonum Divinum, non influere potest nisi in vera, sunt enim vera vasa boni, ut multoties ostensum; vera seu apparentiæ veri sunt homini data propterea, ut Divinum Bonum queat intellectuale ejus formare, ita ipsum hominem, nam ob finem ut influere possit bonum sunt vera, bonum enim absque vasis seu receptaculis non invenit locum, quia non statum sibi correspondentem, quapropter ubi non vera, seu ubi illa non recepta, ibi nec bonum rationale aut humanum, consequenter non homini aliqua vita spiritualis; ut itaque usque homini sint vera, & illi inde vita spiritualis, dantur apparentiæ veri, & quidem cuivis secundum suum captum, quæ apparentiæ agnoscuntur pro veris, quia sunt tales, ut in illis Divina possint esse. Ut sciatur quid apparentiæ, & quod illæ sint quæ pro veris Divinis homini inserviunt, sint illustrationi exempla; si diceretur quod in cœlo nulla idea loci, ita nulla distantiæ sit, sed quod pro illis sint ideæ status; hoc ab homine ne-

quaquam capi poffet, fic enim crederet quod nihil diftinctum foret, fed confufum, omnes nempe in uno feu fimul, cum tamen omnia ibi tam diftincta funt, ut nufquam diftinctius dari queat; quod loca, diftantiæ, & fpatia, quæ in natura, fint ftatus in cœlo, videatur n: 3356; inde patet, quod quicquid ufque in Verbo dicitur de locis & fpatiis, & ex illis, & per illa, fint apparentiæ veri, & nifi per apparentias illas diceretur, nufquam reciperetur, confequenter vix aliquid, nam idea fpatii & temporis ineft pæne omnibus & fingulis cogitationis apud hominem, quamdiu eft in mundo, hoc eft, in fpatio & tempore: quod fecundum apparentias fpatii loquutum fit in Verbo, conftat pæne ab omnibus & fingulis ibi, ut apud Matthæum, " Dixit Jefus, quomodo dicit David, Dominus Domino meo, fede *a dextris meis*, donec pofuero inimicos tuos *fcabellum pedum* tuorum," XXII: 41, ubi federe a dextris eft ex idea loci, ita fecundum apparentiam, cum tamen eft ftatus potentiæ Divinæ Domini qui fic defcribitur: apud Eundem, " Jefus dixit, ex nunc videbitis Filium hominis *fedentem ex dextris potentiæ*, & venientem *fuper nubibus cœli*," XXVI: 64, fimiliter hic federe a dextris ut & venire fuper nubibus, funt ex idea loci hominibus, fed eft idea potentiæ Domini Angelis: apud Marcum, " Filii Zebedæi dixerunt ad Jefum, da nobis ut unus *a dextris tuis*, & alter *a finiftris tuis* fedeamus in gloria tua: Jefus refpondit, federe a *dextris meis*, & a *finiftris meis*, non eft meum dare, fed quibus paratum eft," X: 37. 40; inde patet, qualem ideam de Regno Domini habuerunt difcipuli, quod nempe effet federe a dextris & a finiftris; & quia illis talis idea, etiam Dominus fecundum captum eorum refpondit, ita fecundum quod apparuit illis. Apud Davidem, " Hic ficut fponfus *exiens e conclavi fuo*, gaudet ficut heros ad currendum viam, a *fine cælorum* exitus Ipfius, & *circuitio Ipfius* ad *fines* eorum," Pfalm: XIX: 6. 7; ibi de Domino, cujus Divinæ potentiæ ftatus defcribitur per talia quæ funt fpatii. Apud Efaiam, " Quomodo *cecidifti de cælo*, Lucifer, fili Auroræ, dixifti in corde tuo, in *cælos afcendam*, fupra ftellas cœli *exaltabo thronum* meum, *afcendam fuper excelfa nubis*," XIV: 12. 13. 14, cadere de cœlo, afcendere cœlos, fupra ftellas cœli exaltare thronum, afcendere fuper excelfa nubis, funt omnia ex idea & apparentia fpatii feu loci, per quæ amor fui prophanans fancta defcribitur. Quia cœleftia & fpiritualia per talia quæ apparent, & fecundum illa, coram homine fiftuntur, ideo cœlum quoque defcribitur, ficut quod in alto fit, cum tamen non in alto fed in interno eft, n: 450. 1380. 2148.

3388. Quia bona afpectu illa, quod fignificet quod facile recipi poffet ex eo quod Divinum dicatur, conftat ex fignificatione boni afpectu, quod fit illud quod a forma placet, ita quod facile recipitur: Agitur de illis qui in doctrinalibus fidei funt, & nullam perceptionem veri a bono habent, fed modo confcientiam veri ex eo quod ita illis a parentibus & magiftris dictum, qui funt qui vocati viri loci feu Geraris, n: 3385. 3387; illis primum confirmationis veri eft, quod Divinum dicatur, ftatim enim tunc illis eft idea fancti, quæ dat univerfalem confirmationem omnibus & fingulis quæ dicuntur, & hoc tametfi id non capiunt; at ufque quæ dicuntur erunt adæquata

captui illorum; non enim ſatis eſt, ut homo ſciat quod ſit, ſed etiam ſcire vult quid ſit, & quale ſit, ut inde aliqua confirmatio accedat parti intellectuali, & viciſſim ab ea; ſi non hoc, quidem induci poteſt memoriæ, ſed ibi non manet aliter quam res mortua ſicut res ſoni, & niſi confirmantia aliqua illud infixerint, undecunque illa ſint, diſſipatur ſicut reminiſcentia cujuſdam rei modo ſonantis.

3389. Verſ: 8. 9. *Et factum, quia prolongabantur ei ibi dies, & proſpexit Abimelech rex Philiſtæorum trans feneſtram, & vidit, & ecce Jiſchak ridens cum Rebecca muliere ſua. Et vocabat Abimelech Jiſchakum, & dixit, atqui ecce mulier tua illa, & quomodo dixiſti, ſoror mea illa; & dixit ad illum Jiſchak, quia dixi, forte moriar propter illam.* Factum quia prolongabantur ei ibi dies, ſignificat ſtatum receptionis: & proſpexit Abimelech rex Philiſtæorum trans feneſtram, & vidit, ſignificat doctrinam fidei ſpectantem rationalia in cognitionibus: & ecce Jiſchak ridens cum Rebecca muliere ſua, ſignificat quod Divinum Bonum adeſſet in Divino Vero: Et vocabat Abimelech Jiſchakum & dixit, ſignificat Domini perceptionem ex doctrina: atqui ecce mulier tua illa, & quomodo dixiſti, ſoror mea illa, ſignificat ſi Divinum Verum, non quoque rationale eſſet: & dixit ad illum Jiſchak, quia dixi, forte moriar propter illam, ſignificat quod non reciperetur.

3390. Factum quia prolongabantur ei ibi dies, quod ſignificet ſtatum receptionis, conſtat ex ſignificatione prolongare ibi ei, nempe Jiſchako, quod ſit, cum Divinum Bonum, quod per Jiſchakum repræſentatur, aliquamdiu ibi eſſet, quod reciperetur verum, de receptione enim veri a ſpiritualibus, in ſenſu interno agitur; & a ſignificatione dierum, quod ſint ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788.

3391. Et proſpexit Abimelech rex Philiſtæorum trans feneſtram, & vidit, quod ſignificet doctrinam fidei ſpectantem rationalia in cognitionibus, conſtat ex repræſentatione Abimelechi, quod ſit doctrina fidei ſpectans rationalia, de qua n: 2504. 2509. 2510. 2530; & a ſignificatione regis Philiſtæorum, quod ſint doctrinalia, de qua n: 3365: & a ſignificatione feneſtræ, quod ſit intellectuale, de qua n: 655. 658, proinde viſus internus, nam hic olim ſignificatus eſt per feneſtras; ita proſpicere trans feneſtram eſt percipere illa quæ per viſum internum apparent, hæc in genere ſunt cognitiones, quæ ſunt Externi hominis; rationalia, ſeu quod idem, apparentiæ veri, hoc eſt, vera ſpiritualia, non ſunt cognitiones ſed in cognitionibus, ſunt enim Rationalis, ita Interni hominis, ac Internus homo eſt qui ſpectat illa quæ ſunt Externi, ita vera in cognitionibus; nam cognitiones, quia ſunt Naturalis hominis, ſunt vaſa recipientia rationalium; quod Vera Divina influant in Rationale, & per hoc in Naturale, & in hoc ſiſtantur ſicut multorum imago in ſpeculo, videatur n: 3368. Quod feneſtræ ſint illa quæ ſunt Viſus interni, hoc eſt, intellectus, quæ una voce intellectualia vocantur, conſtat ab illis locis Verbi, quæ n: 655 allata ſunt, & adhuc ab his; apud Joelem, "In urbe diſcurrent, in muro current, in domos aſcendent, *per feneſtras ingredientur* ſicut fur," ii: 9; ibi de malis & falſis ultimorum dierum Eccleſiæ; in domos aſcendere

ascendere pro destruere bona quæ sunt voluntatis, quod domus sint bona quæ voluntatis, videatur n: 710. 2233. 2234; & ingredi per fenestras pro destruere vera ac eorum cognitiones quæ sunt intellectus. Apud Zephaniam, "Extendet Jehovah manum suam super septentrionem, & perdet Aschurem, cubabunt in medio ejus catervæ, omnis fera ejus gentis, etiam platea & anataria in malogranatis ejus pernoctabunt, *vox cantabit in fenestra*, siccitas in limine, quia cedrum denudavit," ii: 14; ubi de destructione veritatum fidei per ratiocinationes, quæ sunt Aschur, n: 119. 1186; vox cantabit in fenestra pro desolatione veri, ita facultatis intellectualis quoad verum. In Libro Judicum, "*Per fenestram prospexit*, & exclamavit mater Siseræ per *cancellos*, quare tardat currus ejus venire," v: 28, Propheticum Deboræ & Baraki, de Ecclesiæ spiritualis resuscitatione, per fenestram prospicere, pro per ratiocinia illorum qui vera negant, & sic illa quæ Ecclesiæ sunt, destruunt, illa enim sunt intellectualia in opposito sensu. Apud Jeremiam, "Væ ædificanti domum suam sine justitia, & hyperoa sua sine judicio, qui dicit, ædificabo mihi domum mensurarum, & hyperoa spatiosa, & *exscindit sibi fenestras*, & tabulata cedro, & pingit minio," XXII: 13. 14; ædificare domum sine justitia & hyperoa sine judicio, pro condere religiosum ex non bono & non vero, quod justitia & judicium sit bonum & verum, videatur n: 2235; exscindere sibi fenestras & tabulata cedro & pingere minio, pro vera intellectualia & spiritualia falsificare. Fenestræ Templi Hierosolymetani nec aliud repræsentarunt quam illa quæ intellectualium sunt, ita quæ spiritualium; similiter ac significant fenestræ Novi Templi, de quibus apud Ezechiel: Cap: XL: 16. 22. 25. 33. 36. Cap: XLI: 16. 26; nam quod Novum Templum, Nova Hierosolyma, & Nova Terra, apud Prophetam illum, non aliud sint, quam Regnum Domini, quisque videre potest, ita quod illa, quæ memorantur de illis, sint talia quæ sunt Regni.

3392. Et ecce Jischak ridens cum Rebecca muliere sua, quod significet quod Divinum Bonum adesset in Divino Vero, seu quod Divino Bono adjunctum Divino Vero esset, constat ex repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Bonum Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3194. 3210; ex significatione ridere, quod sit amor seu affectio veri, de qua n: 2072. 2216; & ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013. 3077; inde patet, quod Jischak ridens cum Rebecca muliere sua, significet quod Divinum Bonum cum Divino Vero adesset; sensus illorum in serie est, quod Verum spirituale recipiatur primum ex causa, quia Divinum vocatur, postea quia in illo Divinum est, quod perspiciunt illi qui regenerantur & spiritualis Ecclesiæ homines fiunt; hi sunt qui intelliguntur per Abimelechum, hoc est, illi qui in doctrina fidei sunt, & spectant vera in cognitionibus, de quibus mox supra n: 3391.

3393. Et vocabat Abimelech Jischakum & dixit, quod significet Domini perceptionem ex doctrina, constat ex repræsentatione Abimelechi, quod sit Doctrina spectans rationalia, de qua n: 2504. 2509. 2510. 2530. 3391; ex repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale Domini, de qua supra;

& ex ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2862; & quia Abimelech ſignificat doctrinam illam, in qua nunc Divinum perceptum eſt n: 3392, ita per Abimelechum etiam repræſentatur Dominus quoad illam; nam omnia & ſingula quæ in Verbo in ſupremo ſenſu ſe referunt ad Dominum; eſtque Dominus ipſa Doctrina, hoc eſt, Verbum, non modo quoad ſenſum ſupremum ibi, ſed etiam quoad ſenſum internum, etiam quoad ſenſum literalem, hic enim ſenſus eſt repræſentativus & ſignificativus ſenſus interni, & hic repræſentativus & ſignificativus ſenſus ſupremi; & quod in Verbo repræſentativum & ſignificativum eſt, hoc in eſſentia ſua eſt illud quod repræſentatur & ſignificatur, ita eſt Divinum Domini; repræſentativum enim non eſt niſi imago illius qui repræſentatur, & in imagine eſt Ipſe qui ſiſtitur; ut patere poteſt a loquela hominis etiam a geſtu ejus, illa nempe loquela & hic nempe geſtus, ſunt modo imagines illorum quæ exiſtunt intus in homine, in ejus cogitatione & voluntate, ſic ut loquela & geſtus ſint cogitatio & voluntas in forma; ſi enim cogitationem & voluntatem inde auferres, reliquum foret modo inanimatum quid, ita nihil humani; inde conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum Verbo, etiam in litera, quod nempe Divinum ſit.

3394. Atqui ecce mulier tua illa, & quomodo dixiſti ſoror mea illa, quod ſignificet ſi Divinum Verum non quoque rationale eſſet, conſtat ex ſignificatione mulieris, hic Rebeccæ, quod ſit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013. 3077; & ex ſignificatione ſororis, quod ſit verum rationale; de qua n: 3386; ita, ecce mulier tua illa & quomodo dixiſti ſoror mea illa, ſignificat quia Divinum Verum eſt, quod non poſſit rationale eſſe. Cum hoc arcano ita ſe habet; Spirituales quia non perceptionem habent, ſicut cœleſtes, non ſciunt quod Divinum Verum ſiat rationale verum apud hominem cum regeneratus eſt; ajunt quidem quod omne bonum & omne verum a Domino, at uſque cum illa exiſtunt in rationali illorum, autumant uſque quod bonum & verum ſit illorum, ita quaſi ab illis, non enim ſeparari poſſunt a proprio, quod hoc vult; cum tamen id apud Cœleſtes ſe ita habet, quod percipiant Divinum Bonum & Verum in rationali, hoc eſt, in rationalibus, quæ a Divino Domini illuſtrati ſunt apparentiæ veri, n: 3368, etiam in naturali, hoc eſt, in ſcientificis ac ſenſualibus, & quia cœleſtes in tali ſtatu ſunt, agnoſcere poſſunt quod omne bonum & verum a Domino influat, ut & quod perceptivum boni & veri ſit, quod illis communicatur & appropriatur a Domino, ac facit illorum jucundum, beatum & felix; inde erat, quod Antiquiſſimi, qui cœleſtes homines fuerunt, in objectis ſingulis, quæ oculis videbant, non niſi quam cœleſtia & ſpiritualia perceperint, n: 1409: quia hic de Spirituali homine regenerato, qui Divinum Bonum in nova voluntate, & Divinum Verum in novo intellectu, per regenerationem a Domino accepit, & quia illi non in alia perceptione ſunt, quam ſi rationale eſſet non poſſet eſſe Divinum, ut ſupra dictum, ita ſi Divinum quod nihil commune haberet cum rationali, ideo hic dicitur, ſi Divinum Verum non quoque rationale eſſet: hæc quoque cauſa eſt, quod velint, ut illa quæ ſunt fidei, ſimpliciter credantur abſque aliqua intuitione a rationali, non

non ſcientes, quod nuſquam aliquid fidei, ne quidem arcaniſſimum ejus, capiatur ab aliquo homine abſque idea aliqua rationali, etiam naturali, ſed quali, ille non novit, n: 3310 f; per id quidem ſe tutari poſſunt adverſus illos, qui de omnibus & ſingulis ex negativo ratiocinantur num ita ſit, n: 2568. 2588; at illis qui in affirmativo ſunt de Verbo, quod nempe credendum, eſt talis poſitio damnoſa, ſic enim poſſunt cujuſvis liberum cogitandi auferre, & conſcientiam ligare etiam ad maxime hæreticum, dominando ſic ſuper hominis interna & externa; illa & hæc ſunt, quæ ſignificantur per quod Abimelechus dixit ad Jiſchakum, ecce mulier tua illa, & quomodo dixiſti ſoror mea illa.

3395. Et dixit ad illum Jiſchak, quia dixi, forte moriar propter illam, quod ſignificet quod non reciperetur, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 3387, dicta ſunt, ad illa verba, " quia timuit dicere mulier mea, forte occidant me viri loci propter Rebeccam. Quod dicere, ſignificet percipere & cogitare, hic manifeſtius patet, quam alibi.

3396. Verſ: 10. 11. *Et dixit Abimelech, quid hoc feciſti nobis, ut parum cubaret unus populi cum muliere tua & adduxiſſes ſuper nos reatum. Et præcepit Abimelech omni populo, dicendo, tangens virum illum & mulierem ejus, moriendo morietur.* Dixit Abimelech, quid hoc feciſti nobis, ſignificat indignationem: ut parum cubaret unus populi cum muliere tua, & adduxiſſes ſuper nos reatum, ſignificat quod adulterari potuiſſet & ſic prophanari: Et præcepit Abimelech omni populo, dicendo, ſignificat decretum: tangens virum illum & mulierem ejus moriendo morietur, ſignificat quod Divinum Verum & Divinum Bonum non aperiendum, & uſque ad illud non accedendum fide, ex periculo damnationis æternæ ſi prophanaretur.

3397. Dixit Abimelech, quid hoc feciſti nobis, quod ſignificet indignationem, conſtare poteſt abſque explicatione.

3398. Ut parum cubaret unus populi cum muliere tua, & adduxiſſes ſuper nos reatum, quod ſignificet quod adulterari potuiſſet, & ſic prophanari, conſtat a ſignificatione cubare, quod ſit perverti ſeu adulterari; a ſignificatione unius populi, quod ſit aliquis ab Eccleſia, nempe ſpirituali, de qua n: 2928; a ſignificatione mulieris, hic Rebeccæ, quod ſit Divinum Verum, de qua ſupra; & a ſignificatione reatus, quod ſit culpa prophanationis veri; inde patet, quod ut parum cubaret unus populi cum uxore tua, & adduxiſſes ſuper nos reatum, ſit quod Divinum Verum ab aliquo in Eccleſia facile potuiſſet adulterari, & culpam prophanationis veri ſibi inducere. Supra n: 3386 dictum, quod quia Abrahamus bis Saram uxorem ſuam dixerit ſororem, primum in Ægypto, & dein in Gerar apud Abimelechum, & quod Jiſchakus ſimiliter Rebeccam mulierem ſuam dixerit ſororem etiam apud Abimelechum, & quia tria illa in Verbo quoque memorantur, quod arcaniſſimum quoddam ſit, cur ita; ipſum arcanum in his in ſenſu interno patet, nempe quia per ſororem ſignificatur rationale, & per mulierem Divinum verum, & quod rationale dictum, hoc eſt, ſoror, ne Divinum Verum quod eſt mulier, hic Rebecca, adulteraretur, & ſic prophanaretur. Cum Prophanatione veri ita ſe habet,

habet, quod Divinum Verum nequaquam possit prophanari, quam ab illis qui prius id agnoverunt, illi enim primum intrarunt per agnitionem & fidem in verum, & sic ei initiati sunt, cum dein recedunt ab illo, tunc continue manet vestigium ejus intus impressum, quod simul revocatur quando falsum & malum, inde verum, quia illis adhaerescit, prophanatur; ideo illi, apud quos hoc fit, in se continue habent quod damnat, ita sui infernum; infernales enim cum ad sphaeram ubi bonum & verum, approximant, illico sentiunt suum infernum, nam veniunt in illud quod odio habent, consequenter in cruciatum, qui itaque prophanarunt verum, habitant continue cum illo quod eos cruciat, & hoc secundum gradum prophanationis: quia ita est, summopere providetur a Domino, ne Divinum Bonum & Verum prophanetur; & providetur imprimis per id, quod homo, qui talis est, ut non possit aliter quam prophanare, detineatur tam procul ab agnitione & fide veri & boni, quantum possit, nam, ut dictum, nemo prophanare potest, quam qui prius agnovit & credidit: illa causa fuit, quod posteris Jacobi, Israelitis & Judaeis, non detecta fuerint vera interna, ne quidem aperte dictum, quod aliquid internum in homine esset, ita quod aliquis internus cultus sit, & vix aliquid de vita post mortem, & de Regno Coelesti Domini, seu Messiae quem exspectarunt; causa fuit, quia tales erant, quod praevisum, quod si illis detecta fuissent, non potuissent aliter quam illa prophanavisse, non enim aliud voluerunt quam terrestria; & quia generatio illa talis fuit, & quoque talis est, permittitur etiam adhuc ut sint prorsus in incredulitate; si enim semel agnovissent, & dein recessissent, tunc non potuissent aliter quam inducere sibi omnium gravissimum infernum. Illa quoque causa fuit, quod Dominus non prius in mundum venit, & interna Verbi revelavit, quam cum prorsus nullum bonum, ne quidem bonum naturale, apud illos residuum esset, tunc enim amplius non recipere potuerunt aliquod verum usque ad agnitionem internam, nam bonum est quod recipit, ita non prophanare; talis status erat qui intelligitur per plenitudinem temporum, & per consummationem saeculi, etiam per ultimum diem, de quo multis apud prophetas: eadem etiam causa est, quod nunc revelentur arcana sensus interni Verbi, quia hodie vix aliqua fides est, quia non aliqua charitas, ita quia consummatio saeculi est, & cum haec, tunc revelari possunt absque periculo prophanationis, quia non interius agnoscuntur. Propter hoc arcanum est, quod in Verbo memoretur de Abrahamo & Jischako, quod uxores suas in Gerare apud Abimelechum vocaverint sorores. Videantur porro illa quae prius de eadem re dicta & ostensa sunt, nempe, quod prophanare possint, qui agnoscunt, non autem qui non agnoscunt, minus qui non sciunt, n: 593. 1008. 1010. 1059. Quid periculi a prophanatione sanctorum & Verbi, n: 571. 582. Quod qui intra Ecclesiam sunt, prophanare possint sancta, non autem qui extra, n: 2051. Quod provideatur a Domino ne prophanatio fiat, n: 1001. 2426. Quod cultus fiat externus ne prophanetur internus, n: 1327. 1328. Quod teneantur in ignorantia, ne prophanentur vera fidei, n: 301. 302. 303.

3399. Quod cubare cum muliere in ſenſu interno ſit pervertere & adulterare verum, hic Verum Divinum, quia per mulierem ſeu Rebeccam repræſentatur Divinum Verum, ut ſupra oſtenſum, conſtare poteſt ex eo, quod per concubitus, adulteria & meretricatus in Verbo non aliud ſignificetur quam perverſiones boni, & falſificationes veri, ut n: 2466. 2729 oſtenſum; & hoc ex cauſa, quia adulteria ſunt prorſus contra amorem conjugialem, adeo ut ſint ejus deſtructiva, & amor conjugialis eſt ex conjugio boni & veri, n: 2508. 2618. 2727 ad 2759. 3132, ideo illa quæ contra bonum & verum ſunt, ſeu quæ illa deſtruunt, vocantur in Verbo adulteria. Sed ſciendum, quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, non poſſint adulterare bonum uſque adeo ut prophanent illud, ex cauſa quia non poſſunt recipere bonum uſque ad perceptionem ejus, ſicut cœleſtes; ſed quod poſſint prophanare verum, quia hoc poſſunt agnoſcere; ſed ultimo tempore Eccleſiæ, nec poſſunt agnoſcere verum, quia tunc apud illos univerſaliter regnat incredulitas de Domino, de vita poſt mortem, & de interno homine, & incredulitas, quæ univerſaliter regnat, facit, ut vera fidei non interius penetrent; univerſale apud unumquemvis limitat & arcet, ne talia penitius intrent, etiam homine neſciente, & quoque cum autumat ſe credere: at qui prophanare bonum poſſunt, ſunt ab Eccleſia cœleſti, illi enim uſque ad perceptionem poſſunt recipere illud; ut quoque factum eſt ab Antediluvianis, qui ideo ſecluſi ab omnibus detinentur in inferno ſeparato ab infernis aliorum, de quibus videatur n: 1265 ad 1272; & ne prophanatio boni amplius exiſteret, ſignificatur per quod Jehovah, ejecto homine, habitare fecerit ab oriente ad hortum Edenis Cherubos, & flammam gladii vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam arboris vitarum," Gen: III: 24, de quibus n: 308. 310.

3400. Quod reatus ſit culpa ſeu imputatio peccati & prævaricationis contra bonum & verum, conſtare poteſt ab illis locis in Verbo, ubi reatus nominatur, & quoque deſcribitur; ut apud Eſaiam, "Jehovah velit conterere Illum, & infirmavit; *ſi poſueris reatum animam ſuam*, videbit ſemen, prolongabit dies, & voluntas Jehovæ per manum Ipſius proſperabitur," LIII: 10, de Domino; ponere reatum animam ſuam, pro peccato Ipſi imputato, ita pro culpa ab oſoribus; non quod in ſe peccati aliquid derivaverit, ut auferret. Apud Ezechielem, "Per ſanguinem quem effudiſti, *reatum habuiſti*, & per idola tua, quæ feciſti, polluta es," XXII: 4, effundere ſanguinem, pro violentiam inferre bono, n: 374. 376. 1005, inde reatus. Apud Davidem, "Oſores juſti *reatum habebunt*, redimens Jehovah animam ſervorum ſuorum; *nec reatum habebunt* omnes confidentes Ipſi," Pſalm: XXXIV: 22. 23, ita reatus pro omni peccato, quod manet; ejus ſeparatio per bonum a Domino, eſt Redemptio, quæ repræſentata quoque eſt per Expiationem a Sacerdote, quando obtulerunt ſacrificium reatus, de quibus Levit: V: 1 ad 26. Cap: VII: 1 ad 10. Cap: XIX: 20. 21. 22. Num: V: 1 ad 8, ubi etiam recenſentur genera Reatus, quæ ſunt, quod audiverint vocem maledictionis & non indicaverint: quod tetigerint immundum quodcunque: quod juraverint

rint ad faciendum malum: quod peccaverint per errorem de fanctis Jehovæ: quod fecerint unum de præceptis quæ non fieri debent: quod negaverint proximo fuum depofitum: quod invenerint amiffum, & negaverint juraverintque in mendacio: quod cubuerint cum muliere quæ ancilla mancipata viro, non redemta, nec manumiffa: quod fecerint de omnibus peccatis contra hominem, prævaricando prævaricationem contra Jehovam.

3401. Et præcepit Abimelech omni populo dicendo, quod fignificet decretum, conftat ex fignificatione præcipere, quod fit decretum facere; ex repræfentatione Abimelechi, quod fint illi qui in doctrina fidei, de qua n: 3392; & in fupremo fenfu Dominus, n: 3393; & ex fignificatione populi, quod fint illi qui ab Ecclefia fpirituali, de qua n: 3398, inde patet, quod præcepit Abimelech omni populo, fignificet decretum a Domino in Ecclefia fpirituali; ipfum decretum eft quod fequitur, nempe quod Divinum Verum & Divinum Bonum non aperiendum, & ufque ad illud non accedendum fide, ex periculo damnationis æternæ fi prophanetur; de quo nunc fequitur.

3402. Quod tangens virum illum & mulierem ejus, moriendo morietur, fignificet quod Divinum Verum & Divinum Bonum non aperiendum, & ufque ad illud non accedendum fide, ex periculo damnationis æternæ fi prophanetur, conftat ex fignificatione tangere virum illum & mulierem ejus, quod fit accedere ad Divinum Verum & Divinum Bonum, quæ repræfentantur per Jifchakum & Rebeccam; verum hic primo loco dicitur, & bonum altero, quia agitur de illis qui in Ecclefia Spirituali funt, qui adulterare, imo prophanare verum poffunt, non autem bonum, & quia ita, dicitur vir & mulier, videatur n: 915. 2517; & a fignificatione moriendo mori, quod fit damnatio æterna, quæ eft mors fpiritualis, hic ex prophanatione, de qua agitur. Quod ex Providentia Domini fit, quod nemo admittatur in bonum & verum, hoc eft, in agnitionem & affectionem eorum, ulterius quam in illis permanere poffit, ob periculum damnationis æternæ, videatur fupra n: 3398: fe habet cum bono & vero, ut aliquoties prius dictum & oftenfum, quod illa apud hominem introrfum fe recipiant, quantum ille in malo & falfo eft, proinde quod angeli qui e cœlo apud illum funt, tantum recedant, & fpiritus diabolici qui ab inferno, tantum accedant; ita viciffim; remotio boni & veri proinde, Angelorum ab homine, qui eft in malo & falfo, non apparet ei, quia tunc in perfuafione eft quod malum fit bonum, & falfum fit verum, & hoc ex affectione eorum & inde jucundo, in quo ftatu cum eft, nequaquam fcire poteft, quod bonum & verum ab illo remotum fit: tunc bonum & verum, feu angeli ab homine removeri dicuntur, cum non illis afficitur, hoc eft, quando illum non amplius delectant, fed viciffim quando illis quæ amoris fui & amoris mundi funt, afficitur, hoc eft, quando illum hæc tantummodo delectant: fcire bonum & verum, feu memoria tenere, ac ore ferre illa, non eft bonum & verum habere, fed affici illis ex corde; nec eft bonum & verum habere, cum quis afficitur illis ex caufa lucrandi famam & opes

opes per illa, tunc non illis, sed honore & lucro afficitur, & ea facit media obtinenda illa; apud tales in altera vita auferuntur bona & vera, quæ sciverunt, etiam prædicarunt, at amor sui & mundi, ex quibus vita eorum, manet. Ex his constare potest, quomodo se habet cum bono & vero, quod nempe nemini liceat ad illa accedere affectione & fide, si non talis sit, ut permanere in illis queat ad finem vitæ suæ; qui autem prophanant, detineri inde nequeunt.

3403. Vers: 12. 13. 14. *Et seminavit Jischak in terra illa, & invenit in anno illo centum mensuras, & benedixit ei Jehovah. Et crevit vir, & ivit eundo & crescendo, usque ut magnus factus valde. Et fuit ei acquisitio gregis, & acquisitio armenti, & servitium multum; & invidebant ei Philistæi.* Seminavit Jischak in terra illa, significat vera interiora apparentia ad rationale, quæ a Domino: & invenit in anno illo centum mensuras, significat abundantiam: & benedixit ei Jehovah, significat quoad bonum amoris in illis: Et crevit vir, & ivit eundo & crescendo, usque ut magnus factus valde, significat incrementa: Et fuit ei acquisitio gregis & acquisitio armenti, significat quoad bonum interius, & quoad bonum exterius: & servitium multum, significat inde verum: & invidebant ei Philistæi, significat quod qui in scientia sola cognitionum non caperent.

3404. Seminavit Jischak in terra illa, quod significet vera interiora apparentia ad rationale, quæ a Domino, constat a significatione seminare, quod sit in supremo sensu Divinum Verum quod a Domino Qui est seminans, n: 3038, in sensu interno est verum & bonum apud hominem, quod inde, n: 3373; & a significatione terræ, quod sint rationalia quæ a Divino illustrata sunt apparentiæ veri, n: 3368, seu quod idem, Vera interiora apparentia ad rationale, quæ a Domino; quæ apparentiæ seu quæ vera sunt superioris gradus, nam usque ad Vers: 14 de illis in sensu interno agitur; in illis veri apparentiis sunt Angeli, & sunt tales ut intellectum hominis, quamdiu is vivit in mundo, immensum transcendant. Ut adhuc constare possit, quid apparentiæ veri, sit quoque hoc exemplum; notum est, quod Divinum sit Infinitum quoad Esse, ab Æternum quoad Existere, & quod finitum non capax sit comprehendere Infinitum, imo nec Æternum, nam Æternum est Infinitum quoad Existere, & quia Ipsum Divinum est Infinitum & Æternum, etiam sunt omnia quæ a Divino infinita & quoque æterna, & quia infinita, nequaquam possunt ab Angelis capi, quoniam ii finiti sunt; quapropter sistuntur illa quæ infinita & æterna sunt coram illis in Apparentiis, quæ sunt finitæ, sed usque in talibus, quæ longissime supra sphæram comprehensionis hominis sunt; ut pro exemplo, homo nusquam potest aliquam ideam æterni habere nisi ex tempore, & quia id non potest, non comprehendere potest quid ab æterno, ita quid Divinum ante tempus seu antequam mundus creatus est; & quamdiu cogitationi ejus inest aliquid ideæ ex tempore, nusquam aliter potest, quam, si cogitat de illo, labi in errores, ex quibus extricari nequit; sed Angelis, qui non in idea temporis sunt, sed in idea status, quamoptime id datur percipere, nam æternum non est illis æternum temporis, sed

æternum ftatus, abfque idea temporis; inde patet, in quibus apparentiis funt Angeli præ homine, & quantum illorum apparentiæ funt fupra apparentias quæ homini; homo enim ne quidem unum cogitationis etiam minimum habere poteft abfque aliquo momento ex tempore & fpatio, cum tamen Angeli nihil inde, fed pro illis ex ftatu quoad effe & quoad exiftere. Ex his paucis conftare poteft, quales apparentiæ veri funt, de quibus hic agitur, & quæ funt fuperioris gradus: in fequentibus agitur, ordine de veri apparentiis inferioris gradus, generi humano etiam adæquatis.

3405. Et invenit in anno illo centum menfuras, quod fignificet abundantiam, conftat ex fignificatione Anni, quod fit integer ftatus de quo agitur, de qua n: 487. 488. 493. 893; ex fignificatione centum, quod fit multum ac plenum, de qua n: 2636; & a fignificatione menfuræ, quod fit ftatus rei quoad verum, de qua n: 3104; hæc in unum collata fignificant abundantiam veri. In Supremo fenfu agitur hic, ut in reliquis, de Domino, nempe quod etiam Ipfe in Veri apparentiis, cum in Humano materno, fuerit, fed quod, ficut illud humanum, etiam apparentias exuerit, ac Ipfum Divinum Infinitum ac Æternum induerit: fed in fenfu interno feu refpectivo agitur de apparentiis fuperioris gradus, quæ apud Angelos, ut dictum, quarum abundantia fignificatur per quod invenerit in anno illo centum menfuras; fe habet ita cum veri apparentiis, feu cum veris quæ a Divino, quod quæ fuperioris gradus funt, excedant illas quæ in inferiore gradu funt, abundantia & perfectione immenfum, nam myriades imo myriades myriadum rerum, quæ diftincte percipiuntur ab illis qui in fuperiori gradu, modo ut unum apparent apud illos qui in inferiore; funt enim inferiora non nifi compofita fuperiorum; ut concludi poteft a memoriis apud hominem, quarum interior, quia in fuperiore gradu, tam immenfum excellet præ exteriore quæ in inferiore gradu, videatur n: 2473. 2474. Inde conftare poteft, in qua fapientia funt Angeli præ homine, Angeli etiam Tertii Cœli funt in quarto gradu fupra hominem, de qua fapientia ideo coram homine non nifi quam incomprehenfibile, imo ineffabile prædicari poteft.

3406. Et benedixit ei Jehovah, quod fignificet quoad bonum amoris in illis, conftat ex fignificatione benedici, quod fit locupletari omni bono cœlefti & fpirituali, de qua n: 981. 1731. 2846, ita benedici a Jehovah, quod fit bono cœlefti, quod eft amoris, nam Jehovah eft ipfum Effe amoris feu boni, n: 1735, ideo ubi de bono agitur, nominatur Jehovah, at ubi de vero Deus, n: 2586. 2769.

3407. Et crevit vir, & ivit eundo & crefcendo, ufque ut magnus factus valde, quod fignificet incrementa, conftat ex fignificatione crefcere, ire eundo, & magnus fieri valde, quod fint incrementa boni & veri fuo ordine, nempe a vero ad bonum, & a bono ad verum.

3408. Et fuit ei acquifitio gregis & acquifitio armenti, quod fit quoad bonum interius & quoad bonum exterius, hoc eft, quoad bonum rationale & quoad bonum naturale; conftat a fignificatione gregis, quod fit bonum interius feu rationale, de qua n: 343. 2566; & a fignificatione armenti, quod fit

sit bonum exterius seu naturale, de qua n: 2566. Bonum naturale, quod per armentum significatur, non est illud quod homini connascitur, sed quod comparatur per cognitiones veri junctas affectioni boni; bonum enim naturale quod connascitur, in se non est nisi quam animale quoddam, nam apud animalia quoque datur; at bonum naturale quod comparatur, seu quod donatur homini a Domino, in se habet spirituale, sic ut sit bonum spirituale in naturali, hoc bonum est ipsum bonum naturale humanum, at alterum, nempe quod connascitur, tametsi apparet ut bonum, usque potest esse non bonum, quin imo malum, nam id recipere potest etiam falsa, & credere bonum esse quod malum; tale bonum naturale datur apud gentes pessimæ vitæ & fidei.

3409. Et servitium multum, quod significet inde verum, constat ex significatione servitii, quod sit omne id quod infra est, quod subordinatum est, & quod obedit, de qua n: 1713. 2541. 3019. 3020, ita verum, quia hoc est ex bono, & ministrat bono; de qua re multis prius actum est.

3410. Quod invidebant ei Philistæi, significet quod qui in scientia sola cognitionum non caperent, constat ex significatione invidere, quod hic sit non capere, ut patet ab illis quæ sequuntur; & ex significatione Philistææ, quod sit scientia cognitionum, ita Philistæi qui in scientia cognitionum sunt, de qua n: 1197. 1198.

3411. Vers: 15. 16. 17. *Et omnes puteos, quos foderunt servi patris ejus in diebus Abrahami patris ejus, obturabant illos Philistæi, & impleverunt illos pulvere. Et dixit Abimelech ad Jischakum, vade a cum nobis, quia prævales præ nobis valde. Et ivit abinde Jischak, & castrametatus est in valle Geraris, & habitabat ibi.* Omnes puteos, quos foderunt servi patris ejus, in diebus Abrahami patris ejus, obturabant illos Philistæi, significat quod illi qui in scientia cognitionum vera interiora quæ a Divino scire non vellent, sic obliterarent: & impleverunt illos pulvere, significat per terrestria: Et dixit Abimelech ad Jischakum, significat perceptionem Domini de doctrina illa: vade a cum nobis, quia prævales præ nobis valde, significat quod illa sufferre non possent propter Divinum in illis: Et ivit abinde Jischak, significat quod Dominus doctrinalia interiora relinqueret: & castrametatus est in valle Geraris, & habitabat ibi, significat quod ad rationalia inferiora, seu ab interioribus apparentiis ad exteriores.

3412. Omnes puteos, quos foderunt servi patris ejus in diebus patris ejus, obturabant illos Philistæi, quod significet quod illi, qui in scientia cognitionum, vera interiora quæ a Divino non scire vellent, sic obliterarent, constat ex significatione puteorum, quod sint vera, de qua n: 2702. 3096, hic vera interiora quæ a Divino, quia putei, per quos vera significantur, effossi dicuntur a servis patris ejus in diebus Abrahami patris ejus, per Abrahamum enim repræsentatur ipsum Divinum Domini, n: 2011. 2833. 2836. 3251. 3305 f; ex significatione obturare, quod sit non scire velle, & sic obliterare; & ex repræsentatione Philistæorum, quod sint illi qui in sola scientia cognitionum, de qua n: 1197. 1198. Agitur nunc de veri apparentiis inferioris

gradus, in quibus esse possunt illi qui in scientia cognitionum sunt, & hic per Philistæos intelliguntur. Cum Veris interioribus quæ a Divino, & obliterantur ab illis qui Philistæi vocantur, ita se habet; in Antiqua Ecclesia, & postea, Philistæi dicti fuerunt, qui parum vitæ studuerunt, sed plurimum doctrinæ, & successu temporis etiam rejecerunt illa quæ vitæ sunt, & pro essentiali Ecclesiæ agnorunt illa quæ fidei, quam a vita separarunt; consequenter qui doctrinalia charitatis, quæ in Antiqua Ecclesia omne doctrinæ erant, nihili fecerunt, ac ita obliterabant, at doctrinalia fidei loco eorum venditarunt, & in his omne religiosum posuerunt; & quia recesserunt ita a vita quæ est charitatis, seu a charitate quæ est vitæ, dicti sunt præ aliis præputiati; per præputiatos enim significabantur omnes qui non in charitate fuerunt, utcunque in doctrinalibus, n: 2049 f: tales, qui recesserunt a charitate, etiam a sapientia & intelligentia se removerunt; nemo enim sapere & intelligere potest quid verum, nisi in bono sit, hoc est, in charitate, omne enim verum est ex bono & spectat bonum; ita qui absque bono, verum non intelligere possunt, & ne quidem scire volunt: apud tales in altera vita, cum procul sunt a cœlo, quandoque apparet nivea lux, sed lux illa est qualis lux hyemalis, quæ quia absque calore, nihil fructificat; quare etiam cum tales ad cœlum approximant, lux illorum vertitur in meras tenebras, & mens eorum in similes, hoc est, in stuporem: ex his nunc constare potest, quid sit, quod illi qui in sola scientia cognitionum, vera interiora quæ a Divino, non scire vellent, & sic obliterarent.

3413. Et impleverunt illos pulvere, quod significet per terrestria, hoc est, per amores sui & lucri, constat a significatione pulveris, quod sit tale, de qua n: 249; sensus est, quod illi qui Philistæi vocantur, hoc est, qui non in vita sed in doctrina sunt, vera interiora obliterent per amores terrestres, qui sunt amor sui & lucri, ex illis amoribus dicti sunt incircumcisi, n: 2039. 2044. 2056. 2632; qui enim in illis sunt, non aliter possunt quam puteos Abrahami implere pulvere, hoc est, vera interiora Verbi obliterare per terrestria; nam ex amoribus illis nequaquam possunt videre spiritualia, hoc est, illa quæ lucis veri sunt a Domino; amores enim illi inducunt tenebras, & hæ lucem illam exstinguunt, nam ut dictum mox supra n: 3412, approximante luce veri a Domino, illi qui in sola doctrina sunt, non in vita, caligantur prorsus & obstupescunt, imo fiunt tales, ut irascantur, & omni modo vera dissipare satagant; amor enim sui & lucri talis est, ut non patiatur aliquid veri a Divino prope ad se accedere: sed usque gloriari & superbire possunt ex eo, quod vera sciant, imo eadem ex quasi Zelo prædicant, sed sunt ignes amorum illorum qui accendunt & excitant, & zelus est modo fervor inde; quod satis constare potest ex eo, quod contra ipsissimam suam vitam cum simili zelo seu fervore prædicare queant. Hæc sunt terrestria, quibus ipsum Verbum, qui est fons omnis veri, obstruitur.

3414. Et dixit Abimelech ad Jischakum, quod significet perceptionem Domini de doctrina illa, constat ex significatione dicere, quod sit percipere, de

de qua ſæpius prius; ex repræſentatione Abimelechi, hic regis Philiſtæorum, quod ſit doctrina illa, de qua n: 3365. 3391; & ex repræſentatione Jiſchaki, quod ſit Dominus quoad Divinum Rationale.

3415. Quod vade a cum nobis quia prævales præ nobis valde, ſignificet quod illa ſufferre non poſſent propter Divinum in illis, conſtare poteſt a ſignificatione vadere a cum nobis, quod ſit not ſufferre præſentiam; & a ſignificatione prævalere valde, quod ſit propter opulentiam, hic Divinum quæ in veris interioribus; quod illi qui Philiſtæi vocantur, non præſentiam boni, ita non præſentiam Divini, ſufferre queant, videatur mox ſupra n: 3413.

3416. Et ivit abinde Jiſchak, quod ſignificet quod Dominus vera interiora relinqueret, conſtat ex ſignificatione ire abinde, quod ſit relinquere, hic vera interiora, quia de illis agitur; & ex repræſentatione Jiſchaki, quod ſit Dominus quoad Divinum Rationale. Quod Dominus relinquat vera interiora, ſignificat quod illa non aperiat illis: ſunt enim in Verbo ubivis vera interna, ſed tales, qui in ſcientia cognitionum ſunt & non ſimul in vita, cum Verbum legunt, vera illa ne quidem vident; ut conſtare poteſt ex eo, quod illi qui eſſentiale ſalutis ponunt in fide, ne quidem attendant ad illa, quæ Dominus toties loquutus eſt de amore & charitate, n: 1017. 2373; & qui attendunt, vocant illa fructus fidei, quos a charitate, quam ignorant qualis ſit, ſic diſtinguunt, imo ſeparant; ita poſteriora Verbi illis apparent, non autem anteriora, hoc eſt, exteriora non interiora; & poſteriora aut exteriora videre, abſque anterioribus ſeu interioribus, eſt nihil Divini videre: hæc ſunt quæ intelliguntur per quod Dominus vera interiora reliquerit, quod ſignificatur per quod ivit abinde Jiſchak; non quod Dominus relinquat, ſed quod illi ſe a Domino, quia ab illis quæ ſunt vitæ, removent.

3417. Et caſtrametatus eſt in valle Geraris & habitabat ibi, quod ſignificet quod ad rationalia inferiora ſeu ab interioribus apparentiis ad exteriores, conſtat ex ſignificatione caſtrametari, quod ſit diſponere in ordinem; ex ſignificatione vallis Geraris, quod ſint inferiora rationalia ſeu exteriores veri apparentiæ, vallis enim ſignificat inferiora, ſeu quod idem, exteriora, n: 1723, & Gerar illa quæ ſunt fidei, ita quæ ſunt veri, n: 1209. 2504. 3365. 3384. 3385; & ex ſignificatione habitare, quod ſit eſſe & vivere, de qua n: 3384; inde patet, quod caſtrametatus in valle Geraris & habitabat ibi, ſignificet quod Dominus diſpoſuerit vera ut quoque adæquata eſſent captui & genio illorum, qui non ita in vita, ſed in doctrinalibus fidei ſunt; ut conſtare poteſt a Verbo, ubi quoque vera ita ſunt. Sit exemplo; qui in doctrinalibus ſunt, non ita in vita, non ſciunt aliter quam quod Regnum cœleſte ſit ſimile regnis in tellure in eo, quod magni ibi fiant imperando aliis, jucundum inde eſt unicum jucundum quod ſciunt, & quod omni alii jucundo præferunt, quapropter Dominus ſecundum apparentiam quoque illam in Verbo loquutus eſt, ut apud Matthæum, "Qui facit & docet, *hic Magnus vocabitur in Regno Cælorum*," v: 19; & apud Davidem, "Ego dixi, *Dii vos*, & filii Altiſſimi omnes vos," Pſalm: LXXXII: 6. Joh: x: 34. 35; & quia nec ipſi Diſcipuli aliam opinionem in principio habuerunt de Regno Cœleſti,

quam

quam magnitudinis & præeminentiæ, ficut in terra, ut conftat apud Matthæum, Cap: XVIII: 1. Marcum Cap: IX: 34. Lucam Cap: IX: 46; & quoque ideam fedentium ad dextram & finiftram Regis," Matth: XX: 20. 21. 24. Marc: X: 37, ideo quoque fecundum captum & quoque animum illorum refpondit Dominus, dicens, cum contentio inter illos exifteret, quis illorum effet maximus, "Comedetis & bibetis fuper menfa mea in Regno meo, & *fedebitis fuper thronis* judicantes duodecim tribus Ifraelis," Luc: XXII: 24. 30. Matth: XIX: 28; tunc enim non fciverunt, quod jucundum cœlefte non effet jucundum magnitudinis & præeminentiæ, fed jucundum humiliationis & affectionis inferviendi aliis, ita non maximum fed minimum effe velle, ut Dominus docet apud Lucam, "Quicunque *minimus* inter omnes vos exiftit, *hic erit magnus*," IX: 48. Ita qui in fcientia cognitionum, & non in vita charitatis, funt, illi non fcire poffunt aliud jucundum dari quam quod refultat ex præeminentia, & quia id jucundum unice infidet mentibus illorum, & omne vitæ eorum facit, ideo jucundum cœlefte, quod refultat ex humiliatione & affectione inferviendi aliis, hoc eft, jucundum amoris in Dominum & charitatis erga proximum, proinde beatum & felix, quod inde, prorfus ignorant; hæc caufa eft, quod Dominus applicate ad infirmitatem illorum loquutus fit, ut fic excitari & introduci poffent ad bonum & difcendum, & docendum, & faciendum; at ufque docet, quid magnitudo & quid præeminentia in cœlo, ut Matth: XIX: 30. Cap: XX: 16. 25. 26. 27. 28. Marc: X: 31. 42. 43. 44. 45. Luc: IX: 48. Cap: XIII: 30. Cap: XXII: 25. 26. 27. 28: hæc & fimilia funt veri apparentiæ inferioris gradus; quippe magni fiunt, præeminentes, potentes, & imperantes refpective, unus enim Angelorum myriadibus fpirituum infernalium potentior eft, fed non ex fe, verum ex Domino; & tantum ex Domino, quantum credit nihil ex fe poffe, ita minimum effe; ac tantum hoc credere poteft, quantum eft in humiliatione & affectione inferviendi aliis, hoc eft, quantum in bono amoris in Dominum & charitatis erga proximum.

3418. Verf: 18. *Et redibat Jifchak, & refodit puteos aquarum, quos foderunt in diebus Abrahami patris ejus, & obturabant illos Philiftæi poft mortem Abrahami; & vocavit illis nomina, fecundum nomina, quæ vocavit illis pater ejus.* Redibat Jifchak & refodit puteos aquarum quos foderunt in diebus Abrahami patris ejus, fignificat quod Dominus illa vera aperiret, quæ apud antiquos: & obturabant illos Philiftæi poft mortem Abrahami, fignificat quod qui in fola fcientia cognitionum illa negarent: & vocavit illis nomina, fignificat quale illorum: ficut nomina quæ vocavit illis pater ejus, fignificat veri fignificativa.

3419. Quod redibat Jifchak & refodit puteos aquarum quos foderunt in diebus Abrahami patris ejus, fignificet quod Dominus illa vera aperiret quæ apud Antiquos, conftat a repræfentatione Jifchaki, quod fit Dominus quoad Divinum Rationale, de qua prius; a fignificatione redire & refodere, quod fit rurfus aperire; ex fignificatione puteorum aquarum, quod fint vera cognitionum, quod putei fint vera, videatur n: 2702. 3096, & quod aquæ cognitiones,

tiones, n: 28. 2702. 3058; & a fignificatione dierum Abrahami patris ejus, quod fit tempus & ftatus antecedens quoad vera, quæ fignificantur per quos foderunt tunc, ita quæ apud Antiquos; quod dies fint tempus & ftatus, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893; cum ftatus, per Abrahamum patrem repræfentatur Ipfum Divinum Domini antequam Humanum Ipfi adjunxit, videatur n: 2833. 2836. 3251; cum tempus, per Abrahamum patrem fignificantur bona & vera, quæ a Divino Domini antequam Humanum adjunxit, ita quæ fuerunt apud Antiquos. Vera quæ apud Antiquos fuerunt, hodie prorfus obliterata funt, ufque adeo ut vix ullus fciat quod fuerint, & quod alia effe potuerunt, quam quæ hodie quoque docentur, fed fuerunt prorfus alia; habuerunt *Repræfentativa* & *Significativa* Cœleftium & Spiritualium Regni Domini, ita Ipfius Domini, & qui illa intellexerunt, vocabantur Sapientes; & fuerunt quoque fapientes, nam ita cum fpiritibus & angelis loqui potuerunt; angelica enim loquela, quæ homini incomprehenfibilis eft, quia fpiritualis & cœleftis, dum ad hominem, qui in naturali fphæra eft, delabitur, in Repræfentativa & Significativa cadit, qualia funt in Verbo, inde eft quod Verbum fit Codex fanctus; Divinum enim non aliter fifti poteft coram naturali homine, ut plena correfpondentia fit. Et quia Antiqui in Repræfentativis & Significativis Regni Domini fuerunt, in quo non nifi quam amor cœleftis & fpiritualis eft, etiam *Doctrinalia* habebant, quæ tantummodo agebant *de Amore in Deum* & *de Charitate erga proximum*, ex quibus quoque fapientes dicebantur; ex illis Doctrinalibus fciebant quod Dominus venturus in Mundum, quodque Jehovah in Ipfo effet, & quod Humanum in fe Divinum faceret, ac fic Genus humanum falvaret; ex illis etiam fciebant, quid Charitas, quod nempe affectio inferviendi aliis abfque aliquo fine retributionis; & quid proximus erga quem charitas, quod nempe fint omnes in univerfo, fed ufque finguli cum difcrimine; hæc Doctrinalia hodie prorfus deperdita funt, & loco illorum funt doctrinalia fidei, quæ Antiqui nihili fecerunt refpective; hæc Doctrinalia, nempe amoris in Dominum & charitatis erga proximum, rejecta funt hodie partim ab illis qui in Verbo vocantur Babylonii & Chaldæi, & partim ab illis qui dicuntur Philiftæi, & quoque Ægyptii, ac ita deperdita, adeo ut vix veftigium illorum maneat; quis enim hodie novit quid Charitas quæ abfque omni refpectu fui, ac averfans omne quod propter fe; & quis novit, quid proximus, quod finguli fint cum difcrimine fecundum quale & quantum boni quod apud illos, ita ipfum bonum, proinde in fupremo fenfu Ipfe Dominus, quia Ipfe in bono eft, & ab Ipfo bonum, & bonum quod non ab Ipfo non eft bonum utcunque apparet; & quia non fcitur quid charitas & quid proximus, non fcitur, quinam funt qui in Verbo fignificantur per Pauperes, per Miferos, per Egenos, per Ægrotos, per Efurientes & Sitientes, per Oppreffos, per Viduas, per Pupillos, per Captivos, per Nudos, per Peregrinos, per Cæcos, per Surdos, per Claudos, per Mancos, & per fimiles alios; cum tamen doctrinalia illorum docebant quinam illi effent, & ad quam claffem Proximi, & fic Charitatis, pertinerent; fecundum illa Doctrinalia eft totum Verbum quoad fen-

fum

ſum literæ, quare qui illa non novit, nuſquam aliquem ſenſum interiorem Verbi ſcire poteſt; ſicut apud Eſaiam, "Nonne frangere *Eſurienti* panem, & *afflictos exules* introducas domum, cum videris *Nudum* & obtexeris eum, & a carne tua non abſconderis te: tunc erumpet ſicut aurora lux tua, & ſanitas tua cito germinabit, & ambulabit coram te juſtitia tua gloria Jehovæ colliget te," LVIII: 7. 8; qui ſenſum literæ premit, credit ſi modo Eſurienti det panem, afflictos exules ſeu vagos introducat in domum, & obtegat nudum, quod in gloriam Jehovæ ſeu in cœlum propterea venturus, cum tamen illa ſolum externa ſunt, & quoque ſic facere poſſunt impii ut mereantur, ſed per Eſurientes, Afflictos, Nudos, ſignificantur illi qui ſpiritualiter tales ſunt, ita differentes ſtatus miſeriæ, in qua homo qui proximus, erga quem charitas. Apud Davidem, "Faciens judicium *Oppreſſis*, dans panem *Eſurientibus*, Jehovah ſolvens *Vinctos*, Jehovah aperiens *Cæcos*, Jehovah erigens *Incurvatos*, Jehovah amans juſtos, Jehovah cuſtodiens *Peregrinos*, *Pupillum*, & *Viduam* ſuſtentat," Pſalm: CXLVI: 7. 8. 9, ibi per Oppreſſos, Eſurientes, Vinctos, Cæcos, Incurvatos, Peregrinos, Pupillum & Viduam, non intelliguntur illi qui ita audiunt, ſed qui tales quoad ſpiritualia, ſeu quoad animas ſunt; quinam illi eſſent, & in quo ſtatu & gradu Proximi, ita quæ Charitas illis exhibenda, Doctrinalia Antiquorum docebant; præter ubivis alibi in Veteri Teſtamento; quippe Divinum, cum in naturale apud hominem, in talia quæ ſunt opera charitatis, cum diſcrimine ſecundum genera & ſpecies, delabitur: ſimiliter quoque loquutus eſt Dominus, quia ex Ipſo Divino; ut apud Matthæum, "Rex dicet iis qui a dextris, venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum; nam *Eſurivi* & dediſtis Mihi quod ederem, *Sitivi* & potaſtis Me, *Peregrinus* fui & collegiſtis Me, *Nudus* fui & induiſtis Me, *Ægrotus* fui & viſitaſtis Me, *in Cuſtodia* fui & veniſtis ad Me," XXV: 34. 35. 36; per recenſita ibi opera ſignificantur Genera Charitatis univerſalia, & in quo gradu ſunt bona ſeu boni, qui Proximi ſunt erga quos Charitas exercenda, & quod Dominus in ſupremo ſenſu ſit Proximus, nam dicit, "Quantum feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi feciſtis," ibid: Verſ: 40. Ex his paucis conſtare poteſt, quid per Vera apud Antiquos intelligitur; ſed quod hæc Vera, ab illis qui in Doctrinalibus fidei ſunt, & non in vita charitatis, hoc eſt, ab illis qui in Verbo vocantur Philiſtæi, prorſus obliterentur, ſignificatur per quod Philiſtæi obturaverunt puteos poſt mortem Abrahami, de quibus nunc ſequitur.

3420. Quod obturabant illos Philiſtæi poſt mortem Abrahami, ſignificet quod qui in ſola ſcientia cognitionum illa negarent, conſtat a ſignificatione obturare, quod ſit non ſcire velle, & quod idem, negare, ſic obliterare, de qua ſupra n: 3412; & ex repræſentatione Philiſtæorum, quod ſint illi qui in ſola ſcientia cognitionum, de qua n: 1197. 1198. 3412. 3413: In ſcientia cognitionum ſunt illi qui in doctrinalibus fidei, & vera cognitionum ſeu doctrinalium non ſcire volunt; vera cognitionum ſeu doctrinalium ſunt illa quæ ſunt vitæ, & ſpectant charitatem erga proximum & amorem in Dominum, doctrina cujus ſunt doctrinalia & cognitiones, modo docet illa;

qui

qui itaque docet quid faciendum, & non facit, vera non scire vult, nam contra ipsius vitam sunt, & quæ contra vitam, illa quoque negat; ex illis est, quod doctrinalia amoris & charitatis, quæ in Antiqua Ecclesia erant omne doctrinæ, obliterata sint.

3421. Et vocavit illis nomina, quod significet quale illorum, constat a significatione vocare nomina, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3237; & quia vocare nomina seu nomen est quale, ideo *Vocare* absque quod dicatur nomen, in Verbi sensu interno significat *esse talis*, ut apud Esaiam, "Audite hoc domus Israelis, vocati nomine Israelis, & ex aquis Jehudæ exiverunt, quia *ab urbe sanctitatis vocantur*, & super Deo Israelis nituntur," XLVIII: 1. 2, ubi ab urbe sanctitatis vocari, pro esse tales: & apud Lucam, "Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesus, hic erit Magnus, & *Filius Altissimi vocabitur*," I: 31. 32, vocari Filius Altissimi pro Esse.

3422. Sicut nomina quæ vocavit illis pater ejus, quod significet veri significativa, constat ex eo, quod nomina, quæ antiquis temporibus indebantur personis, locis, rebus, omnia significativa essent, videatur n: 340. 1946. 2643, ita quæ fontibus & puteis, significativa erant illarum rerum, quæ per fontes & puteos olim intellectæ fuerunt, quæ quod fuerint veri, n: 2702. 3096, ostensum est; & quia nomina fuerunt significativa, etiam per nomen & vocare nomine in genere significatur quale vel rei vel status, ut mox supra n: 3421, dictum; & quia ita, per nomina in Verbo, in sensu ejus interno, non significatur aliqua persona, aut aliqua gens, aut aliquod regnum, aut aliqua urbs, sed ubique res. Quisque concludere potest, quod hic per puteos aliquid cœleste significetur, nam nisi hoc, tot specifica de puteis memorare, non foret dignum Verbo Divino, quia nullius usus scire, ut quod Philistæi obturaverint puteos, quos foderunt servi Abrahami; quod Jischak refoderit illos, & quod vocaverit illis nomina sicut nomina priora; & dein quod servi Jischaki foderint puteum in valle, de quo rixati pastores; & quod rursus foderint alium, de quo etiam rixati; & postea alium, de quo non rixati; ac rursus alium; & tandem quod de novo puteo ei indicaverint, Vers: 15. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 32. 33; at cœleste, quod per illos significatur, patet nunc a sensu interno.

3423. Vers: 19. 20. 21. *Et foderunt servi Jischaki in valle, & invenerunt ibi puteum aquarum vivarum. Et rixati sunt pastores Geraris cum pastoribus Jischaki, dicendo, nobis aquæ; & vocavit nomen putei Esek, quia contenderunt cum eo. Et foderunt puteum alium, & rixati etiam super illo, & vocavit nomen illius Sithnah.* Foderunt servi Jischaki in valle, & invenerunt ibi puteum aquarum vivarum, significat Verbum quoad sensum literalem, in quo internus: & rixati sunt pastores Geraris cum pastoribus Jischaki, significat quod docentes non viderent ibi tale, quia apparent opposita: dicendo, nobis aquæ, significat quod illi in vero sint: & vocavit nomen putei Esek, quia contenderunt cum eo, significat negationem ob illa, tum ob alia, quod contra illos, & ob plura: Et foderunt puteum alium, & rixati etiam super

 illo,

illo, significat sensum internum Verbi, num sit: & vocavit nomen illius Sithnah, significat quale eorum.

3424. Foderunt servi Jischaki in valle, & invenerunt ibi puteum aquarum vivarum, quod significet Verbum quoad sensum literalem, in quo internus, constat ex significatione fodere in valle, quod sit inquirere inferius secundum vera ubinam sunt; fodere enim est inquirere, & vallis est inferius, n: 1723. 3417; & ex significatione putei aquarum vivarum, quod sit Verbum in quo Vera Divina, ita Verbum quoad sensum literalem in quo internus; quod Verbum dicatur Fons, & quidem Fons aquarum vivarum, notum est; quod etiam Verbum dicatur Puteus, inde est, quia sensus literæ respective talis est, & quia Verbum respective ad Spirituales non est fons sed puteus, videatur n: 2702. 3096; quoniam Vallis est quod inferius, seu quod idem, exterius, & in valle inventus est fons, ac sensus literalis est sensus Verbi inferior seu exterior, ideo est sensus literalis qui intelligitur; sed quia in illo sensus internus est, hoc est, Cœlestis ac Divinus, ideo dicuntur Aquæ ejus vivæ; ut quoque Aquæ, quæ exibant sub limine Novæ Domus, apud Ezechielem, "Et fiet, omnis anima fera quæ reptat, ad *quamcunque venit ibi fluvius, vivit*; & erit piscis multus valde, quia veniunt illuc aquæ illæ, & sanantur, & *vivit omne quo venit fluvius*," XLVII: 8. 9, ubi fluvius est Verbum, aquæ quæ faciunt omne vivere, sunt Divina Vera quæ in illo, piscis sunt scientifica, n: 40. 991. Quod Verbum Domini tale sit, ut sitienti, hoc est, desideranti vitam, det vitam, & quod sit fons cujus aquæ sunt vivæ, etiam Dominus docet apud Johannem, "Jesus dixit ad mulierem e Samaria ad *puteum Jacobi*; si scires donum Dei, & quis sit qui dicit tibi, da Mihi bibere, tu peteres ab eo, & daret tibi *aquam viventem*: qui biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed *aqua*, quam dabo ei, fiet in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam*," IV: 10. 14: quod Verbum sit vivum, ac ita det vitam, inde est, quia in supremo sensu ibi agitur de Domino, ac in intimo de Regno Ipsius, in quo Dominus est omne; & cum ita, est ipsa vita quæ est in Verbo, & quæ influit in mentes illorum qui in sancto legunt Verbum; inde est, quod Dominus dicat Se quoad Verbum quod ab Ipso, esse fontem aquæ salientis in vitam æternam, videatur etiam n: 2702. Quod Verbum Domini, sicut fons, etiam puteus dicatur, constat apud Mosen, "Cecinit Israel Canticum; ascende *Putee*, respondete ei; *Puteus, foderunt* principes, *effoderunt* primores populi in Legislatorem baculis suis," Num: XXI: 17. 18; hæc ad locum Beer, hoc est, ad locum putei; quod ibi per puteum significetur Verbum Antiquæ Ecclesiæ, de quo n: 2897, ab antecedentibus ibi, patet; principes sunt primaria vera ex quibus, quod principes sint primaria vera, videatur n: 1482. 2089; primores populi sunt vera inferiora, qualia sunt illa quæ in sensu literali, n: 1259. 1260. 2928. 3295; quod Legislator sit Dominus, constat; baculi sunt potentiæ quæ illis.

3425. Quod rixati sunt pastores Geraris cum pastoribus Jischaki, significet quod docentes non viderent ibi tale, quia apparent opposita, constat a significatione rixari, cum agitur de Verbi sensu interno, quod sit negare quod sit tale,

tale, ita dicendo se non videre illud; ex significatione pastorum, quod sint docentes, de qua n: 343; & ex significatione Geraris, quod sit fides, de qua n: 1209. 2504. 3365. 3384; ita pastores vallis Geraris, sunt illi qui non nisi quam sensum literalem Verbi agnoscunt: causa quod non videant tale, nempe aliquem sensum interiorem, est quia apparent opposita, scilicet illa quæ in sensu interno & quæ in sensu literali; sed quod opposita appareant, ideo non opposita sunt, verum prorsus correspondent; at quod opposita appareant, est quia illi, qui ita Verbum vident, in opposito sunt: se habet hoc sicut homo, qui in opposito est in se, hoc est, cujus Externus seu Naturalis homo prorsus diffidet ab ejus Interno seu Spirituali, is videt illa quæ Interni seu Spiritualis hominis sunt sibi quasi opposita, cum tamen ipse quoad Externum seu Naturalem hominem in opposito est, & si non is in opposito esset, sed Externus seu Naturalis ejus homo obsequia præstaret Interno seu Spirituali, prorsus corresponderent; ut pro exemplo, qui in opposito est, credit quod abdicandæ sint divitiæ, ac omnes voluptates corporis & mundi, ita jucunda vitæ, ut vitam æternam accipiat, illa enim opposita creduntur vitæ spirituali; at in se non opposita sunt, sed correspondent; sunt enim media finis, ut nempe Internus seu Spiritualis homo illis frui queat ad bona charitatis exercenda, & præterea ut contentus in salubri corpore vivat; sunt fines qui unice faciunt, quod Internus homo & Externus vel oppositi sint, vel correspondeant, oppositi sunt quando divitiæ, voluptates & jucunda, de quibus dictum, fiunt fines, tunc enim spiritualia & cœlestia, quæ sunt Interni hominis, contemnit & subsannat, imo rejicit; at correspondent, quando illa non fiunt fines sed media ad fines superiores, nempe ad illa quæ sunt vitæ post mortem, ita Regni cœlestis, ac Ipsius Domini, tunc corporea & mundana apparent illi vix aliquid respective, & cum de illis cogitat, modo ut media ad fines æstimat; inde patet, quod illa quæ apparent opposita, non in se opposita sint; sed quod ita appareant, sit quia illi in opposito sunt: qui non in opposito sunt, similiter agunt, similiter loquuntur, similiter ambiunt divitias, & quoque similiter voluptates captant, sicut illi qui in opposito sunt, usque adeo ut externa facie vix dignosci queant; causa est, quia soli fines sunt, qui distinguunt, seu quod idem, amores, nam amores sunt fines; at tametsi similes apparent forma externa seu quoad corpus, usque tamen prorsus dissimiles sunt forma interna seu quoad spiritum; qui in correspondentia est, hoc est, apud quem Interno homini correspondet Externus, ejus Spiritus est candidus & pulcher, qualis est amor cœlestis in forma; at qui in opposito est, hoc est, apud quem Externus homo oppositus est Interno, utcunque similitudo est cum altero quoad externum, ejus Spiritus est niger & deformis, qualis est amor sui & mundi, hoc est, qualis contemtus aliorum, & quale odium, in forma. Similiter se habet cum perplurimis in Verbo, quod nempe quæ in sensu literali sunt, appareant opposita illis quæ in sensu interno sunt, cum tamen nusquam opposita sint, sed prorsus correspondeant; ut pro exemplo, in Verbo pluries

 dicitur,

dicitur, quod Jehovah seu Dominus irascatur, excandescat, vastet, conjiciat in infernum, cum tamen nusquam irascatur, minus conjiciat aliquem in infernum; illud est sensus literæ, hoc autem est sensus interni; hæc apparent opposita, sed ex causa, quia homo in opposito est; se habet hoc, sicut quod Dominus appareat ut Sol angelis qui in cœlo, & inde ut calor quasi vernus, & ut lux quasi auroræ; at infernalibus sicut prorsus opacum quid, & inde ut frigus quasi hyemis, ac ut caligo quasi noctis; proinde Angelis in amore & charitate, sed infernalibus in odio & hostilitate; ita his secundum sensum literæ, quod irascatur, excandescat, vastet, conjiciat in infernum, illis autem secundum sensum internum quod nusquam irascatur & excandescat, minus quod vastet & conjiciat in infernum; cum itaque agitur in Verbo de illis quæ contraria Divino sunt, illa non possunt aliter quam secundam apparentiam ita sisti; etiam Divinum est, quod mali vertunt in diabolicum, hoc sic operatur; quare etiam quantum ad Divinum approximant, tantum in cruciatus infernales se conjiciunt. Similiter se habet cum verbis Domini in Oratione, "Ne inducas nos in tentationem," sensus secundum literam est, quod inducat in tentationem, sensus autem internus est, quod neminem inducat, ut notum est, videatur n: 1875; similiter se habet cum reliquis, quæ sensus literalis Verbi sunt.

3426. Quod dicendo nobis aquæ, significet quod illi in vero sint, seu quod illis vera, constat a significatione aquarum, quod sint cognitiones, ut & vera, de qua n: 28. 680. 739. 2702. 3058.

3427. Et vocavit nomen putei Esek, quia contenderunt cum eo, quod significet negationem ob illa, tum ob alia, quod contra illos, & ob plura, constat ex eo, quod nomina, quæ antiquitus indebantur, essent significativa rei seu status, n: 3422, inde meminisse potuerunt plurium de illis, imprimis qualia essent; hic quia pastores Geraris cum pastoribus Jischaki rixati sunt, puteo inditum erat nomen inde: quod rixari seu contendere significet etiam negare, videatur n: 3425, nomen inde Esek, quod in lingua originali significat contentionem seu rixam, & deducitur a voce affini, quæ significat oppressionem & injuriam; & quia hic per Puteum significatur Verbum quoad sensum literalem in quo internus, per Esek seu contentionem significatur negatio sensus interni Verbi; causæ negationis eidem voci etiam insunt, quæ quod sint ob illa, de quibus mox supra n: 3425, nempe quod opposita appareant, patet; tum quoque quod sint ob alia. Ita cum sensu interno Verbi se habet; qui in sola scientia cognitionum sunt, & vocantur Philistæi, & qui in solis doctrinalibus fidei, qui dicuntur pastores vallis Geraris, ac in nulla charitate erga proximum, illi nequaquam aliter possunt, quam negare quod sensus internus Verbi sit; causæ sunt præcipuæ, quia cordibus suis non agnoscunt Dominum, tametsi Illum ore profitentur; & quoque cordibus non amant proximum, tametsi amorem contra illum declarant; & qui non corde agnoscit Dominum, & corde amat proximum, is nequaquam potest aliter quam sensum internum Verbi negare, nam Verbum in sensu interno de non alia

alia re, quam de Amore in Dominum, & amore erga proximum agit; quapropter Dominus dicit, quod super illis duobus Præceptis, Lex & Prophetæ, hoc est, totum Verbum, pendeant, Matth: XXII: 35. 36. 37. 38: quantum illi negant sensum internum Verbi, etiam datum est mihi videre a talibus in altera vita, coram quibus cum modo memoraretur quod sensus internus Verbi sit, qui non apparet in sensu ejus literali, & quod ille agat de amore in Dominum, & erga proximum, tunc ab illis non modo negatio, sed etiam aversatio imo nausea percepta est; hæc causa primaria est: Altera est, quod invertant prorsus Verbum, ponendo id quod infra est superius, seu quod idem, id quod post est, anterius; statuunt enim Fidem esse Essentiale Ecclesiæ, & illa quæ amoris in Dominum & amoris erga proximum sunt, esse fructus fidei; cum tamen ita se habet, si amor in Dominum comparetur arbori vitæ in paradiso Edenis, Charitas & ejus opera sunt fructus inde, at fides & omnia fidei sunt modo folia; cum ergo ita Verbum invertunt, ut non ex arbore sed ex foliis deducant fructus, non mirum est quod negent sensum internum Verbi, & modo ejus sensum literalem agnoscant, nam ex sensu literali quodcunque dogma, etiam maxime hæreticum confirmari potest, ut notum est. Præterea etiam, qui in solis doctrinalibus fidei sunt, non autem in bono vitæ, non possunt aliter quam in fide persuasiva esse, hoc est, in principiis captis æque falsis ac veris, consequenter præ aliis stupidi, quantum enim quis in fide persuasiva est, tantum est stupidus; at quantum quis in bono vitæ est, hoc est, in amore in Dominum & charitate erga proximum, tantum in intelligentia est, hoc est, in fide a Domino; inde etiam est, quod illi non possint aliter quam in negativo esse de sensu interno Verbi, hi autem quod non possint aliter quam in affirmativo esse, sunt enim interiora apud illos qui in solis doctrinalibus sunt & non in bono vitæ, clausa, adeo ut lux veri a Domino non possit influere, & dare illis appercipere quod ita sit; at interiora apud illos qui in amore in Dominum sunt, sunt aperta, adeo ut lux veri a Domino possit influere, mentes illorum afficere, & dare apperceptionem quod ita sit. Est quoque causa, quod non aliud jucundum in lectione Verbi habeant, quam quod per illud lucrentur honores & opes, & famam propter illa, quod jucundum est jucundum amoris sui & mundi; & hoc usque adeo, ut si non illa lucra iis inde, Verbum prorsus rejiciant; qui tales sunt, corde suo non modo negant sensum internum Verbi, quando de illo audiunt, sed etiam ipsum literalem; quantumvis putent quod ei credant; qui enim pro fine habet jucundum amoris sui & mundi, omne quodcunque est vitæ æternæ, prorsus ejicit corde suo, & modo ex naturali & corporeo homine profert talia, quæ vera dicit non propter Dominum & Regnum Ipsius, sed propter se & suos. Hæc & plura alia faciunt, quod illi, qui pastores vallis Geraris, & qui Philistæi, vocantur, sensum internum Verbi negent.

3428. Et foderunt puteum alium, & rixati etiam super illo, quod significet sensum internum Verbi num sit, constare potest ex significatione putei alius, & rixari, de qua supra, ita ex serie; qui enim negant aliquid, ut qui sensum

fenfum internum Verbi, cum iterum rixantur feu contendunt, non poteft effe de alia re, quam num fit. Notum eft, quod pleræque lites hodie non ulterius vadant; fed quamdiu hærent in controverfia, num fit, & num ita fit, nufquam in aliquid fapientiæ progreffum facere poffunt; in ipfa enim re, de qua controvertunt, funt innumerabilia, quæ nufquam videre poffunt, quamdiu non illam agnofcunt, nam omnia & fingula ejus tunc fimul ignorant; eruditio hodierna vix ultra hos limites, nempe num fit, & num ita fit, vadit, ideo quoque exclufi ab intelligentia veri ftant; ficut, qui modo contendit, num fenfus internus Verbi fit, is nufquam videre poteft, innumerabilia, imo indefinita, quæ in fenfu interno funt; & ficut qui litigat, num charitas fit aliquid in Ecclefia, & annon omnia ejus fint fidei, is innumerabilia, imo indefinita quæ in charitate funt, non fcire poteft, imo prorfus in ignorantia manet quid charitas; fimiliter fe habet cum vita poft mortem, cum refurrectione mortuorum, cum ultimo judicio, cum cœlo & cum inferno, qui modo difputant num fint, illi tamdiu extra fores fapientiæ funt, & funt veluti qui modo pulfant, & in palatia magnifica fapientiæ ne quidem introfpicere poffunt; & quod mirandum, tales qui ita faciunt, fe præ aliis fapientes effe credunt, & eo fapientiores quo melius differere poffunt num ita fit, & magis confirmare quod non ita, cum tamen fimplices, qui in bono funt, quos contemnunt, abfque aliqua lite, minus controverfia docta, appercipere poffunt momento, quod fit, & quale fit; hi fenfum apperceptionis veri communem habent, illi autem fenfum illum per talia, quæ prius difcutere volunt, an fit, exftinxerunt; de his & de illis Dominus loquitur, cum dicit, quod abfcondita fint fapientibus & intelligentibus, & revelata infantibus, Matth: XI: 25. Luc: X: 21.

3429. Et vocavit nomen illius Sithnah, quod fignificet quale eorum, conftat ex fignificatione vocare nomen, quod fit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896 2009. 2724. 3006. 3421; & ex fignificatione Sithnah, quod in lingua originali fit adverfatio, quæ eft negationis gradus ulterior.

3430. Verf: 22. 23. *Et tranftulit exinde, & fodit puteum alium, & non rixati fuper illo, & vocavit nomen ejus Rechoboth, & dixit, quia nunc dilatari facit Jehovah nos, & fructificabimur in terra. Et afcendit exinde Beerfchebam.* Tranftulit exinde, fignificat quod ad inferiora adhuc: & fodit puteum alium, & non rixati fuper illo, fignificat fenfum literalem Verbi: & vocavit nomen ejus Rechoboth, fignificat quale inde quoad verum: & dixit quia nunc dilatari facit Jehovah nos, fignificat incrementa veri inde: & fructificabimur in terra, fignificat incrementa boni inde: Et afcendit inde Beerfchebam, fignificat quod inde Doctrina fidei Divina.

3431. Quod tranftulit exinde, fignificet quod ad inferiora adhuc, conftat a fignificatione transferre, quod fit ad alia quæ in ferie fequuntur, hic itaque ad vera inferiora feu exteriora, quia huc ufque ordine actum eft de veris fuperioribus feu interioribus; vera inferiora feu exteriora funt illa quæ in fenfu literali Verbi exftant, captui naturalis hominis adæquata; de his nunc agitur.

3432.

3432. Et fodit puteum alium, & non rixati fuper illo, quod fignificet fenfum literalem Verbi, conftat ex fignificatione putei, quod fit Verbum, de qua n: 3702. 3096. 3424, hic Verbum quoad fenfum literalem, nam dicitur, quod tranftulerit exinde, & foderit puteum alium, & quod de illo non rixati fint, per quæ fignificatur ille fenfus Verbi, qui exterior eft, & quem non negant, qui fenfus eft, qui literalis vocatur. Senfus literalis Verbi eft triplex, nempe Hiftoricus, Propheticus, & Doctrinalis, unufquifque eft talis ut capi poffit etiam ab illis qui in externis funt. Cum Verbo ita fe habet; Antiquiffimo tempore, quando Ecclefia Cœleftis fuit, non fuerat Verbum, homo enim illius Ecclefiæ habuit Verbum cordibus fuis infcriptum; Dominus enim immediate per Cœlum illos docuit quid bonum & inde quid verum, & dedit illis utrumque percipere ex amore & charitate, & fcire ex revelatione; ipfiffimum Verbum illis fuit Dominus: Poft hanc Ecclefiam fucceffit alia, quæ non cœleftis fed fpiritualis fuit, hæc principio non habuit Verbum aliud, quam quod ab Antiquiffimis collectum fuit, hoc Repræfentativum erat Domini, ac fignificativum Regni Ipfius, ita illis fuit Senfus Internus ipfum Verbum; quod etiam Verbum fcriptum habuerint, tam Hiftoricum quam Propheticum, quod amplius non exftat, & quod in illo fimiliter fenfus internus fuerit, qui fe referebat ad Dominum, videatur n: 2686; inde fapientia illius temporis fuit & loqui & fcribere per repræfentativa & fignificativa, intra Ecclefiam de rebus Divinis, & extra Ecclefiam de rebus aliis, ut patet ab antiquorum illorum fcriptis, quæ apud nos: fed fucceffu temporis, illa fapientia periit, ufque tandem ut non fcirent quod aliquis fenfus internus, etiam in Libris Verbi ineffet; Judaica & Ifraelitica gens erat talis, hæc Verbum Propheticum fanctum habuit ex eo quod Antiquum fonaret, & Jehovæ nomen in fenfu literæ audirent; non credentes quod aliquod Divinum altius ibi reconditum lateret; Orbis Chriftianus nec fanctius de Verbo cogitat. Exinde conftare poteft, quomodo fapientia fuccedente tempore ab intimis fecefferit ad extima, & homo fe a cælo removerit, & tandem defcenderet ufque ad terræ pulverem, in quo nunc fapientiam ponit. Quia ita fe habuit cum Verbo, nempe quod ejus fenfus internus fucceffive obliteratus fit, & hodie ita ut nefciatur quod fit, cum tamen ille eft ipfiffimum Verbum in quo Divinum proxime, ideo ftatus ejus fucceffivi in hoc Capite defcribuntur.

3433. Et vocavit nomen ejus Rechoboth, quod fignificet quale inde quoad verum, conftat ex fignificatione vocare nomen, quod fit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; & a fignificatione Rechoboth, quod fint vera, Rechoboth enim in lingua originali fignificat latitudines, & quod latitudines in fenfu interno Verbi fint vera, n: 1613, oftenfum eft.

3434. Et dixit, quia nunc dilatari facit Jehovah nos, quod fignificet incrementa veri inde, conftat a fignificatione Latitudinis, quod fit verum, de qua mox fupra n: 3433, inde dilatari eft incrementa veri accipere.

3435. Et fructificabimur in terra, quod significet incrementa boni inde, constat a significatione fructificari, quod sint incrementa boni; quod fructificari prædicetur de bono, & multiplicari de vero, videatur n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; & a significatione terræ, quod sit Ecclesia, & quicquid Ecclesia, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2928. 3355.

3436. Et ascendit inde Beerschebam, quod significet quod inde doctrina fidei Divina, constat a significatione Beerscheba, quod sit Doctrina fidei Divina, de qua n: 2723. 2858. 2859: Doctrina fidei, quæ hic per Beerschebam significatur, est ipse sensus literalis Verbi, nam Verbum est ipsa Doctrina; & tametsi Verbum quoad sensum literalem est tale, ut hauriri queant inde vera, etiam est tale, ut confirmari queant inde non vera, prout notum est ex hæresibus: at qui ex fine sapiendi, hoc est, faciendi bonum & intelligendi verum, legit Verbum, is instruitur secundum finem & secundum affectionem ejus, ipso enim nesciente influit Dominus, ac illustrat mentem, & ubi hæret, dat ex aliis locis intellectum; præterea, qui in simplici bono est, & simpliciter credit Verbo secundum sensum ejus literalem, is donatur facultate percipiendi vera, cum in altera vita instruitur ab Angelis; ac interea, pauca vera quæ apud illum, vivificantur charitate & innocentia, quæ cum insunt, tunc falsa quæ quoque infuderunt se in umbra ejus ignorantiæ, non nocent, bono enim non adjunguntur, sed detinentur inde quasi in peripheriis, ac ita facile emoveri queunt: sed aliter se habet cum illis, qui non in bono vitæ sunt, apud eos falsa, quæ per sinistram interpretationem ex Verbo excluserunt, medium seu quasi centrum tenent, & Vera circuitus seu peripherias, quare falsa sunt quæ adjunguntur malo vitæ eorum, & vera dissipantur.

3437. Vers: 24. 25. *Et apparuit ad eum Jehovah in nocte illa, & dixit, Ego Deus Abrahami patris tui, ne timeas quia cum te Ego, & benedicam tibi, & multiplicari faciam semen tuum propter Abrahamum servum meum. Et ædificabat ibi altare, & invocavit Nomen Jehovæ, & tetendit ibi tentorium suum; & perfoderunt ibi servi Jischaki puteum.* Apparuit ad eum Jehovah in nocte illa, & dixit, significat perceptionem Domini de obscuro illo: Ego Deus Abrahami patris tui, ne timeas quia cum te Ego, significat quod Divinum etiam esset ibi: & benedicam tibi & multiplicari faciam semen tuum, significat quod inde incrementum boni & veri: propter Abrahamum servum meum, significat ex Divino Humano Domini: Et ædificabat ibi altare, significat significativum & repræsentativum Domini: & invocavit nomen Jehovæ, significat cultum inde: & tetendit ibi tentorium suum, significat ibi sanctum: & perfoderunt ibi servi Jischaki puteum, significat doctrinam inde.

3438. Apparuit ad eum Jehovah in nocte illa & dixit, quod significet perceptionem Domini de obscuro illo, constat a significatione apparere Jehovah & dicere, cum prædicatur de Domino, quod sit ex Divino percipere; quod apparere ad eum Jehovah, sit ex Divino, videatur n: 3367, & quod dicere

dicere sit percipere, n: 2862. 3395; Jehovah enim fuit in Ipso, ita quamdiu Humanum nondum glorificatum fuit, apparitio Jehovæ fuit perceptio Divina seu perceptio ex Divino, quare per apparere ad eum Jehovah & dicere, id significatur; ex significatione noctis, quod sit status umbræ seu obscurum, de qua n: 1712; per obscurum illud significatur sensus literalis Verbi, se enim ille respective ad sensum internum habet, sicut umbra ad lucem: ut adhuc sciatur, quomodo se habet cum sensu literali Verbi, paucis dicendum; se habet sensus internus ad sensum literalem, sicut apud hominem ejus interiora seu cœlestia & spiritualia, ad ejus exteriora seu naturalia & corporea; interiora ejus in luce cœli sunt, at exteriora in luce mundi, inter lucem cœli & lucem mundi, consequenter inter illa quæ lucis cœli & illa quæ lucis mundi sunt, qualis differentia sit, videatur n: 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 1783. 1880. 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3225. 3337. 3339. 3341. 3413, nempe quod talis, qualis est inter lucem diei & umbram noctis; homo, quia est in umbra illa, & non scire vult quod in vero a Domino sit lux, non aliter credere potest, quam quod umbra ejus sit lux, imo etiam vicissim quod lux sit umbra; est enim velut noctua, quæ cum in umbra noctis volat, putat se esse in luce, at cum in luce diei, putat se esse in umbra; oculus enim internus, hoc est, intellectus, per quem homo interius videt, apud talem non aliter est formatus, nam illum non aliter formavit, aperit enim eum cum deorsum spectat, hoc est, ad mundana & corporea, & claudit illum cum sursum, hoc est, ad spiritualia & cœlestia; apud illos Verbum simile est, quod in ejus sensu literali apparet, hoc credunt esse lucis, at quod in sensu interno, id credunt esse umbræ; apparet enim Verbum cuivis secundum quale ejus; cum tamen sensus internus Verbi se habeat respective ad sensum ejus literalem, sicut lux cœli ad lucem mundi, n: 3086. 3108, hoc est, sicut lux diei ad lucem noctis: in sensu interno sunt singularia, quorum myriades simul faciunt unum particulare quod in sensu literali sistitur; seu quod idem, in sensu interno sunt particularia, quorum myriades simul faciunt unum commune quod in sensu literali est, hoc commune est quod apparet homini, non autem particularia quæ insunt & quæ constituunt; usque tamen ordo particularium in communi apparet homini, sed secundum ejus quale, ordo ille est sanctum quod afficit.

3439. Ego Deus Abrahami patris tui ne timeas quia cum te Ego, quod significet quod Divinum etiam esset ibi, nempe in sensu literali Verbi, constat ex repræsentatione Abrahami, quod sit Divinum Domini, de qua n: 2833. 2836. 3251. 3305 f; inde Jehovah Deus Abrahami significat Domini Divinum quod Abraham repræsentat; & quia agitur de Verbo, quod quoque est Dominus, quia omne Verbum ab Ipso, & omne Verbi de Ipso, ideo per Ego Deus Abrahami ne timeas quia cum te Ego, significatur quod Divinum etiam sit ibi. Cum Divino in Verbo ita se habet; Ipsum Divinum est in sensu supremo Verbi, quia ibi est Dominus; Divinum etiam est in sensu interno, quia ibi est Regnum Domini in cœlis, inde sensus ille vocatur

cœleſtis & ſpiritualis; Divinum quoque eſt in ſenſu literali Verbi, quia ibi eſt Regnum Domini in terris, inde ſenſus ille vocatur externus ut & naturalis, ſunt enim ibi apparentiæ craſſæ, a Divino remotiores; at uſque ibi omnia & ſingula ſunt Divina. Tres illi ſenſus ſe habent, ſicut ſe habuit Tabernaculum; Intimum ejus, ſeu quod intra velum, ubi Arca in qua Teſtimonium, fuit ſanctiſſimum ſeu ſanctum ſanctorum; Internum autem, ſeu quod immediate extra velum, ubi menſa aurea & candelabrum, erat ſanctum; Externum autem, ubi atrium, etiam erat ſanctum, ad illud conveniebat cætus, & inde vocabatur tentorium conventus.

3440. Et benedicam tibi, & multiplicari faciam ſemen tuum, quod ſignificet quod inde incrementum boni & veri, conſtat ex ſignificatione benedicere tibi, quod ſit incrementum boni, de qua n: 3406; & a ſignificatione multiplicari ſemen tuum, quod ſit incrementum veri, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; quod ſemen ſit verum, de quo prædicatur multiplicari, videatur n: 1025. 1447. 1610. 2848. 3038. 3373. 3380. Quod ex Verbi ſenſu literali quoque incrementum boni & veri ſit apud hominem, eſt quia in illo ſenſu quoque omnia & ſingula Divina ſunt, ut mox ſupra n: 3439, dictum; & quia in ſenſu literali ſenſus internus pluribus in locis apertus eſt; ſicut in Veteri Teſtamento apud Prophetas, quod Dominus venturus qui Generi humano ſalus eſſet; quod omnis lex & omnes prophetæ, ſint, amare Deum & amare proximum; quod occidere ſit odio habere, nam qui odit, omni momento occidit, in velle illius & in jucundo vitæ illius id eſt; hæc ſunt ſenſus interni in ſenſu literali; præter plura alia.

3441. Propter Abrahamum ſervum meum, quod ſignificet ex Divino Humano Domini, conſtat ex repræſentatione Abrahami, quod ſit Divinum Domini, etiam Divinum Humanum, de qua n: 2833. 2836. 3251; & ex ſignificatione ſervi mei, cum prædicatur de Domino, quod ſit Divinum Humanum, non quod Divinum Humanum ſit Servus, quia illud eſt quoque Jehovah, n: 1736. 2156. 2329. 2921. 3023. 3035, ſed quia Dominus per illud inſervit Generi Humano; per illud enim homo ſalvatur, nam niſi Dominus univerit Divino Humanum, ut homo Humanum Domini potuiſſet mente ſua intueri ac adorare, & ſic ad Divinum accedere, nuſquam potuiſſet ſalvari; Conjunctio hominis cum Ipſo Divino quod Pater vocatur, eſt per Divinum Humanum quod Filius; ita per Dominum, per Quem a Spirituali homine intelligitur Humanum, ſed a cœleſti ipſum Divinum; inde patet, cur Divinum Humanum ſervus dicitur, nempe quod Divino inſerviat, ut ad illud acceſſus ſit homini, & quod inſerviat generi humano ad ſalutem illorum; hoc nunc eſt, quod ſignificatur per Abrahamum ſervum meum; ut quoque apud Davidem, "Memorate mirabilia Ipſius quæ fecit, prodigia & judicia oris Ipſius, ſemen *Abrahami Servi Ipſius*, filii Jacobi electi Ipſius: miſit Moſen *ſervum ſuum*, Aharonem quem elegit: recordatus eſt verbi ſanctitatis ſuæ cum *Abrahamo ſervo ſuo*," Pſalm: cv: 6. 26. 42, ubi per Abrahamum ſervum intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum: ſimiliter etiam Dominus quoad Divinum Humanum in ſupremo ſenſu intelligitur per Iſraelem

lem ſervum, per Jacobum ſervum, per Davidem ſervum: per Iſraelem ſervum, apud Eſaiam, "*Tu Iſrael ſervus meus*, Jacobus quem elegi, ſemen Abrahami amici mei; quem apprehendi a finibus terræ, & ab alis ejus vocavi te, & dixi tibi, *Servus meus tu*, elegi te," XLI: 8: 9; ubi Iſrael ſervus meus in ſupremo ſenſu eſt Dominus reſpective ad Spiritualis Eccleſiæ interna, & Jacobus quoad illius Eccleſiæ externa: apud Eundem, "Dixit mihi, *Servus meus tu Iſrael*, in quo glorioſus reddar: leve eſt, *ut ſis Mihi ſervus* ad erigendum tribus Jacobi, & ſervatos Iſraelis ad reducendum, & dedi Te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea ad extremitatem terræ," XLIX: 3. 6; ubi manifeſte Iſrael, in quo glorioſus reddar, pro Divino Humano Domini; quod Servus dicatur ab inſerviendo, patet, nam dicitur, ut ſis Mihi ſervus ad erigendum tribus Jacobi, & ad reducendum ſervatos Iſraelis. Quod per Jacobum ſervum, apud Eſaiam, "Dabo tibi theſauros tenebrarum, & occultas opes latibulorum, propter *Servum meum Jacobum*, & Iſraelem electum meum," XLV: 3. 4, ubi per ſervum Jacobum & Iſraelem electum intelligitur Dominus, ſervus Jacobus reſpective ad Eccleſiæ externa, Iſrael electus reſpective ad Eccleſiæ interna. Etiam per Davidem ſervum, apud Ezechielem, "Congregabo filios Iſraelis a circuitu, *Servus meus David Rex ſuper eos*, & paſtor unus erit omnibus illis; habitabunt ſuper terra, quam dedi *ſervo meo Jacobo*; & habitabunt ſuper illa, illi & filii illorum, & filii filiorum illorum uſque in æternum; & *David ſervus meus* princeps illis in æternum," XXXVII: 24. 25; manifeſte David ſervus pro Divino Humano Domini, n: 1888, & hoc ex Divino Vero, quod per Regem, hic Davidem, ſignificatur, n, 1728. 2015. 3009; ipſum etiam Verum quod ſit ſervus reſpective, videatur n: 3409: & quia ita, Dominus ipſe Se vocat inſervientem ſeu miniſtrantem, apud Marcum, "Quiſquis voluerit eſſe magnus inter vos, erit miniſter veſter; & quicunque voluerit veſtrum eſſe primus, erit omnium ſervus; nam etiam *Filius hominis non venit ut miniſtretur Ipſi, ſed ut miniſtret*," X: 44. 45. Matth: XX: 26. 27. 28: & apud Lucam, "Quis major eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat, nonne qui accumbit; *acqui Ego ſum in medio veſtri ſicut qui miniſtrat*," XXII: 27.

3442. Et ædificabat ibi altare, quod ſignificet ſignificativum & repræſentativum Domini, conſtat a ſignificatione Altaris, quod ſit principale repræſentativum Domini, de qua n: 921. 2777. 2811.

3443. Et invocavit Nomen Jehovæ, quod ſignificet cultum inde, conſtat ex ſignificatione invocare nomen Jehovæ, quod ſit cultus, de qua n: 440. 2724; & quod Nomen Jehovæ ſit omne in uno complexu per quod colitur Dominus, n: 2628. 2724. 3006.

3444. Quod tetendit ibi tentorium ſuum, quod ſignificet ibi ſanctum, conſtat a ſignificatione tentorii, quod ſit ſanctum cultus, de qua n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312.

3445. Et perfoderunt ibi ſervi Jiſchaki puteum, quod ſignificet doctrinam inde, conſtat ex ſignificatione putei, quod ſit Verbum, de qua n: 2702.

3424; & quia Verbum eſt ipſa Doctrina, & ſic ex Verbo eſt omnis doctrina quæ Eccleſiæ, inde perfodere puteum ſignificat doctrinam inde, nempe ex ſenſu literali Verbi, quia de illo hic agitur: ſed ipſa Doctrina ex ſenſu literali Verbi, eſt unica, nempe Doctrina Charitatis & amoris, charitatis erga proximum, & amoris in Dominum, nam hæc Doctrina & ſecundum illam vita, eſt totum Verbum, ut Dominus docet apud Matthæum, Cap: XXII: 35. 36. 37. 38.

3446. Verſ: 26. 27. *Et Abimelech ivit ad illum e Gerar, & Achuſath ſocius illius, & Phicol dux exercitus illius. Et dixit ad illos Jiſchak, quapropter veniſtis ad me, & vos odiſtis me, & miſiſtis me a vobis.* Et Abimelech ivit ad illum e Gerar, ſignificat doctrinam fidei ſpectantem rationalia: & Achuſath ſocius illius, & Phicol dux exercitus illius, ſignificat primaria doctrinæ illorum fidei: Et dixit ad illos Jiſchak, quapropter veniſtis ad me, & vos odiſtis me, & miſiſtis me a vobis, ſignificat cur Divinum vellent cum illud negarent, & illud adverſarentur quod in ſenſu interno Verbi.

3447. Abimelech ivit ad illum e Gerar, quod ſignificet doctrinam fidei ſpectantem rationalia, conſtat ex repræſentatione Abimelechi, quod ſit doctrina fidei ſpectans rationalia, de qua n: 2504. 2509. 2510. 3391. 3392. 3397; & a ſignificatione Geraris, quod ſit fides, de qua n: 1209. 2504. 3365. 3384. 3385; quid doctrina ſpectans rationalia, videatur n: 3368. Agitur hic & uſque ad Verſ: 33, de illis qui in ſenſu literali Verbi ſunt, & inde in doctrinalibus fidei, ac de Doctrinalium horum, quatenus ex ſenſu literali ſunt, concordantia cum ſenſu interno; Abimelech, & Achuſath ſocius illius, ac Phicol dux exercitus illius, illa repræſentant; ſunt illi qui fidem faciunt eſſentialem, & charitatem quidem non rejiciunt, ſed poſtponunt, ita doctrinam præferunt vitæ; noſtræ Eccleſiæ hodie pæne omnes tales ſunt, præter illam, quæ eſt in gentiliſmo Chriſtiano, ubi permittitur adorare ſanctos & eorum idola. Sicut in omni Eccleſia Domini ſunt qui Interni homines ſunt, & qui Externi; ac Interni ſunt qui in affectione boni, & Externi qui in affectione veri; ita quoque hi, qui per Abimelechum, ejus ſocium & ducem exercitus, hic repræſentantur; Interni ſunt, de quibus prius Cap: XXI: Verſ: 22 ad 33, actum eſt, ubi de Abimelecho & Phicole duce exercitus ejus, quod ad Abrahamum venerint, & pepigerint cum illo fœdus in Beerſcheba, de quibus videatur n: 2719. 2720; Externi autem ſunt, de quibus hic agitur.

3448. Et Achuſath ſocius illius, & Phicol dux exercitus illius, quod ſignificet primaria doctrinæ illorum fidei, conſtat ex repræſentatione Abimelechi, quod ſit Doctrina fidei ſpectans rationalia, inde ſocius illius, & dux exercitus illius, ſunt illa, & quidem primaria quæ ſunt doctrinæ; dux enim ſicut princeps ſignificat primaria, n: 1482. 2089, & exercitus ipſa doctrinalia; quod Exercitus ſignificet Doctrinalia, quæ ſunt Veri, ſeu quæ ſunt vera inferiora, inde eſt, quia per Militiam in Verbo, & per Bellum, ſignificantur illa quæ ſunt Militiæ & Belli ſpiritualis, n: 1664. 1788. 2686, ut quoque

quoque per arma, nempe per haſtas, clypeos, arcus, ſagittas, gladios, & ſimilia alia, ut paſſim oſtenſum; & quia ſunt Vera, ſeu Doctrinalia, per quæ pugnæ ſpirituales fiunt, ideo per Exercitus illa ſignificantur, & quoque falſa ſeu hæretica in oppoſito ſenſu: quod hæc & illa per Exercitus in Verbo ſignificentur, conſtare poteſt a pluribus locis; ut apud Danielem, "Cornu unum hirci caprarum crevit valde verſus meridiem, & verſus ortum, & verſus decus, & crevit *uſque ad Exercitum cœlorum*, & dejecit in terram *de Exercitu*, & de ſtellis; & conculcavit eos: imo *uſque ad Principem Exercitus* extulit ſe. *Exercitus ejus* traditus eſt ſuper Jugi in prævaricationem, & *projecit veritatem* in terram. Audivi unum ſanctum loquentem, dixit, quouſque viſio hæc, juge & prævaricatio vaſtans, ut detur & ſanctum & *Exercitus* conculcationi," VIII: 9. 10. 11. 12. 13; cornu quod crevit verſus meridiem, ortum & decus eſt potentia falſi ex malo, n: 2832, exercitus cœlorum ſunt vera; princeps exercitus eſt Dominus quoad Divinum Verum; & quia exercitus in bono ſenſu eſt Verum, dicitur quod dejecerit de exercitu in terram, & dein quod projecerit veritatem in terram. Apud Eundem, "Rex meridiei ſiſtet multitudinem magnam præ priori, & ſub finem temporum annorum, veniet veniendo *cum Exercitu magno*, & cum opibus multis: deinde excitabit vires ſuas, & cor ſuum contra regem meridiei *cum Exercitu magno*; & rex meridiei commiſcebit ſe bello cum *Exercitu magno & valido admodum*, ſed non confiſtet; nam comedentes cibum ejus, frangent illum, & *Exercitus ejus* exundabit, & cadent confoſſi multi," XI: 13. 25. 26; ibi in toto Capite agitur de bello inter regem ſeptentrionis & regem meridiei, & per regem ſeptentrionis intelliguntur falſa, ita quoque per Exercitum ejus, & per regem meridiei & Exercitum ejus vera: eſt propheticum de vaſtatione Eccleſiæ. Apud Johannem, "Vidi cœlum apertum, cum ecce Equus albus, & qui ſedens ſuper illo vocabatur *fidelis & verus*, indutus veſtimento tincto ſanguine, & *Exercitus Ipſius in cælo* ſequebantur Ipſum ſuper equis albis, induti byſſinum album & mundum. Vidi beſtiam & reges terræ, & *Exercitus eorum* congregatos ad faciendum bellum cum ſedente ſuper equo, & *cum Exercitu illius*," Apoc: XIX: 14. 19; ſedens ſuper equo albo pro Verbo Domini, ſeu pro Domino quoad Verbum, n: 2760. 2761. 2762, Exercitus Ipſius, qui in cœlo Ipſum ſequebantur, pro veris inde, ita pro illis in cœlo qui in veris ſunt; beſtia pro malis amoris ſui, reges terræ & exercitus eorum pro falſis; ſunt pugnæ falſi cum vero, quæ ibi deſcribuntur. Apud Davidem, "Per verbum Jehovæ cœli facti ſunt, & per ſpiritum oris Ipſius *Exercitus eorum*," Pſalm: XXXIII: 6; exercitus eorum ſeu cœlorum pro veris; quia per Exercitum ſignificantur vera, filii regni & angeli, ex veris in quibus ſunt, vocantur Exercitus cœlorum; ut apud Lucam, "Subito adfuit cum Angelo *multitudo Exercitus cæleſtis*, laudantium Deum," II: 13. Apud Davidem, "Benedicite Jehovæ *omnes Exercitus Ipſius*, miniſtri Ipſius, facientes voluntatem Ipſius," Pſalm: CIII: 21. Apud Eundem, "Laudate Jehovam omnes Angeli Ipſius, laudate Ipſum omnes *Exercitus Ipſius*," Pſalm: CXLVIII: 2. Apud Eſaiam, "Tollite

lite in altum oculos vestros, & videte quis creavit hæc, "*Qui educit in numero Exercitum eorum*, omnes nomine vocat, de multitudine potentium & fortium vir non deficiet," xl : 26. Apud Eundem, "Ego feci terram, & hominem super ea creavi; Ego, manus meæ expanderunt cœlos, & *omni Exercitui eorum præcepi*," xlv : 12, Exercitus cœlorum ibi pro veris, ita pro Angelis, quia in veris, ut dictum. In Libro Primo Regum, "Vidi Jehovam sedentem super throno suo, & *universum Exercitum cœlorum* stantem juxta Ipsum, a dextra Ipsius & a sinistra Ipsius," xxii : 19. Apud Joelem, "Jehovah dedit vocem suam *coram Exercitu suo*, quia magna valde castra Ipsius, quia numerosus faciens verbum Ipsius," ii : 11. Apud Sachariam, "*Castra ponam* domui meæ *de Exercitu*, pertranseunte & redeunte, ne transeat amplius super eos exactor; exulta valde filia Zionis, clange filia Hierosolymæ, ecce Rex tuus venit tibi," ix : 8. 9; ibi de Adventu Domini, Exercitus Ipsius pro veris Divinis, inde est, & quia Dominus solus pro homine pugnat contra inferna quæ in continuo conatu invadendi sunt, quod Dominus in Verbo pluries dicatur Jehovah Zebaoth, Deus Zebaoth, Dominus Zebaoth, hoc est, Exercituum; ut apud Esaiam, "Vox tumultus regnorum gentium congregatarum, *Jehovah Zebaoth ducit Exercitum belli*," xiii : 4, regna gentium pro falsis ex malis, ducere exercitum belli, pro pugnare pro homine. Quia duodecim Tribus Israelis repræsentabant Regnum cœleste Domini, ac Tribus ut & Duodecim significabant omnia fidei in uno complexu, hoc est, omnia vera Regni, n : 577. 2089. 2129. 2130. 3272, ideo quoque vocabantur *Exercitus Jehovæ*, ut Exod : vii : 4. Cap : xii : 17. 41. 51; & mandatum, ut educerentur Ægypto, *secundum Exercitus*, Exod : vi : 26; & castrametarentur *secundum Exercitus*, Num : i : 52; & distribuerentur *in Exercitus*, Num : ii : 1 ad f. Quod per Exercitus significentur Vera, etiam constat apud Ezechielem, "Persia, & Lud, & Puth, *in Exercitu tuo*, viri belli tui, scutum & galeam suspenderunt in te, hi dederunt honorem tui; filii Arwad, & *Exercitus tuus* super muris tuis circum circa, & Gamadæi in turribus tuis fuerunt," xxvii : 10. 11, ubi de Tyro, per quam significantur cognitiones boni & veri interiores, ita qui in illis sunt, n : 1201; Exercitus pro ipsis veris quod Lud & Puth quoque sint qui in cognitionibus videatur n : 1163. 1164. 1166. 1195. 1231; scutum & galea sunt talia quæ sunt pugnæ seu belli spiritualis. Quod Exercitus in opposito sensu sint falsa, patet apud Esaiam, "Erit in die illo, visitabit Jehovah *super Exercitum altitudinis* in altitudine, & super reges terræ super terra," xxiv : 21, ubi Exercitus altitudinis pro falsis ex amore sui. Apud Ezechielem, "Reducam te, & dabo hamos in maxillis tuis, & educam te, & *omnem Exercitum tuum*, equos & equites, indutos perfecte omnes illos, cætum magnum scuto & clypeo, prehendentes gladios omnes venies e loco tuo, e lateribus septentrionis, tu & populi multi tecum, equitantes equis omnes, cætus magnus, *Exercitus magnus*," xxxviii : 4. 15, ubi de Gogo, per quem significatur cultus externus separatus ab interno, ita factus idololatricus, n : 1151, exercitus illius pro falsis. Apud Jeremiam, "Mittam contra Babelem

belem qui tendit, tendens arcum ſuum, & efferens ſe lorica ſua, ne parcite juvenibus, devotioni date *omnem Exercitum ejus*," LI : 2. 3, Babel pro cultu, cujus externa apparent ſancta, ſed interiora ſunt prophana, n : 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326 ; exercitus ejus ſunt talium falſa, ſimiliter alibi exercitus Babelis, ut Jerem : XXX : 1. 21. Cap : XXXII : 2. Cap : XXXIX : 1. Apud Ezechielem, " Illos videbit Pharao, & conſolabitur ſe ſuper omni multitudine ſua, confoſſi gladio, Pharao & *omnis Exercitus ejus*, quia dabo terrorem Mei in terra viventium," XXXII : 31. 32, ubi de Ægypto, per quam ſignificantur illi qui per ratiocinia ex ſcientificis pervertunt vera, n : 1164. 1165, exercitus ejus ſeu Pharaonis pro falſis inde ; ſimiliter etiam alibi Exercitus Pharaonis, ut Jerem : XXXVII : 5. 7. 11. Cap : XLVI : 2. Ezech : XVII : 17. Apud Lucam, " Quando videritis circumdatam *ab Exercitibus* Hieroſolymam, tunc ſcite quod prope ſit devaſtatio," XXI : 20, ubi de conſummatione ſæculi, ſeu de ultimo tempore Eccleſiæ, cum nulla amplius fides ; quod per Hieroſolymam ſignificetur Eccleſia, videatur n : 2117, quæ circumdatur exercitibus quando obſidetur a falſis. Inde conſtat, quod per Exercitus cœlorum, quos Judæi & Idololatræ adoraverunt, in ſenſu interno ſignificata ſint falſa, de quibus in Libro Secundo Regum, " Deſeruerunt omnia præcepta Dei ſui, & fecerant ſibi fuſile, duos vitulos, & fecerunt lucum, & *incurvaverunt ſe omni Exercitui cœlorum*," XVII : 16, ubi de Iſraelitis ; & alibi ubi de Menaſſe, " Quod ædificaverit altaria *omni Exercitui cœlorum*," XXI : 5 ; & quod Joſchias Rex, eduxerit e Templo omnia vaſa facta baali, & luco, & *omni Exercitui cœlorum*," XXIII : 4 ; & apud Jeremiam, " Quod oſſa principum, ſacerdotum, & prophetarum expanderent ſoli, lunæ, & *omni Exercitui cœlorum*, quæ amaverant, & quibus ſerviverant, & poſt quæ iverant," VIII : 2 ; & alibi, " Erunt domus Hieroſolymæ & domus regis Jehudæ, ſicut topheth, immundæ, quoad omnes domus, ſuper quarum tectis ſuffiverunt *omni Exercitui cœlorum*, & libando libaverunt diis aliis," XIX : 13 : & apud Zephaniam, " Extendam manum meam contra adorantes ſuper tectis *Exercitui cœlorum*," I : 5 ; ſunt enim Stellæ, quæ imprimis vocantur Exercitus cœlorum, at quod per Stellas ſignificentur vera, tum in oppoſito ſenſu falſa, videatur n : 1128. 1808.

3449. Et dixit ad illos Jiſchak, quapropter veniſtis ad me, & vos odiſtis me, & miſiſtis me a vobis, quod ſignificet cur Divinum vellent cum illud negarent, & illud adverſarentur quod in ſenſu interno Verbi, conſtare poteſt ab illis quæ ſupra ad Verſ : 15. 16. 19. 20. 21, dicta ſunt.

3450. Verſ : 28. 29. *Et dixerunt, videndo vidimus quod fuit Jehovah cum te, & diximus, ſit quæſo ſacramentum inter nos, inter nos & inter te, & excidamus fœdus cum te. Si facias cum nobis malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus cum te tantum modo bonum, & miſimus te in pace ; tu nunc benedictus Jehovæ.* Dixerunt, videndo vidimus quod fuit Jehovah cum te, ſignificat quod ſcirent Divinum ineſſe : & diximus, ſit quæſo ſacramentum inter nos, inter nos & inter te, & excidamus fœdus cum te, ſignificat quod doctrinalia fidei eorum in ſe ſpectata non negarentur : Si facias cum nobis

nobis malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus cum te tantummodo bonum, & misimus te in pace, significat quod non violaverint internum sensum Verbi, & quod non violarent: tu nunc benedictus Jehovæ, significat quod a Divino.

3451. Dixerunt, videndo vidimus quod fuit Jehovah cum te, quod significet quod scirent Divinum inesse, constat a significatione videndo videre, quod sit appercipere & sic pro certo scire; & a significatione esse Jehovah cum te, quod sit Divinum inesse; agitur hic ut supra n: 3447 dictum, de concordantia Sensus literalis Verbi cum sensu interno, consequenter de concordantia doctrinalium fidei, quæ per Abimelechum, Achusath, & Phicolem, significantur, quatenus ex sensu literali Verbi sunt, cum eodem nempe cum sensu interno; ita de Conjunctione Regni Domini in terris, cum Regno Domini in cœlis, proinde cum Domino, per Verbum; est enim Verbum quoad sensum supremum Ipse Dominus, & est quoad sensum internum ipsum regnum Domini in cœlis, & quoad sensum literalem ipsum regnum Domini in terris, ut quoque prius dictum: sed ita se habet cum Regno Domini in terris, hoc est, cum Ecclesia Ipsius, quod, quia ex sensu literali Verbi sua doctrinalia habet, non possit quin varia & diversa sit quoad illa, nempe quod una societas dicat id esse verum fidei, quia ita dicitur in Verbo, altera dicat illud esse, quia etiam ita dicitur, & sic porro, proinde quod Ecclesia Domini, quia ex sensu literali Verbi sua Doctrinalia habet, differat ubivis, & hoc non modo secundum Societates, sed quandoque secundum singulos in societate; at dissensus in doctrinalibus fidei non facit quin una Ecclesia sit, si modo unanimitas sit quoad velle bene & agere bene: sicut pro exemplo; si quis pro Doctrinali agnoscit, quod charitas sit ex fide, & ille in charitate erga proximum vivit, tunc quidem non in vero est quoad doctrinam, sed usque in Vero quoad vitam, consequenter est in illo Ecclesia seu Regnum Domini: aut quoque si quis dicat, quod facienda sint bona opera, ut ei merces sit in cœlo, secundum sensum literalem Verbi, apud Matthæum Cap: x: 41. 42. Cap: xxv: 34 ad 46, & alibi, & tamen cum facit bona opera nusquam cogitat de merito, is similiter in Regno Domini est, quia quoad vitam in vero; & quia talis quoad vitam, facile se instrui patitur, quod nemo mereri queat cœlum, & quod opera in quibus meritum ponitur, non sint bona; ita in reliquis; sensus enim literalis est talis, quod pluribus in locis appareat sibi oppositus, sed est causa, quia in illo sunt apparentiæ veri accommodatæ illis qui in externis sunt, proinde qui etiam in mundanis amoribus & quoque in corporeis sunt: hic itaque per Abimelechum agitur de illis qui in doctrinalibus fidei sunt, qui quod sint illi qui fidem essentialem salutis faciunt, supra dictum est, & de doctrinalium illorum concordantia cum sensu interno, cum quibus quod etiam conjunctio facta sit, constat, sed modo cum illis qui in bono sunt, hoc est, cum illis, qui tametsi fidem essentialem faciunt quoad doctrinam, usque charitatem essentialem faciunt quoad vitam; cum enim apud illos confidentia seu fiducia est in Dominum, quam vocant ipsam fidem, tunc in affectione amoris sunt in Dominum, consequenter quoad vitam in bono: sed videantur

videantur quæ de his prius dicta & ostensa sunt, nempe quod Doctrinale non faciat Ecclesiam sed Charitas, n: 809. 916. 1798. 1799. 1834. 1844. Quod Doctrinalia nihil sint nisi vivant secundum illa, n: 1515. Quod Ecclesia varia sit quoad vera, sed una sit per charitatem, n: 3267. Quod paralelismus sit inter Dominum & hominem quoad cœlestia quæ sunt boni, non autem quoad spiritualia quæ sunt veri, n: 1831. 1832. Quod unica Doctrina sit, nempe amoris in Dominum, & charitatis erga proximum, n: 3445. Quod Ecclesia foret una si charitas omnibus, tametsi quoad cultus & quoad doctrinalia differrent, n: 809. 1285. 1316. 1798. 1799. 1834. 1844. 2982. Quod Ecclesia foret sicut Regnum Domini in cœlis, si omnibus charitas, n: 2385. Quod innumerabiles varietates boni & veri sint in cœlo, at quod per harmoniam usque unum faciant, sicut organa & membra corporis, n: 684. 690. 3241.

3452. Et diximus, sit quæso sacramentum inter nos, inter nos & inter te, & excidamus fœdus cum te, quod significet quod doctrinalia fidei eorum in se spectata non negarentur, nempe quatenus sunt ex sensu literali Verbi, constat ex significatione sacramenti inter nos, quod sit consensio doctrinalium cum sensu literali Verbi; & a significatione inter nos & inter te, quod sit concordantia cum sensu interno; & ex significatione excidamus fœdus, quod sit quod sic posset esse conjunctio, quod fœdus sit conjunctio, videatur n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 2003. 2021; sensus qui inde redundat est, quod, quia ita, doctrinalia fidei eorum in se spectata non negarentur; nam, ut dictum, doctrinalia quæcunque, modo sint ex Verbo, non negantur, acceptantur enim a Domino, modo is, qui in illis est, in vita charitatis sit, nam illi vitæ, omnia quæ Verbi sunt, conjungi possunt; sed Verbi interiora vitæ, quæ est in charitatis interiori bono; videantur quæ n: 3324, dicta & allata sunt.

3453. Si facias cum nobis malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus cum te tantummodo bonum, & misimus te in pace, quod significet quod non violaverint internum sensum Verbi & quod non violarent, constare potest a serie rerum in sensu interno, & ex illis quæ supra ad Vers: 11. 22. 23, dicta sunt.

3454. Tu nunc benedictus Jehovæ, quod significet quod a Divino, constat ex significatione benedicti Jehovæ, cum dicitur de Domino, seu quod idem, de Verbi sensu interno, nam Dominus est Verbum, quod sit Divinum Verum, de qua n: 3140, ita ex Divino: sic, quod non violaverint nec violarent sensum internum, quia ex Divino: sed violare sensum internum, est negare illa quæ principalia illius sensus sunt, quæ ipsa sancta Verbi sunt, quæ sunt, Divinum Humanum Domini, Amor in Ipsum, & amor erga proximum, hæc tria sunt principalia sensus interni, & sancta Verbi; & sunt interna & sancta omnium doctrinalium quæ ex Verbo, & interna & sancta omnis cultus, nam in illis ipsum Regnum Domini est: quartum est, quod Verbum quoad omnia & singula ejus, imo quoad minimum apicem, sit Divinum, ita quod Dominus sit in Verbo; hoc quoque confitentur & agnoscunt

 omnes,

omnes, qui doctrinalia ex Verbo habent; sed usque corde negant illi, qui non aliud sanctum in Verbo agnoscunt, quam quod in litera apparet, illi nihil sanctum appercipere possunt in historicis, nisi solum quoddam leve externum, ex eo quod dicatur sanctum, nec in propheticis; cum tamen interius sanctum erit, si quoad minimum apicem, Divinum.

3455. Vers: 30. 31. *Et fecit illis convivium, & ederunt & biberunt. Et mane surrexerunt in matutino, & juraverunt vir fratri suo: & misit eos Jischak, & iverunt a cum illo in pace.* Fecit illis convivium, significat cohabitationem: & ederunt & biberunt, significat communicationem: & mane surrexerunt in matutino, significat illustrationis statum: & juraverunt vir fratri suo, significat confirmationem cum illis qui in bono veri: & misit eos Jischak, & iverunt a cum illo in pace, significat quod contenti.

3456. Fecit illis convivium, quod significet cohabitationem, constat a significatione convivii, quod sit cohabitatio, de qua n: 2341.

3457. Et ederunt & biberunt, quod significet communicationem, constat a significatione edere, quod sit communicari quoad illa quæ sunt boni, de qua n: 2187. 2343. 3168; & a significatione bibere, quod sit communicari quoad illa quæ sunt veri, de qua n: 3089. 3168.

3458. Et mane surrexerunt in matutino, quod significet illustrationis statum, constat ex significatione mane, & surgere in matutino, quod sit illustrationis status; mane enim & aurora in sensu supremo est Dominus, & in sensu interno est cœleste amoris Ipsius, inde quoque est status pacis, videatur n: 2333. 2405. 2540. 2780; & surgere in sensu interno significat elevationem, n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171; inde patet, quod mane surrexerunt in matutino, significat illustrationis statum.

3459. Et juraverunt vir fratri suo, quod significet confirmationem cum illis qui in bono veri, constat ex significatione jurare seu juramenti, quod sit confirmatio, de qua n: 2842. 3037. 3375; & ex significatione viri cum fratre, quod sit veri bonum, seu quod idem qui in illo bono; quod vir sit verum, videatur n: 265. 749. 1007. 3134. 3309 pr; & quod frater sit bonum, n: 2360; quid veri bonum, videatur n: 3295. 3332; in eo bono sunt illi, qui hic per Abimelechum repræsentantur, seu qui per Philistæos, quorum rex Abimelechus fuit, nempe qui fidem faciunt essentialem Ecclesiæ, & præponunt charitati; qui tales, non in alio bono sunt, quam in Veri bono, nihil enim aliud ex Verbo eliciunt & hauriunt, quam quæ fidei sunt, ita quæ veri, quæ autem boni sunt, ita quæ vitæ, vix vident, idcirco confirmant se in doctrinalibus fidei, & non in aliquibus charitatis; cum illi bonum agunt, est ex doctrinalibus fidei, bonum inde est quod vocatur veri bonum: Cum illis, qui in eo bono sunt, conjungit se Dominus, sed non ita ut cum illis qui in bono charitatis, nam amor & charitas est conjunctio spiritualis, non autem fides nisi per amorem & charitatem; & quia ita, non dicitur quod pepigerint fœdus cum Jischako, sed quod juraverint vir fratri; fœdus enim prædicatur be bono, quod est amoris & charitatis, juramentum autem de vero, quod est fidei, n: 3375; de illis qui in veri bono etiam prædicatur

dicatur cohabitatio, quæ per convivium n: 3456, significatur. Ex illis, qui tales in altera vita, scire mihi datum est, quod separati sint ab illis qui in charitatis bono sunt, hi enim propius conjuncti Domino sunt, quam illi, nam bonum eorum, est, ut ita dicam, durum, non se flecti patiens, non communicativum, ita non in cœlo, sed in limine ad cœlum.

3460. Et misit eos Jischak, & iverunt a cum illo in pace, quod significet quod contenti, constare potest absque explicatione: inde etiam patet, quod cum illis cohabitatio, non conjunctio, de qua mox supra, n: 3459.

3461. Vers: 32. 33. *Et fuit in die illo, & venerunt servi Jischaki, & indicaverunt ei super causas putei, quem foderunt; & dixerunt ei, invenimus aquas. Et vocavit eum Schibba; propterea nomen urbis Beerschebah, usque ad diem hunc.* Fuit in die illo, significat statum illum: & venerunt servi Jischaki, significat rationalia: & indicaverint ei super causas putei quem foderunt, & dixerunt invenimus aquas, significat vera interiora per illa: Et vocavit eum Schibba, significat confirmati veri conjunctionem per illa: propterea nomen urbis Beerschebah, significat doctrinæ quale inde: usque ad diem hunc, significat status perpetuum.

3462. Fuit in die illo, quod significet statum, constat a significatione diei, quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788, hic statum doctrinæ, de qua agitur.

3463. Et venerunt servi Jischaki, quod significet rationalia, constat a significatione servorum, quod sint rationalia, ut & scientifica, de qua n: 2567; & a repræsentatione Jischaki, quod sit Dominus quoad Divinum Rationale, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 3012. 3194. 3210. Ex illis quæ præcedunt, constat, quid Domini per Jischakum hic repræsentatur, nempe quod Verbum quoad sensum ejus internum; per Abimelechum enim, & Achusathum, & Phicolem significantur doctrinalia fidei, quæ ex sensu literali Verbi sunt, qualia sunt illorum qui Philistæi in bono sensu dicuntur, hoc est, illi qui in solis doctrinalibus fidei sunt, & quoad vitam in bono, sed in bono veri, quorum doctrinalium aliqua conjunctio est cum sensu interno, ita cum Domino; sunt enim illi, qui in solis doctrinalibus fidei, ac in vita secundum illa, in quadam conjunctione, sed remota, ex causa, quia non sciunt quid charitas erga proximum, & minus quid amor in Dominum, ex quadam affectione, sed modo ex quadam idea fidei, ita nec sunt in aliqua perceptione boni, sed in specie persuasionis quod id verum & sic bonum sit, quod doctrinalia illorum dictant, in quibus cum confirmati sunt, possunt æque in falso, esse quam in vero, nam nihil aliud confirmat hominem quid verum quam bonum; verum quidem docet quid bonum sed absque perceptione, at bonum docet quid verum ex perceptione; quisque scire potest, quomodo hoc se habet, tum quæ & qualis differentia sit, solum ex communi hoc charitatis præcepto, "Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, sic & vos facite illis," Matth: VII: 12; qui ex præcepto agit, is quidem aliis bonum facit, sed quia sic jussum, ita non ex affectione cordis, & quoties facit, a se inchoat, & quoque in faciendo bonum, de merito cogitat; at qui non ex

 præcepto

præcepto agit, sed ex charitate, hoc est, ex affectione, is ex corde, ita ex libero, agit, & quoties agit, ex ipso velle bonum inchoat, ita ex eo quod ei sit jucundum; & quia in jucundo habet remunerationem, non de merito cogitat; inde nunc constare potest, quæ differentia sit facere bonum ex fide, & ex charitate, & quod illi remotiores sint quam hi ab ipso bono, quod est Dominus; illi nec facile introduci in bonum charitatis usque ad perceptionem possunt, quia parum in veris sunt, nam in illud bonum nemo introduci potest, nisi prius eradicata sunt non vera, quod fieri nequit, dum non vera usque ad persuasionem irradicata sunt.

3464. Et indicaverunt ei super causas putei quem foderunt, & dixerunt invenimus aquas, quod significet vera interiora per illa, constat ex significatione putei, quod sit Verbum, de qua n: 3424; & ex significatione aquarum, quod sint vera, de qua n: 2702, nempe quæ ex Verbo; ita indicare ei super causas putei quem foderunt, significat de Verbo ex quo doctrinalia, & dixerunt invenimus aquas, significat quod in illis, nempe in doctrinalibus, vera interiora; sunt enim, ut supra dictum, in omnibus doctrinalibus ex Verbi sensu literali desumptis vera interiora; Verbi enim sensus literalis est sicut puteus in quo aqua, nam in omnibus & singulis Verbi est sensus internus, qui quoque est in doctrinalibus quæ ex Verbo: ita se habet cum Doctrinalibus quæ ex sensu literali Verbi, quod cum homo in illis est, & simul in vita secundum illa, in se habeat correspondentiam; Angeli enim qui apud illum, in veris interioribus sunt, cum is in exterioribus, ita habet communicationem per doctrinalia cum cœlo, sed secundum suæ vitæ bonum: ut pro exemplo, cum in Sacra Cœna simpliciter cogitat de Domino, ex verbis ibi, "Hoc est Corpus meum & hic est Sanguis meus," tunc Angeli apud illum sunt in idea amoris in Dominum & Charitatis erga proximum, nam Corpori Domini & Pani correspondet amor in Dominum, ac Sanguini & Vino correspondet Charitas erga proximum, n: 1798. 2165. 2177. 2187, & quia talis est correspondentia, e cœlo per Angelos influit in illud sanctum in quo tunc est homo affectio, quam secundum vitæ suæ bonum recipit; Angeli enim habitant apud unumquemvis in ejus vitæ affectione, ita in doctrinalium secundum quæ vivit, nusquam a quibus vita discrepat, si vita discrepat, ut si sit in affectione lucrandi honores & opes per doctrinalia, tunc recedunt angeli, & in affectione illa habitant infernales, qui vel infundunt ei confirmationes illorum sui & mundi causa, ita fidem persuasivam, quæ talis est ut nihil curet num verum sit vel falsum, modo captent animos; vel omnem fidem auferunt, & tunc doctrina oris ejus est modo sonus ab igne amorum istorum excitatus & modificatus.

3465. Et vocavit illum Schibba, quod significet confirmati veri conjunctionem per illa, constat a significatione vocare, nempe nomine, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 3421, ita quod nomina significent rem seu statum, n: 1946. 2643. 3422, hic itaque confirmati veri conjunctionem per illa, nempe per doctrinalia: Schibba enim in lingua originali est juramentum, quod significat confirmationem, n: 2842. 3375: confirmati veri

veri conjunctio dicitur, cum vera interiora se conjungunt veris exterioribus, quæ sunt doctrinalia ex sensu literali Verbi: quod apud tales conjunctio fit per vera quæ sunt fidei, non ita per bona quæ charitatis, supra n: 3463, dictum.

3466. Propterea nomen urbis Beerschebah, quod significet doctrinæ quale inde, constat a significatione nominis, quod sit quale, de qua mox supra n: 3465; ex significatione urbis, quod sit doctrina, de qua n: 402. 2450. 2712. 2943. 3216; inde Beerschebah, quæ in lingua originali significat puteum juramenti, ita doctrinam veri confirmati; quod Beerschebah sit doctrina, videatur n: 2723. 2858. 2859. Supra in Capite XXI, Vers: 30. 31, dicitur, "Quia septem agnas accipies e manu mea, propterea sit mihi in testimonium, quod fodi puteum hunc; propterea vocavit *locum* illum *Beerschebah*, quia ibi *juraverunt* ambo illi," ibi per Beerschebam significabatur status & quale doctrinæ, quod ex Divino, & quod per illam conjunctio; & quia ibi agitur de illius Ecclesiæ interioribus, dicitur quod locus ille vocatus sit Beerschebah, hic autem quia agitur de illius Ecclesiæ exterioribus, dicitur quod urbs ita vocata; de interioribus enim prædicatur status, qui significatur per locum, n: 2625. 2837. 3356. 3387; sed de exterioribus prædicatur doctrina, quæ significatur per urbem, nam omnis doctrina suum statum & suum quale habet ab interioribus ejus.

3467. Usque ad diem hunc, quod significet status perpetuum, constat a significatione ad diem hunc, quod sit status perpetuum, de qua n: 2838.

3468. Vers: 34. 35. *Et fuit Esau filius quadraginta annorum, & accepit mulierem Jehudith, filiam Beeri Chittæi, & Basemath filiam Elonis Chittæi. Et fuerunt amaritudo spiritus Jischako & Rebeccæ.* Fuit Esau filius quadraginta annorum, significat statum tentationis quoad bonum veri naturale: & accepit mulierem Jehudith filiam Beeri Chittæi, & Basemath filiam Elonis Chittæi, significat adjunctionem veri naturalis aliunde quam ex ipso genuino: & fuerunt amaritudo spiritus Jischako & Rebeccæ, significat quod inde primum dolor.

3469. Fuit Esau filius quadraginta annorum, quod significet statum tentationis quoad bonum veri naturale, constat ex repræsentatione Esavi, quod sit bonum veri naturale, de qua n: 3300. 3302. 3322; ex significatione quadraginta annorum, quod sint tentationis status, quod quadraginta sint tentationes, videatur n: 730. 862. 2272, & quod anni sint status, n: 487. 488. 493. 893. Quod hæc de Esavo immediate adjungantur illis quæ de Abimelecho & Jischako relata sunt, est quia actum est de illis qui in bono veri sunt, hoc est, qui in vita secundum doctrinalia ex sensu literali Verbi desumta, hi enim significati sunt per Abimelechum, & Achusatum & Phicolem, ut supra passim dictum; qui itaque in bono veri sunt, seu in vita secundum doctrinalia, regenerati sunt quoad interiora, quæ eorum rationalia sunt, sed nondum quoad exteriora, quæ eorum naturalia; homo enim prius regeneratur quoad rationale quam quoad naturale, n: 3286. 3288, nam Naturale prorsus in mundo est, & in naturali ut in plano fundatur hominis cogitatio & voluntas;

voluntas; ea causa est, quod appercipiat homo cum regeneratur pugnam inter rationalem seu internum suum hominem & naturalem seu externum, & quod multo serius, & quoque multo difficilius regeneretur externum ejus quam internum; quod enim propius est mundo & propius corpori, hoc non adigi potest facile ad obsequia præstandum Interno homini, nisi per insignem temporis moram, & per plures status novos, in quos introducetur, qui status sunt status agnitionis sui, & agnitionis Domini, suæ nempe miseriæ & Domini misericordiæ, ita humiliationis, per pugnas tentationum; quia ita est, ideo hic nunc immediate adjungitur hoc de Esavo, & de ejus binis uxoribus, per quæ talia in sensu interno significantur. Cuivis notum est, quid bonum naturale, quod nempe sit bonum in quod nascitur homo; sed quid bonum veri naturale; paucis, si ulli, notum est; datur bonum naturale, seu homini connatum, quadruplicis generis, nempe bonum naturale ex amore boni, bonum naturale ex amore veri, tum bonum naturale ex amore mali, & bonum naturale ex amore falsi; bonum enim, in quod homo nascitur, id trahit a parentibus, sive patre sive matre; omne enim id quod parentes ex frequenti usu & habitu contraxerunt, seu ex actuali vita imbuerunt, usque dum illis tam familiare factum sit, ut appareat sicut naturale, hoc derivatur in liberos, & fit hæreditarium; parentes qui in bono amoris boni vixerunt, & in illa vita suum jucundum & beatum perceperunt, si in statu illo sunt cum prolem concipiunt, proles inde accipit inde inclinationem ad simile bonum; parentes qui in bono amoris veri vixerunt, de quo bono videatur n: 3459. 3463, & in illa vita suum jucundum perceperunt, si in statu illo sunt cum prolem concipiunt, proles inde accipit inclinationem ad simile bonum; consimiliter qui ex hæreditario accipiunt bonum amoris mali & bonum amoris falsi, vocantur hæc bona, ex causa, quia ut bona, apud quos sunt, in externa forma apparent, tametsi nihil minus quam bona sunt; perplures, apud quos bonum naturale apparet, tale bonum habent; qui in bono naturali amoris mali sunt, flexiles & proclives ad cujusvis generis mala sunt, nam facile se patiuntur seduci, ex bono illo sunt obsequiosi, cumprimis ad fœdus voluptates, ad adulteria, etiam ad crudelia; & qui in bono naturali falsi sunt, proclives sunt ad cujusvis generis falsa, ex bono illo arripiunt persuasivum, imprimis ab hypocritis & dolosis, qui sciunt captare animos, se in affectiones insinuare, & mentiri innocentiam: in hæc bona ita dicta, nempe mali & falsi, nascuntur plerique hodie, qui in orbe Christiano in bono naturali sunt, ex causa, quia parentes eorum jucundum mali & jucundum falsi per actualem vitam contraxerunt, ac illud sic in liberos, & ita in posteros suos, implantarunt.

3470. Et accepit mulierem Jehudith filiam Beeri Chittæi, & Basemath filiam Elonis Chittæi, quod significet adjunctionem veri naturalis aliunde quam ex ipso genuino, constat ex significatione mulieris, quod sit verum adjunctum bono, de qua ubi de Sarah & Rebecca, n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. 2198. 2507. 2904. 3012. 3013. 3077, hic verum naturale adjunctum

adjunctum bono naturali, de quo hic agitur; & ex repræsentatione Jehudith filii Beeri Chittæi, & Basemath filiæ Elonis Chittæi, quod sit verum aliunde quam ex ipso genuino; Chittæi enim erant inter gentes probas quæ in terra Canaane, apud quas habitabat Abraham, & a quibus speluncam Machpelæ in sepulchrum emit, Gen: XXIII: 3 ad fin; & per quas repræsentatur ibi Ecclesia spiritualis inter gentes, videatur n: 2913. 2986, quæ Ecclesia quia non in vero est ex Verbo, per eosdem significatur Verum non ex ipso genuino; gens enim quæ Ecclesiam repræsentat, etiam significat verum & bonum, quale est Ecclesiæ, nam Ecclesia ex vero & bono est Ecclesia, cum itaque illa dicitur, intelligitur hoc, & cum hoc dicitur, intelligitur illa. Cum his ita se habet, bonum veri naturale, non est bonum spirituale, hoc est, bonum fidei & bonum charitatis, antequam reformatum sit; bonum naturale est a parentibus, ut mox supra n: 3469 dictum, sed bonum spirituale est a Domino; quapropter homo ut bonum spirituale accipiat, regenerandus est; hoc dum fit, adjunguntur ei primum vera aliunde quam ex ipso genuino, quæ talia sunt, ut non adhæreant, sed modo inserviant pro mediis introducendi genuina, quæ cum introducta sunt, tunc vera non genuina separantur; se habet hoc sicut apud pueros, hi primum addiscunt plura, etiam inania, sicut lusoria & similia, non ut ea faciant illos sapere, sed ut præparent viam ad recipiendum utilia quæ sapientiæ, quibus receptis separantur illa, imo rejiciuntur; vel sicut se habet cum fructibus, qui primum implentur succo amaro, antequam possunt recipere succum dulcem, amarus ille, qui non est genuinus, est medium introducendi dulcem, quo intrante ille dissipatur: ita quoque se habet cum naturali hominis, cum illud regeneratur; bonum enim naturale est tale, quod ex se non obedire & inservire velit rationali ut servus domino, sed quod velit imperare; ut autem ad obsequium & famulitium redigatur, per status vastationis & tentationis vexatur, usque dum concupiscentiæ ejus languescant, & tunc per influxum boni fidei & charitatis per Internum hominem a Domino temperatur, usque dum bonum hæreditario acceptum per gradus exstirpetur, & novum loco ejus implantetur, in hoc tunc vera fidei insinuantur, quæ se habent sicut novæ fibræ in cor hominis, per quas succus novus infertur, usque dum novum cor, per vices succreverit; vera quæ primum inferuntur, non possunt ex genuino fonte esse, quia mala & falsa in bono priori seu naturali sunt, sed talia quasi vera seu tales veri apparentiæ, quæ cum genuinis veris affinitatem quandam habent, per quæ paullatim datur copia & locus ipsis genuinis veris se insinuandi; bonum genuinum est quasi sanguis in vasis, aut quasi succus in fibris, ac ducit & applicat vera in formam; bonum quod sic formatur in naturali seu externo homine, est commune, quasi contextum seu concinnatum a particularibus & singularibus boni spiritualis per rationalem seu internum hominem a Domino, Qui solus format & e novo creat; inde est, quod Dominus toties in Verbo dicatur formator & Creator.

3471. Quod fuerunt amaritudo spiritus Jischako & Rebeccæ, significet quod inde primum dolor, constat ex significatione amaritudinis spiritus, quod sit

sit dolor; & ex repræsentatione Jischaki & Rebeccæ, quod sit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Bonum & Divinum Verum; in supremo enim sensu agitur de Domino, at in repræsentativo de illis qui sunt similitudines aut imagines Ipsius, nempe in supremo sensu, quomodo Dominus Humanum apud Se Divinum fecit, in repræsentativo quomodo Dominus hominem regenerat, seu cœlestem & spiritualem facit; quod regeneratio hominis sit imago glorificationis Domini, videatur n: 3043. 3138. 3212. 3296. Quod dolor fuerit primum, inde est, quia cum vera inferuntur bono naturali, primo dolorem faciant, aggravant enim conscientiam, & inducunt anxietates, quia concupiscentiæ adsunt, contra quas verum spirituale pugnat; sed dolor hic primus per gradus diminuitur, & tandem evanescit; est sicut invalidum & ægrotum corpus, quod per dolorifica sanitati restituendum; cum in statu illo est, tunc ei primum dolor.



Continuatio de Correspondentiis & Repræsentationibus, Cumprimis de illis quæ in Verbo.

3472. *QUOD omnia & singula, quæ in Verbi sensu literæ, sint repræsentativa spiritualium & cælestium Regni Domini in cælis, ac in supremo sensu sint repræsentativa Ipsius Domini, constare potest ab illis quæ hactenus ostensa sunt, & quæ adhuc, ex Divina Domini Misericordia, ostendenda: sed quia homo tam longe se removit a cælo, ac se infimæ naturæ, imo terrestri, immersit, repugnat ei prorsus cum dicitur, quod Verbum altiora recondat, quam is ex litera capit, & magis cum dicitur, quod contineat incomprehensibilia, modo quæ Angelorum sapientiæ adæquata sunt, & adhuc magis, quod ipsa Divina, quæ infinite intellectum angelorum transcendunt: agnoscit quidem orbis Christianus, quod Verbum Divinum sit, sed quod ita Divinum, si non ore, usque corde negat; quod nec mirum est, quia terrestre, in quo homo hodie est, sublimiora non capit, nec vult capere.*

3473. *Quod Verbum in litera talia in se recondat, spiritibus seu animabus, quæ in alteram vitam veniunt, sæpius sistitur videndum; & cum hoc factum, aliquoties mihi datum est interesse, ut constare potest ab illis experientiis, quæ in Parte Prima,* De Scriptura Sacra seu Verbo, quod Divina recondat, quæ patent coram Spiritibus bonis & Angelis, *n:* 1767 *ad* 1776, *&* 1869 *ad* 1879, *allatæ sunt, ex quibus hoc, quod immediate sequitur, confirmationis causa, licet iterum referre.*

3474.

3474. *Quidam Spiritus ad me venit, non diu post excessum ejus e corpore, quod concludere potui ex eo, quod adhuc nesciret se in altera vita esse, putans se vivere in mundo; perceptum, quod is deditus fuerit studiis, de quibus loquutus cum eo; sed tunc subito sublatus est in altum, quod miratus, autumabam, quod esset ab illis, qui alta spirarunt, nam tales solent in altum ferri; aut quod posuerit cælum in alto, qui similiter solent in altum auferri, ut inde sciant, quod Cælum non sit in alto, sed in interno; sed mox appercepi, quod sublatus sit ad spiritus angelicos, qui antrorsum paulo ad dextrum in primo cæli limine sunt; inde dein mecum loquutus est, dicens, quod sublimiora videat, quam usquam mentes humanæ capere possunt; cum hoc fiebat, legebam Caput Primum Deuteronomii de populo Judaico, quod missi sint, qui explorarent terram Canaanem, & quæ ibi; quod cum legerem, dixit, quod nihil apperciperet de sensu literæ, sed quæ in sensu spirituali, & quod hæc mirabilia, quæ describere non posset; hoc erat in primo limine cæli Spirituum Angelicorum; quid non in ipso illo cælo, & quid non in cælo angelico. Spiritus quidam tunc, qui apud me erant, prius increduli quod tale sit Verbum Domini, cæperunt pænitere quod non crediderint, dicebant in illo statu quod credant, quia audiverunt illum dixisse, quod audiverit, viderit, & perceperit ita esse. Sed alii spiritus adhuc in sua incredulitate perstabant, & dicebant non ita esse, sed esse phantasias, quare etiam hi subito sublati sunt, & inde mecum loquuti & fassi, quod nihil minus sit quam phantasia, quia realiter percipiunt quod ita sit, & quidem perceptione exquisitiore, quam usquam dari possit alicui sensui in vita corporis. Mox etiam alii in idem cælum sublati, & inter eos unus in vita corporis ejus mihi notus, qui idem testatus, inter alia etiam dicens, quod præ stupore gloriam Verbi in sensu ejus interno describere non posset, ex miseratione quadam tunc loquens, inquiit, mirum esse quod homines ne hilum ex talibus sciant. Binis vicibus postea vidi alios sublatos in alterum cælum inter spiritus Angelicos, & inde mecum loquuti, legebam tunc Cap:* III *Deutr: a principio ad finem, dicebant, quod solum in sensu interiori Verbi essent, asseverantes tunc, quod ne apex quidem esset, in quo non spirituale pulcherrime cum reliquis cohærens, tum quod Nomina significent res; ita confirmati quoque, quia prius non crediderant, quod omnia & singula in Verbo a Domino inspirata fuerint; hoc voluerunt etiam coram aliis juramento confirmare, sed non permittebatur.*

3475. *Quod in cælis continua Repræsentativa existant, qualia sunt in Verbo, aliquoties prius dictum & ostensum est; Repræsentativa illa sunt*

 talia,

talia, ut Spiritus & Angeli illa in multo clariore luce videant, quam quæ est meridiana mundi; Repræsentativa illa sunt talia, quod quæ vident in externa forma percipiant quid significant in interna, & in his adhuc interiora: sunt enim tres cœli, in Primo Cœlo apparent illa in forma externa cum perceptione quid significant in interna; in Secundo Cœlo apparent illa qualia sunt in interna forma cum perceptione qualia sunt in adhuc interiore; in Tertio Cœlo, apparent illa in forma illa adhuc interiore, quæ est intima: quæ in Primo Cœlo apparent, sunt communia illarum rerum quæ apparent in Secundo, & hæc communia illarum quæ in Tertio; ita in illis quæ apparent in Primo Cœlo, sunt intus illa quæ in Secundo, & in his intus illa quæ in Tertio; & quia ita secundum gradus sistuntur, constare potest, quam perfecta, sapientia plena, & simul quam felicia, sunt illa quæ in intimo Cœlo, & quod prorsus ineffabilia sint, nam myriades myriadum sistunt unum particulare communis. Omnia & singula illa Repræsentativa involvunt talia, quæ sunt Regni Domini, & hæc talia quæ sunt Ipsius Domini; qui in Primo Cœlo sunt, in suis Repræsentativis vident talia quæ in interiore sphæra Regni existunt, & in illis quæ in adhuc interiore, & sic repræsentativa Domini, sed remote; qui in Altero Cœlo sunt, in suis repræsentativis vident talia quæ in intima sphæra Regni, & in illis repræsentativa Domini propius; qui autem in Tertio, vident Ipsum Dominum.

3476. *Inde sciri potest, quomodo se habet cum Verbo; Verbum enim a Domino datum est homini, etiam Angelis, ut per illud sint apud Ipsum; nam Verbum est medium uniens terræ cum cœlo, & per hoc cum Domino; sensus ejus literalis est, qui unit hominem cum Primo Cœlo; & quia in sensu literali est internus, qui agit de Regno Domini, & in hoc est sensus supremus, qui agit de Domino, & hi sensus ordine sibi insunt, inde patet, qualis unio per Verbum cum Domino est.*

3477. *Dictum est, quod continua sint Repræsentativa in cœlis, & quidem talia, quæ involvunt arcanissima sapientiæ; quæ patent coram homine ex sensu literali Verbi, sunt tam pauca respective, sicut aquæ Oceani ad aquas parvuli lacus: qualia sunt repræsentativa in cœlis, constare potest ab illis, quæ aliquoties prius ex visis relata sunt, & quoque ab his: Repræsentata fuit coram aliquibus, quod vidi, lata via, & stricta via, de qua in Verbo, lata quæ duceret ad infernum, & stricta quæ ad cœlum; lata erat consita arboribus, & floribus, & ejuscemodi quæ externa forma apparebant pulchra & jucunda, sed absconditi erant ibi varii generis angues & serpentes, quos non videbant, stricta via non erat ita decorata arboribus & floretis ad visum, sed*

apparuit

apparuit tristis & obscura, sed in illa erant Angeli infantes pulcherrime decorati in paradisis & floretis amænissimis, quæ tamen non videbant; interrogabantur tunc quam viam ire vellent, dicebant latam, sed subito aperiebantur illis oculi, & in lata videbant serpentes, in stricta autem angelos; & tunc iterum interrogabantur quam viam ire vellent, tunc hærebant taciti; & quantum aperiebatur illis visus, dicebant se ire velle strictam, & quantum claudebatur visus, se ire velle latam.

3478. *Etiam repræsentabatur coram quibusdam Tabernaculum cum Arca; qui enim Verbo summopere delectati fuerunt, cum vixerunt in mundo, illis talia quoque sistuntur videnda; ita tunc Tabernaculum cum omni ejus apparatu, nempe cum atriis, aulæis circum, velis intus, altari aureo seu suffitus, mensa ubi panes, candelabro, propitiatorio cum cherubis; & tunc simul spiritibus probis dabatur percipere, quid singula significarent; erant tres Cæli, qui per Tabernaculum repræsentati sunt, & Ipse Dominus per Testimonium in Arca super qua Propitiatorium; & quantum illis aperiebatur visus, tantum in illis cælestiora ac Diviniora videbant, quorum nullam cognitionem habuerunt in vita corporis, & quod mirum, non erat minimum ibi, quod non esset repræsentativum, usque ad uncos & annulos; ut solum in Pane qui super mensa, in illo ut in repræsentativo & symbolico percipiebant illum victum, a quo Angeli vivunt, ita amorem cælestem & spiritualem cum eorum faustis & felicibus, ac in illo & in his Ipsum Dominum, ut Panem seu Mannam e cælo, præter plura ex Panum forma, positione, numero, & ex auro quod ibi circum, & ex Candelabro e quo illa illuminata adhuc exhibebant repræsentationes rerum ineffabiliorum; ita in reliquis; ex quibus constare quoque potuit, quod ritualia seu repræsentativa Ecclesiæ Judaicæ in se continuerint omnia arcana Ecclesiæ Christianæ, tum quod illi, quibus repræsentativa & significativa Verbi Veteris Testamenti aperiuntur, Arcana Ecclesiæ Domini in terris, cum vivunt in mundo, & arcanorum arcana quæ in Regno Domini in cælis, cum in alteram vitam veniunt, scire & percipere possint.*

3479. *Judæi qui ante Domini adventum vixerunt, sicut etiam qui postea, non aliam opinionem de ritualibus Ecclesiæ suæ habuerunt, quam quod cultus Divinus solum consisteret in externis, quid repræsentabant & significabant, nihil curabant; non enim sciebant, nec scire volebant, quod aliquod internum cultus & Verbi daretur, ita quod aliqua vita esset post mortem, consequenter quod aliquod cælum, erant enim prorsus*

sensuales & corporei; & quia in externis separatis ab internis erant, cultus respective ad illos non aliud fuit quam idololatricus, quapropter pronissimi erant ad colendos quoscunque deos, modo persuaderentur quod illi prosperare eos possent: sed quia Gens illa talis erat, ut in externo sancto potuissent esse, & sic sancta habere ritualia per quæ repræsentabantur cælestia Regni Domini, & sanctam venerationem habere pro Abrahamo, Jischako & Jacobo, & quoque pro Mose & Aharone, & postea pro Davide, per quos repræsentabatur Dominus, & cumprimis sanctitatem habere pro Verbo, in quo omnia & singula repræsentativa & significativa Divinorum sunt, ideo in illa gente Ecclesia repræsentativa instituta fuit; si autem gens illa novisset interna usque ad agnitionem, tunc prophanavisset illa, & sic cum in sancto externis simul in prophano interno fuissent, ita prorsus nulla communicatio potuisset esse repræsentativorum cum cælo per illam gentem; inde est, quod interiora non illis detecta fuerint, ne quidem quod Dominus erat intus, ut salvaret animas illorum. Quia Tribus Judaica præ reliquis tribubus talis fuit, & hodie, sicut olim ritualia, quæ extra Hierosolymam observari possunt, sancta habent, etiam sanctam venerationem pro patribus suis, ac imprimis sanctitatem pro Verbo Veteris Testamenti, & prævisum quod Christiani pæne rejicerent illud, & quoque fædarent interna sua prophanis, ideo gens illa huc usque conservata est, secundum Domini verba apud Matthæum, Cap: XXIV: 34; *aliter si Christiani, sicut norunt interna, quoque viverent Interni homines, si hoc, Gens illa ante plura sæcula, sicut aliæ gentes, excisa fuisset. Sed cum Gente illa ita se habet, quod sanctum eorum externum seu sanctum cultus, nihil afficere possit interna eorum, hæc enim immunda ex sordido amore sui, & ex sordido mundi, sunt, & quoque ex idololatrico quod externa colant absque internis; & sic quia non aliquid cæli in se habent, nec aliquid cæli in alteram vitam secum ferre possunt, præter paucos qui in amore mutuo, & sic non in contemtu aliorum præ se, vivunt.*

3480. *Ostensum etiam est, quomodo immunda apud illam Gentem non impediverint, quin Verbi interiora, seu ejus spiritualia & cælestia, in cælo usque sisterentur; immunda enim removebantur, ut non appercepta, etiam mala in bonum vertebantur, sic ut modo externum sanctum pro plano inserviret, ita sistebantur coram angelis, absque interjectis remoris, interna Verbi; inde patuit, quomodo populis ille interius idololatra potuerit repræsentare sancta, imo Ipsum Dominum, ita quomodo Dominus in medio immunditiarum eorum potuerit habitare, Levit:* XVI: 16;

16; *proinde Ecclesiæ simile ibi habere, nam Ecclesia mere repræsentativa est instar Ecclesiæ, non est Ecclesia. Apud Christianos hoc ita non fieri potest, quia norunt interiora cultus, sed illis non credunt; ita non in sancto externo separato ab interno possunt esse; præter apud illos qui in vita fidei sunt, per bona apud illos fit communicatio, remotis interea malis & falsis; & tunc, quod mirum, omnia & singula Verbi quod ab his legitur, coram angelis patent, & hoc quoque tametsi illi non ad sensum ejus attendunt, quod mihi pluri experientia ostensum est, nam internum apud illos, quod non ita perceptibile est, pro plano inservit.*

3481. *In sermone fueram sæpius cum Judæis qui in altera vita, apparent antrorsum in terra inferiore sub plano sinistri pedis, & semel quoque de Verbo, de Terra Canaane, & de Domino: de Verbo, quod arcanissima ibi sint, quæ non patent coram hominibus, hoc affirmabant; dein, quod omnia arcana, quæ ibi, agant de Messia, & Ipsius Regno, hoc quoque volebant; sed cum dicerem, quod Messias in Hebræa lingua sit idem ac Christus in Græca, non audire volebant: iterum cum dicerem, quod Messias sit sanctissimus, & quod Jehovah in Ipso, & quod non alius per Sanctum Israelis & per Deum Jacobi, intelligatur; & quia ille Sanctissimus, quod non in Regno Ipsius possint esse nisi qui sancti sunt, non externa forma sed interna, ita qui non in amore sordido mundi, inque elatione contra alias gentes, & in odiis inter se, hoc non potuerunt audire: postea, quod Messiæ Regnum, secundum prophetias, erit æternum, & qui cum illo, etiam in æternum hæreditabunt terram; si Regnum foret ex mundo, & illi in terram Canaanem introducerentur, quod foret pro paucis annis, qui sunt vitæ hominis, præter quod omnes illi, qui mortui sunt postquam expulsi e terra Canaane, non fruerentur tali beatitudine; & quod inde scire potuissent, quod per terram Canaanem repræsentatum sit & significatum Regnum cæleste, & eo magis, cum illi nunc sciunt, quod in altera vita sint, & in æternum victuri, ita quod pateat ut Messias ibi suum Regnum habeat; & si loqui illis detur cum angelis, quod scire possint, quod universum Cælum Angelicum sit Ipsius Regnum; præter quod per Novam Terram, Novam Hierosolymam, & per Novum Templum apud Ezechielem, non aliud significari queat, quam tale Regnum Messiæ; & hæc non potuerunt respondere, solum quod qui introducendi in terram Canaanem a Messia, & post tam paucos annos morerentur, & beatitudinem illam, quam ibi habituri, relinquerent, acerbe lachrymarent.*

3482. *Loquela quæ in Verbo, tametsi coram homine simplex, & aliquibus in locis rudis, apparet, est ipsa loquela Angelica, sed ultima;*

loquela

loquela enim Angelica, quæ ſpiritualis eſt, dum cadit in voces humanas, non in aliam loquelam cadere poteſt quam in talem, ſingulæ enim res ibi repræſentant, & ſingulæ voces ſignificant; Antiquis, quia commercium habebant cum ſpiritibus & angelis, non alia loquela fuit, erat plena repræſentativis, & inerat ſenſus ſpiritualis ſingulis; libri antiquorum etiam ita conſcripti ſunt, nam ita loqui & ita ſcribere, erat ſapientiæ eorum ſtudium; quantum poſtea homo ſe removerit a cælo, etiam inde conſtare poteſt; nunc ne quidem novit, quod in Verbo ſit aliud, quam quod apparet in litera, ne quidem quod ſenſus ſpiritualis inibi ſit, quicquid ultra ſenſum literalem dicitur, vocatur myſticum, quod ſolum ideo rejicitur; inde quoque eſt, quod intercepta ſit communicatio hodie cum cælo, in tantum, ut a paucis credatur, quod aliquod cælum ſit, & quod mirum, a doctis & eruditis multo pauciores, quam a ſimplicibus.

3483. *Quicquid uſquam apparet in univerſo, eſt repræſentativum Regni Domini, uſque adeo, ut nihil uſquam detur in univerſo atmoſpherico & ſtellifero, in tellure & ejus tribus regnis, quod non ſuo modo repræſentat; ſunt enim omnia & ſingula, quæ in natura, ultimæ imagines; ex Divino enim ſunt cæleſtia quæ boni, ex cæleſtibus ſpiritualia quæ veri, ex illis & his naturalia; inde conſtare poteſt, quam craſſa, imo quam terreſtris, & quoque inverſa, ſit intelligentia humana, quæ Naturæ ſeparatæ ſeu exemptæ ab influxu ſe priore, ſeu a cauſa efficiente, ſingula tribuit; qui etiam ita cogitant & loquuntur, ſibi videntur præ cæteris ſapere, nempe tribuendo naturæ omnia; cum viciſſim intelligentia angelica ſit, nihil naturæ tribuere, ſed omnia & ſingula Divino Domini, ita vitæ, non alicui rei mortuæ; ſciunt Eruditi, quod ſubſiſtentia ſit perpetua exiſtentia, ſed uſque eſt contra affectionem falſi, & inde famam eruditionis, dicere, quod ſubſiſtat continue Natura, ſicut exſtiterat, ex Divino Domini: quia nunc omnia & ſingula a Divino ſubſiſtunt, hoc eſt, continue exiſtunt, & omnia & ſingula quæ inde ſunt, non poſſunt aliter quam ut ſint repræſentativa illarum rerum per quas exſtiterant, ſequitur quod univerſum aſpectabile non aliud ſit quam theatrum repræſentativum Regni Domini, & quod hoc ſit theatrum repræſentativum ipſius Domini.*

3484. *A plurima experientia inſtructus ſum, quod non ſit niſi unica vita, quæ eſt Domini, quæ influit & facit ut vivat homo, imo ut vivant tam boni quam mali; illi vitæ correſpondent formæ quæ ſunt ſubſtantiæ, quæ per influxum continuum Divinum ita vivificantur, ut appareant ſibi vivere ex ſe; hæc correſpondentia eſt organorum cum vita; ſed*

qualia

qualia organa recipientia sunt, taliter vivunt; illi homines qui in amore & charitate sunt, in Correspondentia sunt, nam ipsa vita recipitur ab illis adæquate; illi vero qui in contrariis amori & charitati sunt, non in correspondentia sunt, quia ipsa vita non recipitur adæquate, inde talis vita existit, quales sunt: hoc illustrari potest a formis naturalibus, in quas influit lux solis, quales formæ recipientes sunt, tales modificationes lucis illi sunt; in spirituali mundo modificationes sunt spirituales, ideo ibi quales formæ recipientes sunt, talis est illis intelligentia, & talis sapientia: inde est, quod spiritus boni & Angeli appareant ut ipsissimæ formæ charitatis, at spiritus mali & infernales ut formæ odii.

3485. *Repræsentationes quæ in altera vita existunt, sunt apparentiæ, sed vivæ, quia a luce vitæ sunt; Lux vitæ est Divina Sapientia, quæ a Solo Domino; inde omnia, quæ a luce illa existunt, sunt realia; non sicut illa, quæ a luce mundi; quapropter illi qui in altera vita sunt, aliquoties dixerunt, quod quæ ibi vident, sint realia, & quæ homo videt, respective non realia, quia illa vivunt, & sic immediate afficiunt vitam eorum, hæc autem non vivunt, ita nec immediate afficiunt vitam, nisi qualiter & quantum apud eos illa quæ lucis mundi sunt, se conjungunt adæquate & correspondenter cum illis quæ lucis cæli sunt: inde nunc constare potest, quid Repræsentationes & quid Correspondentiæ.*



GENE-

GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

3486. EXplicata sunt ante Caput præcedens XXVI, ibi n: 3353 ad 3356, illa quæ Dominus loquutus est & prædixerat de Consummatione sæculi seu fine dierum Ecclesiæ, apud Matthæum, Cap: XXIV, Vers: 3 ad 7; hic, ex Divino Domini Misericordia, explicare licet illa quæ ibi ordine sequuntur, nempe quæ apud eundem Evangelistam in illo Capite a Versu 8 ad 14, ubi hæc, " *Omnia hæc initium dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio habiti ab omnibus gentibus propter Nomen meum. Et tunc offendentur multi, & se invicem tradent, & odio habebunt se invicem. Et multi pseudoprophetæ exsurgent, & seducent multos. Et propter multiplicari iniquitatem, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseverans erit in finem, hic salvabitur. Et prædicabitur hoc evangelium regni in tota habitata, in testimonium omnibus gentibus: & tunc erit finis.*

3487. Per illa verba, quæ præcedunt, & quæ explicata sunt n: 3353 ad 3356, descriptus fuit primus status perversionis Ecclesiæ, qui fuit, quod non amplius inciperent scire quid bonum & quid verum, sed de illis litigarent inter se, a quibus falsitates: per hæc autem verba describitur alter status perversionis Ecclesiæ, qui est, quod bonum & verum contemturi, & quoque aversaturi, & sic quod exspiratura fides in Dominum, secundum gradus sicut cessatura Charitas.

3488. Quod Secundus status perversionis Ecclesiæ per illa verba Domini apud Evangelistam descriptus sit, patet a sensu interno eorundem, qui talis est: *Omnia hæc initium dolorum*, significant illa quæ præcedunt, nempe quæ Status primi perversionis Ecclesiæ sunt, qui est, ut dictum, quod non amplius inciperent scire, quid bonum & quid verum, sed de illis litigarent inter se, a quibus falsitates, proinde hæreses; quod talia Ecclesiam ante plura sæcula perverterint, patet inde, quod Ecclesia in Christiano orbe divisa sit, & hoc secundum opiniones de bono & vero, ita quod perversio Ecclesiæ a multo tempore retro incepta sit. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*, significat quod bonum & verum periturum sit, primum per tribulationem, quod est, per perversionem; dein per quod occident illa, quod

quod eſt, per negationem, quod occidere cum prædicatur de bono & vero ſit non recipi, ita negare, videatur n: 3387. 3395; per vos ſeu per Apoſtolos, ſignificantur omnia fidei in uno complexu, ita tam bonum ejus quam verum, quod per duodecim apoſtolos illa ſignificata ſint, videatur n: 577. 2089. 2129. 2130 f. 3272. 3354, & hic manifeſte patet, non enim de Apoſtolorum prædicatione, ſed de conſummatione ſæculi, agitur. *Et eritis odio habiti ab omnibus gentibus propter Nomen Meum*, ſignificat contemtum & averſionem pro omnibus quæ ſunt boni & veri, odio habere, eſt contemnere & averſari, hæc enim odii ſunt; ab omnibus gentibus, eſt ab illis qui in malo ſunt, quod gentes ſint illi, videatur n: 1259. 1260. 1849. 1868. 2588 f; propter Nomen meum, eſt propter Dominum, ita propter omnia quæ ab Ipſo, quod Nomen Domini ſit omne in uno complexu per quod colitur, ita omne quod eſt Eccleſiæ Ipſius, videatur n: 2724. 3006. *Et tunc offendentur multi, & ſe invicem tradent, & odio habebunt ſe invicem*, ſignificat propter illa inimicitias; offendentur multi, eſt inimicitia in ſe, Ipſum Humanum Domini eſt contra quod inimicitia, quod illud offendiculum & ſcandalum futurum ſit, paſſim in Verbo prædicitur; ſe invicem tradent, eſt inimicitia inter ſe ex falſo contra verum; & odio habebunt ſe invicem, eſt inimicitia inter ſe ex malo contra bonum. *Et multi pſeudoprophetæ exſurgent, & ſeducent multos*, ſignificat prædicationes falſi; pſeudoprophetæ, quod ſint docentes falſa, ita doctrina falſa, videatur n: 2534; & ſeducent multos, eſt quod inde derivationes. *Et propter multiplicari iniquitatem, refrigeſcet charitas multorum*, ſignificat cum fide exſpirationem Charitatis; propter multiplicari iniquitatem, eſt ſecundum falſa fidei; refrigeſcet charitas multorum, eſt exſpiratio charitatis; utrumque enim pari paſſu vadit, ubi non eſt fides ibi non eſt charitas, & ubi non eſt charitas non eſt fides, ſed charitas eſt quæ recipit fidem, & nulla charitas quæ rejicit fidem; inde origo omnis falſi & omnis mali. *Qui autem perſeverans erit in finem, is ſalvabitur*, ſignificat ſalvationem eorum qui in charitate; perſeverans in finem, eſt qui ſe non ſeduci patitur, ita qui non in tentationibus ſuccumbit. *Et prædicabitur hoc evangelium regni in tota habitata, in teſtimonium omnibus gentibus*, ſignificat quod hoc prius notum fiet in orbe Chriſtiano, prædicabitur eſt quod notum fiet, hoc evangelium regni eſt hoc verum quod ita ſit, evangelium eſt annuntiatio, regnum eſt verum, quod regnum ſit verum, videatur n: 1672. 2547; in tota habitata, nempe terra, eſt orbis Chriſtianus,

quod terra ſit tractus ubi Eccleſia, ita orbis Chriſtianus, videatur n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 2928. 3355, Eccleſia hic habitata vocatur a vita fidei, hoc eſt, a bono quod veri, habitare enim in ſenſu interno eſt vivere, & habitatores ſunt bona veri, n: 1293. 2268. 2451. 2712. 3384; in teſtimonium eſt ut ſciant, ne prætexant quod ignoraverint; omnibus gentibus ſunt malis, n: 1259. 1260. 1849. 1868. 2588; cum enim in falſo & malo ſunt, non amplius ſciunt quid verum & quid bonum, credunt tunc falſum eſſe verum, & malum eſſe bonum, & viciſſim; cum in hoc ſtatu eſt Eccleſia, *tunc veniet finis.* In illis quæ nunc ſequuntur, & quæ ante Caput Geneſeos quod ſequitur, ex Divina Domini Miſericordia, explicanda ſunt, agitur de illo ſtatu Eccleſiæ, qui vocatur Abominatio deſolationis, qui eſt Tertius Status.

3489. Quod talis ſit Eccleſia, non apparet coram illis qui in Eccleſia ſunt, nempe quod contemnant & averſentur omnia quæ ſunt boni & veri, tum quod inimicitias gerant contra illa, imprimis contra Ipſum Dominum; frequentant enim templa, audiunt prædicationes, in quodam ſancto ſunt cum ibi, ad ſacram cœnam eunt, & inter ſe quandoque de illis decenter loquuntur, ita æque mali ſicut boni, etiam inter ſe in civili charitate ſeu amicitia vivunt; inde eſt, quod coram oculis hominum non aliquis contemtus, minus averſatio, & adhuc minus inimicitia contra bona & vera fidei, ita nec contra Dominum, appareat; ſed illa ſunt externæ formæ, quibus unus alterum ſeducit; at internæ formæ hominum Eccleſiæ prorſus diſſimiles ſunt, etiam externis prorſus contrariæ; internæ formæ ſunt quæ hic deſcribuntur, & quæ ſunt tales; hæ quales ſunt, apparet ad vivum in cœlis, Angeli enim non attendunt ad alia quam ad interna, hoc eſt, ad fines, ſeu ad intentiones & voluntates, & ad cogitationes inde; hæ quam diſſimiles externis ſunt, conſtare poteſt ex illis qui ab Orbe Chriſtiano in alteram vitam veniunt, de quibus videatur n: 2121. 2122. 2123. 2124. 2125. 2126, in altera enim vita ſolum interna ſunt ſecundum quæ ibi cogitant & loquuntur, nam externa cum corpore relicta ſunt, ibi patet, quod utcunque tales viſi ſunt pacifici in mundo, uſque odio habuerint unus alterum, & odio habuerint omnia quæ ſunt fidei, cumprimis Dominum, nam cum ſolum Dominus coram illis in altera vita nominatur, ſphæra non modo contemtus, ſed etiam averſationis & inimicitiæ contra Ipſum manifeſte ab illis exſpirat & circumfunditur, etiam ab illis qui ſecundum apparentiam ſancte de Ipſo

Ipso loquuti sunt, ut & qui prædicarunt; similiter cum nominatur Charitas & fides: sunt tales in interna forma, quæ ibi manifestatur, ut si, dum in mundo vixerunt, externa illis soluta & adempta fuissent, hoc est, si non ibi timuissent vitæ, & timuissent leges, ac imprimis si non timuissent famæ propter honores quos ambiverunt & affectaverunt, & propter opes quas concupiverunt & avide quæsiverunt, ruissent unus contra alterum ex intestino odio secundum conatus & cogitationes, & absque ulla conscientia diripuissent aliorum bona, & quoque absque ulla conscientia trucidavissent, quam maxime insontes; tales sunt Christiani hodie quoad interiora, præter paucos quos non cognoscunt; inde patet, qualis est Ecclesia.

CAPUT XXVII.

1. ET fuit, quod senuit Jishak, & caligabant oculi ejus a videndo, & vocavit Esavum filium suum majorem, & dixit ad eum, fili mi, & dixit ad eum, ecce me.

2. Et dixit, ecce quæso senui, non scio diem mortis meæ.

3. Et nunc tolle quæso arma tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & exi agrum, & venare mihi venationem.

4. Et fac mihi cupedias, quemadmodum amavi, & adduc mihi, & edam, propterea ut benedicat tibi anima mea, antequam morior.

5. Et Rebecca audiens in loquendo Jischak ad Esavum filium suum; & ivit Esau agrum ad venandum venationem, ad adducendum.

6. Et Rebecca dixit ad Jacobum filium suum, dicendo, ecce audivi patrem tuum loquutum ad Esavum fratrem tuum, dicendo.

7. Adhuc mihi venationem, & fac mihi cupedias, & edam, & benedicam tibi coram JEHOVAH ante mortem meam.

8. Et nunc, fili mi, ausculta voci meæ, ad quod ego præcipio tibimet.

9. Vade quæso ad gregem, & accipe mihi exinde duos hædos caprarum bonos, & faciam illos cupedias patri tuo, quemadmodum amat.

10. Et adducas patri tuo, & edat, propterea ut benedicat tibi ante mortem suam.

11. Et dixit Jacob ad Rebeccam matrem ſuam, ecce Eſau frater meus vir piloſus, & ego vir lævis.

12. Fortaſſis palpaverit me pater meus, & ero in oculis ejus ſicut ſeducens, & adducam ſuper me maledictionem & non benedictionem.

13. Et dixit illi mater ejus, ſuper me maledictio tui, fili mi, tantummodo auſculta voci meæ, & vade, accipe mihi.

14. Et ivit, & accepit, & adduxit matri ſuæ, & fecit mater illius cupedias, quemadmodum amavit pater illius.

15. Et accepit Rebecca veſtes Eſavi filii ſui majoris deſideriorum, quæ cum illa in domo, & induit Jacobum filium ſuum minorem.

16. Et pelles hædorum caprarum induere fecit ſuper manus illius, & ſuper lævitatem collorum illius.

17. Et dedit cupedias, & panem, quæ fecit, in manum Jacobi filii ſui.

18. Et venit ad patrem ſuum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce me, quis tu fili mi.

19. Et dixit Jacob ad patrem ſuum, ego Eſau primogenitus tuus, feci quemadmodum loquutus es ad me, ſurge quæſo, ſede, & ede e venatione mea, propterea ut benedicat mihi anima tua.

20. Et dixit Jiſchak ad filium ſuum, quid hoc feſtinaſti invenire, fili mi, & dixit, quia obvenire fecit Jehovah Deus tuus ad faciem meam.

21. Et dixit Jiſchak ad Jacobum, accede quæſo, & palpabo te, fili mi, an tu is filius meus Eſau, ſi non.

22. Et acceſſit Jacob ad Jiſchakum patrem ſuum, & palpavit illum, & dixit, vox vox Jacobi, & manus manus Eſavi.

23. Et non agnovit illum, quia erant manus ejus ſicut manus Eſavi fratris ejus piloſæ, & benedixit illi.

24. Et dixit, tu is filius meus Eſau, & dixit, ego.

25. Et dixit, adfer mihi, & edam e venatione filii mei, ideo ut benedicat tibi anima mea; & attulit illi, & edit, & adduxit illi vinum, & bibit.

26. Et dixit ad illum Jiſchak pater illius, accede quæſo, & oſculare me, fili mi.

27. Et acceſſit, & oſculatus eſt illum, & odoratus eſt odorem veſtium illius, & benedixit illi, & dixit, vide, odor filii mei ſicut odor agri, cui benedixit Jehovah.

28.

28. Et dabit tibi DEUS de rore cœli, & de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & musti.

29. Servient tibi populi, & incurvabunt se tibi populi, esto herus fratribus tuis, & incurvabunt se tibi filii matris tuæ, maledicentes tibi maledictus, & benedicentes tibi benedictus.

30. Et fuit, quemadmodum absolvit Jischak benedicere Jacobo, & fuit tantum exeundo exivit Jacob ex faciebus Jischaki patris sui, & Esau frater ejus venit e venatione sua.

31. Et fecit etiam is cupedias, & adduxit patri suo, & dixit patri suo, surgat pater meus, & edat e venatione filii sui, propterea ut benedicat mihi anima tua.

32. Et dixit ei Jischak pater ejus, quis tu, & dixit, ego filius tuus, primogenitus tuus Esau.

33. Et horruit Jischak horrore magno usque valde, & dixit, quis igitur ille qui venatus venationem & adduxit mihi, & edi ab omni, antequam venisti, & benedixi ei, etiam benedictus erit.

34. Et audivit Esau verba patris sui, & exclamavit exclamatione magna & amara usque valde & dixit patri suo, benedic mihi etiam ego pater mi.

35. Et dixit, venit frater tuus in fraude, & sumsit benedictionem tuam.

36. Et dixit, num quod vocat nomen illius Jacob, & supplantavit me is duabus vicibus, primogenituram meam sumsit, & ecce nunc sumsit benedictionem meam; & dixit, annon reservasti mihi benedictionem.

37. Et respondit Jischak, & dixit Esavo, ecce herum posui illum tibi, & omnes fratres ejus dedi ei ad servos, & frumento & musto fulcivi eum, & tibi igitur quid faciam, fili mi.

38. Et dixit Esau ad patrem suum, an benedictio una hæc tibi, pater mi, benedic mihi etiam ego pater mi; & sustulit Esau vocem suam, & flevit.

39. Et respondit Jischak pater ejus, & dixit ad eum, ecce de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore cœli desuper.

40. Et super gladio tuo vives, & fratri tuo servies, & erit quando dominaris, & disrumpes jugum illius desuper collo tuo.

41. Et odit Esau Jacobum propter benedictionem, qua benedixit illi pater illius, & dixit Esau in corde suo, appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacobum fratrem meum.

42.

42. Et indicatum Rebeccæ verba Esavi filii sui majoris, & misit, & vocavit ad Jacobum filium suum minorem, & dixit ad illum, ecce Esau frater tuus consolans se tibi ad occidendum te.

43. Et nunc fili mi, ausculta voci meæ, & surge, fuge tibi ad Laban fratrem meum Charanem.

44. Et commoreris cum eo diebus aliquibus, donec recedit excandescentia fratris tui.

45. Usque recedat ira fratris tui a te, & obliviscatur ejus quod fecisti illi, & mittam & accipiam te exinde; quare orbabor etiam ambobus vobis die uno.

46. Et dixit Rebecca ad Jischakum, fastidio vitam meam pro filiabus Cheth, si accipit Jacob mulierem e filiabus Cheth, sicut illæ e filiabus terræ, quare mihi vitæ.

CONTENTA.

3490. PRius, ubi de Jischako & Rebecca, actum est in sensu interno, de Rationali, quomodo Dominus illud in Se Divinum fecerat, nunc agitur in sensu interno de Naturali, quomodo Dominus id in Se Divinum fecit, Esau est bonum ejus, & Jacob est verum; quippe Dominus, cum in mundo fuit, totum Humanum suum, tam interius quod est Rationale, quam exterius quod est Naturale, & quoque ipsum Corporeum, in se Divinum fecit; & hoc secundum Ordinem Divinum; secundum quem etiam Dominus hominem novum facit seu regenerat; quapropter in sensu repræsentativo hic quoque agitur de Regeneratione hominis quoad ejus Naturale, in quo sensu etiam Esau est bonum naturalis, & Jacob verum ejus; utrumque usque Divinum, quia omne bonum & verum, quod regenerato, est a Domino.



SENSUS INTERNUS.

3491. *ET fuit, quod senuit Jischak, & caligabant oculi ejus a videndo, & vocavit Esavum filium suum majorem, & dixit ad eum, fili mi, & dixit ad eum, ecce me.* Fuit quod senuit Jischak, significat cum status adesset: & caligabant oculi ejus a videndo, significat cum Rationale vellet illustrare

luſtrare Naturale Divino: & vocavit Eſavum filium ſuum majorem, ſignificat affectionem boni naturalis ſeu bonum vitæ: & dixit ad eum, fili me, & dixit ad eum, ecce me, ſignificat ex prævifo & proviſo præſentiam.

3492. Fuit quod ſenuit Jiſchak, quod ſignificet cum ſtatus adeſſet, conſtat a ſignificatione ſeneſcere, quod ſit novi ſtatus præſentia, ſenectus enim in Verbo ſignificat & exuitionem ſtatus prioris, & induitionem ſtatus novi, & hoc ex cauſa, quia ſenectus eſt ultimum ætatis, cum corpore incipiunt exui, & cum illis amores qui ſunt ætatis quæ præceſſit, & ſic cum illuſtrari incipiunt interiora, nam remotis illis, illuſtrantur hæc; tum quoque quia Angeli, qui ſpiritualiter illa quæ in Verbo percipiunt, non amplius ſenectutis alicujus ideam habent, ſed pro illa ideam vitæ novæ, ita hic quod ſtatus adeſſet, nempe quod Divinum Rationale, quod per Jiſchakum repræſentatur, deſideraret Naturale, ſibi correſpondens, hoc eſt, quod Divinum etiam eſſet.

3493. Et caligabant oculi ejus a videndo, quod ſignificet cum Rationale vellet illuſtrare Naturale Divino, conſtat ex ſignificatione oculorum, quod ſit viſus interior ſeu rationalis, de qua n: 2701; & ex ſignificatione videre, quod ſit appercipere & intelligere, de qua n: 2150. 2325. 2807, inde cum caligare dicuntur oculi, ſignificantur quod amplius non apperceptio, hic non apperceptio illarum rerum quæ in naturali; & quia hæc ſignificantur per illa verba, ſignificatur quod Rationale vellet illuſtrare Naturale Divino: quomodo ſe res habet, conſtare poteſt ab illis, quæ prius de Rationali & Naturali, apud hominem cum regeneratur, dicta & oſtenſa ſunt, nempe quod Rationale prius regeneretur quam Naturale, ex cauſa quia Rationale eſt interius & ſic proprius Divino, & quoque quia eſt purius & ſic aptius ad recipiendum Divinum, quam Naturale, etiam ex cauſa quia per Rationale regenerandum eſt Naturale, videatur n: 3286. 3288. 3321: cum itaque Rationale regeneratum eſt, & non Naturale, tunc illud apparet ſibi caligare, nam non eſt correſpondentia; Rationale enim viſum ſuum habet a luce cœli, & Naturale viſum ſuum a luce mundi, niſi correſpondentia ſit, Rationale nihil videre poteſt quod in Naturali, eſt illi omne quod ibi ſicut umbra, aut quoque ſicut caligo, at vero cum correſpondentia eſt, tunc apparent Rationali illa quæ ſunt in Naturali in luce, quia tunc illuſtrantur illa quæ lucis mundi, ab illis quæ lucis cœli ſunt, illa tunc ſicut pellucent: ſed hæc melius patent ab illis, quæ de Correſpondentia prius dicta & oſtenſa ſunt, videantur n: 2987. 2989. 2971. 2990. 3002. 3138. 3167. 3222. 3223. 3225. 3337. 3485. Per hæc nunc aliqualiter capi poteſt, quod per illa verba, "Caligabant oculi Jiſchaki a videndo," ſignificetur quod Rationale vellet illuſtrare Naturale Divino, nempe id etiam Divinum facere, nam in ſenſu ſupremo agitur de Domino; quæ ſic illuſtrari poſſunt per illa quæ exiſtunt apud hominem cum is regeneratur, de quibus dictum; eſt enim Regeneratio hominis imago glorificationis Domini, n: 3043. 3138. 3212. 3296. 3490.

3494. Et vocavit Eſavum filium ſuum majorem, quod ſignificet affectionem boni naturalis ſeu bonum vitæ, conſtat ex repræſentatione Eſavi, quod ſit

ſit Divinum bonum Naturalis, de qua n: 3300. 3302. 3322; & quia bonum naturalis eſt, quod in affectione & vita apparet, ita eſt affectio boni naturalis ſeu bonum vitæ, quod hic per Eſavum repræſentatur. Affectio boni in Naturali, & inde bonum vitæ, eſt quod filius major dicitur; at affectio veri, & inde doctrina veri, eſt quæ filius minor; quod affectio boni & inde bonum vitæ ſit filius major, hoc eſt, primogenitus, patet manifeſte ex eo, quod infantes omnium primo ſint in bono, ſunt enim in ſtatu innocentiæ, inque ſtatu amoris erga parentes & nutricem, & in ſtatu charitatis mutuæ erga infantes ſocios, ſic ut cuivis homini bonum ſit primogenitum; hoc bonum, in quod ita initiatus eſt homo cum infans, permanet, nam quicquid ab infantia imbuitur, induit vitam, & quia permanet, ſit bonum vitæ; ſi enim homo abſque tali bono, quod ab infantia ſecum traxerat, foret, non foret homo, ſed foret majus ferus quam aliqua fera ſylvæ; non quidem apparet, quod adſit, quia omne id quod in infantili ætate imbuitur, hoc non apparet aliter quam ſicut naturale, ut ſatis patet ab ambulatione, a reliquis motibus corporis, a moribus & decoris civilis vitæ, tum ex loquela, & ex pluribus aliis; inde conſtare poteſt, quod bonum ſit filius major, hoc eſt, primogenitus, & inde quod Verum ſit filius minor, ſeu poſtea genitus, nam verum diſcitur non niſi quam in ætate puerili, adoleſcente & adulta. Utrumque tam bonum quam verum, quod in Naturali ſeu Externo homine, eſt filius, nempe filius Rationalis ſeu Interni hominis, nam quicquid exiſtit in Naturali ſeu Externo homine, hoc influit a Rationali ſeu Interno homine, & ex eo quoque exiſtit & naſcitur; quod inde non exiſtit & naſcitur, non eſt vivum humanum, foret ſicut diceres quoddam ſenſuale corporeum abſque anima: inde eſt, quod tam bonum quam verum, dicantur filii, & quidem filii Rationalis; ſed uſque non eſt Rationale quod producit & gignit Naturale, ſed eſt influxus per Rationale in Naturale, qui influxus eſt a Domino; inde Ipſius filii ſunt omnes Infantes qui naſcuntur, & dein cum ſapientes fiunt, quantum etiam tunc ſimul infantes ſunt, hoc eſt, in infantiæ innocentia, in infantiæ amore in parentem, tunc Dominum, & in infantiæ charitate mutua erga infantes ſocios, tunc proximum; tantum a Domino ut filii adoptantur.

3495. Et dixit ad eum; fili mi, & dixit ad eum, ecce me, quod ſignificet ex prævifo & proviſo præſentiam, conſtat ex ſignificatione vocavit eum & dixit ad eum, fili mi, quod ſit ex prævifo & proviſo, quia prædicatur de Divino Domini; & ex ſignificatione dixit ad eum, ecce me, quod eſt reſponſum, quod ſit præſentia.

3496. Verſ: 2. 3. 4. *Et dixit, ecce quæſo ſenui, non ſcio diem mortis meæ. Et nunc tolle quæſo arma tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & exi agrum, & venare mihi venationem. Et fac mihi cupedias quemadmodum amavi, & adduc mihi, & edam, propterea ut benedicat tibi anima mea, antequam morior.* Dixit, ecce quæſo ſenui, ſignificat quod ſtatus adeſſet: non ſcio diem mortis meæ, ſignificat vitam in naturali: Et nunc tolle quæſo arma tua, pharetram tuam, & arcum tuum, ſignificat doctrinalia boni quæ ei: & exi agrum, ſignificat

nificat ubi bona humus: & venare mihi venationem, significat boni verum: Et fac mihi cupedias quemadmodum amavi, significat amœna inde quia ex bono: & adduc mihi & edam, significat appropriationem: propterea ut benedicat tibi anima mea, significat adjunctionem ad suam vitam: antequam morior, significat primum statum resuscitationis in naturali.

3497. Quod dixit ecce quæso senui, significet quod status adesset, constat ex illis, quæ de significatione senescere supra n: 3492, dicta sunt.

3498. Non scio diem mortis meæ, quod significet vitam in naturali, constat a significatione diei, quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788; & ex significatione mortis, quod sit resurgere, seu resuscitari in vitam, de qua n: 3326; ita per diem mortis significatur status resuscitationis vitæ, seu quod idem, vita; quod in naturali, patet, quia de vita ibi agitur. Quomodo hæc se habent, non constare potest, nisi sciatur, quomodo se habet cum vita Rationalis, & cum vita Naturalis, seu quod idem est, cum vita Interni hominis & cum vita Externi; vita Rationalis seu Interni hominis distincta est a vita Naturalis seu Externi, & quidem ita distincta, ut Rationalis seu Interni hominis detur præter a vita Naturalis seu Externi, sed vita Naturalis seu Externi hominis non dari potest absque vita Rationalis seu Interni; Externus enim vivit ab Interno, usque adeo, ut si vita Interni hominis cessaret, vita Externi illico fieret nulla; Exteriora enim ita dependent ab Interioribus, sicut posteriora a prioribus, aut sicut effectus a causa efficiente, si enim cessaret causa efficiens, effectus illico nullus esset; ita quoque se habet cum vita Externi hominis respective ad vitam Interni: hoc manifeste constare potest ab homine; cum enim homo est in mundo seu vivit in corpore, Rationale ejus est distinctum a Naturali, usque adeo, ut homo abduci possit a sensualibus externis quæ sunt corporis, etiam aliqualiter a sensualibus interioribus quæ sunt ejus naturalis hominis, & in Rationali suo esse, ita in cogitatione spirituali; hoc adhuc melius patet ex eo, quod, cum homo moritur, sensualia externa, quæ sunt corporis, prorsus relinquat, & tunc vitam interioris sui hominis retineat; imo etiam quod scientifica, quæ sunt memoriæ externæ seu naturalis, quidem secum habeat, sed usque illa non fruatur, videatur n: 2475. 2476. 2477. 2479. 2480. 2481. 2482. 2483. 2485. 2486: inde patet, quod Rationalis seu Internus homo distinctus sit ab Externo: sed cum homo in corpore vivit, tunc Rationale ejus non apparet distinctum a Naturali, ex causa, quia in mundo est seu in natura, & quia ita, apparet vita Rationalis in Naturali, usque adeo, ut non aliqua vita appareat esse Rationali, si non simul Naturali; quod Rationali tantum vitæ appareat esse tunc, quantum ei Naturale correspondet, videatur supra n: 3493. Inde constare potest, quod sit vita in Naturali correspondens, quæ significatur per illa verba, quæ Jischakus ad Esavum dixit, non scio diem mortis meæ; per Jischakum enim repræsentatur Rationale, & per Esavum Naturale, utrumque quoad bonum ibi.

3499. Et nunc tolle quæso arma tua, pharetram tuam, & arcum tuum, quod significet doctrinalia boni quæ ei, constat a significatione armorum,

pharetræ & arcus, quod ſint doctrinalia, de qua n: 2680. 2709, hic doctrinalia boni quæ ei, nempe bono naturalis, quod per Eſavum repræſentatur.

3500. Et exi agrum, quod ſignificet ubi bona humus, conſtat a ſignificatione agri, quod ſit bonum Eccleſiæ, tum bonum doctrinæ, de qua n: 2971. 3196. 3310. 3317, ita bona humus.

3501. Et venare mihi venationem, quod ſignificet boni verum, conſtat ex ſignificatione venari & venationis, quod ſit verum naturalis ex quo bonum vitæ, de qua n: 3309, hic verum quod ex bono, quia ad Eſavum dicitur, per quem, ut dictum, repræſentatur bonum naturalis.

3502. Et fac mihi cupedias quemadmodum amavi, quod ſignificet amæna inde quia ex bono, conſtat a ſignificatione cupediarum, quod ſint amæna, quæ quia ex Eſavo, per quem repræſentatur bonum naturalis, eſt quia ex bono; Cupediæ in Lingua originali ſunt jucunda & amæna ſaporis, & ſignificant in ſenſu interno jucunda quæ ſunt boni & amæna quæ ſunt veri, ex cauſa, quia Sapor, ſicut reliqui ſenſus corporis, correſpondent cœleſtibus & ſpiritualibus, de qua correſpondentia, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus agendum. Hæc quomodo ſe habent, nec conſtare poteſt, niſi ſciatur, quomodo Naturale novum ſit ſeu vitam accipit a Rationali, hoc eſt, per Rationale a Domino; Naturale non novum ſit, ſeu vitam accipit Rationali correſpondentem, hoc eſt, regeneratur, niſi per doctrinalia ſeu cognitiones boni & veri, homo cœleſtis per cognitiones boni primum, at homo ſpiritualis per cognitiones veri primum; doctrinalia ſeu cognitiones boni & veri non poſſunt naturali homini communicari, ita nec conjungi & appropriari niſi per jucunda & amæna illi accommodata, nam per viam externam ſeu ſenſualem inſinuantur; quicquid non per jucundum quoddam aut amænum intrat, id non inhæret, ita nec permanet; hæc ſunt, quæ ſignificantur per boni verum & amæna inde, & hæc ſunt de quibus in ſequentibus agitur.

3503. Adduc mihi ut edam, quod ſignificet appropriationem, conſtat a ſignificatione edere, quod ſit appropriatio, de qua n: 2187. 2343. 3168.

3504. Propterea ut benedicat tibi anima mea, quod ſignificet adjunctionem ad ſuam vitam, proinde vitam Rationali correſpondentem, conſtat ex ſignificatione benedici, quod ſit donari bono cœleſti & ſpirituali, de qua n: 981. 1731. 2846. 3017. 3406: Bonum enim infantiæ & inde vitæ, quod idem eſt ac bonum naturalis, & quod repræſentatur per Eſavum, non eſt bonum ſpirituale, nam bonum infantiæ eſt abſque ſcientia, & abſque intelligentia, ita abſque ſapientia; bonum infantiæ ſit bonum ſpirituale per implantationem veri, ita per regenerationem, videatur n: 1616. 1802. 2280. 2290. 2291. 2299. 2304. 2305. 2307. 3495 f: inde correſpondentia inter rationalia & naturalia, proinde adjunctio naturalis hominis ad vitam rationalis; hæc adjunctio ad ſuam vitam, eſt quæ ſignificatur per benedicat tibi anima mea.

3505. Antequam morior, quod ſignificet primum ſtatum reſuſcitationis in naturali, conſtat a ſignificatione mori, quod ſit reſurgere ſeu reſuſcitari in vitam, de qua n: 3326. 3498; quod hic primus ſtatus ſit, patet ab eo, quod

quod bonum infantiæ & inde bonum vitæ ſit, quod primum regenerationis eſt; qui ſtatus per Eſavum huc uſque repræſentatus eſt; ſequentes ſtatus ſunt, de quibus in ſerie in hoc Capite agitur.

3506. Verſ: 5. 6. 7. *Et Rebecca audiens in loquendo Jiſchak ad Eſavum filium ſuum; & ivit Eſau agrum ad venandum venationem, ad adducendum. Et Rebecca dixit ad Jacobum filium ſuum, dicendo, ecce audivi patrem tuum loquutum ad Eſavum fratrem tuum, dicendo. Adduc mihi venationem, & fac mihi cupedias, & edam, & benedicam tibi coram Jehovah, ante mortem meam.* Rebecca audiens in loquendo Jiſchak ad Eſavum filium ſuum, ſignificat affectionem veri, & vitam ex illa: & ivit Eſau agrum ad venandum venationem, ad adducendum, ſignificat affectionis boni conatum ad comparandum verum, quod Rationali Divino adjungeretur. Et Rebecca dixit ad Jacobum filium ſuum, dicendo, ſignificat perceptionem Domini ex Divino vero de naturali vero: ecce audivi patrem tuum loquutum ad Eſavum fratrem tuum, dicendo, ſignificat quod Divinum bonum Divini Rationalis affectionem boni vellet: Adduc mihi venationem, ſignificat boni verum: & fac mihi cupedias, ſignificat deſiderium & delectationem ex amænitate inde: & edam, ſignificat appropriationem ita: & benedicam tibi coram Jehovah, ſignificat conjunctionem ſic: ante mortem meam, ſignificat ita vitam in naturali.

3507. Rebecca audiens in loquendo Jiſchak ad filium ſuum, quod ſignificet affectionem veri, & vitam ex illa, conſtat ex repræſentatione Rebeccæ, quod ſit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Verum conjunctum Divino bono ibi, ita quod ipſa affectio veri; & ex ſignificatione audiens in loquendo Jiſchak, quod ſit vita inde; audire enim in loquendo in ſenſu interno eſt influxus, ex eo quod audire in ſenſu repræſentativo ſit obtemperare, n: 2542, & loqui ſit velle & influere, n: 2626. 2951. 3037, ita in ſupremo ſenſu, audiens in loquendo, eſt vita inde, nempe Divini Veri ex Divino Bono; ad filium ſuum, in ſenſu interno eſt de bono naturalis, & inde vero naturalis: quod ille ſenſus eorum verborum ſit, quia admodum diſcedit a ſenſu literæ, qui hiſtoricus, non ita apparet; at uſque talis eſt; angelicæ enim ideæ prorſus diſſimiles ſunt ideis humanis, angelicæ ſunt ſpirituales, & cum interius vadunt, ſunt cœleſtes; humanæ autem ſunt naturales, & cum ex hiſtoricis ſunt, ſunt ſenſuales; ſed uſque a Domino talis correſpondentia inter ſpiritualia quæ ſunt cœli, & naturalia quæ ſunt mundi, per Verbum facta eſt, ut ideæ naturales vertantur in ſpirituales, & hoc momento; inde eſt conjunctio cœli cum mundo per hominem, & quidem per Verbum, proinde per Eccleſiam in qua Verbum: quod Correſpondentia naturalium & ſpiritualium ſit in omnibus & ſingulis, quæ uſque mente capi & percipi poſſunt, ex Divina Domini Miſericordia, conſtabit ex illis, quæ de Maximo Homine, ad finem capitum ſequentium ab experientia, dicendum

3508. Et ivit Eſau agrum ad venandum venationem, ad adducendum, quod ſignificet affectionis boni conatum ad comparandum verum quod Rationali Divino conjungeretur, conſtat a repræſentatione Eſavi, quod ſit bo-

num naturalis, de qua prius; inde est affectio boni Rationalis in Naturali, nam bonum quod in naturali, non est naturalis, sed est rationalis in naturali, videatur n: 3498; ex significatione exire agrum ad venandum venationem ad adducendum, quod sit conatus ad comparandum sibi verum, ager enim est ubi bona humus, n: 3500; venatio est verum quod ex bono, n: 3501; ad adducendum est ad comparandum, ita ad adjungendum Divino Rationali. Agitur hic, ut supra dictum, in supremo sensu de glorificatione Naturalis Domini, & in sensu repræsentativo de regeneratione naturalis apud hominem, n: 3490; secundum ordinem est, ut id fiat per verum, hoc est, per cognitiones boni & veri, nam absque illis Naturale non potest illustrari a Rationali, seu per Rationale, ita non regenerari, cognitiones sunt vasa recipientia boni & veri a Rationali influentis; vasa qualiter & quantum recipiunt, taliter & tantum illustrantur: vasa, quæ recipiunt bonum & verum a rationali, sunt ipsa vera naturalis, quæ non sunt nisi quam scientifica, cognitiones, & doctrinalia; ex ordine illorum quæ influunt, & ex ordine illorum quæ ibi sunt inter se, fiunt bona; inde Naturalis bonum.

3509. Et Rebecca dixit ad Jacobum filium suum, quod significet perceptionem Domini ex Divino vero de naturali vero, constat ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013. 3077; ex significatione dicere, quod sit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2506. 2515. 2552. 2619; & ex repræsentatione Jacobi, quod sit Domini Rationale quoad verum, de qua n: 3305; inde patet, quod per " Rebecca dixit ad Jacobum filium suum," significetur perceptio Domini ex Divino Vero de Naturali vero. Quod Dominus ex Divino Bono Divini Rationalis, quod repræsentatur per Jischakum, voluerit per bonum Naturalis, quod repræsentatur per Esavum, comparare sibi Verum, per quod glorificaret seu Divinum faceret Naturale, sed quod Dominus ex Divino Vero Divini Rationalis, quod repræsentatur per Rebeccam, voluerit per Verum naturalis, quod repræsentatur per Jacobum, comparare sibi verum, per quod glorificaretur seu Divinum fieret Rationale, non capi potest, nisi illustretur per illa quæ existunt apud hominem, cum is regeneratur seu novus fit a Domino; & ne quidem ab hoc, nisi sciatur, quomodo se habet cum Rationali quoad bonum & quoad verum ibi, quapropter paucis dicendum; Mens rationalis est distincta in binas facultates, una facultas ejus vocatur voluntas, altera Intellectus; quod a voluntate profluit, cum regeneratur homo, vocatur bonum, quod ab intellectu vocatur verum; antequam homo regeneratus est, voluntas non unum agit cum intellectu, sed illa vult bonum, hic autem verum, usque ita, ut conatus voluntatis percipiatur admodum distinctus a conatu intellectus; sed hoc percipitur modo ab illis qui reflectunt, & sciunt quid voluntas & quæ ejus, & quid intellectus & quæ ejus, sed non ab illis, qui illa non sciunt ac ideo non reflectunt; & quia mens naturalis regeneratur per mentem rationalem, videatur n: 3493, & quidem secundum ordinem ita, quod bonum Rationalis non immediate influat in

in bonum naturalis ac id regenerat, ſed per verum quod eſt intellectus, ita ſecundum apparentiam ex vero rationalis: hæc ſunt, de quibus in hoc Capite in ſenſu interno agitur; Jiſchakus enim eſt Mens rationalis quoad bonum quod eſt voluntatis, Rebecca eſt quoad verum quod eſt intellectus, Eſau eſt bonum naturalis exiſtens a bono Rationalis, Jacob eſt verum naturalis exiſtens a bono Rationalis per verum ibi. Ex his conſtare poteſt, qualia arcana in ſenſu interno Verbi continentur; ſed uſque ſunt pauciſſima quæ ad captum humanum deſcribi poſſunt; quæ tranſcendunt, & non poſſunt deſcribi, ſunt indefinita; quo enim Verbum penitius vadit, hoc eſt, quo interius in cœlum, eo ſunt indefinitiora, & quoque ineffabiliora, non modo coram homine, ſed etiam coram angelis inferioris cœli, & cum ad intimum cœlum, percipiunt ibi Angeli quod infinita ſint, & illis prorſus incomprehenſibilia, quia Divina: tale eſt Verbum.

3510. Ecce audivi patrem tuum loquutum ad Eſavum fratrem tuum, dicendo, quod ſignificet quod Divinum bonum Divini Rationalis affectionem boni vellet, conſtat a repræſentatione Jiſchaki, hic patris, quod ſit Divinum bonum Divini Rationalis, de qua prius; a ſignificatione loqui, quod ſit velle, de qua n: 2626. 2951. 3037; & a repræſentatione Eſavi, quod ſit affectio boni in naturali, de qua ſupra n: 3508.

3511. Adduc mihi venationem, quod ſignificet boni verum, conſtat ex ſignificatione venationis, quod ſit boni verum, de qua ſupra n: 3501.

3512. Et fac mihi cupedias, quod ſignificet deſiderium & delectationem ex amænitate inde, conſtat ex ſignificatione cupediarum, quod ſint amæna, de qua ſupra n: 3502, ita deſiderium & delectatio ex amænitate inde, nempe ex vero; nam ut in loco citato dictum eſt, vera in naturale hominis introducuntur per amæna ei convenientia, & quæ non per amæna introducta ſunt, non inhærent, ita nec conjunguntur Rationali per correſpondentiam: etiam Vera, ſicut omnia alia ſcientifica, locum ſuum in memoria, quæ eſt naturalis hominis, ſortiuntur ſecundum amæna & jucunda, quæ introduxerunt, ut patet ex eo, quod cum amæna & jucunda illa redeunt, etiam res, quæ per illa introductæ ſunt, redeant, & quoque viciſſim, cum res revocantur, etiam jucunda ſeu amæna, quibus adjunctæ ſunt, ſimul excitentur.

3513. Et edam, quod ſignificet appropriationem ita, conſtat ex ſignificatione edere, quod ſit appropriari, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3503; appropriatio ſit, cum per amœna & delectabilia inſinuantur vera, ſeu cognitiones boni & veri, in naturale, & cum hæc vera adjunguntur bono ibi, tunc ſit communicatio cum vero & bono Rationalis, ita cum Rationali, hæc communicatio eſt quæ vocatur appropriatio, nam ſunt Rationalis in Naturali; quæ enim in Rationali ſunt ſe habent ad illa quæ in Naturali, ſicut particularia ad communia; notum eſt, quod ex particularibus exiſtat commune, & quod abſque particularibus non exiſtat aliquod commune; commune particularium Rationalis eſt quod ſiſtitur in Naturali; & quia commune eſt, ſub alia forma apparet, & hoc ſecundum ordinem particularium conſtituentium,

tuentium, ita secundum formam inde; si singularia & inde particularia boni cœlestis & veri spiritualis sunt quæ formant commune in naturali, tunc existit forma cœlestis & spiritualis, & in quadam imagine repræsentatur in singulis communis, aliquid cœli; at si singularia & particularia non sunt boni & veri, sed mali & falsi, quæ formant communia in Naturali, tunc in imagine repræsentatur in singulis communis, aliquid inferni. Talia sunt, quæ significantur per Edere & Bibere in Sacra Cœna, ubi etiam per Edere & Bibere significatur appropriatio, nempe per Edere appropriatio boni, & per Bibere appropriatio veri; si Bonum, nempe Amor in Dominum, & Charitas erga proximum formant Internum seu Rationalem hominem, & per hunc Externum & Naturalem correspondentem, tunc fit homo in particulari & communi imago cœli, proinde imago Domini; at si contemtus Domini & boni ac veri fidei, atque odium erga proximum formant, tunc fit homo in particulari & communi imago inferni, & magis cum simul hoc fit in sancto, inde enim prophanatio; hæc sunt, quod, qui digne edunt & bibunt, illis vita æterna approprietur, qui autem indigne edunt & bibunt, sibi mortem approprient.

3514. Et benedicam tibi coram Jehovah, quod significet conjunctionem sic, constat ex significatione benedicam tibi, quod sit adjunctio ad suam vitam, de qua supra n: 3504; hic quia dicitur, benedicam tibi coram Jehovah, est conjunctio; adjunctio prædicatur de communicatione veri Naturalis cum Bono Rationalis; sed conjunctio de communicatione boni Naturalis cum Bono Rationalis; nam paralelismus inter Dominum & hominem datur quoad cœlestia quæ sunt boni, non secundum spiritualia quæ sunt veri, videatur n: 1832.

3515. Ante mortem meam, quod significet ita vitam in Naturali, constat ex significatione mortis, quod sit resuscitatio in vitam, de qua supra n: 3498. 3505.

3516. Vers: 8. 9. 10. *Et nunc fili mi, ausculta voci meæ, ad quod ego præcipio tibimet. Vade quæso ad gregem, & accipe mihi exinde duos hædos caprarum bonos, & faciam illos cupedias patri tuo, quemadmodum amat. Et adducas patri tuo, & edat, propterea ut benedicat tibi ante mortem suam.* Nunc fili mi, ausculta voci meæ, ad quod ego præcipio tibimet, significat desiderium & delectationem perceptam a Divino Vero in Divino Rationali erga Verum Naturale: Vade quæso ad gregem, significat ad bonum naturale domesticum non conjunctum Divino Rationali: & accipe mihi exinde duos hædos caprarum bonos, significat illius boni vera: & faciam illos cupedias patri tuo quemadmodum amat, significat quod inde delitias faciet: & adducas patri tuo & edat, significat Divino Bono Divini Rationalis, & adpropriationem: propterea ut benedicat tibi, significat conjunctionem sic: ante mortem suam, significat resuscitationem in naturali.

3517. Nunc fili mi, ausculta voci meæ, ad quod ego præcipio tibimet, quod significet desiderium & delectationem perceptam a Divino Vero in Divino Rationali erga verum naturale, constat a repræsentatione Rebeccæ quæ hæc

hæc loquitur, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis, de qua prius; & ex repræsentatione Jacobi, ad quem hæc dicuntur, quod sit Verum naturale, de qua etiam prius; quod desiderium & delectatio sit, patet absque explicatione.

3518. Vade quæso ad gregem, quod significet bonum naturale domesticum, non conjunctum Divino Rationali, constat a significatione gregis, quod sit bonum, de qua n: 343. 415. 1565, hic bonum naturale, quia ad Jacobum dicitur, & quidem domesticum, quia domi erat, at ager unde venationem suam acciperet Esau, per quem bonum naturalis significatur n: 3500. 3508, erat bonum non domesticum: alioquin grex in Verbo prædicatur de bono Rationalis, sed tunc armentum de bono Naturalis, videatur n: 2566: Bonum naturale domesticum, est id bonum, quod homo a parentibus trahit, seu in quod nascitur, perquam distinctum a bono naturalis, quod influit a Domino; quid & quale sit bonum Naturale, videatur n: 3470, 3471; quapropter distinctionis causa, unum bonum vocatur *Bonum Naturalis*, alterum vero *Bonum Naturale:* præterea unusquisque homo bonum domesticum accipit a patre, & a matre, quæ etiam bona in se distincta sunt; quod a patre accipit, est interius, quod a matre est exterius: apud Dominum, hæc bona distinctissima fuerunt, nam Bonum quod habuit a Patre, fuit Divinum, quod autem a matre, hæreditario malo contaminatum; illud Bonum in Naturali, quod Dominus habuit a Patre, fuit Ipsius proprium, quia ipsa Vita Ipsius, & id est, quod repræsentatur per Esavum; at bonum naturale quod Dominus traxit a matre, quia malo hæreditario contaminatum, fuit in se malum, & id est quod intelligitur per bonum domesticum; hoc bonum, quamvis tale, usque inservivit pro reformatione Naturalis, sed postquam inservierat, rejectum est. Apud unumquemvis hominem, qui regeneratur, simile fit, bonum, quod homo a Domino ut a nova Patre accipit, est interius, at bonum quod trahit a parentibus, est exterius, illud bonum quod a Domino accipit, vocatur spirituale, hoc autem quod a parentibus trahit, bonum naturale; hoc bonum, nempe quod a parentibus trahit, inservit omnium primo pro reformatione ejus, per illud enim, ut per volupe & jucundum, introducuntur scientifica, & postmodum cognitiones veri; sed postquam inserviverit ut medium pro hoc usu, separatur inde, & tunc prodit spirituale, & se manifestat: hoc constare potest a multa experientia, ut solum ex eo, cum puer primum instruitur, afficitur ille cupidine sciendi, primum non propter aliquem finem illi manifestum, sed ex voluptate quadam & jucunditate connata & aliunde; postea cum adolescit, afficitur cupidine sciendi propter aliquem finem, ut nempe præ aliis seu æmulis excellat; dein propter aliquem finem in mundo; at cum regenerandus, ex jucundo & amæno veri, & cum regeneratur, quod fit in adulta ætate, ex amore veri, & dein ex amore boni; fines tunc qui præcesserant, & illorum jucunda, paullatim separantur, quibus succedit bonum interius quod a Domino, & se in affectione ejus manifestat: inde patet, quod priora jucunda, quæ apparuerunt in externa forma, ut bona inserviverint pro mediis: tales successiones mediorum sunt continuæ: se habent

habent hæc comparative ficut arbor, quæ prima ætate feu primo vere ramos fuos foliis ornat, dein procedente ætate feu vere floribus decorat, & dein circa æftatem germinationes primas fructuum producit, quæ dein fructus fiunt, & tandem in illis femina ponit, in quibus arbores fimiles novas, & integrum hortum, potentia, & fi diffeminantur, actu, habet: talia comparativa funt in natura, quæ quoque funt repræfentativa, nam univerfa natura eft theatrum repræfentativum Regni Domini in cœlis, inde Regni Domini in terris, feu in Ecclefia, & inde Regni Domini apud unumquemvis regeneratum. Inde patet, quomodo bonum naturale feu domefticum, tametfi mere jucundum externum, & quidem jucundum mundanum, inferviat pro medio producendi bonum Naturalis, quod fe conjungat cum bono Rationalis, & fic fiat bonum regeneratum feu fpirituale, hoc eft, bonum quod a Domino. Hæc funt, quæ per Efavum & Jacobum in hoc Capite repræfentantur & fignificantur.

3519. Et accipe mihi exinde duos hædos caprarum bonos, quod fignificet illius boni vera, conftat ex fignificatione hædorum caprarum, quod fint vera boni, de qua fequitur: quod duo fuerint, eft quia ficut in Rationali, ita in Naturali, funt quæ voluntatis & quæ intellectus; quæ in Naturali ad voluntatem fe referunt, funt jucunda, quæ ad intellectum ibi, funt fcientifica; hæc duo conjuncta erunt, ut fint aliquid. Quod hædi caprarum fint vera boni, conftare poteft ab illis locis in Verbo, ubi hædi & capræ nominantur: fciendum, quod omnes beftiæ mites & utiles, quæ nominantur in Verbo, fignificent in genuino fenfu cœleftia quæ funt boni, & fpiritualia quæ funt veri, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 2180. 2781. 3218; & quia varia genera cœleftium feu bonorum funt, & confequenter varia genera fpiritualium feu verorum, aliud per unam beftiam, quam per alteram fignificatur, nempe aliud per agnum, aliud per hædum, aliud per ovem, per capram, per arietem, per hircum, per juvencum, per bovem, tum quoque aliud per equum & per camelum; etiam aliud per aves; & aliud quoque per beftias maris, ut per cetos, & per pifces; funt cœleftium & fpiritualium genera plura, quam ut enumerari queant, confequenter bonorum & verorum, tametfi cum cœlefte feu bonum nominatur, tum cum fpirituale feu verum, appareat ficut non multiplex, fed modo unum foret; fed quam multiplex utrumque fit, feu quam innumerabilia eorum genera funt, conftare poteft ex illis, quæ de cœlo n: 3241, dicta funt, nempe quod diftinctum fit in innumerabiles focietates, & hoc fecundum genera cœleftium & fpiritualium, feu bonorum amoris & inde verorum fidei; ac præterea unumquodvis genus boni, & unumquodvis veri, innumerabiles fpecies habet, in quas diftinctæ funt focietates cujufvis generis; & unaquævis fpecies fimiliter: univerfaliffima genera boni & veri, funt quæ repræfentata funt per animalia, quæ in holocauftis & facrificiis offerebantur; & quia genera in fe diftinctiffima funt, mandatum eft expreffe, quod illa non alia adhiberentur, in quibufdam nempe Agni & Agnæ, tum Hædi & Capellæ caprarum, in quibufdam Arietes & Oves, tum Hirci, in aliis vero vituli, juvenci & boves; tum quoque columbæ & turtures, videatur n: 922. 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 2860: quid

quid autem Hædi & Capræ ſignificaverunt, conſtare poteſt tam ex ſacrificiis, in quibus offerebantur, quam ex aliis locis in Verbo; exinde patet, quod Agni & Agnæ ſignificaverint Innocentiam Interni ſeu Rationalis hominis, & quod Hædi & Capræ Innocentiam Externi ſeu Naturalis hominis, ita Verum & Bonum illius. Quod Verum & Bonum Innocentiæ Externi ſeu Naturalis hominis per Hædum & Capram ſignificetur, conſtat ex his in Verbo; apud Eſaiam, "Commorabitur lupus cum *Agno*, & pardus cum *Hædo* cubabit, vitulus etiam & leo juvenis, & ovis una, & puer parvus ducet eas," XI : 6; ibi agitur de Regno Domini, & ibi de ſtatu nullius timoris a malo, ſeu nullius metus pro inferno, quia apud Dominum; Agnus & Hœdus pro illis qui innocentia ſunt, qui quia omnium tutiſſimi ſunt, primo loco nominantur. Cum omne primogenitum Ægypti percuteretur, mandatum fuit, ut pecudem integram & maſculam de *Agnis* vel *Hædis* mactarent, & de ſanguine darent ſuper poſtes & ſuper ſuperliminare domuum, & ſic non eſſet illis plaga a percuſſore, Exod: XII : 5. 7. 13; primogenitum Ægypti, eſt bonum amoris & charitatis exſtinctum, n: 3325; Agni & hœdi ſunt ſtatus innocentiæ, in quibus qui ſunt, a malo ſunt tutati; omnes enim in cœlo per ſtatus innocentiæ a Domino tutantur, tutela illa per mactationem agni aut hœdi, & ſanguinis ſuper poſtes & ſuperliminare domuum, repræſentata fuit. Cum alicui viſus erat Jehovah per Angelum, ne moreretur, ſacrificabatur *Hædus caprarum*; ut cum viſus Gideoni, Jud: VI : 19; & Manoacho, Jud: XIII : 15. 16. 19; cauſa erat, quod Jehovah ſeu Dominus nemini, ne quidem Angelo, poſſit apparere, niſi ille, cui apparet, ſit in ſtatu innocentiæ; quapropter ut primum Dominus adeſt, mittuntur in ſtatum innocentiæ, nam Dominus per innocentiam intrat, etiam apud Angelos in cœlo; ea propter nemo in cœlum venire poteſt, niſi aliquid innocentiœ habeat, ſecundum Domini verba apud Matthæum Cap: XVIII : 3. Marc: X : 15. Luc: XVIII : 17; quod ſe morituros crederent, cum appareret Jehovah, niſi offerrent holocauſtum tale, videatur Judic: XIII : 22. 23. Quia genuinus amor conjugialis eſt innocentia, n: 2736, ſolenne fuit in Eccleſia Repræſentativa intrare ad uxorem per munus *hœdi caprarum*, ut de Simſone Judic: XV : 1, legitur; etiam de Jehuda cum ad Thamarem, Gen: XXXVIII : 17. 20. 23. Quod Hœdus & Capra ſignificaverint Innocentiam, etiam patet a Sacrificiis reatus, cum quis per errorem peccaverit, quod illa offerrent, Levit: I : 10. Cap: XIV : 28. Cap: V : 6; peccatum per errorem, eſt peccatum ignorantiæ, in qua innocentia. Idem patet a Mandato hoc Divino apud Moſen, "Primitias primitiarum terræ tuæ afferes domum Jehovæ Dei tui: non elixabis *Hædum* in lacte matris ſuæ," Exod: XXIII : 19. Cap: XXXIV : 26, ubi per primitias terræ, quas afferrent domum Jehovæ, ſignificatur ſtatus innocentiæ quæ in infantia; & per non elixare hœdum in lacte matris ſuæ, quod non innocentiam infantiæ perderent; quia illa ſignificantur, ſequitur unum mandatum incontinenter alterum, in utroque loco citato, quæ in ſenſu literali prorſus diverſa apparent, ſed in ſenſu interno cohærent. Quia Hœdi & Capræ, ut dictum, ſignificaverunt Innocentiam, etiam juſſum erat, ut aulæa ſuper ha-

 bitaculum

bitaculum tentorii conficerentur ex *lana caprarum*, Exod : xxv : 4. Cap xxvi : 7. 23. 26. Cap : xxxv : 5. 6. Cap : xxxvi : 14, in fignum, quod omnia fancta, quæ inibi repræfentabantur, ducerent fuam effentiam ab innocentia; per lanam caprarum fignificatur ultimum feu extimum innocentiæ, quod in ignorantia eft, qualis eft apud Gentes, quæ in fenfu interno Aulæa Tabernaculi funt. Exinde nunc patet, quænam & qualia boni vera per duos hœdos caprarum bonos, de quibus Rebecca mater ad Jacobum filium dixit, fignificantur, nempe quod Innocentiæ feu Infantiæ, illa nempe quæ Efavus adduceret ad patrem fuum Jifchakum, de quibus fupra n : 3501. 3508; quæ quidem non illi erant, fed initio apparebant ficut illa; inde eft, quod Jacobus per illa fimulabat Efavum.

3520. Et faciam illos cupedias patri tuo quemadmodum amat, quod fignificet quod inde delitias faciet, conftat a fignificatione cupediarum, quod fint amæna ex bono, de qua fupra n : 3502, hic delitiæ vocantur, quia vera non ex bono genuino, fed ex bono domeftico, n : 3518.

3521. Et adducas patri tuo & edat, quod fignificet Divino Bono Divini Rationalis & adpropriationem, conftat a repræfentatione Jifchaki hic patris, quod fit Divinum Bonum Divini Rationalis, de qua prius; & a fignificatione edere, quod fit appropriatio, de qua fupra n : 3513; fed quod verum ex bono domeftico non adpropriatum fit, conftabit a fequentibus.

3522. Propterea ut benedicat tibi, quod fignificet conjunctionem fic, conftat a fignificatione benedicere, quod fit conjunctio, de qua fupra n : 3504. 3514.

3523. Ante mortem fuam, quod fignificet refufcitationem in naturali, conftat a fignificatione mortis, quod fit refufcitatio, de qua etiam fupra n : 3498. 3505; quod in naturali, patet.

3524. Verf : 11. 12. 13. *Et dixit Jacob ad Rebeccam matrem fuam, ecce Efau frater meus vir pilofus, & ego vir lævis. Fortaffis palpaverit me pater meus, & ero in oculis ejus ficut feducens, & adducam fuper me maledictionem & non benedictionem. Et dixit illi mater ejus, fuper me maledictio tui, fili mi, tantummodo aufculta voci meæ, & vade, accipe mihi.* Dixit Jacob ad Rebeccam matrem fuam, fignificat perceptionem Domini ex Divino Vero de Naturali vero: ecce Efau frater meus vir pilofus, fignificat quale boni naturalis refpective: & ego vir lævis, fignificat quale veri naturalis refpective: Fortaffis palpaverit me pater meus, fignificat perceptionis intimum gradum: & ero in oculis ejus ficut feducens, fignificat rejectionem quia apparenter contra ordinem: & adducam fuper me maledictionem non benedictionem, fignificat disjunctionem: Et dixit illi mater ejus, fignificat perceptionem ex Divino Vero: fuper me maledictio tui, fili mi, fignificat quod nulla disjunctio: tantummodo aufculta voci meæ, & vade, accipe mihi, fignificat ex effectu.

3525. Dixit Jacob ad Rebeccam matrem fuam, quod fignificet perceptionem Domini ex Divino vero de Naturali vero, conftat ex fignificatione dicere in hiftoricis Verbi, quod fit percipere, de qua n : 3509; ex repræfentatione Jacobi,

Jacobi, quod sit Naturale verum, de qua n: 3305; & ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013. 3077: quod perceptio ex Divino Vero de naturali vero significetur, non ex naturali vero de Divino Vero, secundum apparentiam ex sensu literæ, est, quia omnis apperceptio, quæ est naturali, est ex Rationali, hic itaque, quia prædicatur de Domino, ex Divino Vero Divini Rationalis.

3526. Ecce Esau frater meus vir pilosus, quod significet quale boni naturalis respective, constat ex significatione Esavi, quod sit Bonum naturalis, de qua supra n: 3494. 3504; & ex significatione viri pilosi, quod sit quale ejus, nempe Boni; quod pilosum significet Naturale imprimis quoad verum, videatur n: 3301, & quæ nunc sequuntur.

3527. Et ego vir lævis, quod significet quale veri naturalis respective, constat a repræsentatione Jacobi, qui hic est ego, quod sit naturale quoad verum, de qua n: 3305; & ex significatione viri lævis, quod sit quale ejus, de qua sequitur. Antequam sciri potest, quid hæc significant, sciendum quid pilosum, & quid læve; apud hominem ejus interiora in quadam imagine se sistunt in ejus exterioribus, imprimis in facie & ejus vultu; intima ejus ibi hodie non apparent, sed interiora quodammodo, nisi ex infantia didicerit simulare, tunc enim alium quasi animum sibi assumit, & consequenter alium vultum inducit, nam animus est, qui apparet ex facie; hoc præ aliis ex actuali vita, ita ex assuetudine imbuerunt hypocritæ, & eo magis quo plus dolosi sunt; apud illos, qui tales non sunt, bonum rationale in facie apparet ex quodam vitæ igne, & verum rationale ex ejus ignis luce; hæc homo ex connata quadam scientia, absque studio, novit, nam est ejus spiritus vita quoad bonum & quoad verum, qui se ita manifestat, & quia homo est spiritus corpore amictus, tale ex perceptione sui spiritus, ita ex se, novit; inde est, quod homo quandoque afficiatur ex vultu alterius, tametsi hoc non sit ex vultu, sed ex mente quæ ita elucet; Naturale autem apparet ex facie in obscuriore vitæ igne, & obscuriore vitæ luce; at corporeum vix nisi quam in calore & candore, & in mutatione status eorum secundum affectiones: quia ita interiora in facie imprimis, sicut in imagine se manifestant, Antiquissimi, qui cœlestes homines fuerunt, & prorsus nesciverunt quid esset simulatio, & adhuc minus quid hypocrisis & dolus, alterius mentes conspicuas ut in forma, in facie ejus videre potuerunt, ideo quoque per faciem significabantur voluntaria & intellectualia, seu interiora rationalia quoad bonum & verum, n: 358. 1999. 2434, & quidem interiora illa quoad bonum per sanguinem & ejus rubedinem, ac interiora quoad vera per resultantem inde formam & ejus candorem; at vero interiora naturalia per illa quæ inde excrescunt, qualia sunt pili & squamæ cutis, nempe quæ ex naturali quoad bonum per pilos, & quæ ex naturali quoad verum per squamas; consequenter illi qui in naturali bono fuerant, vocabantur viri pilosi, qui autem in naturali vero, viri læves; ex his constare potest, quid per hæc verba, "Esau frater meus vir pilosus, & ego vir lævis," in sensu interno significatur,

catur, quod nempe quale boni naturalis respective, & quale veri naturalis respective: inde quoque patet, quid Esau repræsentat, nempe quod Bonum naturalis, nam Esau dictus est ex piloso, Gen: XXV: 25, & Edom ex rubicundo, Gen: XXV: 30; mons Seir, ubi habitabat, etiam significat tale, nempe comosum; & quia hoc, erat mons, per quem ascendebatur ad Seir, qui dicebatur mons glaber seu lævis, de quo Jos: XI: 17. Cap: XII: 7, quod etiam repræsentativum erat veri ascendentis ad bonum. Quod pilosum prædicetur de bono & inde vero, & quoque in opposito sensu de malo & inde falso, n: 3301, ostensum est; quod autem læve prædicetur de vero, ac in opposito sensu de falso, patet quoque ab his locis in Verbo; apud Esaiam, "Incalescentes in diis sub omni arbore viridi, in *Lævibus vallis* portio tua," LVII: 5. 6, ubi incalescere prædicatur de malo, lævia vallis de falso: apud Eundem, "Corroborat faber conflatorem, *Lævigantem malleum* cum contusione incudis, dicens ad juncturam, bonum id," XLI: 7, ubi corroborat faber conflatorem prædicatur de malo, lævigans malleum de falso: apud Davidem, "*Læve* faciunt butyra *os tuum*, cum appropinquat cor ejus, mollia sunt verba præ oleo," Psalm: LV: 22, ubi læve os seu blandum de falso, cor & inde mollia, de malo: apud Eundem, "Sepulchrum apertum guttur eorum, lingua sua *Lævia* loquuntur," Psalm: V: 10; sepulchrum apertum guttur de malo, lingua lævia loquens de falso: Apud Lucam, "Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt obliqua in directum, & aspera *in vias planas*," III: 5, Vallis pro humili, n: 1723. 3417; mons & collis pro elato, n: 1691; obliquum in directum pro quod ignorantiæ malum in bonum, longitudo enim & quæ longitudinis sunt, prædicantur de bono n: 1613, aspera in vias planas, pro quod ignorantiæ falsa in vera, quod via prædicetur de vero, n: 627. 2333.

3528. Fortassis palpaverit me pater meus, quod significet perceptionis intimum gradum, constat a significatione palpare & sic sentire, quod sit perceptionis intimum & omne; & a significatione patris, quod sit bonum, hic Divinum, quia de Domino agitur: quod palpare sit perceptionis intimum & omne, inde est, quia omne sensitivum se refert ad sensum tactus, & id derivatur ac existit a perceptivo, est enim sensitivum non aliud quam perceptivum externum, & perceptivum non aliud quam sensitivum internum, quid perceptivum seu perceptio, videatur n: 104. 371. 495. 503. 521. 536. 1383 ad 1398. 1616. 1919. 2145. 2171. 2831 pr. Præterea omne sensitivum & omne perceptivum, quod tam varium apparet, ad unicum sensum communem & universalem, nempe ad sensum tactus, se refert, sunt varietates, sicut gustus, odoratus, auditus, & visus, quæ sunt sensitiva externa, non nisi quam genera ejus, oriunda ex sensitivo interno, hoc est, a perceptivo; hæc per multam experientiam confirmari possunt, sed de illa, ex Divina Domini Misericordia, suo loco: inde patet, quod palpare, in sensu interno sit perceptionis intimum & omne. Præterea, omne perceptivum, quod est inter-

internum ſenſitivum, exiſtit ex bono, non autem ex vero, niſi a bono per verum, vita enim Divina Domini influit in bonum, & per illud in verum, ac ita ſiſtit perceptionem; inde conſtare poteſt, quid ſignificat, ſi palpaverit me pater meus, quod nempe perceptionis intimum & omne a bono, ita a Divino Domini.

3529. Et ero in oculis ejus ſicut ſeducens, quod ſignificet rejectionem quia apparenter contra ordinem, conſtat ex ſignificatione eſſe in oculis ejus, quod ſit appercipi qualis eſt; per oculum enim ſignificatur apperceptio viſus interni, n: 212. 2701. 2789. 2829. 3198. 3202; & ex ſignificatione ſeducentis ſeu ſeductoris, quod ſit contra ordinem, hic apparenter; omnis ſeductio non aliud eſt; inde foret rejectio: quid autem ſignificatur per apparenter contra ordinem, ex ſequentibus patebit.

3530. Et adducam ſuper me maledictionem non benedictionem, quod ſignificet disjunctionem, conſtat ex ſignificatione maledictionis, quod ſit disjunctio ſeu averſio a bono, de qua n: 245. 379. 1423; & a ſignificatione benedictionis, quod ſit conjunctio cum bono, de qua n: 3504. 3514.

3531. Et dixit illi mater ejus, quod ſignificet perceptionem ex Divino Vero, conſtat a ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua ſæpius prius; & ex repræſentatione Rebeccæ, hic matris, quod ſit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, de qua n: 3012. 3013.

3532. Super me maledictio tui, fili mi, quod ſignificet quod nulla disjunctio, conſtat ex ſignificatione maledictionis, quod ſit disjunctio, de qua mox ſupra, n: 3530; & quia perceptio ex Divino fuit, n: 3531, ſignificat quod nulla disjunctio.

3533. Tantummodo auſculta voci meæ, & vade, accipe mihi, quod ſignificet ex effectu, conſtare poteſt ex ſignificatione auſcultare voci, quod ſit obedire; & ex vadere, accipere mihi, quod ſit facere; & quia hoc ad naturale quoad verum, repræſentatum per Jacobum, dictum eſt, a Rationali quoad verum, hic Divino, per Rebeccam repræſentato, non aliud ſignificatur, quam ex effectu; Naturale enim ex effectu videt, at Rationale ex cauſa.

3534. Verſ: 14. 15. 16. 17. *Et ivit, & accepit, & adduxit matri ſuæ, & fecit mater illius cupedias, quemadmodum amavit pater illius. Et accepit Rebecca veſtes Eſavi filii ſui majoris deſideriorum, quæ cum illa in domo, & induit Jacobum filium ſuum minorem. Et pelles hædorum caprarum indui fecit ſuper manus illius, & ſuper lævitatem collorum illius. Et dedit cupedias, & panem, quæ fecit, in manum Jacobi filii ſui.* Ivit, & accepit, & adduxit matri ſuæ, ſignificat ſtatum obedientiæ veri naturalis: & fecit mater illius cupedias quemadmodum amavit pater ejus, ſignificat delectabilia, non autem deſiderabilia: & accepit Rebecca veſtes Eſavi filii ſui majoris deſideriorum, ſignificat vera genuina boni: quæ cum illa in domo, ſignificat quæ ex Divino Bono per Divinum Verum Divini Rationalis: & induit Jacobum filium ſuum minorem, ſignificat affectionem veri, ſeu vitam boni ex vero:

Et

Et pelles hœdorum caprarum indui fecit, significat externa vera boni domestici: super manus illius, significat secundum facultatem recipiendi: & super lævitatem collorum illius, significat ut non appareret verum disjungens: Et dedit cupedias, significat delectabilia inde: & panem, significat bonum inde: quæ fecit, significat quæ a Divino Vero: in manum Jacobi filii sui, significat quod tales esset affectio veri naturalis.

3535. Ivit, & accepit, & adduxit matri suæ, quod significet statum obedientiæ veri naturalis, constare potest ex illis, quæ mox supra n: 3533, dicta sunt, ita absque ulteriore explicatione.

3536. Et fecit mater illius cupedias quemadmodum amavit pater illius, quod significet delectabilia, non autem desiderabilia, constat a repræsentatione Rebeccæ, quæ hic mater, quod sit Divinum Rationale quoad verum; & ex significatione cupediarum, quod sint amæna quæ veri, de qua supra n: 3502; quod hic delectabilia non desiderabilia, est quia non ex venatione Esavi, hoc est, ex vero boni genuini, n: 3501, sed ex hædis caprarum qui ex grege, hoc est, ex vero boni domestici, n: 3518. 3519: quomodo hæc se habent, constare potest ab illis, quæ supra n: 3502. 3512. 3518. 3519, dicta sunt.

3537. Et accepit Rebecca vestes Esavi filii sui majoris desideriorum, quod significet vera genuina boni, constat ex significatione vestium desideriorum, quod sint vera genuina; quod vestes sint vera inferiora respective, videatur n: 2576; desideriorum sunt genuina, quia genuini boni naturalis, quod repræsentatur per Esavum filium majorem, n: 3300. 3302. 3322. 3494. 3504. 3527.

3538. Quæ cum illa in domo, quod significet quæ ex Divino Bono per Divinum Verum Divini Rationalis, constat ex repræsentatione Rebeccæ, quæ hic est illa, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis, de qua prius; & ex significatione domus, quod hic sit Divinum Bonum, quia prædicatur de Domino; quod Domus sit bonum, videatur n: 710. 2233. 2234. 2559. 3128: quod illa significentur per ea verba, *quæ cum illa in domo*, est quia per domum significetur Rationale tam quoad bonum quam quoad verum, seu quod idem, tam quoad voluntarium hoc enim est boni, quam quoad intellectuale quia hoc est veri; quando Rationale ex voluntario seu bono agit per intellectuale seu verum, tunc mens rationalis vocatur una domus; inde etiam ipsum Cœlum vocatur domus Dei, quia ibi non nisi quam bonum & verum est, ac bonum agit per sibi unitum aut conjunctum verum; hoc quoque repræsentatur in conjugiis inter maritum & uxorem, qui unam domum constituunt, ex causa quia amor conjugialis existit a conjugio Divino Boni & Veri, n: 2728. 2729. 3132, & est voluntas utrique ex bono, sed cum differentia sicut bonum se habet ad suum verum, quare etiam per maritum significatur bonum, & per uxorem verum; cum enim una domus est, tunc bonum est omne ibi, ac verum quia est boni, etiam est bonum. Quod dicatur cum illa in domo, non cum illo seu cum illis, est quia de statu conjunctionis

junctionis veri & boni, seu de statu antequam plene unita aut conjuncta sunt, agitur; de quo statu nunc sequitur.

3539. Et induit Jacobum filium suum minorem, quod significet affectionem veri seu vitam boni ex vero, constat ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis; ex repræsentatione Jacobi, quod sit Divinum Verum Divini Naturalis; & ex significatione induere, quod hic sit communicare, ac imbuere, nempe vera boni, quæ per vestes Esavi n: 3537, significantur, ita affectionem veri naturalis, quæ hic idem est cum vita boni ex vero. Quomodo hæc intelligenda sunt, sciri potest ab illis quæ supra n: 3518 dicta sunt; sed quia talia sunt, quæ hodie ignotissima, licet eadem adhuc ad captum aliquatenus explicare; agitur in hoc Capite de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit; & in sensu repræsentativo de Regeneratione hominis quoad ejus naturale, videatur n: 3490; cum homine ita se habet. Regeneratio pro fine habet, ut homo novus fiat quoad Internum suum hominem, ita quoad animam seu spiritum; sed non novus fieri seu regenerari potest homo quoad illum, nisi quoque quoad Externum; nam tametsi homo post mortem fit spiritus, usque secum habet in altera vita illa quæ sunt Externi sui hominis, nempe affectiones naturales, & quoque doctrinalia, etiam scientifica, verbo omnia quæ sunt memoriæ exterioris seu naturalis, videatur n: 2475 ad 2483; hæc enim sunt plana, in quibus terminantur interiora ejus; qualiter itaque illa disposita sunt, taliter interiora, cum influunt, fiunt, nam inibi modificantur; exinde patet, quod homo non modo regenerandus sit seu novus fieri debeat quoad Internum hominem seu rationalem, sed etiam quoad Externum seu naturalem; & nisi hoc, nec foret aliqua correspondentia, quod Correspondentia sit inter Internum hominem & hujus spiritualia, ac Externum & hujus naturalia, videatur n: 2971. 2987. 2989. 2990. 3002. 3493: status regenerationis hominis, in sensu repræsentativo in hoc Capite, per Esavum & Jacobum, describitur; & hic primus ejus qualis est, nempe cum homo regeneratur seu antequam regeneratus est; est enim is status plane inversus respective ad illum statum, in quo est homo, cum regeneratus est; in illo enim statu, nempe cum homo regeneratur, seu antequam regeneratus est, tunc intellectualia, quæ sunt veri, apparenter primas agunt; at cum regeneratus est, tunc voluntaria quæ sunt boni; quod intellectualia quæ sunt veri, apparenter primas agant in primo statu, repræsentatum est per Jacobum, quod primogenituram Esavi sibi vindicaverit, videatur n: 3325. 3336; tum quod benedictionem, de qua hic agitur; & quod status plane inversus sit, repræsentatur per quod Jacobus mentitus Esavum, quod nempe vestibus Esavi indutus, & quod pellibus hoedorum caprarum; in hoc enim statu, rationale verum, nondum ita conjunctum rationali bono, seu quod idem, intellectus non ita conjunctus cum voluntate, sic influit & agit in naturale, ac ea quæ ibi sic inverse disponit: hoc quoque constare potest a pluri experientia, imprimis ex illa, quod homo intellectu possit appercipere, & naturale inde scire, plura quæ bona & vera sunt, sed usque voluntas adhuc non possit secundum illa facere; ut pro exemplo;

emplo; quod amor & charitas ſit eſſentiale apud hominem, hoc poteſt intellectualis facultas hominis videre & confirmare, ſed antequam regeneratus eſt homo, voluntaria non poteſt agnoſcere; ſunt quoque in prorſus nullo amore in Dominum & in nulla charitate erga proximum, qui hoc bene capiunt: pariter quod amor ſit ipſa vita hominis, & quod talis vita, qualis amor: ut & quod omne jucundum, & omne amænum ſit ex amore, proinde omne gaudium & omnis felicitas; & quoque inde, qualis amor, tale gaudium, & talis felicitas: etiam id poteſt homo ex intellectu capere, tametſi voluntas diſſentit, aut etiam in contrarium it, quod feliciſſima vita ſit ex amore in Dominum & ex amore erga proximum, quia Ipſum Divinum influit in illam; & viciſſim, quod infeliciſſima vita ſit ex amore ſui & amore mundi, quia infernum influit in illam: inde etiam coram intellectu perceptibile poteſt eſſe, non autem coram voluntate, quod amor in Dominum ſit vita cœli, & quod amor mutuus ſit anima ex illa vita; quapropter quantum homo non ex voluntatis ſuæ vita cogitat, nec ſuper vitam inde ſuam reflectit, tantum id intellectu percipit, ſed quantum ex vita voluntatis ſuæ, tantum non percipit, imo negat: Etiam coram intellectu clare poteſt apparere, quod humiliatio ſit, in quam apud hominem influere poſſit Divinum, ex cauſa quia in eo ſtatu removentur amores ſui & mundi, proinde infernalia, quæ obſtant; ſed uſque, quamdiu voluntas non nova eſt, & huic unitus intellectus, homo in humiliatione cordis non poteſt eſſe; imo quantum homo in vita mali eſt, hoc eſt, quantum ejus voluntas eſt ad malum, tantum hoc non poteſt; etiam tantum ei hoc obſcurum eſt, & quoque tantum illud negat: inde etiam homo intellectu percipere poteſt, quod humiliatio hominis non ſit propter amorem gloriæ in Domino, ſed propter amorem Divinum, quod Dominus ita cum bono & vero influere poſſit, & hominem beatum & felicem facere; at quantum voluntas conſulitur, tantum hoc obſcuratur; ſimiliter ſe habet in perpluribus aliis. Hæc facultas nempe quod intelligere poſſit quid bonum & verum, tametſi non vult illud, data eſt homini, ut poſſit reformari & regenerari; eapropter illa facultas eſt tam penes malos quam apud bonos, imo penes malos quandoque acutior; ſed cum hac differentia, quod penes malos non ſit aliqua affectio veri propter vitam, hoc eſt, propter bonum vitæ ex vero, quapropter nec poſſunt reformari; at apud bonos eſt affectio veri propter vitam, hoc eſt propter bonum vitæ, & propterea hi poſſunt reformari: ſed ſtatus primus reformationis horum eſt, quod verum doctrinæ appareat illis primo loco eſſe, & bonum vitæ ſecundo, nam ex vero agunt bonum; at ſecundus ſtatus eorum eſt, quod bonum vitæ ſit primo loco, & verum doctrinæ ſecundo, nam ex bono agunt bonum, hoc eſt, ex voluntate boni; & cum hoc ſit, quia voluntas eſt conjuncta intellectui, ſicut conjugio, homo regeneratus eſt. De binis his ſtatibus, in illis quæ de Eſavo & Jacobo, in ſenſu interno agitur.

3540. Et pelles hœdorum caprarum indui fecit, quod ſignificet externa vera boni domeſtici, conſtat a ſignificatione pellium, quod ſint externa, de qua ſequitur; & ex ſignificatione hœdorum caprarum, quia ex grege qui domi

domi, quod ſint vera boni domeſtici, de qua n: 3518. 3519; ibi etiam patet, quid bonum domeſticum, & quid vera inde; unumquodvis bonum ſua vera habet, & unaquævis vera ſuum bonum, quæ ſibi conjuncta erunt, ut ſint aliquid. Quod Pelles ſignificent externa, eſt quia pelles extima ſunt animalis, in quas interiora ejus terminantur, ſimiliter ac cutis ſeu cuticulæ apud hominem; hoc ducit ſuum ſignificativum a repræſentativo in altera vita; ſunt ibi qui ad provinciam cutis referuntur de quibus, cum de Maximo Homine, ex Divina Domini Miſericordia, ad finem Capitum ſequentium, & ſunt illi, qui ſolum in externo bono, & ejus veris ſunt; inde cutis & quoque pellis ſignificat externa; quod etiam patet a Verbo, ut apud Eſaiam, "Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelatæ ſunt fimbriæ tuæ, violati ſunt calcanei tui, num convertet Æthiops *Pellem ſuam*, & pardus maculas ſuas; etiam vos poteſtis bonum facere, docti malum facere," XIII: 22. 23; ibi fimbriæ ſunt externa vera, calcanei extima bona; quod calcaneum & calcei ſint infima naturalia, videatur n: 259. 1749; & quia vera & bona illa ex malo ſunt, ut dicitur, comparantur Æthiopi ſeu nigro & ejus pellis, tum pardo & ejus maculis. Apud Moſen, "Si oppignerando oppigneraveris veſtem ſocii tui, antequam occidit ſol reſtitues illam ei, quia hæc operimentum ejus ſola, hæc *veſtis ejus pro pelle in qua cubabit*," Exod: XXII: 25. 26; ſicut omnes Leges, etiam civiles & forenſes, quæ in Verbo, correſpondentiam habent cum Legibus boni & veri, quæ in cœlo, & inde latæ ſunt, ita quoque hæc, nam alioquin prorſus lateret, cur oppigneratam veſtem, antequam ſol occidit, reſtituerent, & cur dicitur, quod veſtis ejus pro pelle in qua cubabit; correſpondentia patet a ſenſu interno, quæ eſt, quod non defraudandi ſint ſocii veris externis, quæ ſunt doctrinalia ſecundum quæ vivunt, & ritualia, quod Veſtis talia vera ſint, videatur n: 297. 1073. 2576; ſol autem eſt bonum amoris ſeu vitæ quod inde, n: 1529. 1530. 2441. 2495. ne hoc pereat, ſignificatur per quod antequam ſol occidit reſtitueret; & quia illa ſunt externa interiorum, ſeu terminationes horum, dicitur, quod veſtis pro pelle in qua cubabit. Quia pelles ſignificabant externa, mandatum eſt, quod tegumentum Tentorii eſſent *Pelles arietum* ruforum, & ſuperius *Pelles melium*, Exod: XXVI: 14; Tentorium enim erat repræſentativum Trium Cœlorum, ita Cœleſtium & Spiritualium quæ ſunt Regni Domini; Aulæa quæ circum, repræſentabant naturalia, quæ ſunt externa, n: 3478, quæ ſunt pelles arietum & pelles melium; & quia externa ſunt quæ integunt interna, ſeu naturalia quæ ſpiritualia & cœleſtia, ſicut corpus ſuam animam, ideo mandatum erat illud; pariter, quod Aharon & filii ejus, cum proficiſcerentur caſtra, velo tegumenti obtegerent Arcam teſtimonii, & darent ſuper illud operimentum *Pellem melis*; & ſuper menſam & quæ ſuper illa, expanderent pannum coccinei dibaphi, & operient illud operimento, *Pelle melis*; pariter darent candelabrum & omnia vaſa ejus ſub operimento ex *Pelle melis*; tum omnia vaſa miniſterii darent ſub pannum hyacinthini, & operirent illa operimento, *Pelle melis*," Num: IV: 5. 6. 8. 10. 11. 12; quiſque qui ſancte de Verbo cogitat, ſcire poteſt, quod Divina per omnia illa repræſentata ſint, & ſicut

 per

per Arcam, per Mensam, per Candelabrum, & Vasa ministerii, etiam per indumenta ex coccineo dibapho & hyacinthino, tum per operimenta ex pelle melium, & quod per hæc repræsentata sint Divina quæ in externis. Quia Prophetæ repræsentabant docentes, & inde doctrinam boni & veri ex Verbo, n: 2534, & Elias ipsum Verbum, n: 2762, similiter Johannes, qui ideo dicitur Elias qui venturus, Matth: XVII: 10. 11, 12. 13; idcirco ut repræsentarent Verbum quale est in externa forma, hoc est, in litera, Elias *cingulo pellis* cinctus ad lumbos suos fuit," 2 Reg: I: 8; & Johannes habebat indumentum ex pilis cameli, & *cingulum pellis* circa lumbum suum," Matth: III: 4. Quia pellis & cutis significabat externa, quæ sunt naturalia respective ad spiritualia & cœlestia, & in Antiqua Ecclesia solenne fuit per significativa loqui & scribere, ideo etiam apud Hiobum, qui Antiquæ Ecclesiæ Liber est, Pellis & Cutis idem significat, ut ab aliquibus locis apud illum constare potest, & quoque ab hoc "Novi Redemptorem meum, vivit, & postremum super pulverem surget, & post *Cute mea* circumdabuntur hæc, & ex *carne mea* videbo Deum," XIX: 25. 26; cute circumdari pro naturali, quale secum homo post mortem habet; de quo n: 3539; ex carne videre Deum, est ex proprio vivificato, quod id sit caro, videatur n: 148. 149. 780; quod Liber Hiobi sit Antiquæ Ecclesiæ liber, patet, ut dictum, a stylo ibi repræsentativo & significativo, sed non est ex illis Libris, qui vocantur Lex & Prophetæ, ex causa quia non habet sensum internum, qui solum de Domino & Ipsius Regno agit; hoc enim unicum est, quod facit Librum genuini Verbi.

3541. Super manus illius, quod significet secundum facultatem recipiendi, constat ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878. 3091, ita facultas recipiendi.

3542. Et super lævitatem collorum illius, quod significet ut non appareret verum disjungens, constat ex prædicatione lævis seu lævitatis, quod sit de vero, de qua n: 3527; & ex significatione collorum, quod sit conjungens, de qua sequitur; hic itaque, quia erat apparentia super lævitatem collorum illius est, ut non appareret verum disjungens. Quomodo hæc se habent, constare potest ab illis, quæ supra n: 3539, dicta & ostensa sunt, quod nempe illud bonum & illa vera, quæ ex intellectu & non simul ex voluntate profluunt, non bonum nec vera sint, utcunque ita externa forma apparerent, & si voluntas mali sit, disjungunt bonum & vera, non conjungunt; at si aliquid voluntatis boni est, tunc non disjungunt sed conjungunt, tametsi in inverso ordine disposita sunt, nam per illa homo regeneratur; & quia sic disposita inserviunt primum pro regenerando homine, dicitur quod sic verum disjungens non appareret; sed de his in sequentibus plura. Quod Collum significet conjungens, inde est, quia superiora apud hominem, quæ sunt capitis, cum inferioribus ejus quæ sunt corporis, communicant inter se per intercedens collum; inde est, quod tam influxus quam communicatio, proinde conjunctio, significetur per intermedium illud; quod adhuc melius constare poterit a Correspondentiis Maximi Hominis cum illis quæ sunt corporis humani,

mani, de quibus ad fines Capitum; simile inde per Collum significatur in Verbo; ut apud Esaiam, "Spiritus Ipsius sicut fluvius inundans, *usque ad Collum dimidiabit*," xxx: 28, ibi fluvius inundans pro falso ita superfluente, ad collum dimidiare pro intercludere & intercipere communicationem & inde conjunctionem superiorum cum inferioribus, quæ intercluditur & intercipitur cum spirituale bonum & verum non recipitur. Apud Habakkuk, "Percussisti caput de domo impii, denudando fundamentum *usque ad collum*," III: 13; percutere caput de domo impii pro destruere principia falsi, denudando fundamentum usque ad collum, pro intercipiendo sic conjunctionem. Apud Jeremiam, "Prævaricationes implexæ *ascenderunt super Collum meum*, impulit vires meas, dedit me Deus in manus non possum resurgere," Thren: I: 14; prævaricationes implexæ ascenderunt super collum meum, pro quod falsa versus interiora seu rationalia. Quia per Collum significabatur communicatio & conjunctio illa, ideo per vincula colli, significata est interceptio, proinde desolatio veri, quæ tunc existit, quando spiritualia, quæ continuo influunt a Domino, non amplius admittuntur in rationali hominis, & consequenter nec in naturale ejus; interceptio seu desolatio illa est quæ repræsentatur apud Jeremiam "per quod faceret sibi vincula & juga, & *daret ea super Collum suum*, ac mitteret ad populos, & diceret, quod servirent Nebuchadnezari regi Babelis, & qui non *traderent Collum suum* sub jugum ejus, quod gladio, fame & peste visitarentur; at qui *subderent collum suum*, relinquerentur super terra," Jer: XXVII: 2. 3. 8. 11; dare collum sub jugum regis Babelis & servire ei, pro desolari quoad verum & vastari quoad bonum, quod Babel sit quæ vastat, videatur n: 1327 f; & quod vastentur, ne prophanentur sancta, n: 301. 302. 303. 1327. 1328. 2426. 3398. 3399. 3402; & quia intercepto influxu boni & veri, servitur malo & falso, ideo etiam dare collum sub jugum est servire: apud Eundem, "Dixit Jehovah, frangam jugum Nebuchadnezaris regis Babelis intra biennium dierum, *desuper collo* omnium gentium," XXVIII: 11; pro quod a vastatione liberandi. Apud Esaiam, "Excute te e pulvere, surge, sede, Hierosolyma; *aperi vincula colli tui*, captiva filia Zionis," LII: 2; aperire vincula colli pro admittere & recipere bonum & verum. Apud Micham, "Ecce Ego cogitans super familiam hanc malum, *ex quo non extrahetis colla vestra*, & non ibitis erecti, quia tempus mali illud," II: 3; e malo non extrahere colla, pro non admittere verum; non ire erecti pro sic non spectare ad superiora seu illa quæ cœli sunt, n: 248.

3543. Et dedit cupedias, quod significet delectabilia inde, constat ex significatione cupediarum, quod sint amæna, tum delectabilia, de qua supra n: 3502. 3536.

3544. Et panem, quod significet bonum inde, constat ex significatione panis, quod sit bonum, de qua n: 276. 680. 1798. 2165. 2177. 3464. 3478.

3545. Quæ fecit, quod significet quæ a Divino, constat a repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini; & quia de Rebecca dicitur, quod fecerit, significatur quod ex Divino.

3546. In manum Jacobi filii sui, quod significet quod talis esset affectio veri naturalis, constat ex eo, quod hæc clausula sit præcedentium, & tunc talis Jacobus, per quem repræsentatur Verum naturale, n: 3305. 3509. 3525, nempe quod indutus quoad manus & collum pellibus hœdorum caprarum, in manu habuerit cupedias, quas patri suo Jischako apportaret.

3547. Vers: 18. 19. 20. *Et venit ad patrem suum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce me, quis tu fili mi. Et dixit Jacob ad patrem suum, ego Esau primogenitus tuus, feci quemadmodum loquutus es ad me, surge quæso, sede, & ede e venatione mea, propterea ut benedicat mihi anima tua. Et dixit Jischak ad filium suum, quid hoc festinasti invenire, fili mi; & dixit, quia obvenire fecit Jehovah Deus tuus ad faciem meam.* Venit ad patrem suum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce me, quis tu fili mi, significat statum perceptionis ex præsentia illius veri: Et dixit Jacob ad patrem suum, significat apperceptionem veri naturalis: ego Esau primogenitus tuus, significat quod crederet esse ipsum bonum naturale: feci quemadmodum loquutus es ad me, significat obedientiam: surge quæso sede, & ede e venatione mea, significat verum affectionis talis boni: propterea ut benedicat mihi anima tua, significat conjunctionem: Et dixit Jischak ad filium suum, significat perceptionem: quid hoc festinasti invenire fili mi, significat productionem tam festinam: & dixit, quia obvenire fecit Jehovah Deus tuus ad faciem meam, significat providentiam.

3548. Venit ad patrem suum, & dixit, pater mi, & dixit, ecce me, quis tu fili mi, quod significet statum perceptionis ex præsentia illius veri, constare potest a repræsentatione Jischaki qui hic pater, & a repræsentatione Jacobi qui hic filius, de quibus aliquoties prius; tum a significatione dicere, quod sit percipere, de qua etiam prius; inde & ex reliquis patet, quod sit status perceptionis ex præsentia illius Veri, quod per Jacobum repræsentatur; sed quale hoc Verum sit, quod nunc per Jacobum repræsentatur, patet a sensu interno illorum quæ præcedunt, & quæ sequuntur, quod nempe externa forma appareat sicut bonum & boni verum, quæ repræsentantur per Esavum & significatur per ejus venationem, sed quod non tale in forma interna: Naturale quoad verum apud hominem qui regeneratur, hoc est, antequam regeneratus est, tale apparet, non quidem coram homine, nam is nihil novit de bono & vero apud se cum regeneratur, sed coram oculis angelorum, qui talia in luce cœli vident; homo ne quidem novit, quid bonum & verum naturalis, & quia non novit, non potest percipere, & quia non percipit in communi nec potest percipere in particulari, ita non differentias, minus mutationes status eorum; & quia non hæc, ægre potest capere ex aliqua descriptione, quomodo cum hoc bono & ejus vero se habet; at quia de illis in hoc Capite agitur, in sequentibus, quantum possit ad captum, venit exponendum.

3549. Et dixit Jacob ad patrem suum, quod significet apperceptionem Veri naturalis, constat ex significatione dicere, quod sit percipere, de qua prius,

prius, hic appercipere, quia ex naturali; & ex repræsentatione Jacobi, quod sit Verum naturale, de qua etiam prius.

3550. Ego Esau primogenitus tuus, quod significet quod crederet esse ipsum bonum naturale, constat ex repræsentatione Esavi, & a significatione primogeniti, quod sit bonum, & quidem bonum naturale, quod repræsentatur per Esavum: ita enim se habet cum vero, quod est homini antequam regeneratus est, quod credatur esse ipsum bonum; qui perceptionem habent, illi sciunt quod non bonum sit, sed quod verum sub forma boni; at qui non perceptionem habent, non aliter sciunt: hoc quoque a sequentibus melius patebit.

3551. Feci quemadmodum loquutus es ad me, quod significet obedientiam, constare potest absque explicatione.

3552. Surge quæso, sede & ede e venatione mea, quod significet verum affectionis talis boni, constat ex significatione surgere, quod involvat aliquid elevationis, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171; ex significatione sedere, quod involvat aliquid tranquillitatis; a significatione edere, quod sit appropriatio, de qua n: 2187. 3168; & ex significatione venationis, quod sit verum quod ex bono, de qua n: 3501; hic inde affectio talis boni ex qua verum; quæ enim surgere, sedere & edere in sensu interno significant, sunt affectionis, quapropter affectio solum pro illis dicitur.

3553. Propterea ut benedicat mihi anima tua, quod significet conjunctionem, constat a significatione benedici, quod sit conjunctio, de qua supra n: 3504. 3514. 3530.

3554. Et dixit Jischak ad filium suum, quod significet perceptionem, nempe Rationalis per Jischakum repræsentati de Naturali quod per Jacobum, & quod dicere sit percipere, sæpius prius ostensum est.

3555. Quid hoc festinasti invenire fili mi, quod significet productionem tam festinam, constat absque explicatione.

3556. Et dixit, quia obvenire fecit Jehovah Deus tuus ad faciem meam, quod significet providentiam, constare potest etiam absque explicatione: Providentia, de qua hic, est quod bonum & inde vera ita ordine disponantur apud hominem, dum regeneratur, ut nempe appareant extra, aut ibi sistantur in tali facie, sicut bonum genuinum & inde vera genuina forent, cum tamen non talia sunt, sed bonum domesticum, ut supra dictum, & vera inde; inservientia solum pro regenerando homine, ita pro introducendis bonis & veris crassioris naturæ, quia talia conducunt.

3557. Vers: 21. 22. 23. *Et dixit Jischak ad Jacobum, accede quæso, & palpabo te, fili mi, an tu is filius meus Esau, si non. Et accessit Jacob ad Jischakum patrem suum, & palpavit illum, & dixit, vox vox Jacobi, & manus manus Esavi. Et non agnovit illum, quia erant manus ejus sicut manus Esavi fratris ejus pilosæ; & benedixit illi.* Dixit Jischak ad Jacobum, significat perceptionem de naturali hoc: accede quæso & palpabo te, fili mi, significat perceptionem a præsentia intimam: an tu is filius meus Esau, si non, significat quod non esset bonum naturale: Et accessit Jacob ad Jischakum patrem suum,

ſuum, ſignificat præſentiæ ſtatum: & palpavit illum, ſignificat inde perceptionem omnem: & dixit, vox vox Jacobi, & manus manus Eſavi, ſignificat quod intellectuale ibi ſit veri quod intus, ſed voluntarium ibi ſit boni quod extus, ita inverſi ordinis: Et non agnovit illum, quia erant manus ejus ſicut manus Eſavi fratris ejus piloſæ, ſignificat quod ex voluntario quod extus perciperet quod eſſet bonum naturale: & benedixit illi, ſignificat inde conjunctionem.

3558. Dixit Jiſchak ad Jacobum, quod ſignificet perceptionem de naturali hoc, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit percipere, de qua prius; & ex repræſentatione Jacobi, quod ſit naturale, quoad verum, hic modo naturale, quia etiam repræſentabat apparenter, ſeu ſimulabat externa forma Eſavum, ita quoque naturale quoad bonum, quod eſt Eſau, & quoque venationem ejus, quæ eſt verum quod illius boni, n: 3501: quod toties dicatur dixit, etiam eſt cauſa, quia ita novum inchoat, ſeu nova perceptio, videatur n: 2061. 2238. 2260.

3559. Accede quæſo & palpabo te, fili mi, quod ſignificet perceptionem a præſentia intimam, conſtat ex ſignificatione accedere, quod ſit præſentia; & ex ſignificatione palpare, quod ſit perceptio intima & omnis, de qua n: 3528.

3560. An tu is filius meus Eſau ſi non, quod ſignificet quod non eſſet bonum naturale, conſtat ex dubitatione quæ in his & in mox ſequentibus; & quia Rationale eſt quod percipit quid & quale naturale, eſt perceptio quod non eſſet, nempe bonum naturale ſeu Eſau.

3561. Et acceſſit Jacob ad Jiſchakum patrem ſuum, quod ſignificet præſentiæ ſtatum, conſtare poteſt ab illis quæ præcedunt, ita abſque ulteriore explicatione.

3562. Et palpavit illum, quod ſignificet perceptionem omnem, conſtat ex ſignificatione palpare, quod ſit perceptio intima & omnis, de qua ſupra n: 3528. 3559, hic perceptio omnis, quia omnium perceptio eſt ab intima, hoc eſt, qui in intima perceptione ſunt, in perceptione omnium ſunt quæ infra, nam quæ infra non ſunt niſi quam derivationes & compoſitiones inde; eſt enim intimum omne in omnibus inferiorum ſui, nam quod inferius eſt, niſi ſit ab interioribus, ſeu quod idem, a ſuperioribus, ſicut effectus a ſua cauſa efficiente, non exiſtit: inde patet, cur finis facit hominem felicem vel infelicem in altera vita, finis enim eſt intimum omnis cauſæ, uſque adeo, ut ſi non finis ſit in cauſa, imo niſi ſit omne ejus, non ſit cauſa; ſimiliter eſt finis intimum omnis effectus, nam effectus a cauſa tali eſt; & quia ita eſt, quicquid apud hominem eſt, trahit ſuum eſſe a fine qui apud eum, & inde in altera vita in tali ſtatu eſt, in quali ejus finis, videantur n: 1317 1568. 1571. 1645. 1909. 3425. Inde conſtare poteſt, quod palpare quia ſignificat perceptionem intimam, inde ſignificet perceptionem omnem.

3563. Et dixit, vox vox Jacobi, & manus manus Eſavi, quod ſignificet quod intellectuale ibi ſit veri quod intus, ſed voluntarium ibi ſit boni quod extus,

extus, ita inversi ordinis, constat a prædicatione vocis, quod sit de vero, & a prædicatione manus quod sit de bono; quod vox prædicetur de vero, patet ab illis quæ in Parte Prima n: 219. 220, allata sunt, & ex eo quod dicatur vox vox Jacobi, per quem quod repræsentetur verum naturale, supra passim ostensum est; & quod manus prædicetur de bono, est quia per manum significatur potentia & facultas, n: 879. 3542, quæ non aliunde est quam ex bono, omnis potentia & facultas vero est inde, tametsi apparet a vero, etiam ex eo quod dicatur, manus manus Esavi, per quem quod repræsentetur bonum, etiam supra ostensum est: quod illa inversi ordinis sint, patet ex eo, quod secundum ordinem sit, ut bonum, quod voluntatis, sit intus, & verum, quod intellectus, sit extus; sed hæc, ut supra dictum, talia sunt, quæ, quia pauci in aliqua cognitione de talibus sunt, non ad captum exponi ita possunt, nam etiamsi clarissime exponerentur, non tamen, cum cognitio deest, capiuntur; sed usque dicendum quomodo se habet, quia de hac re agitur: Bonum Naturalis non aliunde apud hominem existit, quam a Bono interiori, hoc est, a Bono Rationalis, Naturale non aliunde bonum habere patet; sed Influxus facit, ut tale ibi sit bonum, quale est; & quia Bonum Naturalis non est aliunde, etiam Verum Naturalis est inde, ubi enim bonum ibi est verum, utrumque erit ut sit aliquid, sed influxus etiam facit, ut tale sit ibi verum quale est: Influxus est talis; Bonum Rationalis influit in Naturale per duplicem viam, nempe per viam brevissimam, in ipsum bonum naturalis, ita immediate, & per bonum naturalis ibi in verum; hoc bonum & hoc verum est quod repræsentatur per Esavum & ejus venationem; Bonum Rationalis etiam influit in Naturale per viam minus brevem, nempe per Verum Rationalis, & per illum influxum format aliquod simile bono, sed est verum: secundum ordinem ita fit, quod Bonum Rationalis influat in Bonum Naturalis, & simul in Verum, immediate, & quoque per Verum Rationalis in bonum ibi, ita mediate, similiter in Verum naturalis immediate & mediate; cum ita fit, tunc influxus est secundum ordinem; talis influxus est apud illos qui regenerati sunt; sed alius influxus est, antequam regenerati, ut supra dictum, nempe quod Bonum Rationalis non immediate in Bonum Naturalis influat, sed mediate per Verum Rationalis, & sic sistat aliquid simile boni in naturali, sed non est genuinum bonum, & inde non genuinum verum, sed est tale, quod quidem intime habet bonum, ex influxu per verum Rationalis, sed non amplius; ideo etiam bonum existit ibi sub alia forma, nempe extus sicut bonum quod repræsentatur per Esavum, sed intus sicut verum quod repræsentatur per Jacobum, quod quia non secundum ordinem est, dicitur esse inversi ordinis; sed usque respective ad id, quod ita non aliter regenerari possit homo, est secundum ordinem. Scio, quod hæc, tametsi clare dicta sunt, & consequenter clare ab illis percipi possunt qui in cognitione talium sunt, usque sint obscura coram illis qui non sciunt quid influxus, & magis qui non sciunt quod Rationale distinctum sit a Naturali, & adhuc magis coram illis, qui non aliquam distinctam ideam habent de Bono & de Vero: sed quale sit Bonum naturale & Verum

Verum naturale in statu ante regenerationem, solum manifestum esse potest ex affectionibus tunc; cum homo afficitur vero non propter fines vitæ, sed propter alios fines, ut nempe eruditus fiat, & hoc ex quadam affectione æmulationis, seu ex quadam affectione invidiæ infantilis, & quoque ex quadam affectione gloriæ, tunc est bonum naturalis & verum naturalis, in tale ordine, qualis hic per Jacobum repræsentatur, proinde est in ordine inverso respective, nempe tunc voluntarium quod est boni est extus, & intellectuale quod veri est intus; at in statu post regenerationem hæc se aliter habent, tunc non modo afficitur homo vero propter fines vitæ, sed adhuc plus afficitur ipso bono vitæ, & affectiones priores, nempe æmulationis, invidia infantilis & gloriæ se separant, & hoc usque ut appareat quasi quod dissipatæ sint, tunc enim bonum, quod voluntatis, est intus, & verum, quod intellectus, est extus, sed usque ita, ut verum agat unum cum bono, quia ex bono; hic ordo est genuinus; & ad hunc ordinem formandum intendit prior ordo, nam voluntarium quod tunc extus est, admittit plura quæ inserviunt pro regeneratione, est sicut spongia quæ haurit aquas tam limpidas quam lutulentas, ita quoque talia, quæ alioquin respuerentur, & tamen inserviunt pro mediis, & quoque pro ideis formandis de bonis & veris, præter pro aliis usibus.

3564. Quod non agnovit illum, quia erunt manus ejus sicut manus Esavi fratris ejus pilosæ, significet quod ex voluntario quod extus perciperet quod esset bonum naturale, patet ex eo, quod non agnoverit Jacobum pro Jacobo, hoc est, verum quod Jacobus repræsentat, sed quod perceperit Esavum, hoc est, bonum naturale quod extus, & hoc propter influxum, de quo mox supra n: 3563: inter bonum enim interius & bonum exterius datur communicatio, quia paralelismus n: 1831. 1832. 3514, non autem inter bonum & verum, nisi influxus boni in verum sit talis, qualis mox supra descriptus est.

3565. Et benedixit illi, quod significet inde conjunctionem, constat ex significatione benedici, quod sit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530; sed in hoc statu conjunctio non alia fuit, quam quæ n: 3563, descripta est; intima conjunctio fuit, sed non media, cum vero per Jacobum repræsentato, ita per finem, qui est intimum bonum, qui fuit, ut sic non aliter fieri potuerit; cum finis est, tunc primum est conjunctio intimorum cum extremis, media conjunctio successive venit, hoc operatur finis, nam in fine latet omnis progressio; Dominus enim per fines agit, & per illos intermedia successive in ordinem disponit, inde est conjunctio, quæ significatur per quod Jischak benedixit Jacobo.

3566. Vers: 24. 25. *Et dixit, tu is filius meus Esau, & dixit, ego. Et dixit, adfer mihi, & edam e venatione filii mei, ideo ut benedicat tibi anima mea; & attulit illi, & edit, & adduxit illi vinum, & bibit.* Dixit, tu is filius meus Esau, & dixit, ego, significat statum affectionis veri naturalis, quod crederet tunc esse bonum naturale, ex forma externa: Et dixit, adfer mihi & edam a venatione filii mei, significat desiderium conjungendi sibi verum naturale per bonum: ideo ut benedicat tibi anima mea, significat conjunctionem;

nem: & attulit illi & edit, significat conjunctionem boni primum: & adduxit illi vinum & bibit, significat conjunctionem veri deinde.

3567. Dixit tu is filius meus Esau, & dixit, ego, quod significet statum veri naturalis quod crederet tunc esse bonum naturale ex forma externa, constare potest ex interrogatione Jischaki "tu is filius meus Esau", per quam non aliud in sensu interno significari potest, quam influxus Rationalis ex bono in Naturale verum per Jacobum repraesentatum; & ex responso, "dixit ego" quod crederet tunc se esse bonum, videantur quae supra n: 3550.

3568. Et dixit, adfer mihi, & edam e venatione filii mei, quod significet desiderium conjungendi sibi verum naturale per bonum, constat ex significatione edere, quod sit conjungere & appropriare, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f; & ex significatione venationis filii mei, quod sit verum boni, de qua n: 3309. 3501. 3508; quod desiderium sit, patet.

3569. Ideo ut benedicat tibi anima mea, quod significet conjunctionem, constat ex significatione benedici, quod sit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565.

3570. Et attulit illi, & edit, quod significet conjunctionem boni primum; & adduxit illi vinum, & bibit, quod significet conjunctionem veri deinde, constat a significatione edere, quod sit conjungi & appropriari quoad bonum, de qua mox supra n: 3568; ex significatione vini, quod sit verum quod ex bono, de qua n: 1071. 1798; & ex significatione bibere, quod sit conjungi & appropriari quoad verum, n: 3168. Cum hoc, quod Bonum Rationalis quod per Jischakum repraesentatur, conjungat sibi bonum primo, & verum deinde, & hoc per Naturale, quod est Jacobus, ita se habet; Naturale cum est in illo statu, quod extus sit bonum, & intus verum, de quo supra n: 3539. 3548. 3556. 3563, tunc admittit plura quae non bona sunt, usque tamen utilia, qualia sunt media ad bonum suo ordine; at Rationalis Bonum non conjungit & appropriat sibi alia inde, quam quae bono suo conveniunt, nam bonum non aliud recipit; quicquid disconvenit, rejicit; reliqua in Naturali relinquit, ut inserviant pro mediis admittendi & introducendi plura sibi convenientia: est Rationale in Interno homine, quid ibi peragitur, non novit Naturale, nam supra ejus apperceptionis sphaeram est; inde est, quod homo, qui naturalem modo vitam vivit, non possit quicquam scire de illis quae apud eum in Interno ejus homine, seu in Rationali ejus, peragitur, Dominus disponit illa, homine prorsus nesciente; inde est, quod homo nihil sciat quomodo regeneratur, & vix quod regeneretur: si autem scire velit, attendat modo ad fines quos intendit, quos raro alicui detegit, si fines ad bonum sint, nempe quod plus studeat proximo & Domino, quam sibi, tunc in regenerationis statu est; at si fines ad malum sint, nempe quod plus studeat sibi, quam proximo & Domino, sciat quod tunc in nullo statu regenerationis sit; homo per fines vitae suae est in altera vita, per fines boni in coelo cum Angelis, sed per fines mali in inferno cum diabolis; fines apud hominem non aliud sunt quam ejus amores, quod enim homo amat, hoc pro fine habet; & quia ejus amores sunt, sunt fines ejus vita intima, videantur

 n: 1317.

n: 1317. 1568. 1571. 1645. 1909. 3425. 3562. 3565: fines boni apud hominem sunt in ejus Rationali, & illi sunt qui vocantur Rationale quoad bonum, seu Rationalis bonum; per fines boni, seu per bonum ibi, disponit Dominus omnia quæ in Naturali, nam finis est sicut Anima, & Naturale est sicut animæ illius corpus; qualis est anima, tali circumdatur illa corpore, ita quale est Rationale quoad bonum, tali circumvestitur illud Naturali: notum est, quod anima hominis inchoet in ovo matris, & perficiatur dein in utero ejus, ac ibi circumdetur tenello corpore, & quidem tali, ut anima per illud possit convenienter agere in mundo, in quem nascitur; similiter se habet, cum homo iterum nascitur, hoc est, cum regeneratur; nova anima, quam tunc accipit, est finis boni, qui inchoat in Rationali, ibi primum sicut in ovo, & dein ibi perficitur sicut in utero, tenellum corpus, quo illa anima circumdatur, est Naturale, ac ibi bonum, quod tale fit, ut secundum animæ fines obedienter agat; Vera ibi se habent sicut fibræ in corpore, nam ex bono formantur vera, n: 3470: inde constat, quod imago reformationis hominis sistatur in formatione ejus in utero; & si credere velis, est quoque bonum cœleste & verum spirituale, quod a Domino, quod illum format, & tunc indit potentiam, ut possit utrumque illud successive recipere, & quidem qualiter & quantum spectat sicut homo ad fines cœli, & non sicut animal brutum ad fines mundi. Quod Rationale quoad bonum sibi conjungat bonum primo, & verum deinde per Naturale, quæ significantur per quod Jacob attulerit cupedias & panem Jischako, & is ederit, & adduxerit illi vinum & is biberit, etiam illustrari potest per officia quæ corpus præstat animæ suæ; anima est, quæ dat corpori appetere cibos, & quoque quæ dat sapere, cibaria introducuntur per jucundum appetitus & per jucundum saporis, ita per bonum externum, sed cibaria, quæ introducuntur, non omnia intrant vitam, sed quædam inserviunt sicut menstrua pro digerendis, quædam pro temperandis, quædam pro aperiendis, quædam pro introducendis in vasa; bona vero electa introducuntur in sanguinem, & fiunt sanguis, ex illo sibi anima conjungit talia, quæ usui sunt; similiter se habet cum rationali & cum naturali, appetui & sapori correspondent desiderium & affectio sciendi verum, ac cibariis correspondent scientifica & cognitiones n: 1480; & quia correspondent, etiam similiter se habent; anima, quæ est bonum Rationalis, dat desiderare illa & affici illis, ita illa quæ scientiæ & doctrinæ sunt, introducit per jucundum quod est desiderii, & per bonum quod est affectionis; at quæ introducit, non omnia sunt talia ut fiant bonum vitæ, sed quædam inserviunt ut media pro quasi digerendis & temperendis, quædam pro aperiendis & introducendis, bona autem, quæ sunt vitæ, sibi applicat, & sic illa sibi conjungit, & ex illis format sibi vera: inde patet, quomodo Rationale disponit Naturale, ut inserviat sibi sicut animæ, seu quod idem, ut inserviat fini, qui est anima, ad se perficiendum, ut possit esse usui in Regno Domini.

3571. Vers: 26. 27. 28. 29. *Et dixit ad illum Jischak pater illius, accede quæso,*

quæso, & osculare me, fili mi. Et accessit, & osculatus est illum, & odoratus est odorem vestium illius, & benedixit illi, & dixit, vide, odor filii mei sicut odor agri, cui benedixit Jehovah. Et dabit tibi Deus de rore cœli, & de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & musti. Servient tibi populi, & incurvabunt se tibi populi, esto herus fratribus tuis, & incurvabunt se tibi filii matris tuæ; maledicentes tibi maledictus, & benedicentes tibi benedictus. Dixit ad illum Jischak pater illius, accede quæso, significat perceptionis adhuc interioris gradum: & osculare me, fili mi, significat num uniri possit: Et accessit & osculatus est illum, significat præsentiam & unitionem: & odoratus est odorem vestium illius, significat gratum ex boni vero quod percepit: & benedixit illi, significat conjunctionem ita: & dixit, vide, odor filii mei, significat gratum ex boni vero: sicut odor agri, significat ut ex bona humo ex qua verum: cui benedixit Jehovah, significat quod multiplicatur & fructificatur ex Divino: Et dabit tibi Deus de rore cœli, significat ex Divino Vero: & de pinguedinibus terræ, significat ex Divino Bono: & multitudinem frumenti, significat inde bonum naturale: & musti, significat inde verum naturale: servient tibi populi, significat vera Ecclesiæ, seu Ecclesias spirituales: & incurvabunt se tibi populi, significat vera boni: esto herus fratribus tuis, significat dominium primum apparens affectionis veri naturalis super affectiones boni naturalis: & incurvabunt se tibi filii matris tuæ, significat super affectiones reliquas veri: maledicentes tibi maledictus, significat quod qui se disjungit disjunctus erit: & benedicentes tibi benedictus, significat qui se conjungit conjunctus erit.

3572. Dixit ad illum Jischak pater illius, accede quæso, quod significet perceptionis adhuc interioris gradum, constat ex significatione dicere quod accederet, quod sit perceptionis interioris gradus ex præsentia, accedere non aliud est.

3573. Et osculare me fili mi, quod significet num uniri possit, constat ex significatione osculari, quod sit unitio & conjunctio ex affectione; osculatio quæ est externum, non aliud est quam conjunctionis affectio quæ est internum; correspondent etiam. Agitur hic, ut patet ab illis quæ supra dicta sunt, in supremo sensu de Glorificatione Naturalis in Domino, hoc est, quomodo Dominus in Se Naturale Divinum fecit; in sensu autem repræsentativo de Regeneratione Naturalis apud hominem, ita de Conjunctione Naturalis cum Rationali; Naturale enim non prius regeneratum est, quam cum conjunctum est Rationali; conjunctio illa fit per influxum immediatum & mediatum Rationalis in bonum & verum Naturalis, nempe a Rationalis Bono immediate in Naturalis bonum, & per hoc in Naturalis verum; mediate per Rationalis Verum in Naturalis verum & inde in Naturalis bonum; de his conjunctionibus agitur; hæ nusquam existere possunt quam per media a Divino provisa, & quidem per talia, quæ homini ignotissima sunt, & quorum vix aliquam ideam habere potest per illa quæ sunt lucis mundi, hoc est, quæ sunt luminis naturalis apud illum, sed per illa quæ sunt lucis cœli, hoc

 est,

eſt, quæ lucis Rationalis; ſed uſque omnia illa media in ſenſu interno Verbi detecta ſunt, & patent coram illis qui in ſenſu illo ſunt, ita coram Angelis, qui de illa re innumerabilia vident & percipiunt, quorum vix unum ad captum hominis adæquate evolvi & explicari poteſt: ſed ab effectibus & eorum ſignis aliquatenus coram homine patet, quomodo conjunctio illa ſe habet; Mens enim Rationalis, hoc eſt, interius voluntarium & intellectuale apud hominem, ſe repræſentare debet in ejus mente Naturali, ſicut hæc mens in facie & ejus vultu, uſque adeo, ut ſicut facies eſt vultus mentis naturalis, ita mens naturalis debeat eſſe vultus mentis rationalis; cum conjunctio eſt, ut apud illos qui regenerati ſunt, tunc quicquid homo interius in Rationali ſuo vult & cogitat, ſe conſpicuum ſiſtit in Naturali ejus, & hoc ſe conſpicuum in facie; talis eſt facies Angelis, & talis fuit facies Antiquiſſimis qui cœleſtes homines fuerunt; nihil enim timuerunt, ut alii ſcirent eorum fines & intentiones, nam nihil aliud voluerunt quam bonum; qui enim ſe duci patitur a Domino, nuſquam aliud intendit & cogitat: cum talis ſtatus eſt, tunc Rationale quoad bonum conjungit ſe immediate cum bono Naturalis, & per hoc cum veris ejus, & quoque mediate per verum ſibi in Rationali conjunctum cum vero Naturalis, & per hoc cum bono ibi; inde fit conjunctio indivulſa: ſed quantum homo ab hoc ſtatu hodie ſit remotus, ita a ſtatu cœleſti, conſtare poteſt ex eo, quod prudentiæ civilis credatur eſſe, aliud loqui, tum aliud agere, etiam aliud vultu oſtendere, quam quod cogitat & intendit, imo etiam diſponere ipſam mentem naturalem ita, ut cum facie ejus unum agat contra illa quæ interius cogitat & vult ex fine mali; hoc Antiquiſſimis enorme facinus fuit, & tales e ſocietate illorum ut diaboli ejecti ſunt: ex his ut ab effectibus & eorum ſignis patet, quid conjunctio Rationalis ſeu Interni hominis quoad bonum & verum cum Naturali ſeu Externo ejus homine; & ſic qualis eſt homo angelus, & qualis homo diabolus.

3574. Et acceſſit & oſculatus eſt illum, quod ſignificet præſentiam & unitionem, conſtat a ſignificatione accedere, quod ſit præſentia, & ex ſignificatione oſculari, quod ſit unitio ſeu conjunctio ex affectione, n: 1572; quod oſculari id ſignificet, patet etiam ab illis locis in Verbo, ut apud Davidem, "Servite Jehovæ in timore, & *oſculamini Filium*, ne iraſcatur, & pereatis in via, quia exardebit brevi ira Ipſius, beati omnes confidentes in Ipſo," Pſalm: ii: 12, ubi de Domino, Cujus Divinum Humanum eſt Filius, oſculari Ipſum eſt conjungi Ipſi per amoris fidem. Apud Eundem, "Miſericordia & Veritas occurrant, juſtitia & pax *Oſculentur*," Pſalm: LXXXV: 11, juſtitia & pax oſculentur pro conjungant ſe. Apud Hoſcheam, "Loquutus eſt Ephraim horrorem, & reus factus eſt in baale; & nunc addunt peccare, faciunt ſibi fuſile ex argento ſuo, in intelligentia ſua idola, opus artificum totum, illis ipſis dicentes, ſacrificantes hominem, *vitulos oſculantur*," XIII: 1. 2, Ephraim pro intelligentia, hic propria, hoc eſt, pro illis qui non a Domino ſapere ſe credunt & volunt; fuſile ex argento ſuo pro bono falſificato;

cato; opus artificum totum pro intelligentia propria; qui tales ſunt, dicuntur oſculari vitulos, hoc eſt, magiam amplecti & ei ſe adjungere. In Libro Primo Regum, "Jehovah dixit ad Eliam, ſupereſſe feci in Iſraele ſeptem millia, omnia genua quæ non incurvaverunt ſe baali, & omne os quod non *Oſculatum eſt illum,*" XIX: 18; oſculari pro ex affectione ſe conjungere, ita colere.

3575. Et odoratus eſt odorem veſtium illius, quod ſignificet gratum ex boni vero quod percepit, conſtat ex ſignificatione odoris, quod ſit gratum, de qua n: 925, & odorari, quod ſit percipere quod gratum; & ex ſignificatione veſtium, quod ſit verum, de qua n: 297. 1073. 2576; quæ quia erant Eſavi, qui hic eſt illius, & per Eſavum repræſentatur bonum Naturalis, eſt boni verum quod ſignificatur. Boni verum eſt illud, quod per influxum Rationalis immediatum & mediatum, de quo ſupra n: 3572, in Naturali producitur; hoc verum erat quod deſiderabatur; ſed quia illud per immediatum influxum a Rationalis bono produci non poſſet, niſi ſimul per mediatum, hoc eſt, per Rationalis verum, & hoc non niſi per plura media, quæ ſunt illa quæ per Eſavum & Jacobum in ſenſu interno hic deſcribuntur, ideo per odorari odorem veſtium illius ſignificatur boni verum, quod percipiebatur.

3576. Et benedixit illi, quod ſignificet conjunctionem ita, conſtat ex ſignificatione benedici, quod ſit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. Ex ſingulis his, quæ de Eſavo & Jacobo dicuntur, conſtare poteſt, quod Rationalis Bonum ſe intime conjunxerit cum Bono Naturalis, & per Bonum ibi cum Vero; Jiſchak enim repræſentat Rationale quoad Bonum, Rebecca Rationale quoad Verum, Eſau Bonum Naturalis, & Jacob Verum ejus; quod Rationale quoad Bonum, quod eſt Jiſchak, ſe conjunxerit intime cum Bono Naturalis quod eſt Eſau, & non cum Vero Naturalis quod eſt Jacob niſi mediate, patet ex eo, quod Jiſchak in mente habuerit Eſavum cum benedictionem dixit ad Jacobum, nec de Jacobo tunc cogitaverit, ſed de Eſavo; qui benedictionem dicit, benedicit illi de quo cogitat, non tunc illi de quo non cogitat; omnis benedictio exit ab interiori, quæ ore pronuntiatur, in ſe ex velle & cogitare benedicentes vitam habet, inde eſſentialiter eſt ejus cui vult & de quo cogitat; qui excipit illam, & ſic facit illam ſuam, eſt ſicut quod furatum quod alteri reſtituendum; quod Jiſchak cum benedixit de Eſavo cogitaverit, & non de Jacobo, conſtare poteſt ex omnibus & ſingulis quæ præcedunt, ut ex Verſ: 18. 19, ubi Jiſchak dicit ad Jacobum, *quis tu fili mi, & dixit Jacob ad patrem ſuum, ego Eſau primogenitus tuus,* ex Verſ: 21. 22. 23, *dixit Jiſchak ad Jacobum, accede quæſo & palpabo te fili mi, an tu is filius meus Eſau, ſi non*; & poſtquam palpavit illum, dixit, *vox vox Jacobi, & manus manus Eſavi, & non agnovit illum*: tum ex Verſ: 24, *& dixit, tu is filius meus Eſau, & dixit, ego*; & tandem cum oſculabatur illum, *odoratus eſt odorem veſtium illius*, nempe Eſavi, & cum tunc benedicebat, dixit, *vide, odor filii mei*; inde conſtat, quod per filium cui benedixit, non alius intellectus ſit quam Eſau; quare etiam cum ab Eſavo audivit, quod fuiſſet Jacob, *horruit Jiſchak horrore magno valde*, Verſ: 33, *Et dixit, venit*

frater

frater tuus in fraude, Verf: 35, quod autem Jacob retinuerit benedictionem, fecundum illa quæ dicuntur Verf: 33 & 37; eft quia Verum per Jacobum repræfentatum quoad tempus apparenter dominaturum effet, ut fupra aliquoties oftenfum; at poft exactum reformationis & regenerationis tempus, tunc ipfum Bonum, quod intime latuit & inde difpofuit omnia & fingula quæ apparuerunt effe veri feu quæ verum fibi tribuerat, prodit & palam dominatur; quæ fignificantur per illa, quæ Jifchak ad Efavum dixit, *fuper gladio tuo vives, & fratri tuo fervies, & erit quando dominaris, & difrumpes jugum illius defuper collo tuo*," Verf: 40; quorum fenfus internus eft, quod, quamdiu conjungitur verum bono, fit bonum inferiori loco quoad apparentiam, fed quod priori loco erit; & tunc erit Rationalis conjunctio cum Bono Naturalis, & per hoc cum Vero; ac ita Verum fiet Boni; proinde tunc Efau repræfentabit ipfum Bonum Naturalis & Jacob ipfum Verum ejus, conjuncta Rationali; ita in fupremo fenfu Divinum Naturale Domini, Efau quoad Divinum Bonum & Jacob quoad Divinum Verum ibi.

3577. Sicut odor agri, quod fignificet ut ex bona humo e qua verum, conftat ex fignificatione odoris agri, quod fit perceptio veri ex bono, ficut exhalationis e meffe in agro; quod ager fit bona humus, videatur n: 3500. Quod odor fit perceptio, inde eft, quia jucunda boni & amæna veri, quæ percipiuntur in altera vita, etiam ibi per correfpondentes odores fe manifeftent, videatur n: 1514. 1517. 1518. 1519; inde, & ex correfpondentiis, patet, quod odor non aliud fit quam perceptivum, fed naturale, correfpondens perceptivo fpirituali.

3578. Cui benedixit Jehovah, quod fignificet quod multiplicatur & fructificatur ex Divino, conftat ex fignificatione benedicere Jehovah, quod fit multiplicari quoad verum & fructificari quoad bonum, de qua n: 2846. 3406.

3579. Et dabit tibi Deus de rore cœli, quod fignificet ex Divino Vero; & de pinguedinibus terræ, quod fignificet ex Divino Bono, conftat ex fignificatione roris cœli, quod fit verum, de qua fequitur; & ex fignificatione pinguedinum, quod fint bonum, de qua n: 353, utrumque Divinum in fupremo fenfu, in quo prædicantur de Domino. Cum multiplicatione veri & fructificatione boni ita fe habet; Rationale cum influit in Naturale, ibi fuum bonum fiftit in forma communi, per hoc bonum producit ibi vera, pæne ficut vita condit fibras in homine, & eas difponit in formas fecundum ufus, bonum illud per hæc vera in ordinem cœleftem difpofita producit iterum bonum, & per hoc bonum iterum vera, quæ derivationes funt; talis idea naturalis haberi poteft de formatione veri a bono, & iterum boni per verum, per quod denuo verum; fed idea fpiritualis non poteft haberi nifi ab illis qui in altera vita funt, nam ibi formantur ideæ a luce cœli, in qua eft intelligentia. Quod Ros fignificet Verum, conftat quoque ex Verbo alibi; ut apud Sachariam, "Semen pacis, vitis dabit fructum fuum, & terra dabit proventum fuum, & *Cœli dabunt rorem fuum*," VIII: 12, ubi de nova Ecclefia, vitis dabit fructum fuum, pro quod fpirituale Ecclefiæ feu verum fidei dabit bonum, & terra dabit proventum fuum, pro quod cœlefte Ecclefiæ feu

ſeu bonum charitatis dabit verum, ros quem cœli dabunt, ſunt illa. Apud Haggæum, "Propter domum meam, quæ eſt vaſtata, ſuper vobis *clauſi ſunt cœli a rore*, & terra clauſa eſt a provento ſuo," I : 9. 10, cœlorum ros & terræ proventus, qui inhibiti, pro ſimilibus. Apud Davidem, "Ex utero auroræ tibi *Ros nativitatis tuæ*," Pſalm : CX : 3. 4, de Domino, ros nativitatis pro cœleſti amoris. Apud Moſen, "Benedicta a Jehovah terra ejus de pretioſis cœli, *de rore*, de abyſſo etiam jacente infra," Deut : XXXIII : 13, de Joſepho; pretioſa cœli ſunt ſpiritualia, n : 3166, quæ ſunt ros, abyſſus jacens infra ſunt naturalia. Apud Eundem, "Habitavit Iſrael ſecure, ſolitarius ad fontem Jacobi, in terra frumenti & muſti, etiam *Cœli ſtillabant rorem*," Deut : XXXIII : 28, ibi etiam ros quem ſtillabant cœli, pro ſpiritualibus quæ ſunt veri. Ros in genuino ſenſu eſt boni verum quod ex ſtatu innocentiæ & pacis, per mane enim ſeu auroram, quando ros deſcendit, ſignificantur illi ſtatus, n : 2333. 2405. 2540. 2780; inde etiam manna, quæ e cœlo, erat cum rore qui matutino tempore deſcendebat, ut conſtare poteſt apud Moſen, "In *matutino fuit poſitio roris* circa caſtra, & cum deſiit *roris poſitio*, ecce ſuper faciebus deſerti contuſum rotundum, contuſum ſicut pruina ſuper terra," Exod : XVI : 13. 14: Quando *deſcendit Ros ſuper caſtra* noctu, deſcendit man ſuper eo," Num : XI : 9, Manna quia erat panis cœleſtis, in ſupremo ſenſu ſignificabat Dominum quoad Divinum Bonum, inde apud homines cœleſte amoris, nam hoc a Divino Domini, n : 276. 680. 1798. 2165. 2177. 3464. 3478; Ros in quo & cum quo Manna deſcendebat pro Divino Vero in ſupremo ſenſu, & pro ſpirituali vero apud homines in ſenſu reſpectivo; matutinum tempus eſt ſtatus pacis in quo illa bona, n : 92. 93. 1726. 2780. 3170. Quia Ros ſignificat Verum quod a Bono, ſeu quod idem ſpirituale quod a cœleſti, ideo quoque verum ſpirituale in Verbo *comparatur* rori, nam quæ ſignificant etiam comparationi ejuſdem rei inſerviunt; ut apud Eſaiam, "Sic dixit Jehovah ad me, quieſcam & ſpectabo in habitaculo meo, ſicut calor ſerenus ſuper luce, *ſicut nubes Roris* cum calet meſſis," XVIII : 4. Apud Hoſcheam, "Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Jehudah, quia ſanctitas veſtra ſicut *nubes auroræ*, & *ſicut ros mane cadens*," VI : 4. Cap : XIII : 3. Apud Eundem, "*Ero ſicut Ros Iſraeli*, germinabit ſicut lilium, & figet radices ſicut Libanon," XIV : 6. Apud Micham, "Erunt reliquiæ Jacobi in medio populorum multorum, *ſicut Ros* a cum Jehovah, ſicut guttæ ſuper herba," V : 6. Apud Davidem, "Sicut oleum bonum ſuper capite, quod deſcendit ſuper os veſtium Aharonis, *ſicut Ros Chermonis* qui deſcendit ſuper monte Zionis, quia ibi præcepit Jehovah benedictionem vitæ uſque in ſæculum," Pſalm : CXXXIII : 2. 3. Apud Moſen, "Defluet ſicut pluvia doctrina mea, *ſtillabit ſicut Ros verbum meum*, ſicut ſtillæ ſuper gramen, & ſicut guttæ ſuper herbam," Deut : XXXII : 2, ibi ros pro multiplicatione veri ex bono, & pro fructificatione boni per verum; & quia ros eſt qui quovis mane fertilem facit agrum & vineam, ipſum bonum & verum ſignificantur per Frumentum & Muſtum, de quibus ſequitur.

3580.

3580. Et multitudinem frumenti, quod significet inde bonum naturale, & musti quod significet inde verum naturale, constat ex significatione frumenti, quod sit bonum, & ex significatione musti, quod sit verum; quæ cum prædicantur de naturali, significant illa bonum & verum naturale, & tunc prædicantur de Rationali Panis & Vinum, Panis quod sit cœleste bonum, videatur n: 276. 680. 1798. 2165. 2177. 3464. 3478; & quod Vinum sit spirituale, ita verum ex bono, n: 1071, 1798. Quod Frumentum & Mustum illa significent, constare quoque potest ab his locis in Verbo; apud Haggæum, "Clausi sunt cœli a rore, & terra clausa est a provento suo, & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & *super Frumentum*, & *super Mustum*, & super quod educit terra," I: 10. 11, ibi siccitas pro defectu roris & pluviæ, ita pro defectu veri ex aliquo bono; siccitas super frumentum est defectus boni, & siccitas super mustum est defectus veri. Apud Mosen, "Habitabit Israel secure, solitarius ad fontem Jacobi, *in terra frumenti & musti*, & cœli ejus stillabunt rorem," Deut: XXXIII: 28; solitarius pro illis, qui non infestantur a malis & falsis, n: 139. 471; terra frumenti & musti pro Ecclesiæ bono & vero. Apud Hoscheam, "Ero sicut ros Israeli, germinabit sicut lilium, & figet radices suas sicut Libanon; ibunt rami ejus, & erit sicut oliva honor ejus, & *odor* illi sicut Libani; revertentur habitantes in umbra ejus, *vivificabunt frumentum*, & efflorebunt sicut *vitis*, memoria ejus sicut *vinum* Libani," XIV: 6. 7. 8, ubi frumentum pro bono spirituali, vinum pro vero spirituali. Apud Esaiam, "Maledictio comedet terram, *lugebit mustum*, languebit *vitis*, gement omnes læti corde," XXIV: 6. 7, ibi de vastatione Ecclesiæ spiritualis; lugebit mustum pro quod cessabit verum. Apud Jeremiam, "Redemit Jehovah Jacobum, venient & canent in altitudine Zionis, & confluent ad bonum Jehovæ, *ad Frumentum* & *ad Mustum*, & ad oleum, & ad filios gregis & armenti," XXXI: 11. 12; frumentum & mustum pro bono & inde vero, oleum pro bono ex quo illa, & quod ex illis, filii gregis & armenti pro vero quod sic inde; quæ quia illa significant, vocantur bonum Jehovæ. Apud Hoscheam, "Illa non novit, quod Ego dederim illi *Frumentum* & *Mustum* & oleum; & argentum multiplicaverim & aurum quod fecerunt baali, propterea revertar, & accipiam *Frumentum meum* & *Mustum meum* in tempore stato suo, & eripiam lanam meam & linum meum," II: 8. 9, ibi de Ecclesia perversa; & patet quod per frumentum non significetur frumentum, nec mustum per mustum, & quoque per oleum, argentum, aurum, lanam & linum, quod non talia, sed quæ spiritualia sunt, hoc est, boni & veri: similiter ubi agitur de Nova Ecclesia apud Eundem, "Desponsabo te Mihi in fide, & cognosces Jehovam, & erit in die illo audiam cœlos, & hi audient terram, & terra audiet *Frumentum* & *Mustum*, & oleum, & hæc audient Jisreelem," ii: 20. 21. 22, Jisreel pro Nova Ecclesia. Apud Joelem, "Expergiscimini ebrii & flete, & ejulate omnes potantes vinum, *propter Mustum* quod excisum est ex ore vestro: devastatus est ager, luget terra, quia *devastatum est Frumentum*, *exaruit Mustum*, languet oleum," I: 5. 10. Apud Eundem, "Filii Zionis gaudete, & lætamini

mini in Jehovah Deo vestro, quia dedit vobis pluviam matutinam in justitiam, & descendere faciet vobis pluviam matutinam & serotinam in primo, & implebuntur areæ *frumento puro*, & exundabunt torcularia *Mustum* & oleum," ii: 23. 24. Apud Eundem, "Fiet in die illo, *stillabunt montes mustum*, & colles fluent lacte, & omnes rivi Jehudæ fluent aquis, & fons e domo Jehovæ exibit," IV: 18; ibi de Regno Domini; sunt spiritualia quæ per mustum, per lac, & per aquas, significantur, quorum abundantia ita describitur. Apud Sachariam, "Servabit illos Jehovah Deus illorum in die illo, sicut gregem populum suum, quia quanta bonitas ejus, & quanta pulchritudo ejus, *Frumentum* juvenes, & *Mustum* germinare faciet virgines," IX: 16. 17. Apud Davidem, "Visitas terram, & delectaris ea, valde ditas eam, rivus Dei plenus aquis, præparas *Frumentum eorum*, induunt prata gregem, & valles operiuntur *Frumento*, plaudant etiam cantent," Psalm: LXV: 10. 14, inde nunc patet, quid frumentum & mustum.

3581. Servient tibi populi, quod significet vera Ecclesiæ; & incurvabunt se tibi populi, quod significet vera boni, constat ex prædicatione servire, quod sit de veris, de qua n: 2567. 3409; & ex significatione populorum, quod sint vera, de qua n: 1259. 1260. 2928. 3295; per populos primum nominatos significantur vera Ecclesiæ, quæ vera spiritualia vocantur, & per populos secundo nominatos vera boni, quæ bona spiritualia sunt, & respective vera vocantur, Charitatis bona sunt talia vera; quia hoc discrimen est, etiam populi primo loco & secundo non simili voce in Lingua Hebræa, sed alia usque affini, exprimuntur.

3582. Esto herus fratribus tuis, quod significet dominium primum apparens affectionis veri naturalis super affectiones boni naturalis, constat ex significatione esse herus, quod sit dominium; & a significatione fratrum, quod sint affectiones boni, hic naturalis, de qua n: 367. 2360. 3303; de dominio apparente veri super bonum, primo, videatur n: 3324. 3375. 3330. 3332. 3336. 3470. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570.

3583. Et incurvabunt se tibi filii matris tuæ, quod significet super affectiones reliquas veri, constat a significatione filiorum, quod etiam sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; & ex significatione matris, quod sit affectio veri spiritualis, & inde Ecclesia, quia Ecclesia ex vero & ejus affectione est & ita vocatur, de qua n: 289. 2691. 2717.

3584. Quod maledicentes tibi maledictus, significet quod qui se disjungit disjunctus erit; & quod benedicentes tibi benedictus, significet qui se conjungit conjunctus erit, constat ex significatione maledici, quod sit disjungi, & benedici, quod sit conjungi, de quibus n: 3504. 3514. 3530. 3565: prædicantur hæc de veris, & per maledicentes significantur falsa, quæ se a veris sejungunt, & per benedicentes vera, quæ se reliquis adjungunt: cum Veris enim & bonis ita se habet, quod inter se forment societatem, & tandem faciant quasi unam civitatem; taliter quoque se consociant; hoc ducit suam originem a forma cœli, in qua angeli secundum consanguinitates & affinitates boni & veri dispositi sunt, & sic simul constituunt unum Regnum seu unam

Civitatem, exinde vera & bona apud hominem influunt, & apud illum diſponuntur in ſimilem formam, & hoc a ſolo Domino; ſed hoc quomodo ſe habet, evidentius conſtabit ex Correſpondentia Maximi hominis, qui eſt Cœlum, cum omnibus & ſingulis quæ apud hominem; de qua Correſpondentia, ex Divina Domini Miſericordia, ad finem Capitum. Ex his nunc patet, quid Benedictio Jiſchaki dictata ad Jacobum, ſed intellecta de Eſavo, involvit, quod nempe fructificationem boni per multiplicationem veri, & hujus iterum fructificationem.

3585. Verſ: 30. 31. 32. 33. *Et fuit, quemadmodum abſolvit Jiſchak benedicere Jacobo, & fuit tantum exeundo exivit Jacob ex faciebus Jiſchaki patris ſui, & Eſau frater ejus venit e venatione ſua. Et fecit etiam is cupedias, & adduxit patri ſuo, & dixit patri ſuo, ſurgat pater meus, & edat e venatione filii ſui, propterea ut benedicat mihi anima tua. Et dixit ei Jiſchak pater ejus, quis tu, & dixit, ego filius tuus primogenitus tuus Eſau. Et horruit Jiſchak horrore magno uſque valde, & dixit, quis igitur ille qui venatus venationem, & adduxit mihi, & edi ab omni antequam veniſti, & benedixi ei, etiam benedictus erit.* Fuit, quemadmodum abſolvit Jiſchak benedicere Jacobo, ſignificat cum conjunctio prima ita facta: & fuit tantum exeundo exivit Jacob ex faciebus Jiſchaki patris ſui, ſignificat ſtatus progreſſionem & mutationem: & Eſau frater ejus venit e venatione ſua, ſignificat boni verum & ejus adventum; Et fecit etiam is cupedias & adduxit patri ſuo, ſignificat deſiderabilia & delectabilia Divino Rationali: & dixit patri ſuo, ſurgat pater meus, & edat e venatione filii ſui, ſignificat ut appropriaret ſibi boni naturalis verum: propterea ut benedicat mihi anima tua, ſignificat ut conjungeret: Et dixit ei Jiſchak pater ejus, quis tu, & dixit, ego filius tuus primogenitus tuus Eſau, ſignificat ſtatum perceptionis de Bono naturali & Vero inde: Et horruit Jiſchak horrore magno uſque valde, ſignificat alterationem magnam circa ſtatus inverſionem: & dixit, quis igitur ille qui venatus venationem & adduxit mihi, ſignificat inquiſitionem de illo vero: & edi ab omni antequam veniſti, ſignificat quod appropriatum: & benedixi ei, etiam benedictus erit, ſignificat quod conjunctum.

3586. Et fuit, quemadmodum abſolvit Jiſchak benedicere Jacobo, quod ſignificet cum conjunctio prima ita facta, conſtat ex ſignificatione benedicere, quod ſit conjunctio, de qua ſupra n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; ita quemadmodum abſolvit benedicere, quod ſit cum conjunctio facta, quod prima fuerit cum Vero, quod repræſentatur per Jacobum, ex illis, quæ ſupra dicta ſunt, patet.

3587. Et fuit tantum exeundo exivit Jacob ex faciebus Jiſchaki patris ſui, quod ſignificet ſtatus progreſſionem & mutationem, conſtat ex ſignificatione exeundo exire a faciebus, quod ſit cum illa, quæ per Jacobum repræſentata ſunt, deſierunt, ita cum ſtatus mutatus, nam nunc de Eſavo agitur, & in ſenſu interno de bono Naturalis, quomodo hoc prodit ex intimo, ut ſupra dictum, ſeque manifeſtat, & exacta per miniſterium veri reformatione dominium habet.

3588.

3588. Et Esau frater ejus venit e venatione sua, quod significet boni verum & ejus adventum, constat ex repræsentatione Esavi, quod sit bonum Naturalis, de qua supra; ex significatione venire, quod sit adventus; & ex significatione venationis, quod sit verum quod ex bono, de qua n: 3501.

3589. Et fecit etiam is cupedias & adduxit patri suo, quod significet desiderabilia & delectabilia Divino Rationali, constat ex significatione cupediarum, quod sint jucunda quæ boni & amæna quæ veri, de qua n: 3502. 3536; jucunda quæ boni sunt desiderabilia, & amæna quæ veri delectabilia, nam affectio boni est quæ desiderat, & tunc affectio veri quæ delectat.

3590. Et dixit patri suo, surgat pater meus, & edat e venatione filii sui, quod significet ut appropriaret sibi boni naturalis verum, constat ex repræsentatione Jischaki, qui hic est pater, quod sit Rationalis bonum, de qua sæpius prius; ex significatione edere, quod sit appropriare, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f; & ex significatione venationis, quod sit boni naturalis verum, de qua mox supra n: 3588.

3591. Propterea ut benedicat mihi anima tua, quod significet ut conjungeret, constat a significatione benedici, quod sit conjunctio, de qua etiam supra n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584.

3592. Et dixit ei Jischak pater ejus, quis tu, & dixit, ego filius tuus primogenitus tuus Esau, quod significet statum perceptionis de bono naturali & vero inde, constat ex illis quæ supra n: 3548. 3549. 3550, ad Vers: 18 & 19, dicta sunt, ubi similia verba.

3593. Et horruit Jischak horrore magno usque valde, quod significet alterationem magnam circa status inversionem, constat ex significatione horroris, quod sit alteratio; quod sit circa status inversionem, patet ab illis quæ supra dicta sunt de bino statu hominis qui regeneratur, de statu antequam regeneratus est, & de statu postquam regeneratus est; quod nempe in statu antequam regeneratus est, vera apparenter dominentur, at in statu postquam regeneratus est, vera cedant & bonum recipiat dominium, de quibus videantur quæ prius sæpius ostensa sunt, n: 1904. 2063. 2189. 2697. 2979. 3286. 3288. 3310 f. 3325. 3330. 3332. 3336. 3470. 3509. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3579.

3594. Et dixit, quis igitur ille qui venatus venationem & adduxit mihi, quod significet inquisitionem de illo vero, constat ex repræsentatione Jacobi, de quo hic dicitur, quis ille, quod sit naturale quoad verum, de qua supra; & ex significatione venationis, quod sit verum ex bono, de qua n: 3501; hic inquisitio de vero illo, num ex bono.

3595. Et edi ab omni antequam venisti, quod significet quod appropriatum, constat a significatione edere, quod sit appropriari, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f.

3596. Et benedixi ei, etiam benedictus erit, quod significet quod conjunctum, constat a significatione benedici, quod sit conjungi, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584: quomodo se habet cum appropriatione & conjunctione Veri per Jacobum repræsentati, constare potest ab illis quæ prius

 dicta

dicta sunt; quæ quia talia sunt, ut captum naturalis hominis transcendant, & non videri possint nisi in luce, in qua est Rationalis seu Internus homo, in qua luce pauci hodie sunt quia pauci regenerati, ideo præstat non amplius illa illustrare, nam illustratio ignotorum & transcendentium captum non est in lucem sed magis in umbram mittere; præter quod talia etiam superstruenda sint ideis veritatum naturalium, per quas capienda, quæ quoque hodie deficiunt: idcirco etiam mox præcedentia tam strictim, & modo quoad sensum internum vocum explicata sunt. Ex illis quæ præcedunt constare potest, quid involvit quod Jischak a filio suo petierit venationem, ut ex illa ederet, antequam illi benediceret, & quod non prius benedixerit quam postquam ederat, & sic quod post esum sequeretur benedictio ejus qui fecit & apportavit, ut quoque patet ab Jischaki verbis, hic de Jacobo, *adduxit mihi & edi ab omni antequam venisti, & benedixi ei, & etiam benedictus erit*; causa patet ab interno intellectu ritualium antiquæ Ecclesiæ, esus enim apud illos significabat appropriationem & conjunctionem, & apud quem ederant, seu a cujus pane, conjunctionem cum illo; cibus in genere significabat illa quæ amoris & charitatis sunt, hoc est, eadem quæ cibus cœlestis & spiritualis, Panis ibi quæ amoris in Dominum, & Vinum quæ charitatis erga proximum; hæc cum appropriata sunt, conjuncti erant; sic mutuo loquebantur ex affectione, & consociabantur; Convivia apud Antiquos non aliud fuerunt, comestiones ex sanctificatis in Ecclesia Judaica nec aliud repræsentabant, prandia & cœna in primitiva Ecclesia Christiana nec aliud involvebant.

3597. Vers: 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. *Ut audivit Esau verba patris sui, & exclamavit exclamatione magna & amara usque valde; & dixit patri suo, benedic mihi etiam ego pater mi. Et dixit, venit frater tuus in fraude, & sumsit benedictionem tuam. Et dixit, num quod vocat nomen illius Jacob, & supplantavit me is duabus vicibus; primogenituram meam sumsit, & ecce nunc sumsit benedictionem meam; & dixit, annon reservasti mihi benedictionem. Et respondit Jischak, & dixit Esavo, ecce herum posui illum tibi, & omnes fratres ejus dedi ei ad servos, & frumento & musto fulcivi eum, & tibi igitur quid faciam fili mi. Et dixit Esau ad patrem suum, an benedictio una hæc tibi, pater mi, benedic mihi etiam ego pater mi, & sustulit Esau vocem suam & flevit. Et respondit Jischak pater ejus, & dixit ad eum, ecce de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore cœli desuper. Et super gladio tuo vives, & fratri tuo servies, & erit quando dominaris, & disrumpes jugum illius desuper collo tuo.* Audivit Esau verba patris sui, significat apperceptionem boni naturalis ex Bono Divino: & exclamavit exclamatione magna & amara usque valde, significat alterationem ejus magnam circa status inversionem: & dixit patri suo, benedic mihi etiam ego pater mi, significat quod desideraret conjunctionem, tametsi per illud conjunctum esset verum. Et dixit, venit frater tuus in fraude, significat inversum ordinis: & sumsit benedictionem tuam, significat conjunctionem ita: Et dixit, num quod vocat nomen illius Jacob, significat quale ejus: & supplantavit me is duabus vicibus, significat

nificat quod invertit ordinem primogenituram meam sumsit, significat prioritatem: & ecce nunc sumsit benedictionem meam, significat conjunctionem: & dixit, annon reservasti mihi benedictionem, significat an aliquid ei esset quoad conjunctionem in priori illo statu: Et respondit Jischak & dixit Esavo, significat instructionem: ecce herum posui illum tibi, significat quod in illo statu dominaretur: & omnes fratres ejus dedi ei in servos, significat quod affectioni veri tunc subordinatæ sint affectiones boni quoad apparentiam: & frumento & musto fulcivi eum, significat, ut prius, ejus bonum & verum: & tibi igitur quid faciam, fili mi, significat quod bono in illo statu non aliud sit: Et dixit Esau ad patrem suum, significat apperceptionem boni naturalis: an benedictio una hæc tibi, pater mi, significat num aliud adjungi posset ex bono naturali tunc: benedic mihi etiam ego pater mi, significat quod desideraret conjunctionem tametsi per illud conjunctum esset verum: & sustulit Esau vocem & flevit, significat statum ulteriorem alterationis: Et respondit Jischak pater ejus & dixit ad eum, significat perceptionem de bono naturali quod Divinum fieret: ecce de pinguedinibus terræ habitatio tua, significat quod ex Divino Bono vita: & de rore cœli desuper, significat quod ex Divino Vero: Et super gladio tuo vives, & fratri tuo servies, significat quamdiu conjungitur verum bono esset inferiore loco ad apparentiam: & erit quando dominaris, significat quod priori loco erit: & disrumpes jugum illius desuper collo tuo, significat quod per bonum tunc conjunctio, & quod verum esset ejus.

3598. Quoniam illa quæ Versibus 34. 35. 36. 37. 38, continentur, sunt talia, quæ supra explicata sunt, & quid involvunt, ex illis quæ prius dicta sunt, constare potest, ideo illa quoad sensum internum ulterius explicare supersedetur; solum illa, quæ Versibus 39 & 40 continentur, quæ sunt Benedictionis Esavi ab Jischako patre ejus, illustranda sunt.

3599. Et respondit Jischak pater ejus & dixit ad eum, quod significet perceptionem de Bono Naturali quod Divinum fieret, constat ex significatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Bonum ibi, de qua n: 3012. 3194. 3210; ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua sæpius prius; & ex repræsentatione Esavi, ad quem dixit, quod sit Bonum Naturale, de qua etiam supra pluries; quod Divinum fieret, constat a Benedictione, de qua sequitur. Supra dictum, quod Esau repræsentet Divinum Naturale Domini quoad Divinum Bonum, & Jacob Divinum Naturale Ipsius quoad Divinum Verum; hic autem, quod Esau repræsentet Bonum Naturale quod Divinum fieret; & in illis quæ præcedent, quod Jacob repræsentaverint Verum Naturale quod etiam Divinum fieret; hæc quomodo se habent, constare potest ab illis quæ supra n: 3494 & 3576, dicta sunt; quæ ut clariora adhuc evadant, paucis dicendum: Naturale Bonum, quod Esau primum repræsentat, est Naturale infantiæ Domini, quod Divinum fuit ex Patre, sed humanum ex matre, & quantum ex matre, fuit hæreditario malo imbutum, hoc quia tale, non illico potuit in tali ordine esse, ut Divinum, quod intime erat, posset recipere, sed debuit

debuit prius in ordinem redigi a Domino; similiter se habet cum Vero quod per Jacobum repræsentatur; nam ubi Bonum ibi Verum ut sit aliquid, omne cogitativum est veri adjunctum voluntario quod est boni, etiam apud infantes: postquam itaque Dominus Naturale quoad Bonum & quoad Verum in Se in ordinem redegit, in talem ut reciperet Divinum, & sic Ipse a Divino Suo influeret, ac successive omne humanum quod a matre, expulit, tunc Esau repræsentat Divinum Naturali Domini quoad Bonum, & Jacob Divinum Naturale Ipsius quoad Verum. Sed Esau & Jacob repræsentant Divinum Bonum & Divinum Verum Divini Naturalis Domini, ut conjuncta inter se sicut fratres, quæ in se spectata non sunt aliud quam una potentia simul ad formandum & recipiendum Bonum & Verum actuale; de hoc Bono & Vero, nempe Actuali, postmodum agitur. Ex his patet, quanta arcana in sensu interno Verbi continentur, quæ arcana sunt talia, ut ne quidem communissima eorum in intellectum hominis cadant, sicut illa fortassis quæ nunc dicta sunt; quomodo tunc innumerabilia quæ de illis; sed adæquata sunt intellectui & captui Angelorum, qui de his & similibus a Domino cœlestes ideas repræsentativis ineffabilis amænitatis & beatitudinis illustratas habent; inde cogitari potest, sed remote quia talia in umbra intellectus humani sunt, qualis sapientia Angelica est.

3600. Quod ecce de pinguedinibus terræ habitatio tua significet quod ex Divino Bono vita; & quod de rore cœli desuper, significet quod ex Divino Vero, constat a significatione pinguedinis, quod sit bonum, de qua n: 353, hic Divinum Bonum quia dicitur de Domino; ex significatione habitationis, quod sit vita, de qua n: 1293. 3384; & quod habitatio prædicetur de bono, n: 2268. 2451. 2712; & ex significatione roris cœli, quod sit verum quod ex bono status pacis & innocentiæ, de qua supra n: 3579, hic Divinum Verum quia dicitur de Domino. Ad Jacobum similia dicta sunt, nempe, *dabit tibi Deus de rore cœli, & de pinguedinibus terræ,*" supra Vers: 28, sed ibi primo loco dictum de rore ita de vero, & secundo de pinguedinibus terræ, ita de bono, & quoque quod Deus & de illis daret; hic autem ad Esavum dicitur primo loco de pinguedinibus terræ ita de bono, & secundo de rore cœli ita de vero, & non quod Deus daret, sed quod habitatio ejus erit de illis; inde quoque patet, quod Jacobus repræsentet verum & Esau bonum, tum quod Verum apparenter priori loco sit primum, & quod id inversum ordinis sit, secundum illa quæ pluries prius ostensa sunt.

3601. Et super gladio tuo vives, & fratri tuo servies, quod significet quamdiu conjungitur verum bono esset inferiore loco ad apparentiam, constat ex significatione gladii, quod sit verum pugnans, de qua n: 2799; inde super gladio vivere, est quando conjungitur verum bono, conjunctio enim fit per pugnas, hoc est, per tentationes, nam verum absque illis haud conjungitur; & ex significatione fratri servire, quod sit inferiore loco esse; quod tamen bonum inferiore loco non sit, modo apparenter, constat ex illis quæ supra toties dicta sunt, videatur n: 3582.

3602. Et

3602. Et erit quando dominaris, quod significet quod priori loco erit, constat a significatione dominari, quod sit priori loco esse; de his videantur quæ nunc sequuntur.

3603. Et disrumpes jugum illius desuper collo tuo, quod significet quod per bonum tunc conjunctio, & quod verum esset ejus, constat a significatione disrumpere jugum desuper collo, quod sit liberatio; quod per collum significetur influxus & communicatio, & inde conjunctio, & per jugum super collo interclusio & interceptio, videatur n: 3542; ita disrumpere jugum desuper collo, est liberatio ab interclusione & interceptione, proinde conjunctio per bonum, tum quod Verum fiat boni, nam cum amplius non interclusio & interceptio, influit bonum & se conjungit vero. Quomodo hæc se habent, constare potest ab illis quæ hactenus dicta & ostensa sunt; sed quia pauci comprehendunt, quid prioritas apparens veri, ac interea inferioritas boni, & hoc ex causa præcipue, quia pauci reflectunt super talia, imo quod ne quidem reflectant super bonum, quod hoc distinctum sit a vero; omnes etiam illi nesciunt quid bonum, qui vitam amoris sui & mundi degunt, nam ii non aliud bonum dari credunt, quam quod inde est; & quia nesciunt quid bonum, etiam nesciunt quid verum, nam verum est boni; ex revelatione quidem sciunt, quod bonum sit amare Deum & proximum, & quod verum sint doctrinalia quæ ex Verbo, sed quia non vivunt secundum illa, nullam perceptionem illius boni & veri habent, sed modo cognitiones separatas ab illis; imo ipsi illi qui regenerantur, nec sciunt quid bonum priusquam regenerati sunt, antea enim autumarunt verum esse bonum, & facere secundum verum esse bonum, cum tamen hoc non bonum est quod tunc faciunt sed verum; cum homo in hoc statu est, tunc est in statu qui describitur per Jacobum & in benedictione illi data; at cum venit in statum, ut agat bonum ex affectione boni, hoc est, cum regeneratus est, tunc venit in statum, qui describitur in Benedictione data Esavo: hoc illustrari potest ab illis, quæ apparent apud hominem in prima & altera ejus ætate, & dein in tertia & quarta; homo in prima ætate non nisi quam memoria tenus scit quæ in Verbo sunt, similiter quæ in doctrinalibus fidei, ac tunc se bonum credit esse cum plura inde novit, & possit quædam applicare non ad vitam suam sed ad aliorum; in altera ætate, cum adolescit magis, non est contentus memoria tenus callere quæ in Verbo & quæ in doctrinalibus, sed incipit tunc reflectere super illa ex sua cogitatione, & quantum ex sua superaddit, hoc illi placet, inde est in affectione veri ex quodam amore mundano, qui etiam est medium ut plura addiscat, quæ absque eo relicta forent; in tertia autem ætate, si inter tales est qui regenerari possunt, inchoat cogitare de usu, & tunc reflectere super illa quæ legit in Verbo & haurit ex doctrinalibus, propter usum, cum in hoc statu est, invertitur ordo, nempe quod verum non amplius ita ponatur primo loco; at in quarta ætate, quando est ætas regenerationis ejus, quia tunc status plenus, de quo n: 2636, amat Verbum & doctrinalia quæ ex Verbo, hoc est, Verum, propter bonum vitæ, proinde ex bono vitæ; ita fit bonum priori loco, quod usque ad illud tempus fuit po-

ſteriore apparenter: quod bonum apparenter poſteriori loco fuerit, eſt inde, quia latuit intime in omni ejus affectione, nec ſe manifeſtare potuit, quia extra illud talia fuerunt cum quibus non concordare potuit, nempe vana & inania, ſicut ſunt illa quæ ſunt gloriæ mundi & ſui; at poſtquam regeneratus eſt, tunc hæc recedunt, & bonum, quod intime latuit, quaſi e clauſtro prodit, & influit in illa quæ extra ſunt, & vera ſui, ſeu boni facit, & ſic ſe manifeſtat. Bonum apud hominem interea eſt, quaſi involuntarium illud quod ineſt ejus voluntario, in ſingulis ejus quæ cogitat, & inde in ſingulis quæ facit; hoc involuntarium neſcit homo quod habeat, quia non percipit aliud apud ſe quam quod ſuum eſt, hoc eſt, voluntarium, involuntarium illud eſt duplex, unum eſt hæreditarium ejus quod ei a patre & matre, alterum per Cœlum a Domino influit; cum adoleſcit homo, tunc manifeſtat ſe magis & magis illud quod hæreditario a parentibus habet, ſi talis ſit ut non regenerari ſe patitur, inde enim deſumit mala, & facit illa ſua ſeu propria; at involuntarium quod per cœlum eſt a Domino, ſe manifeſtat in adulta ætate apud illos qui regenerantur; apud hos id interea diſpoſuit & rexit omnia & ſingula cogitationis & quoque voluntatis, tametſi non apparuerat.

3604. Verſ: 41. 42. 43. 44. 45. *Et odit Eſau Jacobum propter benedictionem, qua benedixit illi pater illius; & dixit Eſau in corde ſuo, appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacobum fratrem meum. Et indicatum Rebeccæ verba Eſavi filii ſui majoris, & miſit, & vocavit ad Jacobum filium ſuum minorem, & dixit ad illum, ecce Eſau frater tuus conſolans ſe tibi ad occidendum te. Et nunc fili mi, auſculta voci meæ, & ſurge, fuge tibi ad Laban fratrem meum Charanem. Et commoreris cum eo diebus aliquibus, donec recedit excandeſcentia fratris tui. Uſque recedat ira fratris tui a te, & obliviſcatur ejus quod feciſti illi, & mittam & accipiam te exinde; quare orbabor etiam ambobus vobis die uno.* Odit Eſau Jacobum propter benedictionem qua benedixit illi pater illius, ſignificat quod bonum naturale averſaretur conjunctionem veri inverſam: & dixit Eſau in corde ſuo, ſignificat cogitationem: appropinquabunt dies luctus, patris mei, & occidam Jacobum fratrem meum, ſignificat inverſionem & privationem vitæ veri a ſe: & indicatum Rebeccæ verba Eſavi filii ſui majoris, ſignificat perceptionem Domini ex Divino Vero de animo Boni naturalis tunc: & miſit & vocavit ad Jacobum filium ſuum minorem, & dixit ad illum, ſignificat ſtatum apperceptionis affectionis veri ex influxu per Verum Divinum: ecce Eſau frater tuus, conſolans ſe tibi ad occidendum te, ſignificat animum invertendi ſtatum & privandi verum vita a ſe: Et nunc fili mi, auſculta voci meæ & ſurge, ſignificat moram adhuc: fuge tibi ad Laban fratrem meum Charanem, ſignificat ad affectionem boni externi ſeu corporei: & commoreris cum eo diebus aliquibus, ſignificat ſucceſſivum donec recedit excandeſcentia fratris tui, ſignificat uſque dum ſtatus advertit: uſque recedat ira fratris tui a te, ſignificat ſucceſſivum ſtatus apud bonum naturale: & obliviſcatur ejus quod feciſti illi, ſignificat habitum ex mora: & mittam

mittam & accipiam te exinde, ſignificat tunc finem: quare orbabor etiam ambobus vobis die uno, ſignificat quod aliter non conjunctio.

3605. Odit Eſau Jacobum propter benedictionem, qua benedixit illi pater illius, quod ſignificet quod bonum naturale averſaretur conjunctionem veri inverſam, conſtat ex ſignificatione odi, quod in ſenſu interno hic ſit averſari, de qua ſequitur; ex repræſentatione Eſavi, quod ſit bonum naturale, & Jacobi quod ſit verum naturale, de quibus ſupra; & ex ſignificatione benedictionis, quod ſit conjunctio, de qua ſupra n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; hic quod ſit conjunctio veri inverſa, quæ per Jacobum repræſentatur, conſtat ab illis, quæ ſupra n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603, dicta & oſtenſa ſunt. Quod odi in ſenſu interno ſit averſari, eſt, quia prædicatur de bono, quod repræſentatur per Eſavum, & bonum ne quidem ſcit quid odium, nam eſt prorſus oppoſitum ejus, oppoſita nuſquam in uno ſubjecto dari poſſunt; ſed bonum, ſeu illi qui in bono ſunt, loco odii ſpeciem averſationis habent; inde eſt, quod odium hic in ſenſu interno ſit averſari; ſenſus enim internus eſt principaliter pro illis qui in cœlo ſunt, quare cum deſcendit ille inde & derivatur in ſenſum literalem, tunc quando hiſtorica talia ſunt, affectio averſationis cadit in expreſſionem odii, ſed tamen ita, ut illis, qui in cœlo, idea odii nulla inſit; ſe habet hoc ſicut illud quod in Parte Prima n: 1875, ab experientia relatum eſt, de illis verbis in Oratione Domini, "*Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo,*" quod rejiceretur tentatio & malum, eo uſque dum pure Angelicum, nempe bonum, abſque idea tentationis & mali remaneret, & hoc cum adjuncta ſpecie indignationis & averſationis, quod cogitandum de malo cum de Domino: ſimiliter ſe habet, cum de Jehovah ſeu Domino legitur in Verbo, quod odio habeat, ut apud Sachariam, "Vir malum ſocii ſui ne cogitate in corde veſtro, nec juramentum mendacii amate, *quia omnia illa odi*, dictum Jehovæ," VIII: 17: apud Moſen, "Non eriges tibi ſtatuam, *quam odit Jehovah Deus tuus*," Deut: XVI: 22: apud Jeremiam, "Facta eſt mihi hæreditas mea ſicut leo in ſylva, edidit contra Me vocem ſuam, *ideo odi eam*," XII: 8: apud Hoſcheam, "In Gilgale *odi eos*, propter malitiam operum eorum expellam eos e domo mea, non addam amare eos," IX: 15; ibi odium, quod prædicatur de Jehovah ſeu Domino, in ſenſu interno non eſt odium, ſed eſt Miſericordia, nam Divinum eſt Miſericordia, ſed cum hæc apud hominem qui in malo eſt, influit, & is incurrit in pœnam mali, tunc apparet ſicut odium, & quia ita apparet, in ſenſu literæ etiam ita dicitur; hoc ſimiliter ſe habet, ſicut quod in Verbo prædicetur de Jehovah ſeu Domino, ira, excandeſcentia, furor, de quibus n: 245. 592. 696. 1093. 1683. 1874. 2395. 2447. 3235; populus Judaicus & Iſraeliticus, præ aliis populis talis fuit, quod ut primum aliquod inimicum etiam apud ſocios animadverteret, crederet ſibi fas eſſe crudeliter illos tractare, & non modo illos occidere, ſed etiam feris & avibus exponere, & ſic quia Miſericordia Domini influens in tale odium apud eos, non ſolum contra hoſtes, ſed etiam contra ſocios, ut dictum, verteretur, ideo non aliter potuerunt credere, quam quod Jehovah etiam odio haberet, iraſceretur,

retur, excandefceret, fureret, quapropter fecundum apparentiam in Verbo ita loquutum eft; qualis enim homo eft, talis apparet illi Dominus, n: 1861. 1838. 2706: fed quale odium fit apud illos, qui in amore & charitate, hoc eft, in bono funt, conftat a Domini verbis apud Matthæum, "Audiftis quod dictum fit, amabis proximum tuum, & *odio habebis inimicum tuum*; Ego vero dico vobis, amate inimicos veftros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio vos habentibus, & orate pro lædentibus & perfequentibus vos, ut fitis filii Patris veftri qui in cœlis," v: 43. 44. 45.

3606. Et dixit Efau in corde fuo, quod fignificet cogitationem, conftat a fignificatione dicere in corde, quod fit cogitatio.

3607. Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacobum fratrem meum, quod fignificet inverfionem & privationem vitæ veri a fe, conftat ex fignificatione dierum luctus, quod fit ftatus inverfio; & a fignificatione occidere Jacobum fratrem, quod fit privare verum vita a fe: hæc fimiliter fe habent, ficut illa quæ mox fupra de fignificatione odii in fenfu interno dicta funt, quod nempe non odium fit; & quoque conftare poteft ab illis quæ continuo fiunt in altera vita, ibi omne bonum quod defluit e cœlo ad illos qui in malo funt, vertitur in malum, & apud infernales in oppofitum, fimiliter verum in falfum, videatur n: 2123; quare viciffim, malum & falfum, quod apud tales, in cœlo eft bonum & verum; ut quoque fiat bonum, funt fpiritus in via, qui rejiciunt ideas mali & falfi, ut idea boni & veri fiftatur, de rejectione illa videatur n: 1393. 1875; & præterea, cum malum & falfum alluit ad illos qui in bono & vero funt, non apparet ut malum & falfum, fed fub fpecie alia fecundum bonitatis indolem & ftatum apud eos; inde quoque conftare poteft, quod occidere Jacobum fratrem in fenfu interno non fit occidere, fed quod fit privatio illius vitæ, quæ non vero competit; verum enim ex fe non vitam habet fed a bono, nam verum modo eft vas recipiens boni, videatur n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2261. 2269. 2697. 3049. 3068. 3128. 3146. 3318. 3387, & in bono eft vita, non autem in vero nifi quæ a bono, n: 1589 & alibi pluries; quare privatio vitæ veri a fe non eft exftinctio veri, fed eft vivificatio ejus, nam cum verum apparet fibi vitam habere a fe, tunc non vitam habet, nifi talem quæ in fe non vita eft, at cum privatur illa, tunc donatur ipfa vita, nempe per bonum a Domino Qui eft ipfa vita; hoc apparet manifefte ab illis qui in altera vita funt, qui in folo vero funt, illorum ideæ apparent claufæ, adeo ut illa quæ funt cœli non influere poffint, nifi modo ita communiter, ut vix cognofcatur quod fit influxus inde; at qui fimul in bono funt, illorum ideæ apparent apertæ, adeo ut illa quæ cœli funt, influant ficut in aliquod exiguum cœlum feu ficut in imaginem fui, nam per bonum apud illos per vera, videantur n: 1869. 2428. Quod Verum privetur vita ex fe, quando bonum priori loco incipit effe feu dominium habere, conftare poteft ex illis quæ prius de prioritate apparente veri primo tempore, & de prioritate boni poftea, dicta & oftenfa funt; hæc privatio vitæ veri ex fe, eft quæ hic fignificatur. Quod hæc dicantur luctus patris, eft quia dies luctus fignificant ftatus inverfionem, quæ ftatus inverfio

inversio supra significata est per horrorem magnum valde quo horruit Jischak, Vers: 33, n: 3593; & per exclamationem magnam & amaram valde, qua exclamavit Esau, Vers: 34, n: 3597.

3608. Et indicatum Rebeccæ verba Esavi filii sui majoris, quod significet perceptionem Domini ex Divino Vero de animo boni naturalis tunc, constat ex significatione indicari, quod sit cogitare & reflectere, de qua n: 2862, ita percipere; ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini, & ex repræsentatione Esavi, quod sit bonum naturale, de quibus supra; inde patet, quod indicatum Rebeccæ de verbis Esavi filii sui majoris, sit perceptio Domini ex Divino vero de animo boni naturalis.

3609. Et vocavit ad Jacobum filium suum minorem, & dixit ad illum, quod significet statum apperceptionis affectionis veri ex influxu per Divinum Verum, constat ex repræsentatione Rebeccæ quæ vocavit & dixit, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini conjunctum Divino Bono ibi; ex repræsentatione Jacobi, quod sit verum naturale seu affectio veri ibi, de quibus prius; & ex significatione vocare ad illum & dicere ad illum, quod sit status perceptionis, de qua etiam prius, hic apperceptionis quia de Naturali agitur.

3610. Ecce Esau frater tuus consolans se tibi ad occidendum te, quod significet animum invertendi statum & privandi verum vita a se, constat ex significatione consolari se alicui, quod sit sedare irrequiem animi spe de aliquo seu de aliqua re, *tibi* involvit status veri inversionem; & ex significatione occidere te seu Jacobum, quod sit privare verum vita a se, de qua mox supra n: 3607, ubi ostensum, quod privare verum vita, non sit exstinguere illud, sed vivificare; ita enim cum vita veri se habet; quando illi qui in vero seu in affectione veri sunt, non vivunt secundum verum quod sciunt, & quo afficiuntur, tunc est aliquod volupe & jucundum ex amore sui, seu amore mundi, quod se adjunxit affectioni veri, quod sicut bonum apparet, cum tamen id bonum non sit, nisi respective ad usum, quod sic introduci queant & addisci vera, quæ postea ipsi bono & ejus vitæ inservire possint; cum verum in illo statu est, hoc est, illi qui in affectione veri sunt, tunc dicitur verum vitam habere a se, quæ quod non vita sit, constat ex eo, quod amori sui & amori mundi, seu eorum volupi & jucundo, non insit vita, sed amori cœlesti & spirituali & eorum jucundo & volupi; quare cum verum, hoc est, illi qui in tali affectione veri sunt, privantur illa vita, tunc primum accipiunt vitam, seu tunc primum vivificantur: hæc capere nequaquam possunt illi qui in affectione sui & mundi sunt, credunt enim quod non alia vita dari queat, consequenter si illa vita privarentur, prorsus non viverent, nam qui in illa vita sunt, nullatenus possunt scire quid vita spiritualis & cœlestis; cum tamen ita se habet, quod cum privantur vita illa, nempe affectionis sui & mundi, tunc vita influat a Domino, qualis est angelica & cœlestis, cum sapientia & felicitate ineffabili, ex qua vita cum prior vita spectatur, apparet prior sicut nulla, vel sicut brutorum animalium sordida, nam nihil Divini inest, præter quod cogitare possint & loqui, & sic apparere externa forma sicut alii. Cum

 hoc,

hoc, quod Bono esset animus invertendi statum & privandi verum vita a se, quæ significantur per quod Esau consolans se tibi ad occidendum te, ita se habet; Bono apud hominem qui regeneratur, continue est animus invertendi statum, & redigendi eum in talem ordinem, ut verum non priori loco sit, sed sicut convenit statui cœli, ut posteriori sit; sed hic animus alte latet reconditus, nec appercipitur priusquam id factum: se habet hoc sicut amor conjugialis, qui in infantia & pueritia non apparet, sed usque latet reconditus, nec se prodit priusquam omnia & singula disposita sunt ut se manifestare possit; interea omnia media sibi convenientia producit, seu producuntur: similiter in Regno vegetabili, in qualibet arbore, & in qualibet planta, intime latet conatus producendi fructus seu semina, sed conatus ille non prius se manifestare potest, quam cum omnia media prius produxerit, nempe ramulos, folia, flores, quibus productis, tunc conatus ille in actum prodit: ita quoque se habet cum illis qui e novo nascuntur, conjugiale quod est boni & veri diu latet reconditum, sed usque adest sicut conatus in causa efficiente & inde in effectu, sed non apparet, antequam omnia disposita sunt, & cum disposita sunt, tunc primum prodit & se manifestat; hic conatus est, qui intelligitur per animum invertendi statum, & privandi verum vita a se. Inde patet, quod sensus internus prorsus alius hic sit, quam sonat sensus literæ, nempe quod sit reductio veri in ordinem & ejus vivificatio, non destructio & privatio ejus vitæ.

3611. Et nunc fili mi, ausculta voci meæ, & surge, quod significet moram adhuc, constat ex significatione auscultare voci, quod sit obedire, nempe quod moraturus adhuc in statu illo inverso, de quo in sequentibus agitur.

3612. Fuge tibi ad Laban fratrem meum Charanem, quod significet ad affectionem boni externi seu corporei, constat a repræsentatione Labanis, quod sit affectio boni in naturali homine, de qua n: 3129. 3130. 3160; & ex significatione Charanis, quod sit externum & inde obscurum respective, de qua n: 1430: sed quid per Labanem & Charanem proprie hic significatur, constare potest a sequentibus, ubi Laban & Charan nominantur, quod nempe sit bonum communis stirpis collaterale: habent enim bona & vera conjunctionem inter se, sicut in familiis parentes, fratres, consanguinei, affines, n: 685. 917. 2508. 2524. 2556. 2739: sed hæc prorsus abscondita sunt homini, qui non in vita boni est, is ne quidem novit quid bonum, & inde nec quid verum; si hæc primum nosset, nempe ex doctrina conjuncta vitæ, seu ex vita conjuncta doctrinæ, tunc de bono & vero innumerabilia nosset & appercipéret, & hoc successive distincte magis & magis, & dein conjunctiones mutuas & respectivas inter se, & tandem proximitates in sua serie, & in quavis proximitate iterum innumerabilia, ita demum cœlum in sua forma, hoc est, in sua pulchritudine & felicitate.

3613. Et commoreris cum eo diebus aliquibus, quod significet successivum, constat ex significatione commorari, quod sit simile ac habitare, ita quod sit vivere, de qua n: 1293. 2268. 2451. 2712. 3384; sed commorari prædi-

prædicatur de vita veri cum bono, & habitare cum vita boni cum vero; & ex ſignificatione dierum, quod ſint tempora & ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462; ita eſt vita temporum & ſtatuum ſequentium, proinde ſucceſſivum, quod per commorari cum eo diebus aliquibus hic ſignificatur: de ſucceſſivo hoc, ſeu commoratione Jacobi cum Labane, agitur in Capitibus quæ ſequuntur.

3614. Donec recedit excandeſcentia fratris tui, quod ſignificet uſque dum ſtatus advertit; & uſque recedat ira fratris tui a te, quod ſignificet ſucceſſivum ſtatus apud bonum naturale, conſtat ex ſignificatione Excandeſcentiæ & Iræ, quod ſint ſtatus, qui repugnant, de qua ſequitur; qui ſtatus cum tales fiunt; ut non amplius repugnent, ſed ſe incipiant conjungere, tunc dicitur quod recedat excandeſcentia, & recedat ira; inde eſt, quod donec recedat excandeſcentia fratris tui ſignificet uſque dum ſtatus advertit, & quod uſque recedat ira fratris tui, ſignificet ſucceſſivum ſtatus apud bonum naturale: quod aliud quippiam involvat excandeſcentia, & aliud ira, conſtare poteſt ex eo, quod præterea ſimilia verba ſint, & alioquin fuiſſet repetitio inanis, nempe, donec recedat *Excandeſcentia* fratris tui, & uſque recedat *Ira* fratris tui; quid involvitur, patet ab explicatione communi, tum a prædicatione excandeſcentiæ & prædicatione iræ, Excandeſcentia enim prædicatur de Vero, hic de Vero boni quod per Eſavum repræſentatur, ira autem prædicatur de ipſo illo bono, Excandeſcentia & Ira in Verbo pluries nominantur, ſed in ſenſu interno non ſignificant Excandeſcentiam & Iram, ſed id quod repugnat, & hoc ex cauſa, quia quicquid alicui affectioni repugnat, hoc producit excandeſcentiam ſeu iram, ſic ut illæ ſint in ſenſu interno modo Repugnantiæ; at Excandeſcentia dicitur quod repugnat vero, ac Ira quod bono; in ſenſu autem oppoſito excandeſcentia eſt quod repugnat falſo aut ejus affectioni, hoc eſt, principiis falſi, & ira quod malo aut ejus cupiditati, hoc eſt, amori ſui & mundi, & in hoc ſenſu excandeſcentia eſt proprie excandeſcentia, & ira eſt ira; at cum de bono & vero prædicatur, eſt excandeſcentia & ira Zelus, qui qui externa forma ſimilis apparet alteri, in ſenſu literæ quoque ita vocatur. Quod Excandeſcentia & Ira in ſenſu interno ſint modo Repugnantiæ, conſtare poteſt ab his locis in Verbo; apud Eſaiam, "*Fervor Jehovæ* contra omnes gentes, & *Excandeſcentia* contra omnem exercitum earum," XXXIV: 2; fervor Jehovæ contra gentes pro repugnantia contra malum, quod gentes ſint mala, videatur n: 1259. 1260. 1849. 1868. 2588 f; excandeſcentia contra omnem exercitum earum pro repugnantia contra falſa inde, quod ſtellæ, quæ vocantur exercitus cœlorum, ſint cognitiones, ita vera, & in oppoſito ſenſu falſa, videatur n: 1128. 1808. 2120. 2495. 2849. Apud Eundem, "Quis dedit ad prædam Jacobum, & Iſraelem ſpoliantibus, nonne Jehovah cui peccavimus, & *effudit ſuper eum Excandeſcentiam iræ ſuæ*," XLII: 25, Excandeſcentia iræ pro repugnantia contra falſum mali, Jacobus pro illis qui in malo, & Iſrael pro illis qui in falſo. Apud Eundem, "Torcular calcavi ſolus, & de populis nullus vir mecum, & calcavi illos in *Ira mea*, & deſtruxi illos in *Excandeſcentia mea*; & conculcavi

cavi populos in *Ira mea*, & inebriavi illos in *Excandeſcentia mea*," XLIII : 3. 6; ibi de Domino, ac Ipſius tentationum victoriis, calcare & conculcare in ira pro victoriis ſuper mala, deſtruere & inebriare in excandeſcentia pro victoriis ſuper falſa; conculcare in Verbo prædicatur de malo, & inebriare de falſo. Apud Jeremiam, "Sic dixit Dominus Jehovih, ecce *Ira mea*, & *Excandeſcentia mea*, effuſa eſt ſuper locum hunc, ſuper hominem, & ſuper beſtiam, & ſuper arborem agri, & ſuper fructum humi, & ardebit & non exſtinguitur," VII : 20, utrumque dicitur, ira & excandeſcentia, quia tam de malo quam de falſo agitur; apud prophetas ubi de malo etiam de falſo dicitur, ſicut ubi de bono etiam de vero, & hoc ob conjugium cœleſte, quod eſt boni & veri in ſingulis Verbi, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712; inde etiam tam ira quam excandeſcentia dicitur, alioquin unum ſatis fuiſſet. Apud Eundem, "Pugnabo Ego cum vobis in manu extenſa, & brachio forti, & *in Ira* & *in Excandeſcentia*, & in *fervore magno*, & percutiam habitatores urbis hujus, & hominem & beſtiam," XXI : 5. 6; ſimiliter hic, ira prædicatur de punitione mali, & excandeſcentia de punitione falſi, & fervor de utriuſque; ira & excandeſcentia, quia eſt repugnantia, etiam eſt punitio, nam quæ repugnant, ea collidunt, & tunc malum & falſum puniuntur; in malo enim eſt repugnantia boni, & in falſo repugnantia veri, & quia eſt repugnantia, eſt quoque colliſio, quod inde pæna, videatur n: 696. 967. Apud Ezechielem, "Et conſummabitur *Ira mea*, & quieſcere faciam *Excandeſcentiam meam* in illis, & *conſolaturus Me*, & cognoſcent quod Ego Jehovah dixi, & in *Zelo meo*, in conſummando Me *Excandeſcentiam meam* in illis, in faciendo in te judicia, in *Ira* & in *Excandeſcentia*, & in correptionibus *Excandeſcentiæ*," V: 13. 17, ibi quoque ira pro punitione mali, & excandeſcentia pro punitione falſi, ex repugnantia, & inde oppugnatione. Apud Moſen, "Non placebit Jehovæ condonare illi, quia tunc *fumabit ira Jehovæ*, & *Zelus Ipſius* in virum illum, & ſeparabit illum Jehovah in malum ex omnibus tribubus Iſraelis: ſulphur & ſal, combuſtio tota terra ejus, non conſeretur, & non germinabit, nec aſcendet in ea ulla herba, juxta everſionem Sodomæ & Amoræ, Admæ & Seboim, quæ *evertit Jehovah in Ira ſua* & *Excandeſcentia ſua*; & dicent omnes gentes, quare fecit Jehovah ſic terræ huic, quis *ardor Iræ magnæ hujus*," Deut: XXIX: 19. 20. 22. 23; quia Sodoma eſt malum, & Amora falſum inde, n: 2220. 2246. 2322, & gens illa, de qua ibi Moſes, comparatur illis quoad malum & falſum, dicitur ira reſpective ad malum, & excandeſcentia ad falſum, & ardor iræ de utroque; quod talia tribuantur Jehovæ ſeu Domino, eſt ſecundum apparentiam, quia ita apparet homini cum ipſe incurrit in malum, & malum punit ipſum, videantur n: 245. 592. 696. 1093. 1683. 1874. 2395. 2447. 3235. 3605.

3615. Et oblivifcatur ejus quod feciſti illi, quod ſignificet habitum ex mora, conſtat ex ſignificatione oblivifci hic, quod ſit repugnantiæ ſucceſſiva abolitio, quæ quia fit per moram & inde habitum, per oblivifcatur ejus quod feciſti illi, id ſignificatur.

3616. Et

3616. Et mittam & accipiam te exinde, quod significet tunc finem, constat ex illis quæ præcedunt & quæ sequuntur; finis enim, qui hic significatur, per mittere & accipere te exinde, est, cum verum cum bono concordat, & sic verum subordinatum bono inservit; hic finis, post exactam commorationem Jacobi apud Labanem repræsentatur per Esavum, *cum cucurrit obviam Jacobo, & amplexus eum, & cecidit super collum ejus, & osculatus eum, & fleverunt*, Gen: XXXIII: 4: cum enim finis, seu conjunctio, tunc Rationalis bonum influit immediate in bonum Naturalis, & per hoc in verum ejus, & quoque mediate per Rationalis Verum in Verum Naturalis, & per hoc in bonum ibi, n: 3573: inde patet, cur dictum a Rebecca, per quam repræsentatur Naturalis Verum, ad Jacobum per quem repræsentatur naturalis verum, "mittam & accipiam te exinde."

3617. Quare orbabor etiam ambobus vobis die uno, quod significet quod aliter non conjunctio, constat ex eo, quod si illa non fierent, quæ in sequentibus in sensu interno repræsentantur per Jacobum apud Labanem, non potuisset verum conjungi bono, ita non bonum uniri vero in Naturali, proinde Rationale orbaretur utroque; nam absque veri conjunctione cum bono, & boni unitione cum vero in naturali, non aliqua regeneratio, de qua in sensu respectivo in hoc Capite actum est: hoc etiam est clausula præcedentium.

3618. Vers: 46. *Et dixit Rebecca ad Jischakum, fastidio vitam meam pro filiabus Cheth, si accipit Jacob mulierem e filiabus Cheth, sicut illæ e filiabus terræ, quare mihi vitæ.* Dixit Rebecca ad Jischakum, significat Domini perceptionem ex Divino Vero: fastidio vitam meam pro filiabus Cheth, significat adjunctionem veri naturalis aliunde: si accipit Jacob mulierem e filiabus Cheth, significat quod non verum naturale illis associaretur: sicut illæ e filiabus terræ, significat quia non ex illa humo: quare mihi vitæ, significat quod sic non conjunctio.

3619. Dixit Rebecca ad Jischakum, quod significet Domini perceptionem ex Divino Vero, constat a significatione dicere, quod sit percipere; a repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Verum Divini Rationalis Domini; & ex repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Bonum ibi, de quibus prius; & quia Divinum Bonum est Ipsum Esse, & Divinum Verum est Vita inde, ideo Dominus ex Divino Bono principaliter est Dominus, idcirco dicitur Domini perceptio ex Divino Vero: Perceptio ex Divino Vero Rationalis, est ex Intellectuali, at perceptio ex Divino Bono est ex Voluntario; sed perceptio ex intellectuali non est intellectualis, sed est voluntarii influentis, nam intellectuale non aliud est quam voluntarium in forma, tale est intellectuale quando est conjunctum voluntario, at antequam conjunctum ita est, apparet intellectuale per se esse, & voluntarium per se, tametsi non est nisi quam quod externum separet se ab interno, nam cum intellectuale intus aliquid voluit & cogitat, est finis e voluntario qui facit vitam ejus, & regit cogitativum ibi; quod intellectuale a fine vitam habeat, est quia finis apud hominem est ejus vita, videatur n: 1909. 3570; inde aliquatenus constare potest, quid

quid in ſenſu repræſentativo ſit alicujus perceptio a vero, & in ſenſu ſupremo Domini Perceptio ex Divino Vero.

3620. Faſtidio vitam meam pro filiabus Cheth, quod ſignificet adjunctionem veri naturalis aliunde, conſtat ex ſignificatione faſtidire vitam, quod ſit nulla adjunctio nempe veri naturalis, ad verum rationalis, cum enim non eſt adjunctio, tunc apparet Rationali vita ſua ſicut nulla, ut conſtare poteſt ab illis n: 3493, dicta ſunt; & ex ſignificatione filiarum Cheth, quod ſint affectiones veri ex non genuino, hic veri naturalis quia de Jacobo dicitur, per quem quod verum naturale repræſentetur, ſupra oſtenſum eſt; quod filiæ ſint affectiones, videatur n: 2362; & quod Cheth ſeu Chittæus ſit verum ex non genuino, n: 3470; inde conſtat, per quod faſtidio vitam meam pro filiabus Cheth, ſignificetur quod nulla adjunctio naturalis per verum quod non ex genuino, ita quod erit adjunctio veri naturalis aliunde: de adjunctione veri naturalis in ſequentibus, ubi de commoratione Jacobi apud Labanem, agitur, quod nempe adjuncta ſint ei vera e communi ſtirpe; & per vera, quæ repræſentant filiæ Cheth, quia non erant ex illa ſtirpe, non potuit fieri adjunctio, quia diſparia & diſcordantia; per filios enim Cheth repræſentatur Eccleſia ſpiritualis apud gentes, n: 2913. 2986, in qua quia non Verbum, vera ibi non ex illa origine ſunt.

3621. Si accipit Jacob mulierem e filiabus Cheth, quod ſignificet quod non verum naturale illis aſſociaretur, conſtat ex ſignificatione accipere mulierem, quod ſit aſſociari; & ex ſignificatione filiarum Cheth, quod ſint affectiones veri ex non genuino, de qua mox ſupra n: 3620, ſeu quod idem, verum, nam verum abſque affectione non conjungitur, n: 3066. 3336; hæc quomodo ſe habent, conſtat ab illis, quæ mox ſupra de filiabus Cheth, dicta ſunt.

3622. Sicut illæ e filiabus terræ, quod ſignificet quia non ex illa humo, hoc eſt, a veris genuinæ Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione filiarum, quod ſint Eccleſiæ; filiæ enim ſignificant affectiones boni & veri, n: 2362; & terra ſignificat tractum ubi Eccleſia, ita Eccleſiam, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2929. 3355; ita filiæ terræ ſunt bona & vera Eccleſiæ.

3623. Quare mihi vitæ, quod ſignificet quod ſic non conjunctio, conſtat a ſignificatione vitarum, quod ſit conjunctio per vera & bona; cum enim Vero naturali non aliquod verum ex communi ſtirpe, ſeu genuino fonte, adjungi poſſet, tunc nec adjunctio foret Naturalis ad Verum Rationalis, ita appareret Rationali vita ſua, ſicut nulla, n: 3493. 3620; inde hic, per quare mihi vitæ, ſignificatur, quod ſic non conjunctio. Quod hic & alibi vitæ in plurali dicantur, eſt quia binæ vitæ facultates in homine ſunt, una quæ vocatur intellectus, & eſt veri, altera quæ voluntas & eſt boni; hæ binæ vitæ ſeu vitæ facultates unam faciunt, quando intellectus eſt voluntatis, ſeu quod idem, verum eſt boni: inde eſt, quod in Lingua Hebræa paſſim dicatur vita, & paſſim vitæ; quod vitæ, patet ab his locis, "Formavit Jehovah Deus

Deus hominem, pulverem ex humo, & inſpiravit in Nares ejus *ſpiraculum vitarum*, & factus homo in animam viventem," Gen : II : 7. "Progerminare fecit Jehovah Deus ex humo omnem arborem deſiderabilem aſpectu, & bonam ad cibum, & *arborem vitarum* in medio horti," Gen : II : 9. "Ecce Ego adducens diluvium aquarum ſuper terram, ad perdendum omnem carnem, in qua *ſpiritus vitarum*," Gen : VI : 17. "Intrarunt ad Noachum in arcam bina bina de omni carne, in qua *ſpiritus vitarum*," Gen : VII : 15 : n : 780. "Exſpiravit omne, cui flatus, *ſpiritus vitarum* in naribus ejus," Gen : VII : 22. Apud Davidem, "Credo videre bonum Jehovæ in *terra vitarum*," Pſalm : XXVII : 13. Apud Eundem, "Quis vir *deſiderans Vitas*, amans dies ad videndum bonum," Pſalm : XXXIV : 13. Apud Eundem, "Cum Te, Jehovah, *fons vitarum*, in luce tua videmus lucem," Pſalm : XXXVI : 10 : Apud Malachiam, "*Fœdus* meum fuit cum Levi *vitarum* & pacis," II : 5. Apud Jeremiam, "Ita dixit Jehovah, ecce Ego do coram vobis *Viam vitarum*, & viam mortis," XXI : 8. Apud Moſen, "Ad amandum Jehovam Deum tuum, ad obediendum voci Ipſius, & ad adhærendum Ipſi, quia Ipſe *vitæ tuæ*, & longitudo dierum tuorum, ad habitandum ſuper terra," Deut. XXX : 20. Apud Eundem, "Non Verbum inane a vobis, quia illud *vitæ veſtræ*; & per verbum hoc prolongabitis dies ſuper terra," Deut : XXXII : 42 ; & alibi ; vitæ in plurali dicuntur, quia binæ ſunt, ut dictum, & tamen una ; ſicut etiam Cœli in Lingua Hebræa, qui plures ſunt, & tamen unum ; pariter aquæ, quæ ſuperiores & inferiores, Gen : I : 7. 8. 9, quæ ſunt ſpiritualia quæ Rationali & Naturali, quæ quoque unum erunt per conjunctionem. Quod vitas attinet, illæ in plurali ſignificant tam quod voluntatis quam quod intellectus eſt, proinde quod boni & quod veri ; vita enim hominis non eſt niſi bonum & verum in quibus vita a Domino, homo enim abſque bono & vero ac vita in illis, eſt nullus homo ; nam homo abſque illis nihil potuiſſet velle, nec cogitare, omne ejus velle eſt ex bono vel non bono, & ejus cogitare ex vero vel non vero ; inde ſunt homini vitæ, quæ una vita ſunt, cum cogitare eſt ex velle, hoc eſt, cum verum quod eſt fidei ex bono quod eſt amoris.

De Correſpondentia omnium Organorum & Membrorum tam interiorum quam exteriorum hominis, cum Maximo Homine, qui eſt Cœlum.

3624. *MIrabilia nunc referre & deſcribere licet, quæ, quantum ſcio, nondum alicui nota ſunt, & ne quidem in alicujus mentem venerunt, quod nempe univerſum Cœlum ita formatum ſit, ut correſpondeat Domino, Ipſius Divino Humano ; & quod homo ita formatus ſit, ut quoad*

quoad omnia & singula apud eum, correspondeat Cælo, & per cælum Domino: hoc est mysterium magnum, quod nunc revelandum, de quo hic & ad finem Capitum sequentium.

3625. *Inde est, quod aliquoties in præcedentibus dictum, ubi de Cælo & Societatibus Angelicis, quod pertinerent ad aliquam Provinciam Corporis, ut ad Capitis, vel Pectoris, vel Abdominis, vel inibi alicujus Membri aut Organi; & hoc ex causa dictæ Correspondentiæ.*

3626. *Quod talis correspondentia sit, notissimum est in altera vita, non solum Angelis, sed etiam spiritibus, & quoque malis; Angeli sciunt inde arcanissima quæ in homine, & arcanissima quæ in mundo & in universa ejus natura; quod sæpius mihi constare potuit, etiam ex eo, quod cum loquutus de aliqua parte hominis, non solum scirent omnem ejus partis structuram, agendi modum & usum, sed & innumerabilia plura, quam usquam homo capax sit explorandi, imo intelligendi, & quidem in suo ordine, & in sua serie; & hoc ex intuitione in ordinem cælestem, quem sequebantur, cui partis illius ordo correspondebat: ita, quia in principiis sunt, ea quæ ex illis, inde sciunt.*

3627. *Regula communis est, quod nihil existere & subsistere possit ex se sed ex alia, hoc est, per aliud, & quod nihil contineri in forma queat nisi ex alio, hoc est, per aliud, sicut constat ex omnibus & singulis in natura: quod Corpus humanum extrinsecus contineatur in forma ab atmosphæris, notum est, nisi intrinsecus etiam contineretur ab aliqua vi agente seu viva, momento collaberetur: omne inconnexum a priore se, & per priora a Primo, in instanti perit: quod Maximus Homo, seu influxus inde, sit illud prius, per quod connectitur homo quoad omnia & singula ejus, cum Primo, hoc est, cum Domino, ex sequentibus patebit.*

3628. *De his per multam experientiam instructus sum, & quidem quod non solum illa quæ sunt mentis humanæ, nempe quæ sunt ejus cogitationis & affectionis, spiritualibus & cælestibus, quæ sunt cæli a Domino, correspondeant, sed etiam quod in communi totus homo, & in particulari quicquid est in homine, usque adeo, ut non detur minima pars, ne quidem minimum partis, quod non correspondet; tum quod homo inde existat & continue subsistat: & quoque, nisi foret talis correspondentia hominis cum cælo, & per cælum cum Domino, ita cum priore se, & per priora cum Primo, ne quidem momento subsisteret, sed difflueret in nullum. Sunt semper binæ vires, quæ unumquodvis in suo nexu, & in sua forma, ut supra dictum, continet, vis nempe extrinsecus agens, & vis intrinsecus agens, in quarum medio sit illud quod continetur; ita quoque homo quoad singulas suas partes, etiam minutissimas: quod atmosphæræ sint,*

sint, quæ extrinsecus per continuam pressionem seu incumbentiam, & inde vim agentem, totum corpus in nexu teneat, notum est; & quoque quod atmosphæra aeris per influxum Pulmones; & eadem suum organum, quod est auris, cum ejus formis ad modificationes illius constructus inibi; & quod atmosphæra ætherea similiter nexus interiores, nam hæc libere per omnes poros influit, & totius corporis viscera interiora, pæne simili pressione incumbentia, & inde vi agente, in formis suis indivulsa tenet, & eadem quoque atmosphæra suum Organum, quod est Oculus, cum ejus formis ad modificationes ejus instructis, inibi: his nisi corresponderent vires internæ, quæ contra vires illas externas reagerent, & sic formas intermedias continerent & æquilibrarent, ne quidem momento subsisterent: inde patet, quod binæ vires omnino erunt, ut aliquid existat & subsistat: vires, quæ intrinsecus influunt & agunt, sunt ex cælo, & per Cælum a Domino, ac in se vitam habent. Hoc patet admodum manifeste ab Organo auditus, nisi modificationes interiores forent, quæ sunt vitæ, quibus corresponderent modificationes exteriores quæ sunt aeris, non existeret auditus: & quoque ab Organo visus, nisi lux interior foret quæ est vitæ, cui corresponderet lux exterior quæ est solis, nusquam existeret visus. Ita se habet cum omnibus reliquis Organis & Membris in Corpore humano; sunt vires extra agentes quæ naturales sunt in se non vivæ, & sunt vires intra agentes in se vivæ, quæ continent unumquodvis, & faciunt ut vivant, & quidem secundum formam, qualis eis data est ad usum.

3629. *Quod ita se habeat, pauci possunt credere, ex causa quia non norunt, quid spirituale & quid naturale, & minus quomodo inter se distincta sunt, tum quid correspondentia, & quid influxus, & quod spirituale cum influit in formas organicas corporis, sistat operationes vivas, quales apparent; & quod absque tali influxu & correspondentia, ne quidem minima particula corporis possit vitam habere, & moveri: hæc quomodo se habent, per vivam experientiam informatus sum, non modo quod cælum in communi influat, sed etiam quod societates in specie; tum quænam societates sunt, & quales illæ, quæ in hoc & illud organum corporis, & in hoc & illud ejus membrum; tum quod societas non una sit, quæ in unumquodvis organum seu membrum, sed quod perplures; & quod in unaquavis societate etiam perplures sint; nam quo plures sunt, eo melior & fortior correspondentia, quia perfectio & fortitudo est a multitudine unanima plurium, qui unum in forma cælesti agunt; inde conatus in singula secundum pluralitatem perfectior & fortior resultat.*

3630. *Inde constare potuit, quod singula viscera & membra, seu organa motoria & sensoria, correspondeant societatibus in cælo, totidem quasi distinctis cælis, & quod ex illis, hoc est, per illos, influant cælestia & spiritualia apud hominem, & quidem in formas adæquatas & convenientes, & sistant ita effectus qui apparent homini; sed effectus hi non apparent homini aliter quam sicut naturales, ita prorsus sub alia forma & sub alia specie, usque adeo ut non cognosci queant quod sint inde.*

3631. *Semel etiam prorsus ad vivum ostensum est, quænam & quales societates sunt, & quomodo influunt & agunt, illæ quæ constituunt provinciam faciei, & in ejus frontis, genarum, menti & cervicis musculos influunt, & quomodo illæ inter se communicant; utque sisteretur hoc ad vivum, effigiare illis licebat faciem variis modis per influxum: similiter quæ & quales societates influunt in labia, in linguam, in oculos, in aures; & datum quoque loqui cum illis, & sic plene instrui. Inde quoque constare potuit, quod omnes qui in cælum veniunt, sint organa seu membra Maximi Hominis: & quoque quod Cælum nusquam claudatur, sed quo pluries, eo fortior conatus, fortior vis, & fortior actio: tum quod Cælum Domini sit immensum, & tam immensum ut omnem fidem superet; incolæ hujus telluris sunt paucissimi respective, & pæne sicut lacus respective ad Oceanum.*

3632. *Ordo Divinus & inde cælestis non terminatur quam apud hominem in ejus corporeis, nempe in ejus gestibus, actionibus, vultibus faciei, loquela, sensationibus externis, inque illorum jucundis, hæc sunt extrema ordinis, & extrema influxus, quæ tunc finiuntur; sed interiora, quæ influunt, non sunt talia, qualia in externis apparent, sed sunt prorsus alia facie, alio vultu, alia sensatione, & alia voluptate; correspondentiæ docent, qualia sunt, tum quoque repræsentationes, de quibus actum. Quod alia sint, constare potest ab actionibus, quæ fluunt a voluntate, & a loquelis quæ fluunt a cogitatione, actiones corporis non tales sunt in voluntate, & loquelæ vocum nec tales sunt in cogitatione: inde etiam patet, quod naturales actus fluant a spiritualibus, quæ enim voluntatis sunt & quæ cogitationis, spiritualia sunt; & quod effigientur hæc in illis correspondenter, sed usque aliter.*

3633. *Omnes Spiritus & Angeli apparent sibi sicut homines, tali facie & tali corpore, cum organis & membris, & hoc ex causa, quia intimum eorum conspirat ad talem formam; sicut primitivum hominis, quod est ex anima parentis, connititur ad formationem totius hominis, in ovo & utero, tametsi primitivum hoc non in forma corporis est, sed in alia perfectissima, Soli Domino nota: & quia intimum similiter apud unumquemvis*

quemvis conspirat & connititur ad talem formam, ideo apparent omnes ibi sicut homines. Et præterea universum Cælum tale est, ut unusquisque sit quasi centrum omnium, nam est centrum influxuum per formam cælestem ab omnibus, inde imago cæli resultat in unumquemvis, & facit eum sui similem, ita hominem; quale enim commune est, talis est pars communis; nam similes suo communi erunt partes, ut sint ejus.

3634. *Homo qui in correspondentia est, nempe qui in amore in Dominum, & in charitate erga proximum, & inde in fide, is spiritu suo est in cælo, & corpore in mundo; & quia sic cum Angelis unum agit, est quoque is imago cæli & quia influxus omnium seu communis est in singulos seu partes, ut dictum, est quoque is exiguum cælum, sub forma humana; homo enim ex bono & vero habet, ut sit homo, & distinctus ab animalibus brutis.*

3635. *Sunt in humano corpore duo, quæ sunt fontes omnis motus ejus, etiam omnis actionis & sensationis externæ seu meri corporis; nempe Cor & Pulmones; hæc duo correspondent taliter Maximo Homini seu Cælo Domini, quod Cælestes ibi Angeli constituant Regnum unum, & Spirituales Regnum alterum, nam Regnum Domini est Cæleste & Spirituale; Regnum Cæleste consistit ex illis qui in amore in Dominum sunt, Regnum Spirituale ex illis qui in charitate erga proximum, n:* 2088. 2669. 2715. 2718. 3235. 3246; *Cor & ejus Regnum in homine correspondet Cælestibus, Pulmo & ejus Regnum correspondet Spiritualibus; etiam influunt in illa quæ Cordis & Pulmonum sunt, adeo ut quoque existant & subsistant per influxum inde; sed de Correspondentia Cordis & Pulmonum cum Maximo Homine, ex Divina Domini Misericordia, in specie agendum.*

3636. *Universalissimum est, quod Dominus sit Sol cæli, & quod inde omnis Lux in altera vita; & quod Angelis & Spiritibus seu illis qui in altera vita sunt, nihil prorsus ex luce mundi appareat, & quoque quod lux mundi quæ a sole, Angelis non aliter sit quam caligo: ex Sole Cæli seu a Domino, est non modo Lux, sed etiam Calor; sed est Lux spiritualis & Calor spiritualis; Lux coram oculis eorum apparet sicut lux, sed habet in se intelligentiam & sapientiam, quia inde est; & Calor sensibus illorum percipitur sicut calor, sed ei inest amor, quia inde est; quapropter etiam amor vocatur calor spiritualis, & quoque sistit calorem vitæ hominis, & intelligentia vocatur Lux spiritualis, & quoque sistit lucem vitæ hominis: ex hac universali correspondentia derivantur reliquæ; nam omnia & singula ad bonum quod est amoris, & ad verum quod est intelligentiæ, se referunt.*

3637. *Maximus Homo est universum Domini cœlum respective ad hominem, sed Maximus Homo in supremo sensu est Solus Dominus, ex Ipso enim Cœlum, & Ipsi correspondent omnia ibi. Quia Humanum Genus per vitam mali & inde persuasiones falsi, prorsus perversum factum erat, & quia tunc apud hominem inferiora incipiebant dominari super ejus superiora, seu naturalia super ejus spiritualia, ita ut non amplius Jehovah seu Dominus per Maximum hominem, hoc est, Cœlum, influere & illa in ordinem redigere posset, inde necessitas adventus Domini in mundum, ut sic indueret humanum, & id Divinum faceret, & per id restitueret ordinem, ut ad Ipsum ut ad Unicum Hominem universum Cœlum se referret, & Ipsi Soli corresponderet; rejectis illis qui in malo & inde in falso essent, sub pedes, ita extra Maximum Hominem: inde illi qui in cœlis sunt, dicuntur in Domino esse, imo in Ipsius Corpore, nam Dominus est omne cœli, in Quo omnes & singuli ibi sortiuntur provincias & munia.*

3638. *Inde est, quod in altera vita omnes societates, quotcunque sunt, suum constantem situm teneant respective ad Dominum, Qui instar Solis apparet universo cœlo; & quod mirabile, & vix ab aliquo credi poterit quia non capi, est, quod societates ibi teneant eundem situm respective ad quemcunque ibi, ubicunque sit, & quomodocunque se vertit & circumagit, ut quæ societates a dextris apparent, jugiter ad dextrum illius sint, quæ a sinistris jugiter ad sinistrum sint, tametsi is plagas quoad faciem & corpus mutat: hoc quoque sæpissime mihi datum est observare per versuram corporis: inde patet, quod forma cœli sit talis, ut referat constanter Maximum hominem respective ad Dominum; & quod omnes Angeli sint non solum apud Dominum, sed in Domino; seu quod idem, quod Dominus sit apud illos, & in illis; aliter hoc non ita existeret.*

3639. *Omnes situs ibi se habent inde respective ad Corpus humanum secundum plagas ab illo, hoc est, dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsum, in quocunque positu, ut & secundum plana, ut ad planum Capitis, ejus partium ut frontis, temporum, oculorum, aurium; ad planum Corporis, ut ad planum scapularum, pectoris, abdominis, lumborum, genuum, pedum, plantarum; tum quoque supra caput & infra plantas pedis, ad omnem obliquitatem; etiam ad tergum, ab occipitio deorsum: ex ipso situ cognoscitur, quænam societates sunt, & ad quas provincias organorum & membrorum hominis pertinent, quod nunquam fallit; sed magis ab eorum genio & indole quoad affectiones.*

3640.

3640. *Inferna, quæ perplura ſunt, etiam conſtantem ſitum habent, adeo ut ex ſolo ſitu ſciri poſſit, quænam & qualia ſunt, cum ſitu illorum ſimiliter ſe habet; omnia infra hominem ſunt in planis quaquaverſum ſub plantis: quidam inde apparent quoque ſupra caput & alibi ſparſim, ſed non eſt quod ibi ſitum habeant, nam eſt phantaſia perſuaſiva quæ illudit & mentitur ſitum.*

3641. *Apparent omnes, tam qui in cælo quam qui in inferno ſunt, erecti, capite ſurſum & pedibus deorſum, at uſque in ſe & ſecundum viſum angelicum ſunt in alio poſitu, nempe qui in cælo capite verſum Dominum, Qui ibi eſt Sol & ſic Centrum commune, a Quo omnis poſitus & ſitus; at infernales coram viſu Angelico ſunt capite deorſum & pedibus ſurſum, ita in poſitu oppoſito, etiam in obliquo; eſt enim infernalibus id infra quod cæleſtibus ſupra, & infernalibus id ſupra quod cæleſtibus infra. Inde aliquantum pateſcit, quomodo Cælum cum inferno poſſit quaſi unum facere, ſeu ſimul referre unum in ſitu & poſitu.*

3642. *Mane fui in conſortio cum Angelicis ſpiritibus, qui unum agebant cogitando & loquendo ſecundum morem; penetrabat hoc quoque verſus infernum, in quod continuabatur, uſque adeo ut apparerent ſicut unum agere cum illis; ſed erat, quod bonum & verum, quod apud Angelos, per mirabilem verſuram mutaretur in malum & falſum apud infernales, & hoc per gradus ſicut defluebat, ubi infernum unum agebat per perſuaſiones falſi & cupiditates mali: Inferna, tametſi ſunt extra Maximum Hominem, uſque tamen tali modo quaſi in unum rediguntur, & per hoc in ordine tenentur, ſecundum quem eorum conſociationes ſunt; ita Dominus ex Divino etiam regit inferna.*

3643. *Obſervatum quod, qui in cælis, in aura lucis ſerena ſit, ſicut lucis matutinæ & meridianæ etiam vergentis ad veſperam, ſimiliter quod in calore ſint, ſicut veris, æſtatis & autumni; at quod illi qui in inferno ſunt, in atmoſphæra craſſa, nimboſa & tenebroſa, ut & in frigore: obſervatum, quod inter illa in communi ſit æquilibrium; tum quantum Angeli in amore, charitate, & inde fide ſunt, tantum in aura lucis & caloris vernalis; & infernales, quantum in odio & inde in falſo, tantum in caligine & in frigore: Lux in altera vita, ut ſupra dictum, in ſe habet intelligentiam, Calor amorem, Caligo inſaniam, & Frigus odium.*

3644. *Omnes homines in univerſo terrarum orbe, ſitum habent, vel in Maximo Homine, hoc eſt, in Cælo, vel extra illum in inferno, quoad animas, ſeu quod idem, quoad ſpiritum qui poſt obitum corporis victurus: hoc non ſcit homo, quamdiu vivit in mundo, ſed uſque ibi eſt,*

&

& inde regitur: in cælo sunt secundum bonum amoris & inde verum fidei, in inferno secundum malum odii & inde falsum.

3645. *Universum Regnum Domini est Regnum finium & usuum; datum est mihi manifeste percipere Sphæram Divinam illam, nempe finium & usuum, & quædam tunc quæ non enuntiabilia sunt: ex illa sphæra profluunt, & per illam reguntur, omnia & singula; quantum affectiones, cogitationes & actiones in se habent finem benefaciendi ex corde, tantum homo, spiritus & Angelus in Maximo Homine est, hoc est, in Cælo; quantum autem homo & spiritus, finem malefaciendi ex corde habet, tantum extra Maximum hominem est, hoc est, in inferno.*

3646. *Cum animalibus brutis se similiter habet quoad influxus & correspondentias sicut cum hominibus, quod nempe apud illos sit influxus e spirituali mundo, & affluxus ex naturali mundo, per quos continentur & vivunt; sed ipsa operatio se sistit diversimode secundum formas animarum eorum, & inde corporum; se habet hoc, sicut lux mundi, quæ in objecta telluris varia simili gradu & simili modo influit, usque tamen diversimode agit in formis diversis, in quibusdam pulchros colores, in aliis impulchros producit; ita cum Lux spiritualis in animas brutorum influit, prorsus dissimiliter recipitur, & inde illas dissimiliter actuat, quam cum in animas hominum; hæ enim in superiori gradu sunt, & in perfectiori statu, & sunt tales ut spectare possint sursum, ita ad cælum & ad Dominum, quare Dominus illas sibi adjungere potest, & dare vitam æternam; ast animæ brutorum tales sunt, ut non possint aliter quam spectare deorsum, ita solum ad terrestria, & sic modo illis adjungi, quapropter etiam pereunt cum corpore: fines sunt, qui ostendunt qualis vita homini, & qualis bestiæ; homo potest habere fines spirituales & cælestes, & illos videre, agnoscere, credere, & illis affici, at bestiæ non possunt alios fines habere quam naturales; ita potest homo esse in sphæra Divina finium & usuum, quæ in cælo & quæ constituit cælum, bestiæ autem non possunt in alia sphæra esse, quam finium & usuum quæ in terra; fines non aliud sunt quam amores, nam quæ amantur pro fine habentur. Quod perplurimi homines non sciant distinguere inter vitam suam & vitam bestiarum, est quia similiter in externis sunt, & illis solum terrestria, corporea, & mundana curæ & cordi, & qui tales, se quoque credunt similes esse quoad vitam bestiis, & se dissipatum iri, sicut illæ, post mortem, nam quid spiritualia & cælestia, quia non curant, nec norunt; inde est insania nostri sæculi, quod se comparent brutis, & non discrimen internum videant; at qui cælestia & spiritualia credit, seu patitur ut lux spiritualis influat*

fluat & agat, is videt prorsus contrarium, ut & quantum supra animalia bruta est: sed de brutorum animalium vita, ex Divina Domini Misericordia, seorsim agendum.

3647. *Quomodo illa se habent, etiam ostensum est; datum erat videre & appercipere quosdam, qui in alteram vitam tunc venerunt, qui in vita corporis sui spectarunt solum ad terrestria, & nihil aliud pro fine habuerunt, nec fuerunt per aliquas cognitiones in bonum & verum initiati, ex nautica & rustica turba fuerunt; apparuerunt, sicut etiam perceptum, quod tam parum vitæ haberent, ut putarem quod non possent sicut alii spiritus vitam æternam sortiri, erant sicut machinæ parum animatæ; sed Angeli curam illorum sollicite habebant, & per facultatem, quam sicut homines habebant, boni & veri vitam illis insinuabant, inde magis & magis perducebantur a vita animalium simili in vitam humanam.*

3648. *Est influxus a Domino per Cælum etiam in subjecta Regni vegetabilis, ut in arbores omnis generis & in earum fructificationes, & in plantas varii generis & earum multiplicationes; nisi Spirituale a Domino intus continue ageret in formas illarum primitivas, quæ sunt in seminibus, nusquam vegetarent & crescerent tam mirabili modo & successione; sed formæ ibi tales sunt, ut non recipiant aliquid vitæ: ex influxu illo est, quod Æterni & Infiniti imaginem in se habeant, sicut patet ex eo quod in continuo conatu sint propagandi suum genus & suam speciem, ad sic vivendum quasi in æternum, & quoque ad implendum universum; hoc inest in quolibet semine: sed homo omnia illa, quæ tam mirifica, ipsi naturæ tribuit, nec aliquem influxum e spirituali mundo credit, quia illum corde negat; tametsi sciret, quod subsistere nihil possit, nisi per quod exstitit, hoc est, quod subsistentia sit perpetua existentia; seu quod idem, productio sit continua creatio: quod inde universa natura sit theatrum repræsentativum Regni Domini, videatur n: 3483: sed de his quoque, & de correspondentia eorum cum Maximo Homine, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicendum.*

3649. *Continuatur de Maximo Homine, & Correspondentia cum illo, ad finem Capitum sequentium.*

GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

3650. ANTE Caput præcedens XXVII explicata sunt, quæ Dominus docuit & prædixit de Ultimo Judicio, seu de ultimis diebus Ecclesiæ, apud Matthæum, Capite XXIV a Versu 8 ad 14, n: 3486 ad 3489; nunc sequuntur ordine, ante hoc Caput juxta institutum, explicanda, quæ ibi Versibus 15. 16. 17. 18; "*Cum ergo videritis abominationem desolationis dictam a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit animadvertat. Tunc qui in Judæa, fugiant in montes. Qui super tecto domus, ne descendat ad tollendum quid e domo sua. Et qui in agro, ne revertatur retro, ad accipiendum vestem suam.*

3651. Quisque videre potest, quod hæc arcana contineant, & quod absque arcanis illis detectis, nusquam sciri possit, quid illud, quod qui in Judæa, fugient in montes; & qui super tecto domus, non descendet ad tollendum quid e domo: & qui in agro, non revertetur retro ad accipiendum vestem suam: nisi sensus internus doceret, quid significent & involvant, indagatores & interpretes Verbi potuissent in opiniones prorsus alienas abduci & dilabi; imo quoque illi, qui Verbi sanctitatem corde negant, inde deducere, quod talibus verbis solum modo fuga & evasio adventante hoste describeretur, proinde quod nihil sanctius inibi foret, cum tamen per illa Domini verba plene describitur status vastationis Ecclesiæ quoad bona amoris & vera fidei; ut a sequente explicatione eorum verborum constare potest.

3652. Secundum Sensum Internum hæc ita se habent: *Cum ergo videritis abominationem desolationis*, significat Ecclesiæ vastationem, quæ tunc est, cum Dominus non amplius agnoscitur, proinde cum nullus amor & nulla fides in Ipsum; tum quando non amplius aliqua charitas erga proximum; & consequenter cum non aliqua fides boni & veri; cum hæc sunt in Ecclesia, seu potius in tractu ubi Verbum, nempe in cogitatis cordis, tametsi non in doctrina oris, tunc est desolatio, & illa, quæ dicta, sunt ejus abominatio; inde, cum videritis abominationem desolationis, est cum aliquis talia observat, quid tunc faciendum, sequitur Vers: 16. 17. 18. *Dictam a Daniele Propheta*, significat in sensu interno, a prophetis; nam ubi aliquis propheta

pheta nomine suo in Verbo nominatur, non est is propheta qui intelligitur, sed ipsum Verbum Propheticum, quia Nomina nusquam in cœlum penetrant, n: 1876. 1888; verum per unum prophetam non simile significatur quod per alium; quid per Mosen, Eliam & Elisæum, videatur in Præfat: ad Cap: XVIII; & n: 2762; per Danielem autem significatur omne Propheticum de adventu Domini, & de Ecclesiæ statu, hic de ejus statu ultimo; de Vastatione multum agitur apud Prophetas, & per illam ibi in sensu literæ significatur vastatio Ecclesiæ Judaicæ & Israeliticæ, sed in sensu interno vastatio Ecclesiæ in communi, ita quoque vastatio quæ nunc adest. *Stantem in loco sancto*, significat vastationem quoad omnia quæ boni & veri sunt; locus sanctus est status amoris & fidei, quod locus sit status in sensu interno, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387; sanctum illius status, est bonum quod est amoris & inde verum quod fidei, non aliud intelligitur per sanctum in Verbo, quia illa a Domino, Qui Ipsum Sanctum seu Sanctuarium est. *Qui legit, animadvertat*, significat quod hæc ab illis probe observanda sint, qui in Ecclesia sunt, imprimis ab illis qui in amore & fide, de quibus nunc agitur. *Tunc qui in Judæa, fugient in montes*, significat quod illi qui ab Ecclesia, non aliunde spectabunt quam ad Dominum, ita ad amorem in Ipsum, & ad charitatem erga proximum; quod per Judæam significetur Ecclesia, ostendetur infra; quod per montem Ipse Dominus, at per montes amor in Ipsum & Charitas erga proximum, videatur n: 795. 796. 1430. 2722; secundum sensum literæ foret, quod cum obsideretur Hierosolyma, sicut factum, a Romanis, tunc non conferrent se illuc, sed super montes secundum illa apud Lucam, "Quando videritis circumdatam ab exercitibus Hierosolymam, tunc scite quod prope sit devastatio, tunc qui in Judæa, fugiunto super montes, & qui in medio ejus exeunto, qui vero in regionibus ne ingrediantur in eam," XXI: 20. 21; sed per Hierosolymam ibi similiter se habet, quod nempe in sensu literæ sit Hierosolyma quæ intelligitur, sed in sensu interno Ecclesia Domini, videatur n: 402. 2117; omnia enim & singula quæ in Verbo de populo Judaico & Israelitico memorantur, sunt repræsentativa Regni Domini in cœlis, & Regni Domini in terris, hoc est, Ecclesiæ, ut sæpius ostensum; inde est, quod per Hierosolymam in sensu interno nullibi Hierosolyma intelligatur, nec per Judæam Judæa; sed fuerunt talia, per quæ repræsentari potuerunt cœlestia & spiritualia Regni Domini; utque repræsentarent etiam facta sunt; ita Verbum potuit scribi, quod esset secundum captum hominis qui legeret, & secundum intellectum angelorum qui apud hominem;

hæc etiam caufa fuit, quod Dominus fimiliter loquutus; fi enim aliter, non adæquatum fuiffet captui legentium imprimis tunc temporis, nec fimul intellectui angelorum, ita non receptum ab homine, nec intellectum ab Angelis. *Qui fuper tecto domus, ne defcendat ad tollendum quid e domo fua,* fignificat quod qui in bono charitatis funt, non inde fe conferrent ad illa quæ funt doctrinalium fidei; tectum domus in Verbo fignificat ftatum hominis fuperiorem, ita ftatum ejus quoad bonum; quæ autem infra, fignificant ftatum hominis inferiorem, ita ftatum quoad verum: quid domus, videatur n: 710. 1708. 2233. 2234. 3142. 3538: cum ftatu hominis Ecclefiæ fe ita habet; cum is regeneratur, tunc verum difcit propter bonum, eft enim ei affectio veri propter illud; at poftquam regeneratus eft, tunc agit ex vero & bono; poftquam ad hunc ftatum pervenit, tunc non conferre fe debet ad ftatum priorem, nam fi id faceret, de bono in quo eft, ex vero ratiocinaretur, & fic ftatum fuum perverteret; omnis enim ratiocinatio ceffat, ac ceffare debet, quando homo in ftatu eft velle verum & bonum, tunc enim ex voluntate, proinde ex confcientia, cogitat & agit, & non ex intellectu, ut prius, fi ex hoc iterum, incideret in tentationes in quibus fuccumberet; hæc funt, quæ fignificantur per quod qui fuper tecto domus ne defcendat ad tollendum quid e domo fua. *Et qui in agro, ne revertatur retro ad accipiendum veftem fuam,* feu tunicam, fignificat quod qui in bono veri nec conferrent fe a bono ejus ad doctrinale veri; ager in Verbo fignificat illum ftatum hominis quoad bonum, quid ager, videatur n: 368. 2971. 3196. 3310. 3317. 3500. 3508; & veftis feu tunica fignificat id quod bonum inveftit, hoc eft, doctrinale veri, nam hoc eft ficut veftis bono, quod veftis id fit, videatur n: 297. 1073. 2576. 3301. Quifque videre poteft, quod altiora hic recondita lateant, quam apparent in litera; Ipfe enim Dominus illa loquutus eft.

3653. Ex his nunc conftare poteft, quod ftatus vaftationis Ecclefiæ quoad bona amoris & vera fidei in his Verfibus plene defcriptus fit, & quod fimul hortatio ad illos qui in illis funt, quid tunc facient: funt triplicis generis homines intra Ecclefiam, nempe qui in amore in Dominum funt; qui in Charitate erga proximum; & qui in affectione veri; qui in Prima Claffe funt, nempe qui in amore in Dominum, in fpecie fignificantur per quod *qui in Judæa, fugient in montes:* in Altera Claffe funt illi qui in charitate erga proximum, & in fpecie fignificantur per *qui fuper tecto domus, ne defcendat ad tollendum*

lendum quid e domo ſua: in Tertia Claſſe ſunt illi qui in affectione veri, & in ſpecie ſignificantur per *qui in agro ne revertatur retro ad accipiendum veſtem ſuam.* Videantur quæ de his prius in Altera Parte n: 2454 dicta, & quæ explicata ſunt, & ibi quoque quid ſit reverti retro, & reſpicere poſt ſe.

3654. Quod Judæa in Verbi ſenſu interno non ſignificet Judæam, ſicut nec Hieroſolyma Hieroſolymam, conſtare poteſt a pluribus locis in Verbo: in Verbo non ita nominatur Judæa, ſed terra Jehudæ, & per eam ibi ſicut per terram Canaanem ſignificatur Regnum Domini, proinde etiam Eccleſia, nam hæc eſt Regnum Domini in terris; & hoc ideo, quia per Jehudam ſeu per Judaicam Gentem repræſentatum eſt Regnum cœleſte Domini, & per Iſraelem ſeu Iſraeliticum populum Regnum Spirituale Ipſius; & quia repræſentatum, ideo quoque in Verbo cum nominantur, in ſenſu ejus interno non aliud ſignificatur; quod illa ſignificentur, patebit ex illis quæ in ſequentibus de Jehuda & terra Jehudæ, ex Divina Domini Miſericordia, dicentur; ac interea ex paucis his apud Prophetas; apud Eſaiam, "Vinea fuit Dilecto meo in cornu filii olei, circumdedit illam & elapidavit illam, & plantavit illam vite nobili, & ædificavit turrim in medio ejus, & etiam torcular excidit in illa, & exſpectavit ut faceret uvas, ſed fecit labruſcas; & jam *habitator Hieroſolymæ,* & *vir Jehudæ,* judicate quæſo inter Me & inter vineam meam; ponam illam in *deſolationem,* quia vinea Jehovæ Zebaoth *domus Iſraelis,* & *vir Jehudæ* planta deliciarum Ipſius; & exſpectavit judicium ſed ecce ſuppuratio, juſtitiam ſed ecce clamor," v: 1. 2. 3. 6. 7: ibi in ſenſu literæ de perverſo ſtatu Iſraelitarum & Judæorum agitur, in ſenſu autem interno de perverſo ſtatu Eccleſiæ per Iſraelem & Jehudam repræſentatæ, habitator Hieroſolymæ eſt bonum Eccleſiæ, quod habitator ſit bonum, ſeu quod idem, qui in bono, videatur n: 2268. 2451. 2712. 3613, & quod Hieroſolyma ſit Eccleſia, n: 402. 2117; domus Iſraelis ſimiliter, quod domus ſit bonum, n: 710. 1708. 2233. 2234. 3142. 3538, & quod Iſrael Eccleſia, n: 3305; vir Jehudæ conſimiliter, per virum enim ſignificatur verum, n: 265. 749. 1007. 3134. 3310. 3459, & per Jehudam bonum, ſed cum differentia, quod vir Jehudæ ſit verum ex bono amoris in Dominum, quod Verum cœleſte vocatur, hoc eſt, illi qui in tali vero. Apud Eundem, "Tollet ſignum gentibus, & congregabit *expulſos Iſraelis,* & *diſperſa Jehudæ* colliget a quatuor alis terræ: tunc recedet æmulatio Ephraimi, & *hoſtes Jehudæ* exſcindentur; Ephraim non æmulabitur cum *Jehuda* & *Jehudah* non anguſtabit Ephraimum:

phraimum: devovebit Jehovah linguam maris Ægypti; & agitabit manum ſuper fluvium cum vehementia ſpiritus ſui; tunc erit ſemita reliquiis populi Ipſius, quæ reſiduæ erunt ab Aſchure," XI: 12. 13. 15. 16; agitur ibi in ſenſu literæ de reductione Iſraelitarum & Judæorum e captivitate, ſed in ſenſu interno de Eccleſia nova in communi, & apud unumquemvis in particulari qui regeneratur ſeu fit Eccleſia; expulſi Iſraelis pro illorum veris, diſperſa Jehudæ pro eorum bonis; Ephraim pro intellectuali illorum, quod non amplius repugnabit; Ægyptus pro ſcientificis, & Aſchur pro ratiocinatione inde, quæ perverterunt; expulſi, diſperſa, reliquiæ, & reſidui, pro veris & bonis quæ ſuperſunt; quod Ephraim ſit intellectuale patebit alibi, quod Ægyptus ſit ſcientificum, videatur n: 1164. 1165. 1462. 1186. 2588. 3325, quod Aſchur ſit ratiocinatio, n: 119. 1186, & quod reliquiæ ſint bona & vera a Domino recondita in interiore homine, n: 468. 530. 560. 561. 660. 661. 798. 1050. 1738. 1906. 2284. Apud Eundem, " Audite hoc domus Jacobi, vocati nomine *Iſraelis*, & *ex aquis Jehudæ exiverunt*, quia ab urbe ſanctitatis vocantur, & ſuper Deo Iſraelis nituntur," XLVIII: 1. 2, aquæ Jehudæ pro veris quæ ſunt ex bono amoris in Dominum, vera illa inde ſunt ipſa bona charitatis, quæ bona ſpiritualia vocantur, & faciunt Eccleſiam ſpiritualem, Internam quæ Iſrael, & Externam quæ domus Jacobi; inde patet quid ſignificant domus Jacobi vocati nomine Iſraelis, & ex aquis Jehudæ exiverunt. Apud Eundem, " Producam ex Jacobo ſemen, *& ex Jehudah hæredem montium meorum*, & poſſidebunt eum electi mei, & ſervi mei habitabunt ibi," LXV: 9, ex Jehudah hæres montium in ſupremo ſenſu pro Domino, in ſenſu repræſentativo pro illis qui in amore in Ipſum, ita in bono utriuſque amoris, quod montes ſint illa bona, ſupra n: 3652 oſtenſum eſt. Apud Moſen, " Catulus leonis *Jehudah*, a præda aſcendiſti fili mi, curvavit ſe, cubuit ſicut leo, & ſicut leo vetulus, quis excitabit eum," Geneſ: XLIX: 9, ibi quod per Jehudam in ſupremo ſenſu intelligatur Dominus, manifeſte patet, & in ſenſu repræſentativo illi qui in bono amoris in Ipſum. Apud Davidem, " Cum exivit Iſrael ex Ægypto, domus Jacobi e populo barbaro, *factus eſt Jehudah in ſanctuarium Ipſius*, *Iſrael* dominia Ipſius," Pſalm: CXIV: 1. 2; Jehudah etiam ibi pro cœleſti bono, quod eſt amoris in Dominum, & Iſrael pro cœleſti vero ſeu ſpirituali bono. Apud Jeremiam, " Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, & ſuſcitabo *Davidi* germen juſtum, qui regnabit Rex, & proſperabitur, & faciet judicium & juſtitiam in terra, in diebus Ipſius *ſalvabitur Jehudah*, & *Iſrael habitabit*

bitabit secure; & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum, Jehovah Justitia nostra," xxiii: 5. 6. Cap: xxxiii: 15. 16; ibi de adventu Domini; Jehudah pro illis qui in bono amoris in Dominum, Israel qui in vero illius boni; quod non per Jehudam intelligatur Jehudah, nec per Israelem Israel, constare potest, quia Jehudah non salvatus, neque Israel amplius: similiter apud Eundem, "Reducam *captivitatem Jehudæ*, & *captivitatem Israelis*, & ædificabo eos sicut prius," xxxiii: 4: pariter, apud Eundem, "In diebus illis, & in tempore illo, dictum Jehovæ, venient *filii Israelis*, ipsi & *filii Jehudæ* simul, eundo & flendo ibunt, & Jehovam Deum suum quærent, & Zionem quærent via, quo facies eorum," l: 4. 5: apud Eundem, "In tempore illo vocabunt *Hierosolymam* thronum Jehovæ, & congregabuntur ad illam omnes gentes ob Nomen Jehovæ *Hierosolymam*, non ibunt amplius post obfirmationem cordis sui mali, in diebus illis *ibunt domus Jehudæ ad domum Israelis*, & venient una e terra septentrionis super terram," iii: 17. 18: apud Eundem, "Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, quibus seminabo *domum Israelis* & *domum Jehudæ* semine hominis & semine bestiæ; & pangam cum *domo Israelis*, & cum *domo Jehudæ* fœdus novum; hoc fœdus quod pangam cum *domo Israelis* post dies illos, dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam illam," xxxi: 27. 31. 33; quod Israel seu domus Israelis non intellecta sit, manifeste patet, quia dispersi inter gentes, & nusquam e captivitate reducti sunt, consequenter, quod nec Jehudah seu domus Jehudæ intellecta, sed quod per illos in sensu interno significati quia a Regno Spirituali & Cœlesti Domini sunt; cum illis novum fœdus, & illorum in corde scripta lex: novum fœdus pro conjunctione cum Domino per bonum, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 2037, lex in corde scripta pro perceptione boni & veri inde, & quoque pro conscientia. Apud Joelem, "Fiet in die illo, stillabunt montes mustum, & colles fluent lacte, & *omnes rivi Jehudæ fluent aquis*, & fons e domo Jehovæ exibit, & irrigabit flumen schittim: Ægyptus in vastitatem erit, & Edom in desertum vastitatis erit, propter violentiam *filiis Jehudæ*, quorum fuderunt sanguinem innocentem in terra sua: & *Jehudah in æternum sedebit*, & *Hierosolyma* in generationem & generationem," iv: 18. 19. 20; ex singulis ibi etiam patet, quod per Jehudam non intelligatur Jehudah, nec per Hierosolymam Hierosolyma, sed quod illi qui in sancto amoris & charitatis, illi enim in æternum sedebunt, & in generationem & generationem. Apud Malachiam, "Ecce Ego mittens Angelum meum, qui parabit viam ante Me, & subito

subito veniet ad templum suum Dominus, Quem vos quærentes, & Angelus fœderis quem vos desideratis; *tunc suavis erit Jehovæ mincha Jehudæ, & Hierosolymæ,* juxta dies æternitatis, & juxta annos priores," III : 1 : 4; ibi de adventu Domini; quod tunc non Jehovæ suavis fuerit mincha Jehudæ & Hierosolymæ, constat; inde patet, quod per Jehudam & Hierosolymam talia quæ sunt Ecclesiæ Domini, significentur: ita ubivis in Verbo alibi, ubi Jehudah, Israel, & Hierosolyma, nominantur. Inde nunc constare potest, quid per Judæam apud Matthæum significatur, quod nempe Ecclesia Domini, ibi vastata.

3655. In illis quæ apud Evangelistam præcedunt, actum est de Primo & Secundo Statu perversionis Ecclesiæ; quod Primus Status fuerit, quod non amplius inciperent scire quid bonum & quid verum, sed de illis litigarent inter se, a quibus falsitates, videatur n: 3354; & quod secundus status fuerit, quod bonum & verum contemturi, & quoque quod aversaturi, & sic quod exspiratura fides in Dominum, secundum gradus sicut cessatura charitas, videatur n: 3487. 3488: hic nunc est Tertius Status, de quo agitur, qui est desolationis Ecclesiæ quoad bonum & verum.



CAPUT XXVIII.

1. ET vocavit Jischak ad Jacobum, & benedixit illi, & præcepit illi, & dixit illi, non accipies mulierem e filiabus Canaan.

2. Surge, vade Paddanem Aram, domum Bethuelis patris matris tuæ, & accipe tibi exinde mulierem a filiabus Labanis fratris matris tuæ.

3. Et Deus Schaddai benedicet tibi, & faciet fructificari te, & multiplicari te, & eris in cœtum populorum.

4. Et dabit tibi benedictionem Abrahami, tibi & semini tuo cum te, ad hæreditandum te terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus Abrahamo.

5. Et misit Jischak Jacobum, & ivit Paddanem Aram, ad Labanem filium Bethuelis Aramæi, fratrem Rebeccæ matris Jacobi & Esavi.

6. Et vidit Esau, quod benedixerit Jischak Jacobo, & miserit illum Paddanem Aram, ad accipiendum sibi exinde mulierem, in benedicendo

cendo eum illi, & præceperit ſuper illum, dicendo, non accipies mulierem e filiabus Canaan.

7. Et audiverit Jacob ad patrem ſuum, & ad matrem ſuam, & iverit Paddanem Aram.

8. Et vidit Eſau, quod malæ filiæ Canaan in oculis Jiſchaki patris ſui.

9. Et ivit Eſau ad Jiſchmael, & accepit Machalath filiam Jiſchmaelis filii Abrahami, ſororem Nebajoth, ſuper fæminas ſuas ſibi ad mulierem.

* * * *

10. Et exivit Jacob e Beerſchebah, & ivit Charanem.

11. Et incidit in locum, & pernoctavit ibi, quia occidit ſol, & ſumſit de lapidibus loci, & poſuit ſub capitalia ſua, & cubuit in loco illo.

12. Et ſomniavit; & ecce ſcala ſtatuta terræ, & caput ejus pertingens cœlum, & ecce Angeli DEI aſcendentes & deſcendentes in illa.

13. Et ecce JEHOVAH ſtans ſuper illa, & dixit, Ego JEHOVAH DEUS Abrahami patris tui, & DEUS Jiſchaki, terram qua tu cubans ſuper ea, tibi dabo eam, & ſemini tuo.

14. Et erit ſemen tuum, ſicut pulvis terræ, & erumpes ad mare, & ad orientem, & ad ſeptentrionem, & ad meridiem; & benedicentur in te omnes familiæ humi, & in ſemine tuo.

15. Et ecce Ego cum te, & cuſtodiam te in omni quo eas, & reducam te ad humum hanc, quia non reliquam te, donec fecero quod loquutus ſum tibi.

16. Et expergefactus Jacob e ſomno ſuo, & dixit, certe eſt JEHOVAH in loco hoc, & ego non ſcivi.

17. Et timuit & dixit, quam terribilis locus hic, nihil hic niſi domus DEI, & hæc porta cœli.

18. Et mane ſurrexit Jacob in matutino, & ſumſit lapidem, quem poſuerat ſubcapitalia ſua, & poſuit illum ſtatuam, & fudit oleum ſuper caput illius.

19. Et vocavit nomen loci illius Bethel; & utique Lus nomen urbis priori.

20. Et vovit Jacob votum, dicendo, ſi fuerit DEUS cum me, & cuſtodiverit me in via hac, quam ego ambulans, & dederit mihi panem ad edendum, & veſtem ad induendum.

21. Et rediero in pace ad domum patris mei, & erit JEHOVAH mihi in DEUM.

22. Et lapis hic, quem posui statuam, erit domus Dei, & omne quod dederis mihi, decimando decimabo illud tibi.

CONTENTA.

3656. Agitur hic in sensu supremo de Domino, quomodo Naturale suum quoad Verum & quoad Bonum, incepit Divinum facere; & describitur in communi per quæ media. At in sensu repræsentativo, quomodo Dominus naturale hominis quoad verum & quoad bonum regenerat seu novum facit; processus in communi similiter est ibi, Vers: 1 ad 10.

3657. Describitur in sensu interno supremo, quomodo Dominus Naturale suum quoad Verum inceperit Divinum facere ex ultimo ordinis, ut sic intermedia disponeret, & omnia & singula conjungeret Primo, hoc est, Ipsi Divino suo. In sensu autem interno repræsentativo quomodo Dominus naturale humanum etiam ex ultimo ordinis regenerat, ac intermedia sic disponit, ut per Rationale illa sibi conjungat, de qua re a Vers: 11 ad 22.



SENSUS INTERNUS.

3658. VERS: 1. 2. *Et vocavit Jischak ad Jacobum, & benedixit illi, & præcepit illi, & dixit illi, non accipies mulierem e filiabus Canaan. Surge, vade Paddanem Aram, domum Bethuelis patris matris tuæ, & accipe tibi exinde mulierem a filiabus Labanis fratris matris tuæ.* Vocavit Jischak ad Jacobum, significat perceptionem qualis quoad bonum veri a Domino: & benedixit illi, significat quod ita conjungeretur: & præcepit illi, & dixit illi, significat reflectionem & inde perceptionem: non accipies mulierem e filiabus Canaan, significat modo ne conjungeretur affectionibus falsi & mali: surge, significat modo elevet illud bonum inde: vade Paddanem Aram, significat cognitiones talis veri: domum Bethuelis patris matris tuæ, & accipe tibi exinde mulierem a filiabus Labanis fratris matris tuæ, significat bonum collaterale externum, & inde verum quod conjungendum.

3659. Vocavit Jischak ad Jacobum, quod significet perceptionem qualis quoad bonum veri a Domino, constat a significatione vocare ad aliquem, quod sit perceptio qualis, de qua n: 3609; ex repræsentatione Jischaki, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum Divini Rationalis, de qua n: 1893. 2066. 2072. 2083. 2630. 3012 3194. 3210; & ex repræsentatione Jacobi, quod sit Dominus quoad verum naturale, de qua n: 1893. 3305. 3509. 3525.

3525. 3544. 3576. 3599; hic autem & in ſequentibus hujus Capitis repræſentat Jacob bonum illius veri; inde patet, quod per hæc verba, vocavit Jiſchak ad Jacobum, ſignificetur perceptio qualis a Domino quoad bonum veri. Quod Jacob hic repræſentet bonum illius veri, eſt quia nunc primogenituram Eſavi tulerat, & quoque ejus benedictionem, & ſic per illa induit perſonam Eſavi, ſed adhuc non amplius quam quoad bonum illius veri, quod, nempe verum, prius repræſentavit; omne enim verum, quodcunque & qualecunque ſit, in ſe habet bonum, nam verum niſi ex bono non eſt verum, inde dicitur verum: per primogenituram quam tulit, & per benedictionem, accepit id præ Eſavo, quod ejus poſteritas ſuccederet in promiſſionem factam Abrahamo & Jiſchako, de terra Canaane, & ſic quod per illum repræſentaretur Divinum Naturale Domini, ſicut per Jiſchakum Divinum Rationale, & per Abrahamum Ipſum Divinum Ipſius, ut itaque Repræſentativum in unam perſonam caderet, permiſſum fuit, ut primogenituram Eſavo ita auferret, & dein benedictionem: inde eſt, quod Jacob nunc repræſentet bonum naturalis, ſed hic in principio bonum illius veri, quod, nempe verum, mox prius repræſentavit. Adhuc quoque agitur de Eſavo, ut in Verſu ſeq: 6. 7. 8, hujus Capitis, ex cauſa, ut bonum veri, & verum boni interius Naturalis Domini repræſentaretur, quod per Jacobum adhuc non poteſt. Quid & quale eſt bonum veri, quod hic eſt Jacob, ex ſequentibus conſtabit.

3660. Et benedixit illi, quod ſignificet quod ita conjungeretur, conſtat a ſignificatione benedici, quod ſit conjungi, de qua n: 3504, 3514. 3530. 3565. 3584. Quod Jiſchak pater nunc benedicat Jacobo filio, tametſi is cum fraude venerit, & abſtulerit benedictionem Eſavo, & ad illud factum Jiſchak horruerit, ut patet a Capite præced: xxvii: Verſ: 33 & 35, eſt quia nunc percepit, quod Jacobi poſteritas eſſet, quæ terram Canaanem poſſideret, non Eſavi, inde confirmata eſt benedictio ab Jiſchako; ſed fraus ad quam horruit Jiſchak, ſignificabat & prædicebat fraudulentum in illa gente quoad repræſentativa, quod nempe nihil minus quam ſincere aut corde repræſentaret Divina aut cœleſtia Regni Domini, ita prorſus non ſicut Antiqua Eccleſia, ſed modo in externis ſeparatis ab interno, & ne quidem hoc, quia toties deſciverunt in apertas idololatrias. Quid autem per conjungi ſeu conjunctionem, quæ per benedici in ſenſu interno ſignificatur, intelligitur, prius dictum eſt, quod nempe naturale quoad bonum & quoad verum adjungeretur Rationali, ſeu quod idem, Externus homo Interno; ut enim Dominus Naturale ſuum Divinum faceret, bonum & verum tale ei inderet, quæ correſponderent cum bono & vero Divini Rationalis; abſque bonis & veris correſpondentibus non datur conjunctio: dantur bona & vera Naturalis, ſeu propria Naturalis hominis, innumerabilia, & tam innumerabilia, ut ab homine vix queant ſciri eorum genera communiſſima, utcunque cum nominatur bonum & verum naturale, appareat homini ſicut unum ſimplex; totum enim naturale, & omne quod ibi, non eſt aliud; & quia ita, conſtare poteſt, quod bona & vera naturalis ſint, in quibus ineſſe poſſunt bona & vera Rationalis,

& quod bona & vera naturalis fint, in quibus non ineffe poffunt bona & vera Rationalis; confequenter quod bona & vera naturalis fint, quæ adjungi poffint bonis & veris Rationalis per correfpondentiam; de his in hoc Capite & in fequentibus agitur. Scire illa bona & vera, & diftinguere illa inter fe, tum intueri qualia funt, & fic quomodo apta funt ut conjungantur, non ita apparet homini, quamdiu is non ex interiori feu ex illuminatione a luce cœli cogitat, ei enim talia tunc & obfcura & injucunda apparent; fed ufque funt talia captui & intellectui Angelorum adæquata, etiam captui fpirituum; nam non cogitationes eorum interpolant curæ rerum mundanarum, corporearum & terreftrium, ut prius cum vixerunt homines in mundo; hi, nempe Angeli & fpiritus, in intelligentiæ amænitate & fapientiæ beatitudine funt, cum talia illis ex fenfu interno Verbi funt; Divinum enim tunc affulget, quia in fenfu fupremo agitur de Domino, & in fenfu repræfentativo de Ecclefia & Regeneratione; inde in fphæra Divina Domini, & Ipfius finium & ufuum funt.

3661 Et præcepit illi, & dixit illi, quod fignificet reflectionem & perceptionem inde, conftat ex fignificatione præcipere in hiftoricis Verbi, quod fit reflectere; & ex fignificatione dicere, quod fit percipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862; reflexio eft intuitio rei, quomodo fe habet, tum qualis eft, exinde eft perceptio.

3662. Non accipies mulierem e filiabus Canaan, quod fignificet modo ne conjungeretur affectionibus falfi & mali, conftat ex fignificatione accipere mulierem, quod fit affociari feu conjungi; ex fignificatione filiarum, quod fint affectiones, de qua n: 568. 2362. 3024; & ex fignificatione Canaanis, quod fit falfum & malum, de qua n: 1093. 1140. 1141. 1167. 1205. 1444. 1573. 1574. 1868.

3663. Surge, quod fignificet modo elevet illud bonum inde, conftat ex fignificatione furgere, quod involvat, ubi dicitur, aliquam elevationem, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171: hic elevationem a talibus quæ fignificantur per filias Canaan, ad talia quæ fignificantur per filias Labanis, de quibus fequitur.

3664. Vade Paddanem Aram, quod fignificet cognitiones talis veri, conftat ex fignificatione Aram feu Syriæ, quod fint cognitiones, de qua n: 1232, 1234. 3249; quod Paddan Aram fint cognitiones veri, inde eft, quia erat in Syria fluviorum, ubi Nachor, Bethuel, & Laban, per quam quod cognitiones veri fignificentur, videatur n: 3051; Paddan Aram etiam prius Cap: xxv: 20, & in fequentibus Cap: xxxi: 18, memoratur, & quoque in illis locis fignificat cognitiones veri.

3665. Domum Bethuelis patris matris tuæ, & accipe tibi exinde mulierem a filiabus Labanis fratris matris tuæ, quod fignificet bonum collaterale externum, & inde verum quod conjungendum, conftat ex repræfentatione Bethuelis, quod fit bonum gentium primæ Claffis, de qua n: 2865; ex repræfentatione Labanis, quod fit affectio boni in naturali homine, feu affectio boni externi, & proprie bonum communis ftirpis collaterale, de qua n: 3129. 3130.

3130. 3160. 3612; & ex ſignificatione accipere mulierem e filiabus ejus, quod ſit aſſociari ſeu conjungi affectionibus veri quæ inde; quod accipere mulierem ſit conjungi, patet, & quod filiæ ſint affectiones, videatur n: 568. 2362. 3024; inde conſtat, quid illa verba ſignificant, nempe quod Bonum Naturalis repræſentatum hic per Jacobum conjungeretur veris quæ ex bono collaterali externo. Hæc ſe ita habent, cum regeneratur homo, tunc ducitur is a Domino primum ſicut infans, dein ſicut puer, poſtea ſicut adoleſcens, & tandem ſicut adultus; vera quæ ſicut infans puer diſcit, ſunt prorſus externa & corporea, nam interiora nondum poteſt capere; vera illa ſunt non aliud quam cognitiones talium, in quibus intime ſunt Divina: ſunt enim cognitiones rerum, in quibus non intime aliquod Divinum, & ſunt in quibus eſt; cognitiones, in quibus intime eſt Divinum, ſunt tales, ut admittere poſſint vera interiora magis & magis ſucceſſive & ordine, at cognitiones, in quibus non eſt Divinum ſunt tales ut non admittant, ſed reſpuant; ſunt enim cognitiones boni & veri externi & corporei, ſicut humus, quæ ſecundum ſuam indolem admittit ſemina hujus non alterius naturæ, & unum genus ſeminum producit, & alterum ſuffocat; cognitiones in quibus intime Divinum admittunt in ſe verum & bonum ſpirituale & cœleſte, ex Divino enim, quod intus eſt & diſponit, tales ſunt; at cognitiones in quibus non Divinum, admittunt modo falſum & malum, nam ſunt talis naturæ: illæ cognitiones veri externi & corporei, quæ admittunt verum & bonum ſpirituale & cœleſte, ſignificantur hic per filias Labanis ex domo Bethuelis, at quæ non admittunt, ſignificantur per filias Canaan. Cognitiones, quæ ab infantia ad pueritiam addiſcuntur, ſunt ſicut vaſa communiſſima, quæ adimplenda ſunt bonis, ac ſicut adimplentur, illuſtratur homo; ſi talia vaſa ſunt, ut in illis poſſint eſſe bona genuina, tunc a Divino, quod intus in illis, illuſtratur homo, & hoc ſucceſſive magis & magis; at ſi talia ſunt, ut in illis non poſſint eſſe bona genuina, tunc non illuminatur, apparet quidem ſicut illuſtretur, ſed eſt ex lumine fatuo, quod eſt falſi & mali, at uſque obſcuratur magis & magis per illa quoad bonum & verum. Cognitiones tales ſunt multiplices, & tam multiplices, ut vix poſſint quoad genera recenſeri, minus quoad ſpecies diſtingui; derivantur enim a Divino multipliciter per Rationale in Naturale; quædam enim immediate influunt per Bonum Rationalis; & inde in bonum naturalis, etiam in Verum hujus boni, ac iterum inde in Naturale externum ſeu corporeum, ac ibi quoque abeunt in varios rivos; & quædam influunt mediate per Verum Rationalis, in verum Naturalis, etiam in bonum hujus veri, ac iterum inde in Naturale externum ſeu corporeum, videatur n: 3573. 3616: ſe habent illa ſicut gentes, familiæ, & domus, ac in illis conſanguinitates & affinitates, quod nempe ſint qui in linea recta ſunt a primo patre, & qui in linea obliqua ſeu collaterali magis & magis; in cœlis hæc diſtinctiſſima ſunt, nam ſocietates ibi omnes ſecundum genera & ſpecies boni & veri, ac inde proximitates, diſtinctæ ſunt, n: 685. 2508. 2524. 2556. 2739. 3612; quas etiam repræſentabant Antiquiſſimi, qui cœleſtes homines fuerunt; per id

id quod ita diftincti in gentes, familias, & domos, habitarent, n: 470. 471. 483. 1159. 1246; inde quoque erat, quod mandatum, ut illi qui ab Ecclefia repræfentativa erant, conjugia contraherent intra fuæ gentis familias, ita enim ræprefentari potuit per illos cœlum, & ejus focietatem conjunctio quoad bonum & verum; ficut hic nunc per Jacobum, quod iret ad domum Bethuelis patris matris fuæ, & acciperet fibi exinde mulierem a filiabus Labanis fratris matris fuæ. Quod attinet ipfas cognitiones veri externi feu corporei, quæ ex bono collaterali funt, &, ut dictum, intus in fe habent Divinum, & fic admittere poffunt genuina bona, quales funt apud infantes pueros qui dein regenerantur, funt in genere tales, quales funt hiftoricorum Verbi, ut quæ ibi dicuntur de Paradifo, de primo homine ibi, de arbore vitæ in medio ejus, & de arbore fcientiæ, ubi ferpens qui decepit; hæc funt cognitiones, quæ in fe habent Divinum, & in fe admittunt bona & vera fpiritualia & cœleftia, quia repræfentant & fignificant illa: tales cognitiones etiam funt reliqua quæ in hiftoricis Verbi, ficut quæ ibi de Tabernaculo funt, deque Templo, & eorum conftructionibus; pariter quæ de veftibus Aharonis & filiorum ejus; tum quoque de feftis tabernaculorum, primitiarum meffis & azymorum, & de fimilibus aliis; hæc & talia, cum ab infante puero fciuntur & cogitantur, tunc ab angelis qui apud illum, cogitatur de Divinis quæ repræfentant & fignificant; & quia Angeli his afficiuntur, affectio eorum communicatur, & facit jucundum & volupe, quod puero ex illis, & præparat illius mentem ad recipiendum vera & bona genuina: talia & perplurima alia funt cognitiones veri externi & corporei ex bono collaterali.

3666. Verf: 3. 4. 5. *Et Deus Schaddai benedicet tibi, & faciet fructificari te & multiplicari te, & eris in cœtum populorum. Et dabit tibi benedictionem Abrahami, tibi & femini tuo cum te, ad hæreditandum te terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus Abrahamo. Et mifit Jifchak Jacobum & ivit Paddanem Aram, ad Labanem filium Bethuelis Aramæi, fratrem Rebeccæ matris Jacobi & Efavi.* Deus Schaddai benedicet tibi, fignificat tentationes illius veri & boni, per quas conjunctio: & faciet fructificari te & multiplicari te, fignificat inde bona & vera: & eris in cœtum populorum, fignificat copiam: & dabit tibi benedictionem Abrahami, fignificat conjunctionem Ipfius Divini cum bono & vero naturalis: tibi & femini tuo cum te, fignificat cum bono & vero quod inde: ad hæreditandum te terram peregrinationum tuarum, fignificat vitam inftructionum: quam dedit Deus Abrahamo, fignificat quæ ex Divino: & mifit Jifchak Jacobum, fignificat initium exiftentiæ: & ivit Paddanem Aram, fignificat, hic ut prius, cognitiones illius veri: ad Labanem filium Bethuelis Aramæi fignificat bonum collaterale: fratrem Rebeccæ matris Jacobi & Efavi, fignificat affinitatem ex matre cum bono veri quod Jacob cum boni vero quod Efau.

3667. Deus Schaddai benedicet tibi, quod fignificet tentationes illius veri & boni per quas conjunctio, conftat ex fignificatione Dei Schaddai, quod fint tentationes, de qua fequitur; & ex fignificatione benedici, quod fit conjunctio,

tio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; quia per Jacobum nunc repræsentatur bonum veri, ut supra n; 3659 ostensum, hic illud bonum & verum per *tibi* intelligitur. Quod Deus Schaddai significet tentationes, est inde, quia antiquis temporibus insigniverunt Supremum Deum, seu Dominum, variis Nominibus, & hoc secundum Attributa, & secundum Bona quæ ab Ipso, & quoque secundum Vera, quæ quod multiplicia sint, unusquisque novit: qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, per omnes illas denominationes non intellexerunt nisi Unum Deum, nempe Dominum, Quem Jehovam appellarunt: at postquam Ecclesia a bono & vero descivit, & simul a sapientia illa, tunc cæperunt tot deos colere, quot denominationes unius Dei fuerunt, usque adeo ut unaquævis gens, & tandem unaquævis familia pro suo Deo agnosceret unum ex illis; inde tot dii existerunt, qui etiam passim in Verbo nominantur: simile factum in familia Therachi patris Abrahami, & quoque in ipsa domo Abrahami; qui quod alios deos coluerit, videatur n: 1356. 2559, & quod imprimis Deum Schaddai, n: 1992; quod cultus ejus permanserit in domo illa, constat quoque ex his apud Mosen, "*Apparui Abrahamo, Jischako, & Jacobo, in Deo Schaddai, & Nomine meo Jehovah non notus fui illis*," Exod: VI: 3; inde est, quod dictum Abrahamo, "*Ego Deus Schaddai*, ambula tibi coram Me, & esto integer," Gen: XVII: 1; & quod nunc ab Jischako dictum Jacobo, "*Deus Schaddai* benedicet tibi": quod ita sit, manifeste etiam patet ab illis quæ in hoc Capite, quod postquam Dominus in somnio dixit, "Ego Jehovah Deus Abrahami patris tui, & Deus Jischaki," Vers: 13, usque Jacob dein dixerit, "Si fuerit Deus cum me, & custodiverit me in via hac, quam ego ambulans, & dederit mihi panem ad edendum, & vestem ad induendum, & rediero in pace ad domum patris mei, *& erit Jehovah mihi in Deum*," Vers: 20. 21; inde patet, quod nec domus Jacobi agnoverit Jehovam, sed quod pro suo Deo agnosceret illum si sibi benefaceret: prorsus sicut hodie in gentilismo Christiano. Quod autem Deus Schaddai in specie attinet, fuerat ita in Ecclesia Antiqua Dominus appellatus, respective ad tentationes, & benedictiones & benefacta post tentationes, quod in Parte Altera n: 1992 ostensum; inde nunc est, quod per Deum Schaddai in sensu interno significentur tentationes. Quod per Tentationes fiat conjunctio boni & veri, videantur quæ prius de Tentationibus dicta & ostensa sunt, & n: 2189 citata.

3668. Et faciet fructificari te & multiplicari te, quod significet inde bona & vera, constat ex prædicatione fructificari, quod sit de bono, ac multiplicari quod sit de vero, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846, 2847.

3669. Et eris in cœtum populorum, quod significet copiam, constare potest absque explicatione; cœtus populorum in specie prædicatur de veris, per populos enim in Verbo significantur illi qui in vero sunt, videatur n: 1259, 1260. 2928. 3581; at per gentes illi qui in bono n: 1259. 1260. 1416. 1849. Quod hic dicatur cœtus populorum, est quia de bono veri per Jacobum repræsentato agitur; aliud enim est bonum quod ex vero, & aliud est bonum ex quo verum; bonum quod ex vero est quod hic est Jacobus, &

bonum

bonum ex quo verum est quod est Esau; bonum quod ex vero est inversum ad bonum ex quo verum; in bono quod ex vero sunt illi qui regenerantur antequam regenerati sunt, at in bono ex quo verum sunt iidem cum regenerati; quod status illorum inversus sit, videatur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603.

3670. Et dabit tibi benedictionem Abrahami, quod significet conjunctionem Ipsius Divini cum bono & Vero Naturalis, constat ex significatione benedictionis, quod sit conjunctio, de qua supra n: 3660. 3667; & ex repræsentatione Abrahami, quod sit Ipsum Divinum Domini, quod Pater vocatur, de qua n: 2011. 3251. 3439; & quia hæc dicuntur ad Jacobum, per quem repræsentabitur Divinum Naturale Domini quoad Divinum Bonum & Verum ibi, est conjunctio Ipsius Divini cum bono & vero Naturalis, quæ per "dabit tibi benedictionem Abrahami," in sensu interno significatur. In sensu literæ est possessio terræ Canaanis, quæ per benedictionem Abrahami intelligitur, & quoque per verba quæ sequuntur, "Ad hæreditandum te terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus Abrahamo; secundum illum sensum etiam illa verba capiunt omnes qui credunt quod Historica Verbi non cœlestiora & arcaniora involvant, imprimis Gens Judaica, quæ etiam sibi præ omnibus gentibus & populis inde vindicat prærogatativam; similiter intellexerunt illa patres eorum, ac imprimis Jacobus, qui qualis fuerit, constare potest ex illis quæ mox supra n: 2667, dicta sunt, quod nempe non noverit Jehovam, nec agnoscere voluerit, nisi corporea & mundana ei daret; sed quod nec Abraham, nec Jischak, nec Jacobus intellecti sint, sed quod per Jacobum repræsentetur Dominus quoad Naturale quod Divinum faceret, ab explicationibus abunde patet: quod perinde sit, qualis homo sit qui repræsentat, sive malus sive bonus, & quod malus æque repræsentare possit, & repræsentaverint Divinum Domini, videatur n: 665. 1097. 1361: idem potest constare ex repræsentativis quæ etiam hodie; omnes enim Reges, quicunque sunt & qualescunque sunt, per ipsum Regium apud illos repræsentant Dominum; pariter omnes Sacerdotes, quicunque & qualescunque sunt per ipsum Sacerdotale; ipsum Regium & ipsum Sacerdotale est Sanctum, qualiscunque is est qui ministrat; inde est, quod Verbum quod Malus docet, æque sanctum sit, etiam Sacramentum baptismi & Sacra Cœna, & similia: inde quoque constare potest, quod nusquam aliquis Rex sibi vindicare queat de Sancto quod ejus Regii est; nec aliquis Sacerdos de Sancto quod ejus Sacerdotii est; quantum sibi ex illo vindicat seu id sibi tribuit, tantum furis spiritualis characterem, seu furti spiritualis notam, sibi imponit; & quoque quantum mali facit, hoc est, contra justum & æquum & contra bonum & verum, tantum exuit Rex repræsentativum Sancti Regii, & Sacerdos sancti sacerdotii, ac repræsentat oppositum: inde in Ecclesia Repræsentativa Judaica tot Leges latæ sunt de Sancto, in quo essent imprimis Sacerdotes, cum ministrarent: de qua re, ex Divina Domini Misericordia, plura in sequentibus dicentur.

3671. Tibi

3671. Tibi & femini tuo cum te, quod fignificet cum bono & vero quod inde, conftat ex repræfentatione Jacobi, qui hic eft tibi, quod fit bonum veri feu bonum quod ex vero, de qua fupra; & ex fignificatione feminis, quod fit bonum & verum fidei, de qua n: 1025. 1447. 1610. 2848. 3373; cum te fignificat quod adjunctum bono veri, quod eft Jacob. Se habet cum bono & vero, ficut cum feminibus, & cum humo; bonum interius eft ficut femen, quod producit, fed non nifi quam in bona humo; bonum & verum exterius eft ficut humus, in qua producitur; illud, nempe femen, quod eft bonum & verum interius; quod non aliter radicari poteft: inde eft quod Rationale hominis omnium primo regeneratur, nam ibi funt femina, & dein Naturale, ut hoc inferviat pro humo, n: 3286. 3288. 3321. 3368. 3493. 3620. 3623. 3576; & quia Naturale eft ficut humus, bonum & verum fructificari & multiplicari poteft in Rationali, quod non fieri poffet nifi alicubi haberet humum, in qua femen fuam radicem: Ex hac comparatione, ficut in fpeculo videri poteft, quomodo fe habet cum Regeneratione, & cum plurimis arcanis ejus: intelligere bonum & verum, & velle illa, eft Rationalis, perceptiones boni & veri inde funt ficut femina, at fcire illa & agere illa, eft Naturalis; ipfa fcientifica & opera funt ficut humus, quando homo afficitur fcientificis quæ confirmant bonum & verum, & magis cum jucundum appercipit in agendo illa, tunc funt femina ibi ut in fua humo, & crefcunt; inde bonum fructificatur & verum multiplicatur, & continue ex humo illa afcendunt in Rationale, & hoc perficiunt; aliter fe habet, cum homo intelligit bonum & verum, & quoque interius percipit aliquid velle, fed ufque non amat fcire illa, & minus facere illa, tunc non fructificari poteft bonum & multiplicari verum in Rationali.

3672. Ad hæreditandum te terram peregrinationum tuarum, quod fignificet vitam inftructionum, conftat ex fignificatione hæreditare, quod fit vitam alterius habere, de qua n: 2658. 2851; hic vitam ex Divino, quod fignificatur per illa verba quæ mox fequuntur; & ex fignificatione peregrinationum, quod fint inftructiones, de qua n: 1463. 2025; terra fignificat ubi vita. Vita inftructionum, de qua hic, eft vita boni ex vero, quod hic per Jacobum repræfentatur, cum enim vivitur fecundum vera, quibus inftruitur homo, tunc eft in vita inftructionum.

3673. Quam dedit Deus Abrahamo, quod fignificet quæ ex Divino, conftat ex repræfentatione Abrahami, quod fit Dominus quoad Divinum quod Pater in Verbo vocatur, de qua n: 2011. 3251. 3439; quod dedit Deus, fit appropriatum Ipfi, conftare poteft, nam quod eft datum, eft illius cui datum; inde patet, quod per, quam dedit Deus Abrahamo, fignificetur vita quæ ex Divino.

3674. Et mifit Jifchak Jacobum, quod fignificet initium exiftentiæ, conftat ex eo, quod nunc ingrediatur Jacob repræfentare bonum veri, ita initium exiftentiæ Divini Naturalis Domini; quæ enim in fequentibus de Jacobo apud Labanem dicuntur, continent illa; inde eft, quod mifit Jifchak Jacobum, fignificet initium exiftentiæ.

Hhh 3675. Et

3675. Et ivit Paddanem Aram, quod significet cognitiones illius veri, constat ex significatione Paddanis Aram, quod sint cognitiones veri, de qua supra n: 3664.

3676. Ad Labanem filium Bethuelis Aramæi, quod significet bonum collaterale, constat ex repræsentatione Labanis, quod sit bonum communis stirpis collaterale, de qua etiam supra n: 3665; & ex representatione Bethuelis, quod sit bonum gentium primæ classis, de qua n: 2865. 3665, ex quo sicut ex communi stirpe bonum quod per Labanem repræsentatur; quod Bethuel cognominetur hic Aramæus, est quia per Aram seu Syriam significantur cognitiones boni & veri, n: 1232. 1234. 3249, de quibus hic agitur. Verum externum ex quo bonum, quod hic est Jacob, non aliud est quam cognitiones, nam hæ sunt vera, quæ omnium primo hauriuntur, & quoque pro veris habentur ab illis qui in initio regenerationis sunt: sed cognitiones non sunt vera in se, sed ex Divinis quæ in illis sunt, quæ cum elucent, tunc primum fiunt vera; sunt interea modo sicut vasa communia, per quæ & in quibus vera recipi possunt, sicut sunt illa, de quibus prius n: 3665 f; & sicut sunt omnia scientifica, quæ primum discuntur.

3677. Fratrem Rebeccæ matris Jacobi & Esavi, quod significet affinitatem ex matre cum bono veri quod Jacob cum boni vero quod Esau, constat ex repræsentatione Rebeccæ, quod sit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Verum, de qua sæpius prius; ex repræsentatione Jacobi, quod sit bonum veri seu bonum quod ex vero in naturali; & ex repræsentatione Esavi, quod sit boni verum, seu bonum ex quo verum in naturali, de quibus supra n: 3669: & quia omnia bona & vera, quæ sunt in Naturali seu Externo homine, concipiuntur & nascuntur a Rationali seu Interno homine, nempe a bono Rationalis ut a patre, & a vero Rationalis ut a matre n: 3314. 3573. 3616, ideo per illa verba significatur affinitas ex matre cum bono veri quod Jacob, cum boni vero quod Esau; se quoque prorsus similiter habent; sed explicare illa ad captum, perquam difficile est, ex causa, quia communissima hujus rei hodie ignota sunt, sicut quid bonum spirituale, & quid verum ejus, & quod innumerabilia genera boni & veri ejus sint, & adhuc innumerabiliores species, tum quod per gradus quasi consanguinitatis & affinitatis inter se conjuncta sint; hæc, quæ communissima, cum ignota sunt, descriptio graduum & affinitatum in meras umbras caderet; & eo adhuc magis, quia docti hodie nec scire illa volunt, amant enim solum in cortice errare, & disceptare, non qualia sunt, sed num sint, & quamdiu in illo statu sunt, nihil prorsus scire volunt de innumerabilibus illis.

3678. Vers: 6. 7. 8. 9. *Et vidit Esau, quod benedixerit Jischak Jacobo, & miserit illum Paddanem Aram, ad accipiendum sibi exinde mulierem, in benedicendo eum illi, & præceperit super illum, dicendo, non accipies mulierem e filiabus Canaan. Et audiverit Jacob ad patrem suum, & ad matrem suam, & iverit Paddanem Aram. Et vidit Esau, quod malæ filiæ Canaan in oculis Jischaki patris sui. Et ivit Esau ad Jischmael, & accepit Machalath filiam Jischmaelis filii Abrahami sororem Nebajoth super fœminas suas sibi ad mulierem.*

Vidit

Vidit Esau quod benedixerit Jischak Jacobo, significat cogitationem boni naturalis de conjunctione per veri bonum quod Jacob: & miserit illum Paddanem Aram, significat initium existentiæ per cognitiones illius boni: ad accipiendum sibi exinde mulierem, significat sic conjunctionem per affectionem veri: in benedicendo eum illi, & præceperit super illum, dicendo, significat ut conjunctio fieret, reflexionem & inde perceptionem: non accipies mulierem e filiabus Canaan, significat quod non conjungeretur affectionibus falsi & mali: & audiverit Jacob ad patrem suum & ad matrem suam, significat obedientiam & affectionem: & iverit Paddanem Aram significat, hic ut prius, ad imbuendum cognitiones boni & veri illas: & vidit Esau quod malæ filiæ Canaan in oculis Jischaki patris sui, significat prævidentiam & providentiam Domini, quod affectiones veri illius, cum quibus bonum naturale hactenus conjunctum esset, non conducerent ad conjunctionem: & ivit Esau ad Jischmael, & accepit Machalath filiam Jischmaelis filii Abrahami, significat conjunctionem boni illius cum vero ex origine Divina: sororem Nebajoth super fœminas suas sibi ad mulierem, significat affectionem veri cœlestis interius.

3679. Vidit Esau quod benedixerit Jischak Jacobo, quod significet cogitationem boni naturalis de conjunctione per veri bonum, quod Jacob, constat ex significatione videre, quod sit cogitare, cogitare enim non aliud est quam videre intus, seu visus internus; ex repræsentatione Esavi, quod sit bonum naturalis, de qua n: 3300. 3302. 3322. 3494. 3504. 3576. 3599; ex significatione benedici, quod sit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; ex repræsentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale Domini quoad Divinum Bonum, de qua prius; & ex repræsentatione Jacobi, quod sit veri bonum, de qua n: 3669. 3677; inde patet, quod per vidit Esau quod benedixerit Jischak Jacobo, significetur cogitatio boni naturalis de conjunctione per veri bonum. Quid autem sit cogitatio boni naturalis de conjunctione per veri bonum, nec satis explicari potest ad captum, sed usque paucis explicandum; cogitatio boni naturalis est cogitatio Rationalis seu Interni hominis in Naturali seu Externo homine, & quidem ex ejus bono; Rationalis enim seu Internus homo est qui cogitat, non autem Naturalis seu Externus, nam ille seu Internus homo est in luce cœli, in qua luce est intelligentia & sapientia a Domino, n: 3195. 3399. 3636. 3643, sed Externus homo est in luce mundi, in qua nulla est intelligentia, & ne quidem vita; quapropter nisi Internus homo cogitaret in Externo, nusquam aliquid cogitari posset; sed usque apparet cogitatio homini sicut in ejus Externo foret, nam ex illis quæ per sensus intrarunt, & sunt mundi, cogitat; hæc se habent, sicut visus oculi, homo sensualis putat, quod oculus videat ex se, cum tamen oculus modo est organum corporis, per quod Internus homo videt illa quæ extra corpus sunt seu quæ in mundo; & quoque sicut se habet cum loquela, sensualis homo putaret, quod os & lingua loqueretur ex se, & qui aliquantum sublimius cogitat, quod larynx & organa interiora aspirate

a pulmone, cum tamen eſt cogitatio quæ per organica illa loquitur, nam loquela nihil aliud eſt quam cogitatio loquens; tales fallaciæ ſenſuum ſunt perplures: ſimiliter ſe habet cum omni vita apparente in Externo homine, quod ſit vita Interni in illo, ut in ſuo organo materiali & corporeo; cum cogitatione ita eſt, homo quamdiu in corpore vivit, cogitat ex Rationali in Naturali, verum aliter cum Naturale correſpondet Rationali, & aliter cum Naturale non correſpondet; cum Naturale correſpondet, tunc homo Rationalis eſt, & ſpiritualiter cogitat, at cum Naturale non correſpondet, tunc non Rationalis eſt, nec ſpiritualiter cogitare poteſt; apud illum enim cujus Rationali correſpondet Naturale, aperta eſt communicatio, ut influere poſſit lux cœli a Domino per Rationale in Naturale, & hoc illuſtrare intelligentia & ſapientia, inde eſt ille Rationalis & ſpiritualiter cogitat; at apud hunc cujus Rationali non correſpondet Naturale, eſt clauſa communicatio, & ſolum aliquid lucis in communi circum circa & per rimas influit per Rationale in Naturale, inde is non Rationalis eſt, & non ſpiritualiter cogitat; homo enim ſicut ei eſt influxus lucis cœli, ita cogitat; inde patet, quod quiſque homo cogitet ſecundum ſtatum correſpondentiæ Naturalis cum Rationali quoad bonum & verum: ſed Spiritus & Angeli non ita ſicut homo, cogitant; cogitatio quidem eorum terminatur etiam in Naturali, omnem enim naturalem memoriam & ejus affectiones ſecum habent, ſed memoria illa non eis licet uti, n: 2475 ad 2479; & tametſi illa non eis licet uti, uſque inſervit illis pro plano aut ſicut pro fundamento, ut ideæ cogitationis illorum ibi terminentur, inde eſt, quod cogitationis eorum ideæ ſint interiores, & loquela eorum non ſit ex formis vocum, ut apud hominem, ſed a formis rerum; inde patet, quod illis quoque talis cogitatio, qualis eſt correſpondentia Naturalis eorum cum Rationali; & quod ſpiritus ſint, qui Rationales ſunt, & ſpiritualiter cogitant, & qui non Rationales ſunt & non ſpiritualiter cogitant, & hoc prorſus ſecundum affectiones & inde cogitationes rerum in vita corporis, hoc eſt, ſecundum ſtatum vitæ, quam ſibi in mundo acquiſiverunt: quid itaque Cogitatio boni naturalis ſit, inde aliquantum patet, quod nempe ſit cogitatio in bono naturalis, (ſecundum ideam ſpirituum dicitur cogitatio boni naturalis, quod ſecundum ideam hominum dicitur cogitatio in bono naturalis:) in hoc, nempe in bono Naturalis cogitat Rationale, cum ſpectat bonum ut finem, ita cogitatio boni naturalis de conjunctione per veri bonum, eſt cogitatio in naturali de fine, quomodo nempe ei conjungi poſſit verum, & hoc ſecundum ordinem Divinum, per viam communem, quæ eſt, ut ſæpe prius dictum, a talibus quæ externa ſunt, & ſic quæ in ordine ultima ſeu extrema ſunt, ab his omnis regeneratio Naturalis inchoat; hæc extrema ſeu ultima ſunt cognitiones primæ, quales ſunt infantum & puerorum, de quibus n: 3665 f: in principio, boni verum quod eſt Eſau, cum bono veri quod eſt Jacob, non conjunctum eſt in externa forma, nam bonum veri reſpective ad boni verum eſt inverſum, n: 3669, at uſque intime, hoc eſt, quoad fines, conjuncta ſunt; finis enim veri quod ex bono, eſt, ut adjungantur

gantur

gantur fibi vera fecundum ordinem, ut dictum, & finis boni quod ex vero, fimiliter, & quia finis conjungit, ideo quoque conjunguntur, n: 3562. 3565; inverfum ordinis primis temporibus eft folum medium fpectans finem.

3680. Et miferit illam Paddanem Aram, quod fignificet initium exiftentiæ per cognitiones illius boni, conftat ex fignificatione miferit illum, quod fit initium exiftentiæ, da qua fupra n: 3674; & ex fignificatione Paddanis Aram, quod fint cognitiones veri, de qua n: 3664; cognitiones boni dicuntur, quia omnia vera funt cognitiones boni, vera, quæ non ex bono, aut quæ non fpectant bonum ut finem, non funt vera; at quatenus fpectant doctrinam, dicuntur cognitiones veri.

3681. Ad accipiendum fibi exinde mulierem, quod fignificet fic conjunctionem per affectionem veri, conftat ex fignificatione mulieris, quod fit affectio veri, de qua n: 1468. 2517. 3236, quam accipere, eft illi adjungi.

3682. In benedicendo eum illi, & præceperit fuper illum, dicendo, quod fignificet ut conjunctio fieret, reflexionem & inde perceptionem, conftat ex fignificatione benedici, quod fit conjunctio, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; & ex fignificatione præcipere & dicere, quod fit reflexio & inde perceptio, de qua n: 3661.

3683. Non accipies mulierem a filiabus Canaan, quod fignificet quod non conjungeretur affectionibus falfi & mali, conftat ex fignificatione accipere mulierem, quod fit affociari & conjungi, & a fignificatione filiarum Canaan, quod fint affectiones falfi & mali, de qua etiam fupra n: 3662.

3684. Et audiverit Jacob ad patrem fuum & ad matrem fuam, conftat a fignificatione audire ad aliquem feu aufcultare, quod fit obedire, de qua n: 2542; quod ad patrem & matrem, fignificat obedientiam ex affectione.

3685. Et iverit Paddanem Aram, quod fignificet ad imbuendum cognitiones boni & veri illius, conftat ex fignificatione ire & proficifci, quod fit vitæ ordo & inftitutum, de qua n: 1293. 3335, hic itaque ad imbuendum fecundum ordinem, nempe cognitiones boni & veri illius, quæ fignificantur per Paddanem Aram, n: 3664. 3678.

3686. Et vidit Efau, quod malæ filiæ Canaan in oculis Jifchaki patris fui, quod fignificet prævidentiam & providentiam Domini quod affectiones veri illius, cum quibus bonum naturale hactenus conjunctum effet, non conducerent ad conjunctionem, conftat a fignificatione videre hic, quod fit prævidentia & providentia, de qua n: 2837. 2839; ex repræfentatione Efavi, quod fit Dominus quoad Divinum Bonum Naturalis, de qua prius; ex fignificatione filiarum Canaanis, hic filiarum Cheth, quod fint affectiones veri ex non genuino, de qua n: 3470. 3620. 3621. 3622; & ex fignificatione in oculis Jifchaki patris fui, quod fit non conducere ad conjunctionem, nempe per Naturalis bonum quod Efau cum Rationalis bono quod Jifchak; inde patet, quod per illa verba fignificetur prævidentia & providentia Domini, quod affectiones veri illius, quia non ex genuino, non conducerent ad conjunctionem: hæc quomodo fe habent, conftare poteft ab explicatione ad Cap: XXVI. Verf: 34. 35, ubi agitur de filiabus Cheth, quas Efau fibi acceperat

perat mulieres; & ad Cap: XXVII, Verf: 46, ubi agitur de Jacobo, quod non ex filiabus Canaan fumeret fibi mulierem: quod per filias Canaan hic fignificentur affectiones veri ex non genuino, & fupra per filias Canaan affectiones falfi & mali, n: 3662. 3681, inde eft, quia Chittæi fuerunt in terra Canaane ab Ecclefia gentium, non ita in falfo & malo ficut gentes aliæ ibi, ut Cananæi, Emorræi, & Perifæi; inde etiam per Chittæos repræfentata eft Ecclefia fpiritualis Domini apud gentes, n: 2913. 2986. Quod Antiquiffima Ecclefia, quæ Cœleftis, & ante diluvium, fuerit in terra Canaane, videatur n: 567; & quod Ecclefia Antiqua, quæ poft diluvium, etiam ibi, præter in pluribus aliis Regnis, n: 1238. 2385; inde ortum, quod omnes gentes ibi, & quoque omnes terræ ibi, & omnes fluvii ibi, induerint repræfentativa; nam Antiquiffimi, qui cœleftes homines fuerunt, per omnia objecta, quæ videbant, perceperunt talia quæ funt Regni Domini, n: 920. 1409. 2896. 2897. 2995, ita quoque per terras & fluvios ibi; illa repræfentativa poft illorum tempora permanferunt in Ecclefia Antiqua, ita quoque repræfentativa locorum ibi; Verbum in Antiqua Ecclefia, de quo n: 2897. 2898. 2899, etiam nomina locorum repræfentativa inde habuit, ficut etiam Verbum poft illorum tempus, quod Mofes & Prophetæ vocatur; & quia ita erat, Abraham juffus eft, ut illuc iret, & ei promiffio facta, ut pofteri ejus poffiderent illam terram, & hoc non ideo, quia reliquis gentibus meliores erant, erant enim inter omnium peffimos, n: 1167. 3373, fed ut per illos Ecclefia Repræfentativa inftitueretur, in qua nihil reflectebatur fuper perfonam, ac fuper loca, fed fuper res, quæ repræfentabantur, n: 3670, & fic quoque nomina Antiquiffimæ Ecclefiæ, & Antiquæ, retinerentur.

3687. Et ivit Efau ad Jifchmael, & accepit Machalath filiam Jifchmaelis filii Abrahami, quod fignificet conjunctionem boni illius cum vero ex origine Divina, conftat ex repræfentatione Efavi, quod fit bonum Naturalis, de qua fupra; ex repræfentatione Jifchmaelis filii Abrahami, quod fit verum ex origine Divina; quod Jifchmael repræfentet Ecclefiam fpiritualem Domini, & proinde verum, videatur n: 1949. 1950. 1951. 2078. 2691. 2699. 3268; & quod Abraham repræfentet Divinum Domini quod Pater vocatur, n: 2011. 3251. 3439, inde per Machalath filiam Jifchmaelis filii Abrahami, fignificatur verum ex origine Divina; quod accipere uxorem, fit affociari & conjungi, patet: inde conftat, quod per ivit Efau ad Jifchmael, & accepit Machalath filiam Jifchmaelis filii Abrahami, fignificetur conjunctio boni illius cum vero ex origine Divina.

3688. Sororem Nebajoth fuper fæminas fuas in mulierem, quod fignificet affectionem veri cœleftis interius, conftat ex fignificatione fororis, quod fit verum intellectuale feu rationale, de qua n: 1495. 2508. 2524. 2556. 3386; ex repræfentatione Nebajoth, quod fit bonum, quod eft Ecclefiæ fpiritualis, de qua n: 3268; inde foror Nebajoth fignificat affectionem veri cœleftis, feu quod idem affectionem boni fpiritualis; ex fignificatione fæminarum feu filiarum Cheth, quod fint affectiones veri ex non genuino, de qua n: 3470. 3620. 3621. 3622. 3684; & ex fignificatione accipere mulierem, quod fit affociari

aſſociari & conjungi; inde patet, quod per hæc cum illis quæ mox ſupra, ſignificetur conjunctio boni per Eſavum repræſentati cum vero ex origine Divina, ita cum affectione veri cœleſtis interius. Quomodo hæc ſe habent, quidem prius dictum, ſed talia ſunt, quæ ægre cadunt ſub intellectum, quamdiu communiſſima hujus rei neſciuntur, & præterea talia mundus hodie non curat, quia terreſtria ſunt quæ ei curæ, non autem cœleſtia, quoniam, ſicut quoque dicitur, illa vident & ſciunt, hæc autem non vident nec ſciunt; at quia non modo detegenda ſunt, quæ in Verbi ſenſu interno continentur, ſed etiam explicanda, licet exemplo illuſtrare, quomodo ſe habet cum boni vero quod Eſau repræſentat, & cum bono veri quod Jacob, & ſimul cum eo, quod bonum veri ſit inverſum ad boni verum, antequam regeneratus eſt homo, at poſtmodum quod conjuncta, ita cum illis quæ hactenus dicta ſunt: ſit pro exemplo; homo qui talis eſt, ut regenerari poſſit, hoc enim prævidet Dominus, & quia prævidet etiam providet; is primum ſicut infans puer nondum ſcit, quid opera charitatis erga proximum, quia nondum novit quid charitas, nec quid proximus; quapropter quia ex Verbo ſcit, quod pauperibus dandum, & qui pauperibus dat quod merces illi ſit in cœlo, idcirco mendicantibus præ aliis benefacit, quia credit quod illi ſint pauperes qui intellecti in Verbo, non expendens, quod tales qui in plateis mendicant, quoad plurimam partem, impiam & quoque ſceleſtam vitam vivant, & omne quod cultus Divini eſt ſpernant, ſeque dederint prorſus otio & inertiæ; is qui regeneratur, in primo ſtatu, nihilo minus illis ex corde benefacit; hæc bona ſunt bona veri externi a quibus inchoat; boni verum, quod interius eſt, influit ita in illa, & operatur hoc ſecundum cognitiones in quibus puer eſt: poſtmodum autem cum magis illuſtratur, tunc benefacere vult omnibus quos egenos & miſeros credit, & vix adhuc diſcrimen facit inter egenos & miſeros pios & impios, credens unumquemvis eſſe in ſimili reſpectu & gradu proximum: at cum in his magis illuſtratur, tunc facit diſcrimen, ac probis & bonis ſolum opem fert, ſciens quod opem ferre malis, ſit malefacere multis, nam per beneficia & officia illis copiam facit malefaciendi aliis: tandem cum ille regeneratur, non bonum facit niſi bonis & piis, quia tunc non homine cui benefacit, ſed ipſo bono apud illum, afficitur; & quia in bono & pio Dominus eſt præſens, ita per affectionem erga bonum, etiam in Dominum teſtatur amorem; cum in illa charitate ex corde eſt, tunc regeneratus eſt: inde patet, quod ejus ſtatus prior fuerit inverſus reſpective ad hunc ſtatum, quod nempe bonum crediderit quod non bonum erat, ſed quod uſque id facere in principio regenerationis debuerit, quia cognitio rei apud eum non ulterius vadit, & quia charitatis bonum interius non potuit influere in aliud verum quam quod cognitionis ejus fuit; tum quoque quod bonum interius ſemper affuerit, & hoc operatum ſit, & quod hoc ſe non prius manifeſtare potuerit, quam cum per cognitiones ſucceſſive illuſtratus fuerit de bonis & veris qualia eſſent: inde patet aliquantum, quid bonum veri quod hic Jacob repræſentat, & quid boni verum quod Eſau, & quod hæc primum inverſa ſint, ſed poſtea quod conjuncta.

3689.

* * * *

3689. Verf: 10. 11. *Et exivit Jacob e Beerfchebah, & ivit Charanem. Et incidit in locum, & pernoctavit ibi, quia occidit fol, & fumfit de lapidibus loci, & pofuit fub capitalia fua, & cubuit in loco illo.* Exivit Jacob e Beerfchebah, fignificat vitam remotiorem a doctrinalibus Divinis: & ivit Charanem, fignificat bonum & verum illius gradus: Et incidit in locum, fignificat ftatum: & pernoctavit ibi quia occidit fol, fignificat vitam in obfcuro: & fumfit de lapidibus loci, fignificat vera illius ftatus: & pofuit fub capitalia fua, fignificat communicationem communiffimam cum Divino; & cubuit in loco illo, fignificat tranquillitatem ftatus.

3690. Exivit Jacob e Beerfchebah, quod fignificet vitam remotiorem a doctrinalibus Divinis, conftat a fignificatione ire, quod fit vivere, de qua n: 3335. 3685; ita exire, quod fit vivere remotius; & ex fignificatione Beerfchebah, quod fit Doctrina Divina, de qua n: 2723. 2858, 2859. 3466; inde patet, quod per exivit Jacob a Beerfchebah, fignificetur vita remotior a doctrinalibus Divinis: Vita remotior dicitur, quando illa eft in veris externis, & fecundum illa vivitur, ficut eft vita infantiæ & pueritiæ eorum qui regenerantur, de quibus mox fupra n: 3688. Ut amplius pateat quid & qualis illa vita, adhuc paucis dicendum eft: omnia hiftorica Verbi, funt vera remotiora a doctrinalibus ipfis Divinis, at ufque inferviunt infantibus & pueris, ut per illa introducantur in doctrinalia veri & boni interiora, per gradus, & tandem ab ipfa Divina; intime enim in illis eft Divinum; cum infantes illa legunt, & illis ex innocentia afficiuntur, tunc angeli apud illos in ftatu amæno cœlefti funt, nam ii a Domino afficiuntur fenfu interno, proinde illis quæ hiftorica repræfentant & fignificant; amænitas cæleftis Angelorum eft, quæ influit & facit delectationem apud infantes: ut is ftatus primus fit, feu infantiæ & pueritiæ regenerandorum, ideo hiftorica Verbi data funt, ac ita confcripta, ut omnia & fingula etiam ibi in fe Divina contineant. Quantum illa remota funt a doctrinalibus Divinis, patere poteft ab exemplo ex hiftoricis illis; qui primum modo novit, quod Deus defcenderit fuper montem Sinai, & dederit Mofi tabulas, quibus infcripta fuerunt decem mandata, & quod Mofes illas fregerit, ac Deus fuper aliis tabulis fimilia fcripferit, is cum folum hiftorico hoc delectatur, in vita veri externi eft, remota a doctrinalibus Divinis: poftea autem cum incipit delectari & affici ipfis mandatis feu præceptis quæ ibi, ac fecundum illa vivit, tunc in vita veri, at ufque adhuc remota ab ipfis doctrinalibus Divinis eft; vita enim fecundum illa, eft folum vita moralis, cujus præcepta omnibus, qui in focietate humana funt, ex ipfa vita civili & legibus ibi, notæ; ficut quod Numen colendum, parentes honorandi, non occidendum, non adulterandum, non furandum; fed qui regeneratur, a vita hac remotiore, feu a vita morali, per gradus inducitur in vitam propiorem doctrinalibus Divinis, hoc eft, in vitam fpiritualem; cum hoc fit, tunc mirari incipit, cur talia mandata feu præcepta cum tanto miraculo e cœlo demiffa fuerint, & digito Dei infcripta tabulis, cum tamen unicuique populo nota funt, & quoque fcripta in legibus illorum, qui nufquam aliquid

aliquid e Verbo audiverunt; cum in hunc cogitationis ſtatum venit, ſi inter illos eſt qui regenerari poſſunt, in interiorem ſtatum adhuc a Domino perducitur, nempe in illum, ut cogitet, quod altiora inibi lateant, quæ adhuc non novit; & cum Verbum in eo ſtatu legit, tunc paſſim apud prophetas, & imprimis apud Evangeliſtas, invenit, quod ſingula illa præcepta in ſe cœleſtiora contineant; ſicut quod honorandi parentes, quod, cum e novo naſcuntur, hoc eſt, cum regenerantur, alium Patrem accipiant, & quod tunc Illius filii fiant, & quod Ille ſit qui honorandus, ita quod is ſenſus ſit, qui interius in illo præcepto latet; per gradus etiam diſcit, quis novus ille Pater, quod nempe ſit Dominus, & tandem quomodo Ille honorandus, quod nempe colendus, & quod tunc colatur, quando amatur; cum ille qui regeneratur in hoc vero eſt, & in vita ſecundum illud, tunc in doctrinali Divino eſt; & tunc eſt in ſtatu angelico, & inde ſpectat illa quæ prius noverat, ſicut ſuccedentia ordine, & ſicut fluentia ex Divino quaſi ſecundum gradus ſcalæ, ſupra quam Jehovah ſeu Dominus eſt, & ſuper gradibus Angeli Ipſius qui aſcendunt & deſcendunt; ita videt illa, quibus prius delectatus fuerat; ſecundum gradus remotiora a ſe: ſimiliter ſe habet cum reliquis præceptis decalogi, videatur n: 2609: inde nunc conſtare poteſt, quid ſit vita a doctrinalibus Divinis remotior, quæ ſignificatur per quod exivit Jacob e Beerſchebah.

3691. Et ivit Charanem, quod ſignificet ad bonum & verum illius gradus, conſtat ex ſignificatione Charanis, quod ſit bonum & verum externum, per Charanem enim ſignificatur externum, & per Labanem qui ibi, bonum & verum, ita per Charanem hic externum bonum & verum, quod id per Charanem ſignificetur, videatur n: 1430. 3612; inde patet, quod per exivit Jacob e Beerſcheba & ivit Charanem, in ſenſu interno ſignificetur, quod ſe contulerit remotius a doctrinalibus Divinis, ita ad bonum & verum externum. Quod dicatur bonum & verum illius gradus, eſt quia bona & vera inter ſe prorſus diſtincta ſunt ſecundum gradus; bona & vera interiora ſunt in gradu ſuperiori, & exteriora in gradu inferiori; in ſuperiori gradu ſunt bona & vera quæ ſunt Rationalis, & in inferiori ſunt bona & vera Naturalis in infimo ſunt bona & vera ſenſualia quæ ſunt corporis: bona & vera interiora, ſeu quæ in ſuperiori gradu ſunt, influunt in bona & vera exteriora ſeu quæ in gradu inferiori ſunt, & ſiſtunt ibi imaginem ſui, pæne ſicut ſe ſiſtunt affectiones interiores hominis in facie & ejus mutationibus: inde patet, quod bona & vera interiora prorſus ſeparata ſint a bonis & veris exterioribus, ſeu quod idem, quæ in ſuperiori gradu ab illis quæ in inferiori, ac ita ſeparata, ut interiora, ſeu quæ in gradu ſuperiori ſunt, exiſtere poſſint abſque exterioribus ſeu quæ in gradu inferiori: qui non diſtinctam notionem graduum habet, nec poteſt diſtinctam notionem bonorum interiorum & exteriorum habere; nec quomodo ſe habet cum anima hominis ſeu cum ejus ſpiritu & corpore, nec quomodo ſe habet cum cœlis in altera vita; quod tres cœli ſint, notum eſt, & quod unum cœlum ſit interius altero, & quod tertium cœlum ſit intimum; cœli illi ſunt diſtinctiſſimi inter ſe ſecundum gradus,

qui in intimo seu Tertio Cœlo, sunt propius Domino; qui in interiori seu Secundo, sunt remotius; & qui in exteriori seu in Primo, sunt adhuc remotius; communicatio inter illos Cœlos non aliter dari potest, quam sicut communicatio intimorum hominis cum exterioribus ejus, nam homo qui in amore in Dominum est, & in charitate erga proximum, est quoddam exiguum cœlum, correspondens in imagine tribus Cœlis; etiam ex tribus Cœlis est illi influxus boni & veri a Domino secundum similes gradus: quales sunt gradus inter se, constare potest a binis illis exemplis, quæ supra n: 3688 & 3690, allata sunt: qui in ipso amore in Dominum sunt, adeo ut perceptionem amoris habeant, illi sunt in superiori gradu boni & veri, inque intimo & Tertio Cœlo, ita propius Domino, & vocantur Angeli Cœlestes; qui autem in charitate erga proximum sunt, adeo ut perceptionem charitatis habeant, non ita perceptionem amoris in Dominum, illi sunt in inferiori gradu boni & veri, inque interiori seu Secundo Cœlo, & sic remotius a Domino, & appellantur Angeli spirituales, qui autem in charitate erga proximum sunt solum ex affectione veri, adeo ut non perceptionem ipsius charitatis erga proximum habeant, quam ex vero quo afficiuntur, illi sunt in adhuc inferiori gradu boni & veri, inque exteriori seu Primo cœlo, & sic adhuc remotius a Domino, & dicuntur spiritus boni: inde aliquantum constare potest, quomodo cum gradibus se habet, quod nempe illa quæ in superiori gradu sunt, se sistant in imagine in illis quæ in proxime inferiori; in amore in Dominum, est proxima imago Domini, quæ vocatur similitudo, quapropter illi qui in ipso amore in Dominum sunt, vocantur similitudines Ipsius; in Charitate est quoque imago Domini, sed remotior, in ipsa enim Charitate est Dominus præsens, quapropter qui in illa sunt, appellantur imagines Ipsius, videatur n: 50. 51. 1013; at qui in affectione veri, & inde in quadam specie charitatis erga proximum, illi quoque sunt imagines Domini, sed adhuc remotius: in hos gradus sunt distincti tres cœli, & secundum illos gradus influit Dominus cum Divino Bono & Vero, ita cum sapientia & intelligentia, & cum cœlesti gaudio & felicitate.

3692. Et incidit in locum, quod significet statum, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377. 2625. 2837. 3356. 3386.

3693. Et pernoctavit ibi quia occidit sol, quod significet vitam in obscuro, constat ex significatione noctis, quod sit status umbræ, de qua n: 1712, ita pernoctare quod sit vivere in illo statu; & ex significatione occidere sol, quod sit in obscuro, nam tunc est vespera, per quam quod obscurum significetur, videatur n: 3056. Per obscurum hic intelligitur obscurum intelligentiæ quoad verum, & obscurum sapientiæ quoad bonum, nam lux quæ est Angelis a Domino, in se habet intelligentiam & sapientiam, & quoque inde est, n: 1521. 1524. 1529. 1530. 3138. 3167. 3195. 3339. 3341. 3636. 3637. 3642; quare quantum in luce sunt, tantum quoque in intelligentia & sapientia, quantum autem non in luce, ita quantum in umbra, tantum non in intelligentia & sapientia, n: 2776. 3190. 3337: inde est, quod illa quæ intellectus sunt, etiam in familiari sermone dicantur lucis; homo ignorat quod sit inde, quare credit ita solum comparative dici, sed præter hoc, etiam plura alia

alia habet homo ex perceptione talium quæ in altera vita, in qua eſt quoad ſpiritum, quæ recepta ſunt in ſermone, quia interius agnita, ſed obliterata per corporea, quæ talia ſunt ut exſtinguant illa quæ ſunt perceptionis in qua eſt interior ejus homo. Quod occaſus ſolis ſignificet in Verbo falſum & malum, in quo ſunt illi apud quos nulla charitas & fides, ita quoque ultimum tempus Eccleſiæ, videatur n: 1837; & quoque quod ſignificet obſcurum quoad illa quæ boni & veri ſunt, quale obſcurum eſt illis qui in gradu remotiori a doctrinalibus Divinis, n: 3692: quod occaſus ſolis, ſeu occidit ſol, illa ſignificet, conſtare poteſt ab his locis in Verbo; apud Micham, "Nox vobis pro viſione, & tenebræ vobis pro divinatione; & *Occidet ſol ſuper prophetas*, & nigreſcet ſuper illos dies," III: 6; occidet ſol ſuper prophetas, pro quod illis non amplius verum & veri intellectus; prophetæ pro illis qui vera doctrinæ docent, n: 2534. Apud Amos, "Fiet in die illo *occidere faciam ſolem in meridie*, & obtenebrabo terram in die lucis, & convertam feſta veſtra in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentum," VIII: 9. 10; occidere facere ſolem in meridie, pro obſcuro quoad verum apud illos qui in cognitionibus boni & veri ſunt, quod meridies ſit ſtatus lucis, ſeu cognitionum veri, videatur n: 1458. 3195 pr. Apud Eſaiam, "*Non occidet amplius ſol tuus*, & luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem æternitatis," LX: 20; ibi de Regno Domini; non occidet amplius ſol, pro quod in vita boni & ſapientia erunt, quia in amore & luce cœleſti Domini; luna non colligetur, pro quod in vita veri & intelligentia erunt, quia in amore & luce ſpirituali Domini; quod Dominus ſit in altera vita ſol angelis cœleſtibus, & luna ſpiritualibus, & quod inde illis ſapientia & intelligentia, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495. 3636. 3643; inde conſtare poteſt, quid in ſenſu interno Verbi ſit ortus ſolis & occaſus ſolis. Apud Davidem, "Jehovah Deus mi, magnus es valde, gloriam & honorem induiſti: Qui operit ſe luce ſicut veſte; extendit cœlos ſicut cortinam; fecit lunam pro feſtis ſtatis, *ſolem* novit *occaſum ſuum*, diſponis tenebras & fiat nox," Pſalm: CIV: 1. 2. 19. 20; ſimiliter hic luna pro intelligentia, & ſol pro ſapientia a Domino, occaſus ſolis pro obſcuro utriuſque; diſponere tenebras ut fiat nox, pro ſtatum obſcuritatis moderari; angelis enim quod ſint ſtatus mutationes inter ſummum lucis & minus lucis, ſeu inter ſummum ſapientiæ & minus ſapientiæ, & quod illæ ſtatus mutationes ſint ſicut mane cum oritur ſol, & ſicut meridies cum in ſummo ortu, & ſicut veſpera cum occidit, & dein ſicut mane iterum, ex Divina Domini Miſericordia, alibi dicetur. Apud Joſuam, "A deſerto & Libano uſque ad fluvium magnum, fluvium Euphratis, univerſa terra Chittæorum, & uſque ad mare magnum, *Occaſum ſolis*, erit terminus veſter," I: 4, ubi deſcribitur extenſio terræ Canaanis, quæ quod in ſenſu interno ſit Regnum Domini, videatur n: 1607. 3038. 3481; quod fluvius Euphrates ſit, unus terminus ejus, nempe ſpiritualium & cœleſtium, n: 1866, & mare magnum & occaſus ſolis alter, per quem repræſentatur ultimum, quod obſcurum reſpective; quod omnes termini, & omnia loca, in terra illa repræſentent, videatur n: 1585. Apud

Mosen, "Si oppignerando oppigneraveris vestem socii tui, *antequam occidit sol*, restitues illam ei, quia hoc operimentum ejus sola, hæc vestis ejus pro pelle, in qua cubabit," Exod: XXII: 25. 26; & alibi, "Si vir pauper, non cubabis super pignore ejus, restituendo restitues ei pignus, *antequam occidit sol*, & benedicat tibi, & tibi erit justitia coram Jehovah Deo tuo," Deut: XXIV: 12. 13, quod in hac lege sicut in reliquis, repræsentativum & significativum legis Divinæ, quæ est boni & veri in Regno Domini, insit, ex quo illa, a singulis patet; quod inest, ex quo illa lex est, quod non defraudandi socii veris externis, quæ sunt doctrinalia secundum quæ vivunt & ritualia, quod vestis talia vera sint, videatur n: 297. 1073. 2576; quod restitueret antequam sol occideret, est antequam verum apud illum periret, & quia verum illud externum est, dicitur quod vestis pro pelle in qua cubabit. Apud Eundem, "Anima quæ tetigerit immundum, immunda erit usque ad vesperam, & non comedet de sanctis, sed cum laverit carnem suam aquis, & *occiderit sol*, mundus erit; & postea edet de sanctis," Levit: XXII: 6. 7: & alibi, "Qui non est mundus, versus vesperam lavabit se aquis, & *cum occiderit sol*, intrabit in medium castrorum," Deut: XXIII: 11. 12; quod hæc lex quoque originem ducat a legibus boni & veri, seu legibus ordinis, quæ in Regno Domini, constare potest, alioquin non mandatum fuisset, quod immundus esset usque ad vesperam, & se tunc lavaret aquis, & postquam sol occidit, mundus esset; lex ordinis in Regno Domini, ex qua illa, hæc est, quod spiritus boni & angelici, quando in statum amoris sui & inde in statum falsi, labuntur, tunc paulum remittuntur in statum suum naturalem seu inferiorem, ac ibi cognitionibus boni & veri quoad illam rem imbuuntur, quæ significantur per lavare se aquis vespere, quod lavare se aquis sit purificari a falsis, videatur n: 3147. 3148, & quod aquæ sint cognitiones veri, n: 28. 680. 739. 2702. 3058, & postquam in obscuro illo statu fuerunt; qui significatur per occasum solis, in priorem suum statum redeunt, quod significatur per quod mundi erunt, ac intrabunt in medium castrorum; de qua re, ex Divina Domini Misericordia, ab experientia alibi dicetur. Ex his nunc patet, quod occasus solis in Verbo significet statum obscurum quoad verum apud bonos, & statum falsi apud malos.

3694. Et sumsit de lapidibus loci, quod significet vera illius status, constat a significatione lapidum, quod sint vera inferiora, qualia sunt naturalis hominis, de qua n: 643. 1298.

3695. Et posuit sub capitalia sua, quod significet communicationem communissimam cum Divino, constat a significatione sub capitalium seu cervicalium, quod sit communicatio cum externis, ita communissima; cervix enim seu collum, quod sit communicatio interiorum cum exterioribus, seu quod idem, superiorum cum inferioribus, ac inde conjunctio, videatur n: 3542. 3603, inde quæ sub cervice seu collo, hoc est, cervicalia, significant hic communicationem intimorum seu Divinorum cum extimis, quæ communicatio etiam est communissima; externum enim est commune respective, & extimum est communissimum, singularia enim interiorum apparent ut unum, ita

ut

ut commune in exterioribus: hæc quoque sunt, quæ repræsentantur & significantur per scalam statutam terræ, cujus caput pertingeret cœlum, & Angeli Dei ascenderent & descenderent in illa, de qua sequitur.

3696. Et cubuit in loco illo, quod significet tranquillitatem status, constat a significatione cubare, quod sit in statu tranquillitatis esse; cubatio enim & dormitio non aliud est; quod cubare in sensu interno illud sit, constare quoque potest ab aliis locis in Verbo, de quibus mox infra. Cum regenerandis, de quibus hic in sensu interno repræsentativo agitur, ita se habet, quod omnium primo sint in statu tranquillitatis, seu in statu pacis externæ, nam pax externa seu in externis vocatur tranquillitas; producitur etiam a statu pacis divino qui intime, & existit in externis per id, quod cupiditates & falsitates removeantur, hæ enim sunt quæ omnem irrequiem causantur: omnis etiam homo in statu tranquillitatis est in principio vitæ suæ seu in infantia, sed quantum homo in vitam pergit, seu adolescit, tantum a statu illo se removet, quia se dat in curas mundanas, & inde anxietates per cupiditates amoris sui & mundi, & per falsitates inde: pæne consimiliter se habet cum vita nova apud hominem qui regeneratur; principio est ei status tranquillitatis, sed sicut in vitam novam transit, ita etiam in statum intranquillum; emergunt enim & prodeunt mala & falsa, quæ prius imbuerat, & perturbant illum, & tandem usque adeo, ut in tentationibus & vexationibus sit a turba diabolica, quæ continue connititur statum vitæ ejus novæ destruere; sed usque est status pacis ei intime, qui nisi intime foret, non pugnaret, spectat enim continue illum, in pugnis in quibus, ut finem, qui nisi esset finis, nusquam ei foret vis & robur & pugnandum; inde quoque est, quod vincat; & quia ille est finis, etiam post pugnas seu tentationes in illum statum venit; est ille sicut status veris, qui post statum autumni & hyemis succedit, seu sicut status auroræ qui post vesperam & noctem, quod status pacis in spiritualibus sit instar veris & auroræ in naturalibus, videatur n: 1726. 2780; & quod pax a bono & vero sit, & irrequies a malo & falso, n: 3170. Quod Cubare in Verbo significet tranquillitatis statum, constare potest ab his locis; apud Mosen, "Si in statutis meis ambulaveritis, & præcepta mea observaveritis, & feceritis illa, *dabo pacem in terra*, & *cubabitis*, & nemo tenefaciens; & cessare faciam feram malam e terra, & gladius non transibit per terram vestram," Levit: xxvi: 3. 6; Cubare manifeste de statu pacis & tranquillitatis; fera mala pro Cupiditatibus mali, n: 45. 46. 908, quæ cessabunt; gladius pro falso pugnante contra verum, n: 2799, quod non transibit; inde quoque patet, quod pax & pacis tranquillitas sit a bono & vero, & quod destructio ejus a malis & falsis. Apud Esaiam, "Commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hœdo *Cubabit*, & vitulus & leo juvenis una, & puer parvus ducet eos; & juvenca & ursus pascent, *una cubabunt fœtus eorum*," xi: 5. 6, ubi de Domino & de statu pacis in Regno Ipsius; cubabunt una pro quod non infestari poterunt ab ullo malo & falso. Apud Hoscheam, "Pangam illis fœdus in die illo cum fera agri, & cum ave cœlorum, & reptili terræ; & arcum, & gladium, & bellum frangam de terra, *& cubare faciam*

faciam eos confidenter," II : 18, pariter cubare pro ſtatu tranquillitatis remotis falſis & malis, quæ inducunt irrequiem. Apud Davidem, "Ego *Cubabo & dormiam*, & expergiſcar, quia Jehovah ſuſtentat me: non timebo a myriadibus populi, qui circumcirca ponunt ſe contra me," Pſalm: III: 6. 7; cubare & dormire pro ſtatu tranquillitatis & ſecuritatis. Apud Eundem, "*In pace ſimul cubabo & dormiam*, quia Tu Jehovah ſolus confidenter me habitare facis," Pſalm: IV: 9: & apud Eundem, "*In paſcuis herbæ cubare faciet me*, ad *aquas quietum* ducet me; animam meam recreabit," Pſalm: XXIII: 2. 3. Ex quibus patet, quod ſtatus pacis & tranquillitatis per Cubare deſcribatur; & quod per cubare in loco illo ſignificetur tranquillitas ſtatus, locus enim in ſenſu interno eſt ſtatus, n: 3692.

3697. Verſ: 12. 13. 14. 15. *Et ſomniavit, & ecce ſcala ſtatuta terræ, & caput ejus pertingens cœlum, & ecce Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in illa. Et ecce Jehovah ſtans ſuper illa, & dixit, Ego Jehovah Deus Abrahami patris tui, & Deus Jiſchaki, terram, qua tu cubans ſuper ea, dabo eam, & ſemini tuo. Et erit ſemen tuum, ſicut pulvis terræ, & erumpes ad mare, & ad orientem, & ad ſeptentrionem, & ad meridiem; & benedicentur in te omnes familiæ humi, & in ſemine tuo. Et ecce Ego cum te, & cuſtodiam te, in omni quo eas, & reducam te ad humum hanc, quia non relinquam te, donec quod fecero, quod loquutus tibi.* Somniavit, ſignificat prævidentiam: & ecce ſcala ſtatuta terræ, ſignificat communicationem infimi veri & boni inde: & caput ejus pertingens cœlum, ſignificat cum Divino: & ecce Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in illa, ſignificat infinitam & æternam communicationem & inde conjunctionem; & quod ex infimo quaſi aſcenſus, & dein, cum ordo inverſus, deſcenſus: Et ecce Jehovah ſtans ſuper illa, ſignificat Dominum in ſupremo: & dixit, Ego Jehovah Deus Abrahami patris tui, ſignificat Dominum quod ex Ipſo bonum illud: & Deus Jiſchaki, ſignificat Dominum quoad Divinum Humanum: terram, qua tu cubans ſuper ea, tibi dabo eam, ſignificat bonum in quo eſſet, quod ex proprio: & ſemini tuo, ſignificat quod quoque verum: & erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ, ſignificat quod Divinum verum naturale eſſet ſicut bonum naturale: & erumpes ad mare & ad orientem, ſignificat extenſionem infinitam boni: & ad ſeptentrionem & ad meridiem, ſignificat extenſionem infinitam veri; ita omnes ſtatus boni & veri: & benedicentur in te omnes familiæ humi, ſignificat quod omnia vera boni doctrinæ conjungentur bono: & ſemini tuo, ſignificat & vero: Et ecce ego cum te, ſignificat quod Divinum: & cuſtodiam te in omni quo eas; ſignificat Divinam Providentiam: & reducam te ad humum hanc, ſignificat conjunctionem cum Divina doctrina: quia non relinquam te, donec quod fecero quod loquutus tibi, ſignificat quod nihil deerit quin effectum habitura.

3698. Somniavit, quod ſignificet prævidentiam, conſtat a ſignificatione ſomniare, quod in ſenſu interno ſit futura prædicere, ſomnia enim prophetica, quæ Divina, futurorum prædictiones fuerunt, ut conſtare poteſt ab illis, de quibus in Verbo, n: 1975. 1976: quia illa per ſomnia & ſomniare in ſenſu

interno

interno significantur, in sensu supremo, in quo agitur de Domino, significatur Prævidentia; ex Prævidentia enim Divina Domini, prædictiones sunt; quod non aliunde prædictiones de rebus, quæ non secundum communem naturæ ordinem fluunt, ac inde prævideri possunt, constare potest ex Verbo, etiam ab his apud Mosen, "Quando propheta loquutus fuerit in Nomine Jehovæ, sed non factum fuit Verbum, & non evenit istud verbum, non loquutus est Jehovah, in arrogantia loquutus est istud propheta," Deut: XVIII: 22. Et tametsi prædictiones rerum quæ evenerunt, fuerint a malis & cultoribus alius dei, apud Eundem, "Si surgit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dat tibi signum, & vel prodigium, & fit signum & prodigium quod loquutus ad te, dicendo, eamus post deos alios non novisti, & serviamus illis, non obedies verbis prophetæ istius, aut *somnianti somnium* istud, quia tentat Jehovah vos," Deut: XIII: 2. 3. 4; a quibus patet, quod ipsa prædictio sit a Divino, sed suasio ad colendum alios deos a proprio prophetæ, cui id permissum, tentandi causa, sicut dicitur: inde quoque est, & ex aliis causis, quod pluries olim, qui baales & alios deos coluerunt, etiam prophetaverint, visiones viderint, & somnia somniaverint, & quoque quod evenerint quæ loquuti, & perpluries seduxerint, de quibus apud Jeremiam, Cap: XXIII; præter alios, qui dicti divinatores, auguratores, præstigiatores, pythones, qui inter illos fuerunt, qui magiæ naturali studuerunt, ex qua nihil Divini potuit prædici, sed solum quod contra Divinum esset, hoc est, contra Dominum, & contra bonum amoris & verum fidei in Ipsum; hoc magicum qualecunque in externa forma apparet.

3699. Et ecce scala statuta terræ, quod significet communicationem infimi veri & boni inde, constat ex significatione scalæ, quod sit communicatio, de qua sequitur; & ex significatione terræ, quod sit infimum, nam mox dicitur, quod caput ejus pertingeret cœlum, quod est supremum; inde patet, quod scala quæ inter terram & cœlum, seu inter infimum & supremum, sit communicatio; quod communicatio infimi veri & inde boni sit, quæ per scalam statutam terræ significatur, patet ex eo, quod de illius gradus vero & inde bono, quod per Jacobum hic repræsentatur in sensu interno hic agatur: In lingua originali vox scalæ derivatur a voce quæ significat semitam seu viam, quæ quod prædicetur de vero, videatur n: 627. 2333; etiam cum apud Angelos de vero est sermo, sistitur id repræsentative in mundo spirituum per vias, videatur n: 189. 3477; inde patet quid scala significat, cujus una extremitas est statuta terræ, & altera pertingit cœlum, quod nempe communicatio veri, quod infimo loco est cum vero quod supremo, de qua communicatione sequitur, quod sint vera & bona infima, & vera & bona suprema, & inter illa gradus sicut scalæ, videatur n: 3691.

3700. Et caput ejus pertingens cœlum, quod significet cum Divino, nempe quod communicatio, constat a significatione capitis scalæ seu summitatis ejus, quod sit supremum; & a significatione cœli, quod sit Divinum; cœlum enim in supremo sensu, in quo agitur de Domino, est ipsum Divinum, at in sensu repræsentativo, in quo agitur de homine qui regeneratur, est

eſt intimum bonum & inde verum quod a Domino, quale eſt in cœlo, & ex quali eſt ipſum cœlum; hoc quoque Divinum dicitur quia a Domino; eſt enim Dominus, ſeu quod idem, Divinum, quod a Solo Domino, omne in omnibus cœli; quod non a Divino ibi, hoc non eſt cœli; inde eſt quod aliquoties prius dictum, quod Dominus ſit ipſum cœlum, & quod in Domino ſint qui in cœlo.

3701. Et ecce Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in illa, quod ſignificet infinitam & æternam communicationem & inde conjunctionem; & quod ex infimo quaſi aſcenſus, & dein cum ordo eſt inverſus, deſcenſus, conſtat ex ſignificatione Angelorum, quod ſit aliquid Divinum Domini, quod per illos in Verbo, cum nominantur, intelligitur, de qua n: 1925. 2321. 2821. 3039, hic quod ſit Divinum Verum, conſtat ex eo quod dicantur Angeli Dei, Deus enim dicitur cum in ſenſu interno agitur de vero, at Jehovah cum de bono, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822; inde eſt, quod tametſi Jehovah mox nominatur, & dicitur, *Jehovah ſtans ſuper illa*, uſque hic Angeli Dei nuncupentur, nam agitur de vero ex quo bonum, quod hic eſt Jacob, ut pluries ſupra dictum: quod per aſcendentes & deſcendentes in ſcala ſignificetur in ſenſu ſupremo infinita & æterna communicatio & inde conjunctio, conſtare poteſt abſque ulteriore explicatione; de ipſo Divino Domini & Divino Humano Ipſius, non prædicari poteſt communicatio & inde conjunctio, niſi ſimul dicatur infinita & æterna, nam in Domino omne eſt infinitum & æternum, Infinitum reſpective ad Eſſe, & Æternum ad Exiſtere. Ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, patet, quod per ſcalam ſtatutam terræ, & caput ejus pertingens cœlum, & ecce Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in illa, ſignificetur in ſumma ex infimo quaſi aſcenſus, & dein, cum ordo eſt inverſus, deſcenſus. Quomodo cum hoc aſcenſu & deſcenſu ſe habet, conſtare poteſt ex illis, quæ ſupra n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3607. 3610. 3665. 3690, dicta & oſtenſa ſunt: ſed quia hic ordo, qui eſt regenerationis hominis, & deſcribitur hic & in ſequentibus in ſenſu interno, in Eccleſia prorſus eſt ignotus, idcirco licet adhuc illuſtrare, qualis ſit: notum eſt, quod homo in naturam parentum ſuorum, & avorum, ut & atavorum, qui uſque a ſæculis, naſcatur, ita in malum hæreditarium omnium illorum ſucceſſive cumulatum, uſque adeo ut non ſit niſi malum, quantum a ſe; inde trahit, quod tam quoad intellectum quam quoad voluntatem prorſus deperditus ſit, & ex ſe nihil boni velit, & inde nihil veri intelligat, proinde quod ſit malum quod dicit bonum, imo credit bonum, & falſum quod dicit verum imo credit verum; ſicut pro exemplo, amare ſe præ aliis, ſibi velle melius quam aliis, cupere quæ alius ſunt, & ſibi ſoli ſtudere, non aliis niſi ſit propter ſe; hæc quia cupit ex ſe, etiam vocat bona, & quoque vera; & porro, ſi aliquis illum quoad bona illa & vera; ut illa vocat, lædit, ſeu lædere tentat, odit, etiam ex animo vindicat, & ejus perniciem cupit, & quoque quærit, & in eo jucundum percipit, & hoc quo plus ſe in illis actualiter confirmat, hoc eſt, quo frequentius actualiter id exercet: talis, cum in alteram vitam venit, ſimiliter cupit, ipſa natura, quam per actualem

actualem vitam contraxit in mundo, manet, ac ipsum jucundum illud manifeste percipitur, quapropter non potest in aliqua societate cœlesti esse, in qua unusquisque aliis melius vult quam sibi; sed in aliqua societate infernali, cui simile jucundum: hæc natura est quæ exstirpanda cum vivit in mundo, quod nusquam fieri potest quam per regenerationem a Domino, hoc est, per id quod prorsus aliam voluntatem & alium inde intellectum accipit, hoc est, ut novus fiat quoad utramque illam facultatem: at hoc ut fiat, debet omnium primo renasci ut infans, & discere quid malum & falsum, & discere quid bonum & verum, nam absque scientia seu cognitione non potest imbui aliquo bono, ex se enim nihil aliud pro bono agnoscit quam malum, & pro vero quam falsum; hoc ut fiat, cognitiones ei tales insinuantur, quæ non sunt prorsus contrariæ illis quas prius habuerat, sicut quod omnis amor incipiat a se, quod sibi primum studendum & postmodum aliis, quod talibus, qui pauperes & miseri externa forma apparent, benefaciendum, qualescunque intus sint, similiter quod viduis & pupillis, quia ita nominantur, & tandem quod inimicis in genere, quicunque sint, etiam quod sic mereri possit cœlum; hæ & similes cognitiones sunt infantiæ novæ vitæ ejus, & sunt tales, quæ quia aliquid trahunt ex priori vita seu prioris vitæ natura, etiam aliquid ex nova vita, in quam sic introducitur, & inde sunt tales ut admittant in se quæ conducunt ad novam voluntatem formandum & ad novum intellectum: hæc sunt bona & vera infima, a quibus inchoant illi qui regenerantur, quæ quia admittunt in se vera interiora seu propiora Divinis, etiam per illa exstirpari possunt falsa, quæ prius crediderat vera esse: sed qui regenerantur, non addiscunt talia nude sicut scientiæ, sed ut vita, nam vera illa faciunt; sed quod faciant illa, est ex principio novæ voluntatis, quam insinuat Dominus, illis prorsus nescientibus, & quantum ex nova illa voluntate recipiunt, tantum quoque ex illis cognitionibus recipiunt, ac in actum mittunt, & credunt, at quantum non recipiunt a nova voluntate tantum quidem discere talia possunt, sed non in actum mittere, quia student modo scientiæ non vitæ: ille status est infantiæ & pueritia quoad novam vitam, quæ successura est loco vitæ prioris, sed status adolescentiæ & juventutis ejus vitæ est, quod non respiciant ad aliquam personam, qualis in forma externa apparet, sed qualis est quoad bonum, primum in vita civili, dein in vita morali, & tandem in vita spirituali, & bonum est quod homo tunc priori loco incipit habere & amare, & ex bono personam; & tandem cum adhuc magis perficitur, illis qui in bono sunt, studet benefacere & hoc secundum boni quale apud illos, & tandem jucundum appercipit in benefaciendo illis, quia jucundum in bono, etiam amænum in illis quæ confirmant, confirmantia illa agnoscit pro veris, & quoque vera novi ejus intellectus sunt, quæ fluunt ex bonis quæ ejus novæ voluntatis: in simili gradu, in quo jucundum in bono illo appercipit, & amænam in veris illis, etiam in jucundum in malis prioris vitæ, & inamænum in falsis illius, sentit; inde nunc separantur illa quæ prioris voluntatis sunt, & quæ prioris intellectus sunt, ab illis quæ novi intellectus, & hoc non secundum affectionem sciendi illa, sed secundum

affectionem faciendi illa: consequenter tunc videt, quod vera infantiæ ejus fuerint inversa respective, & quod eadem paullatim in alium ordinem redacta sint, nempe sibi mutuo subordinata, ita quod quæ priori loco primum fuerunt, nunc sint loco posteriori; sic quod per illa vera, quæ infantiæ & pueritiæ ejus fuerunt, Angeli Dei sicut per scalam a terra ad cœlum ascenderint, sed postmodum per vera quæ ejus adultæ ætatis sunt Angeli Dei sicut per scalam a cœlo ad terram descendant.

3702. Et ecce Jehovah stans super illa, quod significet Dominum in supremo, constare potest ex eo, quod Jehovah toties in Verbo Veteris Testamenti nominatus sit Dominus, videatur n: 1736. 3023. 3035; & quod in Verbo Novi Testamenti nullibi dicatur Jehovah, sed pro Jehovah Dominus, n: 2921; quod stare super illa, sit esse in supremo, constat absque explicatione. Arcanum, quod in sensu interno horum verborum latet, est quod omnia bona & vera a Domino descendant, & ad Ipsum ascendant, hoc est, quod sit Primus & Ultimus; nam ita creatus est homo, ut Divina Domini per illum descendant usque ad ultima naturæ, & ab ultimis naturæ ad Ipsum ascendant, sic ut homo esset medium uniens Divini cum naturæ mundo, & uniens mundi naturæ cum Divino, & sic per hominem, ut per medium uniens, ipsum ultimum naturæ ex Divino viveret, quod foret, si homo secundum ordinem Divinum vixisset: quod ita creatus sit homo, patet ex eo, quod ille quoad corpus suum sit parvulus mundus, omnia enim naturæ mundi arcana in illo reposita sunt, quicquid enim arcani est in æthere & ejus modificationibus, hoc repositum est in oculo, & quicquid in aere, hoc in aere; & quicquid invisibile fluitat & agit in aere, hoc in organo odoratus ubi percipitur, & quicquid invisibile in aquis & reliquis fluidis, in organo gustus, etiam ipsæ mutationes status, in sensu tactus ubivis; præter quod quæ adhuc magis recondita sunt, perciperentur in organis ejus interioribus, si vita ejus foret secundum ordinem; inde patet, quod descensus Divini foret per hominem in ultimum naturæ, & ab ultimo naturæ ascensus ad Divinum, si modo Dominum, ut suum finem Ultimum & Primum agnosceret fide cordis, hoc est, amore. In tali statu fuerunt Antiquissimi, qui cœlestes homines fuerunt, nam quicquid illi aliquo sensu capiebant, hoc fuit illis medium cogitandi de illis quæ sunt Domini, ita de Domino & de Ipsius Regno, jucundum quod ex mundanis & terrestribus capiebant, fuit inde videatur n: 1409. 2896. 2897. 2995; imo etiam cum ita naturæ inferiora & ultima contemplarentur, apparebant illa coram oculis eorum sicut viverent, nam vita, ex qua descendebant, erat in eorum visu interno & perceptione, & quæ oculis eorum sistebantur erant sicut imagines illius vitæ, quæ tametsi inanimatæ, usque illis animabantur ita; talem perceptionem habent cœlestes angeli de omnibus illis quæ in mundo sunt, quod sæpius percipere datum, etiam inde talem perceptionem habent infantes, videatur n: 2297. 2298; exinde patet, quales sunt, per quos Divina Domini descendunt usque ad ultima naturæ, & ab ultimis naturæ ad Ipsum ascendunt, & repræsentant Divinam communicationem & inde conjunctionem, quæ in sensu supremo significatur per Angelcs

gelos afcendentes & defcendentes in fcala ftatuta terræ, cujus caput pertigit cœlum, fuper quæ Jehovah ftabat.

3703. Et dixit, Ego Jehovah Deus Abrahami patris tui, quod fignificet Dominum quod ab Ipfo bonum illud, conftare poteft ex eo, quod Jehovah fit ipfum Divinum Effe Domini, Qui Deus Abrahami dicitur ex Divino Bono, quod Abraham repræfentet Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n: 2172. 2198; & quia Divinum Bonum eft, ex quo funt omnia bona cœleftia & fpiritualia, & inde quoque omnia vera, ideo dicitur hic Abraham pater, & quidem pater tuus, hoc eft, Jacobi, cum tamen Jifchak ejus pater effet: quod Pater in fenfu interno fit Bonum, eft inde, quia Bonum eft, ex quo omnia & fingula funt, & Verum per quod omnia & fingula exiftunt, ita ex conjugio boni & veri; ipfum cœlum, quod non nifi quam ex Divino Conjugio Boni & Veri confiftit, eft ex Divino Conjugio Boni & Veri ac Veri & Boni in Domino; in univerfa natura etiam omnia & fingula ad bonum & verum fe referunt; in hac enim, feu natura, repræfentantur cœleftia & fpiritualia bona & vera quæ funt cœli, & in cœlo repræfentantur Divina Bona & Vera quæ funt Domini: inde conftare poteft, quod Bonum fit inftar patris, & verum fit inftar matris, & quod ideo per Patrem in fenfu interno Verbi fignificetur Bonum, & per Matrem Verum, & quidem Bonum & Verum ex quibus bona & vera inferiora feu derivata, quæ refpective funt ficut filiæ & filii, & quoque inde filiæ & filii in Verbo vocantur n: 489. 490. 491. 2362, & quoque funt refpective ficut fratres & forores, ficut nepotes & pronepotes, ficut generi, focrus, nurus, verbo ficut confanguinitates & affinitates in omni gradu, & hoc ex conjugio boni quod pater cum vero quod mater; quod omnia & fingula in cœlis fe habeant fecundum confanguinitates amoris & fidei in Dominum, feu quod idem, boni & veri, videatur n: 685. 917. 2739. 3612, & quod Antiquiffimi ideo omnia & fingula comparaverint conjugiis, n: 54. 55; videantur etiam, n: 718. 747. 1432. 2508. 2516. 2524. 2556. Quod Pater in fenfu interno Verbi fit Bonum, conftare poteft ex plurimis locis; ut ab his fequentibus; apud Efaiam, "Attendite ad Me, fpectantes juftitiam, quærentes Jehovam, fpectate ad petram excifi eftis, & ad effoffionem foveæ effoffi eftis; fpectate ad *Abrahamum patrem veftrum*, & ad *Saram* parturivit vos, nam unicum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicabo eum; nam confolabitur Jehovah Zionem, confolabitur omnes vaftitates ejus, & ponet defertum ejus ficut Eden, & folitudinem ejus ficut hortum Jehovæ," LI: 1. 2. 3, ibi de Domino, & Ipfius adventu agitur, ut ex fingulis patet, Qui quoad Divinum Verum vocatur petra & fovea, & quoad Divinum Bonum Abraham pater, & quia Divinum conjugium Boni & Veri repræfentatur per Abraham & Saram, videatur n: 1468. 1901. 1965. 1989. 2011. 2063. 2065. 2172. 2173. 2198. 2507. 2833. 2836. 2904. 3245. 3251. 3305 f; dicitur Abraham pater & Sarah parturivit vos; inde eft, quod dicatur, quod fpectarent ad petram & ad foveam, ac ad Abrahamum patrem & Saram; & inde eft, quod immediate fequatur,

quod Jehovah confolabitur Zionem, quæ quod fit Ecclefia cœleftis, videatur n: 2362, & quod confolabitur vaftitates ejus, & ponet defertum ejus ficut Eden, & folitudinem ejus ficut hortum Jehovæ. Simile per Abrahamum, ubi pater nominatur, alibi in Verbo, fignificatur, ut apud Johannem, "Jefus dixit, Ego quod vidi apud Patrem meum loquor, fic vos etiam quæ vidiftis apud patrem veftrum facitis; refponderunt & dixerunt Ipfi, *Pater nofter Abrahamus eft*; dicit illis Jefus, fi *filii Abrahami effetis*, *opera Abrahami faceretis*, vos facitis opera patris veftri," VIII: 38. 39: & apud Matthæum, "Ne præfumite dicere in vobis ipfis, *patrem habemus Abrahamum*, dico vobis, quod poffit Deus ex lapidibus his excitare *liberos Abrahamo*; en fecuris ad radicem arborum jacet, omnis arbor non faciens fructum bonum exfcindetur, & in ignem conjicietur," III: 9. 10: & apud Lucam, "Lazarus pauper cum moreretur, fublatus ab Angelis in *finum Abrahami*; mortuus etiam dives & fepultus, cum in inferno effet, tollens oculos fuos videret *Abrahamum* e longinquo, & Lazarum in finubus ejus; ille exclamans dixit, *Pater Abraham* miferere mei, rogo te, *Pater*, ut mittas eum in domum patris mei," XVI: 19 ad f; in illis locis quod non Abraham intellectus fit, fed Dominus quoad Divinum Bonum, patet; quod Abraham nefciatur in cœlo, & cum ille nominatur e Verbo, quod intelligatur Dominus, videatur n: 1834. 1876. 1989. 3305 f. Quod Pater fit bonum in fenfu interno, conftare poteft ab his locis; apud Mofen, "Honora *patrem tuum* & *matrem tuam*, ut prolongentur dies tui fuper terra, quam Jehovah Deus tuus dat tibi," Exod: XX: 12 Deut: V: 16, quod hoc præceptum ficut reliqua decalogi, fit verum in utroque fenfu, & quod in fenfu interno honorare patrem & matrem, fit amare bonum & verum, & in bono & vero Dominum, videatur n: 2609. 3690; quod dies fuper terra fint ftatus boni inde in Regno Domini, conftat ex fignificatione dierum, quod fint ftatus, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788, & ex fignificatione Canaanis, quæ hic eft terra, quod fit Regnum Domini, n: 1607. 3038. 3481, & quod prolongari prædicetur de bono, n: 1613. Quia per Patrem & Matrem illa fignificata funt, ideo in Ecclefia repræfentativa Judaica plures leges latæ funt de parentibus & filiis, in quibus omnibus in fenfu interno fignificatur bonum & verum, & in fenfu fupremo Dominus quoad Divinum Bonum & Divinum Verum; ut apud Mofen, "Qui percufferit *Patrem fuum* & *Matrem fuam*, moriendo morietur: fi quis maledixerit *Patri fuo* vel *Matri fuæ*, moriendo morietur," Exod: XXI: 15. 17. Apud Eundem, "Quifquis vir qui maledixerit *Patri fuo* aut *Matri fuæ*, occidendo occidetur: qui *patri fuo* & *matri fuæ* maledixerit, fanguines ejus fuper eo," Levit: XX: 9. Maledictus qui vilipendit *Patrem fuum* & *Matrem fuam*, & dicet omnis populus amen," Deut: XXVII: 16. 17: apud Ezechielem, "Ecce principes Ifraelis, vir juxta brachium fuum, fuerunt in te, ut effundere fanguinem, *patrem* & *matrem* vilipenderunt in te," XXII: 6. 7: apud Mofen, "Cum fuerit viro filius refractarius & rebellis, *nullatenus obediens voci patris fui*, aut *voci matris fuæ*; & licet caftigaverint illum, non tamen obediverit:

obediverit illis, apprehendent illum *Pater ejus* & *Mater ejus*, & educent illum ad ſeniores urbis, & ad portam loci ſui, & lapidabunt illum omnes viri urbis ejus lapidibus, ut moriatur," Deut : xx : 18. 19. 20 ; in quibus omnibus locis per patrem & matrem in ſenſu literæ intelligitur pater & mater, ſed in ſenſu interno bonum & verum, & in ſupremo Dominus quoad Divinum Bonum & Divinum Verum ; ut quoque Ipſe Dominus docet apud Matthæum, " Jeſus extendens manum ſuam ſuper diſcipulos ſuos, dixit, ecce *Mater mea*, & fratres mei ; quiſquis fecerit voluntatem Patris mei qui eſt in cœlis, ille meus frater & ſoror, & *Mater* eſt," XII : 49 : & apud Eundem, " Vos nolite vocari Magiſter, unus enim eſt veſter Magiſter, Chriſtus, omnes autem vos fratres eſtis ; & *Patrem ne vocetis veſtrum* in terra, unus namque eſt *Pater veſter* qui in cœlis," XXIII : 8, 9 ; vocari magiſter & vocari pater in terra, non hic interdicitur, ſed agnoſcere corde alium Patrem quam Dominum, hoc eſt, cum nominatur Magiſter & Pater, ut intelligatur Dominus Qui in ſupremo ſenſu per illos repræſentatur ; ſecundum illa, quæ mox ſupra n : 3702 de Antiquiſſimis, qui cœleſtes homines fuerunt, dicta, quod quicquid in terra perceperunt, pro medio cogitandi de Domino, illis fuerit. Simile involvit quod Dominus dixit ad unum diſcipulorum, qui dixit, " Domine, permitte mihi prius abire, & *ſepelire patrem meum*, Jeſus dixit illi, ſequere Me, ſine mortuos ſepelire mortuos," Matth : VIII : 21. 22 ; pater enim in terra reſpective ad Patrem in cœlo, ſeu ad Dominum, eſt ſicut mortuus ad vivum ; ſicut ipſa lex de honorandis parentibus eſt quaſi mortua, niſi in illa ſit honor, cultus, ac amor in Dominum, illa enim lex ab hac Divina deſcendit, ipſum vivum, quod eſt in illa lege, eſt inde, quare dixit Dominus, ſequere Me, ſine mortuos ſepelire mortuos : ſimile quoque ſignificat, quod Elias dixit ad Eliſæum, " Præterivit Elias præter Eliſæum, & projecit togam ſuam ſuper eum, qui reliquit boves, & cucurrit poſt Eliam, & dixit, *oſculer* quæſo *patrem* meum & *matrem*, deinde ibo poſt te, dixit ergo ei, abi, redi, *quid namque feci tibi*," I Reg : XIX : 19. 20 ; quod per Eliam repræſentatus ſit Dominus, videatur Præf : ad Cap : XVIII ; & n : 2762. Apud Malachiam, " En Ego mittens vobis Eliam prophetam, antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis, & *convertet cor patrum ad filios*, & *cor filiorum ad patres illorum*, ne veniam & percutiam terram devotione," III : 23. 24 ; & apud Lucam, " Angelus ad Sachariam de Johanne filio ejus, præcedet coram Domino in ſpiritu & virtute Eliæ ; ad *convertendum corda patrum ad filios*," I : 17 ; quod hic per patres & filios non patres & filii intelligantur, patet, ſed quod bona & vera Eccleſiæ, quæ Dominus reſtauraturus. Apud Malachiam, " Magnificetur Jehovah deſuper termino Iſraelis, *filius honorabit patrem*, & ſervus Dominum ; quod ſi *Pater Ego*, ubi honor meus, ſi Dominus Ego, ubi timor mei," I : 6 ; pater pro illis qui in Eccleſiæ bono ſunt, & Dominus pro illis qui in Eccleſiæ vero, ibi manifeſte Pater pro Domino quoad Divinum Bonum, & Dominus quoad Divinum Verum. Apud Davidem, " *Pater meus* & *mater mea* deſeruerunt me, & Jehovah colligit me," Pſalm : XXVII : 10 ; pater & mater pro bono & vero, quæ deſeruiſſe dicuntur, cum

cum ex se nihil boni agi & nihil boni sciri posse animadvertitur; quod non Davidem pater & mater deseruisse intelligatur, patet. Apud Eundem, "Pulcher es longe præ filiis hominum, tota gloriosa *filia Regis*, intus de implexis auri vestis ejus, *loco patrum tuorum erunt filii tui*, pones eos in principes in tota terra," Psalm: XLV: 3. 14. 17; ubi de Domino, loco patrum erunt filii tui, pro quod Divina Vera erunt sicut Divina Bona, filia Regis pro amore veri, de implexis auri vestis pro quali illius veri ex bono; quia agitur de Domino ac Divino Humano Ipsius, ut ex toto psalmo & singulis ejus patet, constare potest, quod omnia & singula ibi sint in simili prædicatione, ita quod non per filiam Regis filia Regis intelligatur, nec quod ex implexis auri vestis ejus, nec quod loco patrum erunt filii, nec quod hi principes in tota terra, sed quod Divina cœlestia & spiritualia sint quæ per unumquodvis significantur, quod filia sit affectio seu amor, videatur n: 490. 491. 2362; quod Rex sit Divinum Verum, n: 1728. 1672. 2015. 2069. 3009; quod aurum sit bonum, n: 113. 1551. 1552; quod implexum prædicetur de scientifico naturali, n: 2831, hic itaque de Divino vero naturali; quod vestis sint talia vera qua investiunt bonum, n: 297. 2576; quod filii qui loco patrum sint vera boni, hic Divina Vera sicut Divina Bona, n: 264. 489. 491. 533. 1147. 1729. 1733. 2159. 2623. 2803. 2813; quod principes in tota terra sint primaria Regni & Ecclesiæ Domini, quod principes sint primaria, n: 1482. 2089, quod terra sit Regnum & Ecclesia Domini, n: 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355. Apud Mosen, "*Patribus tuis* delectatus est Jehovah, ad amandum eos, & elegit semen eorum post eos, vos ex omnibus populis, juxta diem hunc, quare circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram non indurate amplius," Deut: X: 15. 16, Patres hic in sensu interno pro Ecclesia Antiqua & Antiquissima, qui ita dicti ex amore boni & veri in quo fuerunt, in amore boni Antiquissimi qui cœlestes homines fuerunt, & ex amore veri Antiqui qui spirituales, illorum bona & vera in Ecclesia sunt quæ vocantur semen quod Deus elegit; quod non Abraham Jischak & Jacob, & hujus duodecim filii sint hic Patres, & populus Israeliticus & Judaicus semen, constare potest; sed dicitur de illis & ad illos, ut sensus internus aliquod externum & sic intelligibile homini habeat. Apud Esaiam, "Efferent se puer contra senem, & vilis contra honoratum, quia apprehendet vir fratrem suum in *domo patris sui*, vestis tibi, princeps eris nobis; dicet in domo mea non panis, ne ponite me principem populi," III: 7; ibi de statu Ecclesiæ perverso in sensu interno agitur, quando non amplius agnoscitur verum pro vero, nec scitur quid bonum; apprehendet vir fratrem in domo patris sui, pro agnoscere pro bono quodcunque, vestis pro vero n: 1073. 2576; princeps pro primario doctrinæ inde n: 1482. 2089; in domo non panis non vestis pro quod non bonum nec verum, quod panis sit bonum n: 276. 680. 3478; quod vestis verum n: 297. 2576. Ex repræsentativis boni & veri per patrem & matrem, tum per filias & filios, in Ecclesiis repræsentativis plures leges fuerunt, quæ suum Divinum inde habuerunt, sicut hæ sequentes: Quod *filia sacerdotis*, si prophanaverit se scortando

tando, *Patrem ſuum* illa prophanans, igne comburetur," Levit: XXI: 9; filia ſacerdotis pro affectione boni, pater pro bono ex quo affectio illa, ſcortari pro prophanare bonum, quid ſcortari, videatur n: 2466. 2729. 3399; & quid prophanare n: 1008. 1010. 1059. 2051. 3398. 3399. Tum, ſi filia ſacerdotis facta fuerit vidua aut repudiata, & ſemen nullum ei, redibit ad *domum patris ſui*, ſecundum adoleſcentiam ſuam, *de pane patris ſui comedet*; omnis alienus non comedet de eo," Levit: XXII: 13. Etiam hæc lex, "Si videris in captivitate uxorem pulchra forma, & deſideraveris eam, ut accipias tibi in mulierem, deduces eam in medium domus tuæ, & tondebit caput ſuum, & faciet ungues ſuos, & removebit veſtem captivitatis ſuæ deſuper ſe, & ſedebit in domo tua, & *deflebit patrem ſuum* & *matrem ſuam* menſe dierum, & poſtea intrabis ad illam, & cognoſces illam, & erit tibi in mulierem," Deut: XXI: 11. 12. 13; in hac lege omnia & ſingula ſunt repræſentativa veri naturalis, quod, poſtquam purificatum eſt a falſis, adoptatur a bono; verum tale ſignificatur per uxorem in captivitate, pulchram forma, purificatio a falſis per deducere in medium domus, tondere caput, facere ungues, removere veſtem captivitatis, & deflere patrem & matrem, adoptatio per poſtea intrare ad illam, cognoſcere illam, & accipere in mulierem. *Leges conjugiorum*, quod intra tribum & intra familiam contraherentur; & quoque *Leges hæreditatum*, quod non tranſirent de tribu ad tribum, de quibus in Verbo, etiam inde ſuam originem habuerunt, nempe ex conjugio cœleſti & ſpirituali, in Regno Domini, ſeu boni & veri, quæ ſignificantur per Patrem & Matrem: ſimiliter *Leges* quæ latæ ſunt *de gradibus licitis* & *vetitis*: unaquævis Lex de illis in Verbo ſe intus refert ad Legem conſociationis & conjunctionis boni & veri in Cælo; & ad conſociationes mali & falſi in inferno, quæ ſeparatæ ab illis; de gradibus licitis & vetitis, videatur Levit: XX; de hæreditatibus quod non tranſirent de tribu in tribum; & de conjugiis quod contraherentur intra tribum, n: XXVI: 7. 8. 9, & alibi: quod in cœlis omnia & ſingula ſe habeant ſecundum conſanguinitates & affinitates boni & veri, videatur n: 685. 917. 2739. 3612. Quia populus Iſraeliticus Regnum Domini in cœlis repræſentabat, ac ita ordinem ibi cœleſtem, etiam mandatum fuit, ut diſtinguerentur ſecundum *Tribus*, & ſecundum *Familias*, & ſecundum *domos patrum ſuorum*, videatur Num: XXVI: 1 ad f: & quoque quod ſecundum illum ordinem caſtra metarentur circum tentorium conventus, & quoque quod ſecundum ſimilem ordinem proficiſcerentur, de quibus ita apud Moſen, "Vir ſub vexillo ſuo, in ſignis ſuis *juxta domum patrum illorum* caſtra metabuntur filii Iſraelis, e regione circum tentorium conventus; & quod ſic quoque proficiſcerentur, Num: II: 2. 34; quare cum Bileamus videret Iſraelem habitantem juxta Tribus ſuas, venit ſuper illum ſpiritus Dei, & edidit enuntiatum, dicens: quam bona ſunt tabernacula tua, Jacob, habitacula tua, Iſrael; ſicut vallis plantantur, ſicut horti juxta fluvium," & quæ ſequuntur, Num: XXIV: 2. 5. 6. ſeq: in qua prophetia quod non Jacob nec Iſrael intellectus ſit, ſed Regnum Domini in cœlis, & Eccleſia Ipſius in terris, quæ per ordinem illum, in quo tunc illos

con-

conspiciebat, representata sunt, a singulis ibi verbis patet. Ex his quoque sciri potest, quid per Orphanos seu Pupillos, hoc est, qui absque patre sunt, in sensu interno Verbi significatur, quod nempe illi qui in innocentiæ & charitatis statu sunt, & desiderant scire & agere bonum, & non possunt, in quali statu sunt illi imprimis qui extra Ecclesiam sunt, quorum curam habet Dominus, ac ut filios in altera vita adoptat; & quia illi per Orphanos significantur, ideo, cum illi nominantur in Verbo, plerisque in locis etiam nominantur peregrini & viduæ; per peregrinos enim significantur illi qui in bonis & veris instruuntur, n: 1463; & per viduas illi, qui in statu boni sunt & non ita in vero, & qui in statu veri & non ita in bono, & tamen in illis esse desiderant; quia per illos tres, nempe orphanos, peregrinos & viduas, consimile quid in serie significatur, ideo in plerisque locis, ut dictum, simul nominantur, videatur Deut: XIV: 29. Cap: XVI: 14. Cap: XXIV: 17. 19. Jerem: VII: 6. Cap: XXII: 3. Ezech: XXII: 6. 7. Sachar: VII: 10. Psalm: XCIV: 6. Psalm: CXLVI: 9. Ex his nunc constare potest, quid Pater in genuino sensu significat, quod nempe Bonum, & quod in supremo sensu Dominum. At quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita etiam Pater, & in illo significat malum, pariter Mater quæ in genuino sensu significat verum, in opposito significat falsum; quod ita sit, constare potest a sequentibus his locis; apud Davidem, "In memoriam revocabitur *iniquitas Patrum illius* apud Jehovam, & *peccatum Matris illius* non delebitur," Psalm: CIX: 14. Apud Eundem, "Recesserunt & perfide egerunt, *sicut Patres eorum*, aversi sunt sicut arcus fraudis," Psalm: LXXVIII: 57. Apud Mosen, "Donec residui inter vos contabescant in iniquitate sua, in terris hostium vestrorum, & etiam in *iniquitatibus Patrum illorum*, cum illis contabescent," Levit: XXVI: 39. Apud Esaiam, "Parate *filiis ejus* mactationem, *ob iniquitatem Patrum eorum*, & non resurgant & possideant terram, & impleantur facies terræ urbibus," XIV: 21. Apud Eundem, "Retribuam iniquitates vestras, & *iniquitates Patrum vestrorum* simul," LXV: 7. Apud Jeremiam, "Pudefacti sunt domus Israelis, illi, reges illorum, principes illorum, & sacerdotes illorum, & prophetæ illorum, dicentes ligno, *Pater meus tu*, & lapidi *tu genuisti me*, quia obverterunt mihi cervicem non facies," II: 26. 27. Apud Eundem, "Ego dans coram populo hoc offendicula, & offendent in illis *Patres* & *filii* una, vicinus & socrus ejus, & peribunt," VI: 21. Apud Eundem, "*Filii* colligunt ligna, & Patres accendunt ignem, & fœminæ depsentes massam, ad faciendum placentas melecheth," VII: 18. Apud Ezechielem, "Faciam in te quæ non feci, & quæ non facturus sum talia amplius, propter abominationes tuas, ideo *Patres comedent filios suos, & filii comedent Patres suos*, & faciam in te judicia, & dispergam omnes reliquias tuas in omnem ventum," V: 9. 10; ibi de prophanatione sancti. Apud Eundem, "Sic dixit Dominus Jehovah Hierosolymæ, negotiationes tuæ & generationes tuæ de terra Canana, *Pater tuus* Emorræus, & *Mater tua* Chittæa," XVI: 3. Apud Matthæum, "Tradet frater fratrem in mortem, & *Pater filium*, & insurgent *liberi contra Parentes*, & morti dabunt illos; atque adeo

adeo eritis odio habiti a quibuſcunque propter Nomen meum. Veni ad diſſidendum hominem *contra Patrem illius*, & *filium contra Matrem illius*, & nurum contra ſocrum illius; & hoſtes hominis erunt domeſtici illius: quiſquis amat *Patrem* & *Matrem* ſupra Me, non eſt Me dignus, & quiſquis amat *filium* & *filiam* ſupra Me, non eſt Me dignus," x: 21. 22. 35. 36. 37. Luc: xii: 49. 52. 53. Apud Eundem, "Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut *Patrem* aut *Matrem*, aut uxorem, aut liberos, aut agros, proper Nomen meum, centuplum accipiet, vitæ æternæ ſortietur hæreditatem," xix: 29. Luc: xviii: 29. 30. Marc: x: 29. 30. Apud Lucam, "Si quis venit ad Me, & non *odit Patrem ſuum*, & *Matrem ſuam*, & uxorem, & liberos, & fratres & ſorores, imo vero etiam animam ſuam, non poteſt diſcipulus meus eſſe," xiv: 26. Apud Marcum, "Tradet frater fratrem in mortem, & *Pater liberos*, & conſurgent *liberi contra Parentes*, & occident illos, quia eritis odio habiti ab omnibus propter Nomen meum," xiii: 12. 13. Luc: xxi: 16. 17, ibi de conſummatione ſæculi, & deſcribitur ſtatus Eccleſiæ perverſæ quoad bonum & verum, quod nempe Malum inſurget contra verum, & falſum contra bonum: quod per Patrem in oppoſito ſenſu ſignificetur malum, ex nunc allatis locis patet, etiam ab hoc apud Johannem, "Jeſus dixit, ſi Deus *veſter Pater* eſſet, amaretis Me, Ego enim ex Deo exivi & venio: vos ex *Patre diabolo* eſtis, & *deſiderium patris veſtri* vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in illo, quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendacium loquens eſt, & *pater ejus*." viii: 38. 39. 41. 42. 44.

3704. Et Deus Jiſchaki, quod ſignificet Dominum quoad Divinum Humanum, conſtat ex repræſentatione Jiſchaki, quod ſit Divinum Rationale Domini, & quia Rationale eſt in quo inchoat Humanum, n: 2194, & ſic ex quo & per quod eſt Humanum, ideo hic per Deum Jiſchaki ſignificatur Divinum Humanum Domini. Quia omnia & ſingula in cœlo, & omnia & ſingula apud hominem, imo in univerſa natura, ſe referunt ad bonum & verum, ideo quoque Divinum Domini diſtinguitur in Divinum Bonum & Divinum Verum, & Divinum Bonum Domini vocatur Pater, & Divinum Verum Filius; ſed Divinum Domini non eſt niſi quam Bonum, imo Ipſum Bonum, at Divinum Verum eſt Divinum Bonum Domini ita apparens in cœlo ſeu coram Angelis; ſe habet hoc ſicut Sol, ipſe ſol in ſua eſſentia non eſt niſi quam ignis, ſed lux quæ inde apparet, non eſt in ſole, ſed a ſole; quod Dominus quoad Divinum Bonum repræſentetur per ſolem, & quoque quod ſit in altera vita Sol univerſo cœlo, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2495. 3636. 3643; & quod Dominus quoad Divinum Verum repræſentetur per Lucem, & quoque ſit in altera vita Lux Univerſo Cœlo, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 2776. 3138. 3195. 3222. 3223. 3339. 3341. 3636. 3643; ita Dominus in ſua Eſſentia non eſt niſi quam Divinum Bonum, & hoc quoad utrumque, nempe quoad Ipſum Divinum & Divinum Humanum; ſed Divinum Verum non eſt in Divino Bono, ſed a Divino Bono, ita enim Divinum Bonum apparet, ut ſupra dictum, in cœlo; & quia Divinum Bonum

apparet ut Divinum Verum, ideo propter captum hominis distinguitur Divinum Domini in Divinum Bonum & Divinum Verum, & Divinum Bonum est quod in Verbo dicitur Pater, & Divinum Verum quod dicitur Filius: hoc arcanum est, quod latet in eo, quod Ipse Dominus toties de Patre suo loquatur, sicut distinctus & quasi alius ab Ipso, & tamen alibi quod unus sit cum Ipso: quod Pater in sensu interno sit bonum, & in sensu supremo Dominus quoad Divinum Bonum, mox supra n: 3703, ostensum est, & quod Filius sit verum, & Filius Dei ac Filius hominis sit Dominus quoad Divinum Verum, n: 1729. 1730. 1591. 2803. 2813; & id etiam constat ex omnibus illis locis ubi Dominus Patrem suum nominat, & se Filium. Quod Dominus in Verbo Veteris Testamenti, sit qui vocatur Jehovah, videatur n: 1343. 1736. 2921; at quod ibi quoque dicatur Pater, constat ex his locis; apud Esaiam, "Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & erit principatus super humero Ipsius, & vocabitur Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, *Pater æternitatis*, Princeps pacis," IX: 6, manifeste patet, quod Puer natus nobis & Filius datus nobis sit Dominus, ita qui appellatur Pater æternitatis. Apud Jeremiam, "Ero *Israeli in Patrem*, & Ephraim primogenitus meus," XXXI: 9, ibi agitur de Domino, Qui quod sit Deus Israelis & Sanctus Israelis, videatur n: 3305, hic Israeli Pater. Apud Malachiam, "Annon *Pater unus* omnibus nobis, annon Deus unus creavit nos," ii: 10; creare hic in sensu interno pro regenerare, ut quoque alibi in Verbo, videatur n: 16. 88. 472, & quia Dominus est solus Regenerator & Redemptor, est Ille qui hic Pater & Deus dicitur; ut quoque apud Esaiam, "*Tu Pater noster*, quia Abraham non cognoscit nos, & Israel non agnoscit nos, *Tu Jehovah Pater noster*, *Redemptor* noster, ab æterno Nomen tuum," LXIII: 16. Apud Eundem, "Induam illum tunica tua, & cingulo tuo roborabo eum, & dominium tuum dabo in manum Ipsius, *ut sit in Patrem habitatori Hierosolymæ*, & *domui Jehudæ*, & dabo clavem domus Davidis super humerum Ipsius, & aperiet & non claudens, & claudet & non aperiens; & figam illum clavum in loco fideli, ut sit in thronum gloriæ Patris Ipsius, super quo suspendant *omnem gloriam domus Patris Ipsius*, filiorum & nepotum, omnia vasa parvuli, de vasis craterum usque ad omnia vasa nabliorum," XXII: 21. 22. 23. 24; quod Dominus sit, qui in sensu interno hic repræsentatur & significatur, & Pater habitatori Hierosolymæ & domui Jehudæ vocatur, manifeste patet; ille enim est, super cujus humero clavis domus Davidis, qui aperit & non claudens, & qui claudit & non aperiens, videatur Præfatio ad Cap: XXII, & Illi est thronus gloriæ Patris Ipsius, & super Quo & a Quo omnia sancta, quæ hic vasa vocantur, sancta cœlestia vasa craterum, & sancta spiritualia vasa nabliorum. Quia Reges & Sacerdotes repræsentabant Dominum, Reges per Regium quod illis, Dominum quoad Divinum Verum, & Sacerdotes Dominum quoad Divinum Bonum, n: 3670, ideo Sacerdotes vocabantur Patres, ut constare potest in Libro Judicum, "Dixit Michah ad Levitam, mane mecum, & esto mihi in *Patrem* & *Sacerdotem*: similiter dicebant filii Danis ad eundem, "Tace, pone manum super os

os tuum, & abi nobiscum, & esto nobis *in Patrem & Sacerdotem*," XVIII: 19; quod ipsi Reges illos similiter vocaverint, in Libro Secundo Regum," "Dixit Rex Israelis ad Elisæum, num percutiam *Pater mi*, dixit non percuties," VI: 21. 22; & Joasch Rex ad Elisæum cum moreretur, "Joasch Rex flevit ante facies ejus, & dixit, *Pater mi*, *Pater mi*, currus Israelis & equites ejus," XIII: 14; quod Reges vocaverint, erat, quia repræsentabant Dominum quoad Divinum Verum, & Sacerdotes quoad Divinum Bonum, & quia verum ad bonum se habet ut filius ad patrem, nam verum est a bono: hoc notissimum est in altera vita, & quia ita, in Cœlo non alium nominant Patrem, nec alium percipiunt per Patrem in Verbo Evangelistarum, quam Dominum, videatur n: 15. 1729; omnes infantes ibi docentur, cum initiantur in bonum amoris & verum ejus, agnoscere Solum Dominum pro Patre; imo etiam sollicita cura novitii, qui in cœlum veniunt, quod unus sit Deus, & qui intra Ecclesiam fuerunt, quod omne Trinum sit in Domino; nam ex Orbe Christiano pæne omnes secum habent ideam trium Deorum, tametsi ore dixerant non esse nisi unum Deum; nam cogitare unum, cum idea trium prius intravit, & unusquisque ex his nominatur Deus, & quoque distinguitur quoad attributa & munia ab altero, & etiam separatim colitur, hoc non humanum est; inde est, quod cultus trium Deorum sit in corde, at unius solum in ore, quod in Domino omne Trinum sit, est in orbe Christiano notum, sed usque in altera vita cogitatur parum de Domino, imo quoque Humanum Ipsius multis scandalum est, quia Humanum distinguunt a Divino, nec illud credunt Divinum: justificari se dicit homo, & sic purum & pæne sanctum fieri, sed glorificatum fuisse Dominum, hoc est, Divinum factum Humanum Ipsius, non cogitant, cum tamen conceptus sit ab Ipso Jehovah, & præterea nemo justificari potest, minus sanctificari, quam a Divino, & quidem a Divino Humano Domini, quod repræsentatur & significatur in Sacra Cœna, & apertis verbis dicitur quod panis sit Corpus Ipsius & vinum Sanguis: quod Dominus sit unus cum Patre, quodque ab æterno, & quod universum negat, ita quod sit ipsum Divinum Bonum & Divinum Verum, constat manifeste ex Verbo: QUOD SIT UNUS CUM PATRE, apud Johannem, "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius *Qui in sinu Patris*," I: 18. Apud Eundem, "Quærebant Judæi interficere Jesum, quod Patrem proprium dixisset Deum, *parem Se Ipsum faciens Deo*; respondit Jesus & dixit, amen, amen, dico vobis, non potest Filius facere a Se Ipso quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæ nempe Ille facit, hæc etiam Filius similiter facit: quemadmodum Pater suscitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat; neque Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorent Filium quemadmodum honorant Patrem; *quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipso, ita dedit etiam Filio vitam habere* in Se Ipso: qui misit Me Pater, Ipse testatus est de Me, neque vocem Ipsius audivistis unquam, neque speciem ejus vidistis; scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testantur de Me," V: 1 ad f: per Patrem ibi intelligitur, ut dictum, Divinum Bonum, & per Filium Divinum Verum, utrumque in Domino;

mino; a Divino Bono, quod Pater, non poteſt procedere ſeu exire quam Divinum, & hoc quod procedit ſeu exit, eſt Divinum Verum, quod Filius. Apud Eundem, "*Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad Me*; non quod Patrem viderit quis, niſi qui eſt apud Patrem, hic vidit Patrem," VI: 44 ad 48. Apud Eundem, "Dicebant Ipſi, ubi eſt Pater tuus, reſpondit Jeſus, neque Me noſtis, neque Patrem meum, *ſi Me noſſetis, etiam Patrem meum noſſetis*," VIII: 18. 19. Apud Eundem, "*Ego & Pater unum ſumus*: ſi utique Mihi non credatis, operibus credite, ut *cognoſcatis & credatis, quod Pater in Me, & Ego in Patre*," X: 30. 38. Apud Eundem, "Jeſus dixit, qui credit in Me, non credit in Me ſed in Ipſum Qui miſit Me, & *qui videt Me, videt Ipſum qui miſit Me*; Ego Lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat," XII: 44. 45. 46; quod Ipſum *miſerit* Pater, in ſenſu interno ſignificat quod procedat a Patre; ita hic & alibi, ubi dicit Dominus, quod Pater miſerit Ipſum; quod Lux ſit Divinum Verum, videatur ſupra. Apud Eundem, "Ego ſum via & veritas & vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me; *ſi cognoviſtis Me, etiam Patrem Meum cognoviſtis*, & abhinc cognoviſtis Illum, & *vidiſtis Illum*: dicit Philippus, Domine, monſtra nobis Patrem, dixit Jeſus, tantum tempus vobiſcum ſum, & non noſti Me, Philippe, *qui vidit Me vidit Patrem*, quomodo ergo tu dicis, monſtra nobis Patrem, *nonne credis quod Ego in Patre & Pater in Me ſit*; verba quæ Ego loquor vobis, a Me Ipſo non loquor, Pater Qui in Me manet, Ille facit opera: credite Mihi, *quod Ego in Patre & Pater in Me*: quodcunque petieritis in Nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio," XIV: 6 ad 11. Apud Eundem, "Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt qui amat Me, qui vero amat Me, amabitur a Patre Meo, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Me Ipſum: ſi quis amaverit Me, verbum meum ſervabit, & Pater meus amabit illum, & ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus," XIV: 21, 23; qui in Divino Vero, ſunt qui præcepta habent & faciunt illa, & qui in Divino Bono qui amant, inde dicitur quod amabitur a Patre, & ad illum veniemus & manſionem apud illum faciemus, nempe Divinum Bonum & Divinum Verum; quare dicitur apud Eundem, "In illa die cognoſcetis vos, *quod Ego in Patre Meo*, & *vos in Me*," ibid: Verſ: 20; & alibi, "Pater Sancte, ſerva illos in Nomine Tuo, *ut ſint unum ſicut nos*," XVII: 11; ex his conſtat, quod Dominus Patrem dicat, ex Divino Bono quod Ipſi, & Filium ex Divino Vero quod ex Divino Bono; ita quod non duo ſint, ſed unum: quod autem Dominus ita loquutus ſit, erat ut reciperetur Verbum tam in Terra quam in Cœlo, & quoque quia antequam glorificatus fuit Dominus, erat Divinum Verum quod ex Divino Bono, at cum glorificatus eſt ipſum Divinum Bonum quoad utramque Eſſentiam, ex Quo omne, Divinum Bonum & Divinum Verum. QUOD FUERIT AB ÆTERNO, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus ſit Qui loquutus per Prophetas, & quod Ipſe, tam inde, quam ex eo quod ab Ipſo Divinum Verum eſſet, dictus fuerit Verbum, de quo apud Johannem, "*In principio erat Verbum*, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; *hoc erat in principio*

cipio apud Deum, omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est; in Ipso vita erat, & vita erat *Lux hominum*. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre," I: 1. 2. 3. 4. 14; Verbum pro omni Vero in cœlis & in terris quod a Divino: Quod ab æterno, manifeste docet alibi apud Johannem, "Dixit Johannes, Hic erat, qui post me veniens, *ante me fuit, quia prior me fuit*: medius inter vos stat, quem vos non nostis, ille est qui post me venturus est, qui *ante me fuit*," I: 15. 27. 30. Apud Eundem, "Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius," VI: 62. Apud Eundem, "Jesus dixit, amen, amen dico vobis, *priusquam Abraham fuit, Ego sum*," VIII: 58: Apud Eundem, "Sciebat quod a *Deo exiverit*, & ad Deum abiret," XIII: 3. Apud Eundem, "Ipse Pater amat vos, quod vos Me amastis, & credidistis quod *Ego a Deo exiverim: exivi a Patre & veni in mundum*, iterum relinquo mundum, & eo ad Patrem," XVI: 27. 28. Apud Eundem, "Ego glorificavi Te super terra, opus perfeci quod dedisti Mihi ut facerem; nunc ergo glorifica Me Pater apud Te Ipsum gloria, *quam habui antequam mundus esset apud Te*. Ut videant gloriam meam, quam dedisti Mihi, quia amasti Me *ante fundationem mundi*," XVII: 5. 24. Apud Esaiam, "Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & vocabitur Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, *Pater æternitatis*, Princeps pacis," IX: 6. QUOD DOMINUS UNIVERSUM REGAT, constat apud Matthæum, "Omnia Mihi tradita sunt a Patre meo," XI: 25. Apud Eundem, "Jesus dixit discipulis, data est Mihi omnis potestas in cœlo & in terra," XXVIII: 18. Apud Johannem, "Pater omnia dedit in manum Filii, qui credit in Filium habet vitam æternam," III: 35. 36. "Non Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio," V: 22. Apud Eundem, "Sciebat Jesus, quod omnia dedisset Ipsi Pater in manus," XIII: 3. Apud Eundem, "Omnia quæcunque Pater habet, Mea sunt," XVI: 15. Apud Eundem, "Jesus dixit, Glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te, sicut dedisti Ipsi potestatem omnis carnis," XVII: 1. 2. Apud Eundem, "Omnia Mea Tua sunt, & Tua Mea, sed glorificatus sum in illis, non amplius sum in mundo, Ego namque ad Te venio," XVII: 10. 11. Apud Lucam, "Omnia tradita sunt Mihi a Patre Meo," X: 22. Ex his nunc constat, quod Divinum Bonum sit, quod Pater vocatur, & Divinum Verum quod Filius; & quod Dominus ex Divino Bono per Divinum Verum omnia & singula in universo regat: quia ita, & hoc tam manifestum ex Verbo, mirum est, quod non in Christiano Orbe, sicut in Cœlo, Dominum Solum agnoscant & adorent, & sic unum Deum; sciunt enim & docent, quod omne Trinum in Domino sit. Quod Spiritus Sanctus, qui quoque pro Deo distincto a Filio & Patre colitur, sit sanctum spiritus, seu sanctum quod per Spiritus seu Angelos procedit a Domino, hoc est, a Divino Ipsius Bono per Divinum Verum, alibi, ex Divina Domini Misericordia, manifestabitur.

3705.

3705. Terram, qua tu cubans super ea, tibi dabo eam, quod significet bonum, in quo esset, quod ex proprio, constat ex significatione terræ, quod hic sit bonum naturalis, de qua sequitur; ex significatione qua tu cubans super ea, quod sit in quo esset; & ex significatione tibi dare eam, quod sit ex proprio, de qua etiam sequitur. Quod Terra significet bonum naturalis, quod per Jacobum postea repræsentabitur, inde est, quia per terram Canaan significatur Regnum Domini, n: 1413. 1437. 1585. 1607. 1866; & quia significat Regnum Domini, etiam in supremo sensu significat Dominum, n: 3038, nam Dominus est omne in omnibus Regni sui, & quicquid ibi non est ab Ipso, & spectat Ipsum, non est Regni Ipsius; Regnum Domini etiam in Verbo significatur per Cœlum & Terram, n: 1733. 1850. 2117. 2118 f; sed tunc interius ejus per cœlum, & exterius per terram, n: 82. 1411. 1733. 3355 f; consequenter in supremo sensu cœlum significat Dominum quoad Divinum Rationale Ipsius, & Terra quoad Divinum Naturale; hic ideo, terra qua tu cubans, significat bonum Naturalis in quo esset, quod per Jacobum repræsentaretur, quod Jacob sit Dominus quoad Divinum Naturale, supra pluries dictum; præterea, quod Terræ significatio sit varia, videatur n: 620. 636. 1067. 2571. 3368. 3379; hoc ex causa, qui Canaan, quæ Terra Sancta vocatur, significat Regum Domini in communi, & cum Cœlum simul nominatur, tunc, ut dictum, cœlum significat interius, & Terra exterius; & quia ita, etiam significat Regnum Domini in terris, hoc est, Ecclesiam, & quia hæc, etiam significat hominem qui est Regnum Domini aut qui est Ecclesia, ita apud illum Cœlum quod interius est, & terra quod exterius, seu quod idem, Cœlum Rationale & Terra Naturale, nam Rationale est interius apud hominem, & Naturale exterius; & quia Terra hæc significat, etiam significat illud, quod facit ut sit Regnum Domini, nempe bonum amoris quod ex Divino; inde patet, quomodo Terræ significatio in Verbo est varia. Quod dabo tibi, sit ex proprio, constare potest ex significatione dare in Verbo, cum prædicatur de Domino; Dominus enim, ut mox supra ostensum, est Divinum Bonum & quoque Divinum Verum, & illud est quod vocatur Pater, & hoc quod Filius; & quia Divinum Bonum est Ipsius, proinde proprium, sequitur quod per dare tibi, cum dicitur a Jehovah, & prædicatur de Domino, sit ex proprio; inde patet, quid in sensu interno significatur per illud, quod Dominus toties dixit, quod Pater Ipsi dederit, quod nempe Sibimet-Ipsi; ut apud Johannem, "Pater glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te, *sicut dedisti Ipsi* potestatem omnis carnis, ut omne *quod dedisti Ipsi*, det illis vitam æternam. Ego Te glorificavi super terra, opus perfeci *quod dedisti Mihi* ut facerem. Manifestavi tuum Nomen hominibus, *quos dedisti Mihi* ex mundo; tui erunt, & *Mihi illos dedisti:* nunc cognoverunt, quod omnia, *quæ dedisti Mihi*, a Te sint; quia verba, *quæ dedisti Mihi*, dedi eis. Oro pro illis *quos dedisti Mihi*, quia Tui erant; *omnia namque Mea Tua sunt, & Tua Mea*," XVII: 1. 2. 4. 6 ad 10; ubi quod dederit Pater, est quod ex Divino Bono quod Ipsi, ita ex

ex proprio: inde constare potest, quantum arcani latet in singulis verbis, quæ Dominus loquutus est; tum quantum discrepat sensus literæ a sensu interno, & magis a sensu supremo; quod Dominus ita loquutus sit, erat, ut homo, qui tunc prorsus nescivit aliquod verum Divinum, usque suo modo verbum capere posset, & sic recipere; & Angeli suo modo, hi enim sciebant, quod Jehovah ac Ipse unum essent, & quod Pater esset Divinum Bonum, inde quoque sciebant, quod cum dixit, quod Pater Ipsi daret, esset quod Ipse Sibi dederit, & quod sic ex proprio.

3706. Quod & semini tuo, significet quod quoque verum, constat ex significatione seminis, quod sit verum fidei, de qua n: 255. 880. 1025. 1447. 1610. 2848. 3038. 3310 3373.

3707. Quod erit semen tuum sicut pulvis terræ, significet quod Divinum Verum naturale esset sicut bonum naturale, constat a significatione seminis, quod sit verum, de qua mox supra n: 3706, inde semen tuum seu Jacobi, est Divinum Verum Naturale, per Jacobum enim repræsentari Divinum Naturale Domini, supra ostensum est; & ex significatione pulveris terræ, quod sit bonum, de qua n: 1610; inde, "Erit semen tuum, sicut pulvis terræ," est in sensu interno, quod Divinum Verum naturale erit sicut Divinum Bonum naturale. Quod pulvis terræ significet bonum, inde est, quia per terram significatur Regnum Domini, proinde bonum, ut mox supra n: 3705, ostensum; pulvis illius terræ est ideo bonum, sed bonum naturale, quia per terram, ut quoque ibi ostensum, significatur id quod inferius est in Regno Domini, ita naturale, cum cœlum, quando quoque nominatur, id quod interius seu rationale: inde est, quod fructificatio boni & multiplicatio veri, passim in Verbo exprimatur per quod semen erit sicut stellæ cœlorum, & sicut pulvis terræ, per stellas cœlorum tunc significantur rationalia, & per pulverem terræ naturalia, quæ ita crescent. Quid sit, quod verum naturale erit sicut bonum naturale, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, explicabitur.

3708. Et erumpes ad mare & ad orientem, quod significet extensionem infinitam boni, & ad septentrionem & ad meridiem, quod significet extensionem infinitam veri, ita omnes status boni & veri, constat a significatione erumpere, quod sit extensio, hic extensio infinita quia prædicatur de Domino; a significatione maris seu occidentis, quod sit bonum adhuc obscurum ita incipiens; a significatione orientis, quod sit bonum lucidum ita perfectum; ex significatione septentrionis, quod sit verum adhuc in obscuro; & a significatione meridiei, quod sit verum in luce. Multis in locis in Verbo nominatur mare seu occidens, oriens, septentrio & meridies, sed quia nondum alicui notum fuit, quod illa sicut omnia & singula sensum internum habuerint, in quo non mundana secundum sensum literæ, sed spiritualia & cœlestia, ac in supremo sensu Divina Ipsius Domini, significarent, ideo non aliud scire potuerunt, quam quod per occidentem, orientem, septentrionem, & meridiem, solummodo plagæ mundi in Verbo intelligantur, & per erumpere ad illas plagas, multiplicatio; sed quod per illa non plagæ significentur,

tur, nec multiplicatio alicujus populi, sed ftatus boni & veri, ac eorum extenfio, conftare poteft ab omnibus locis in Verbo cumprimis apud Prophetas, ubi nominantur; quid enim fit occidens, oriens, feptentrio & meridies, in cœlo prorfus nefcitur; Sol enim ibi qui eft Dominus, non eft ficut fol mundi, qui oritur & occidit, & per fummam fuam altitudinem facit meridiem, & per minimam facit noctem, fed conftanter apparet, verum fecundum ftatus illorum qui recipiunt lucem inde, Lux enim inde in fe habet fapientiam & intelligentiam, videatur n: 1619 ad 1632: 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222 3223. 3339. 3341. 3485. 3636. 3643; quare fecundum ftatum fapientiæ & intelligentiæ cujufvis apparet; apud illos qui in bono & vero funt, in calore & luce, fed cœlefti & fpirituali, ficut fol cum eft in fuo ortu & in meridie, at apud illos qui non in bono & vero, ficut fol cum eft in occafu & in nocte; inde patet, quod per orientem, meridiem, occidentem & feptentrionem, ftatus boni & veri in fenfu interno Verbi fignificentur. Sciendum, quod ftatus boni & veri, in Verbo non folum defcribantur per plagas, de quibus dictum, fed etiam per tempora feu ftatus anni, nempe per ver, æftatem, autumnum, & hyemem, ut & per tempora feu ftatus diei, nempe per mane, meridiem, vefperam & noctem, & hoc ex fimili caufa; fed cum agitur de extenfione boni & veri, defcribitur per plagas: quid autem unumquodvis in fpecie fignificat, conftare poteft a locis ubi in Verbo nominantur; quod oriens fit Dominus & quod bonum amoris & charitatis quod a Domino, prius n: 101. 1250. 3249, oftenfum eft, & quod meridies fit verum in luce, n: 1458. 3193 pr: quid autem occidens & quid feptentrio, in fenfu genuino, & quid in fenfu oppofito, conftare poteft ex his locis; apud Efaiam, "Ne timeto, quia tecum Ego, ab *Oriente* adducam femen tuum, & ab *Occidente* colligam, dicam *Septentrioni* da, & *Meridiei* ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab extremitate terræ," XLIII: 5. 6, de Nova Ecclefia fpirituali quæ ibi Jacob & Ifrael; ab oriente adducere femen & ab occidente colligere, pro illis qui in bono, dicere feptentrioni da & meridiei ne inhibe, pro illis qui in vero. Apud Davidem, "Dicent redempti Jehovæ, quos redemit e manu hoftis, & ex terris congregavit illos, ab *ortu* & ab *occafu*, a *feptentrione* & a *mari*; errarunt in deferto, in folitudine viæ, urbem habitationis non invenerunt," Pfalm: CVII: 2. 3. 4, de illis qui in ignorantia boni & veri, ab ortu & ab occafu pro illis qui in ignorantia boni, a feptentrione & a mari, pro illis qui in ignorantia veri; de illis qui in ignorantia boni prædicatur quod errarint in deferto, qui in ignorantia veri prædicatur quod in folitudine viæ, & de ignorantiæ utriufque, quod urbem habitationis non invenerint, quod urbs fit doctrinale veri, videatur n: 402. 2450. 2943. 3216, & quod habitatio prædicetur de bono, n: 2268. 2451. 2712. Apud Efaiam, "Ecce hi e longinquo venient, & ecce illi *e Septentrione*, & *ab Occidente*, & illi e terra Sinim," XLIX: 12, feptentrio pro illis qui in obfcuro quoad verum, occidens pro illis qui in obfcuro quoad bonum, qui e longinquo venire dicuntur, quia remoti a luce quæ a Domino. Apud Amos, "Ecce dies venturi, quibus immittam famem in terra, & vagabuntur *a*

mari

mari ad mare, & a *feptentrione ufque ad ortum* difcurfitabunt, ad quærendum verbum Jehovæ, & non invenient," VIII: 11. 12; fames pro penuria & defectu cognitionum, n: 1460. 3364; vagari a mari ad mare pro inquirere ubi funt cognitiones, quod maria fint cognitiones in genere, n: 28. 2850; a feptentrione ufque ad ortum difcurfitare, pro ab illis cognitionibus quæ in obfcuro ad illas quæ in luce; quod fint cognitiones, patet, nam dicitur, ad quærendum Verbum Jehovæ & non invenient. Apud Jeremiam, "Clama verba hæc *Septentrionem verfus*, & dicite, revertere averfa Ifrael, non faciam cadere facies meas fuper vos, quoniam mifericors Ego: in diebus illis ibunt domus Jehudæ ad domum Ifraelis, & venient una *e terra feptentrionis* fuper terra, quam hæreditare feci patribus veftris," III: 12. 18; de reftauratione Ecclefiæ a gentibus, feptentrio pro illis qui in ignorantia veri, & tamen in vita boni; quod hic non feptentrio nec terra feptentrionis intelligatur, patet, Ifrael enim non amplius fuit. Apud Eundem, "Vivus Jehovah qui afcendere fecit filios Ifraelis *e terra feptentrionis*," XVI: 15, feptentrio fimiliter pro ignorantia veri. Apud Eundem, "Ecce Ego adducens eos *e terra feptentrionis*, & congregabo eos *a lateribus terræ*, inter eos cæcus & claudus," XXXI: 8; terra feptentrionis pro ignorantia boni quia veri; & quia terra Canaan repræfentabat Regnum Domini, & inde quoque bonum, videatur fupra n: 3705, & quæ in medio ejus, ut Zion & Hierofolyma intimum bonum cui conjunctum verum, inde illa quæ inde diftabant, repræfentabant obfcurum quoad bonum & verum, omne hoc quod in obfcuro vocatur terra feptentrionis, & quoque latera terræ; præterea quia omne bonum quod influit cum luce a Domino, in obfcuro hominis terminatur, feptentrio etiam vocatur conventus, ut apud Efaiam, "Dixifti in corde tuo, cœlos afcendam, fuper ftellas Dei exaltabo thronum meum, & fedebo in *monte conventus*, in *lateribus feptentrionis*," XIV: 13: apud Eundem, "Ejula porta, clama urbs, liquefacta eft Philiftæa tu tota, quia *a feptentrione* fumus venit, folitarius *in conventibus*," XIV: 31: apud Davidem, "Magnus Jehovah, & laudatus valdè in urbe Dei noftri, monte fanctitatis Ipfius, gaudium totius terræ, mons Zionis, *latera feptentrionis*, urbs Regis magni," XLVIII: 2. 3. Porro, apud Eundem, "Tibi cœli, etiam tibi terra, orbem & plenitudinem ejus Tu fundafti, *Septentrionem* & dextrum Tu creafti," Pfalm: LXXXIX: 12. 13; feptentrio hic pro illis qui remotiores funt a luce boni & veri, dextrum pro illis qui propiores; quod hi ad dextrum Domini fint, videatur n: 1274. 1276. Apud Sachariam, "Vidit quatuor currus exeuntes inter duos montes æris, illis equi rufi, nigri, albi & grandinati robufti; dixit Angelus, *hi quatuor venti cœlorum* exeuntes a ftando juxta Dominum totius terræ, equi nigri exeuntes *in terram feptentrionis*, & albi exiverunt poft illos, & grandinati exiverunt in *terram auftri*: exeuntes *ad terram feptentrionis* quiefcere faciunt fpiritum meum *in terra feptentrionis*," VI: 1 ad 8; currus exeuntes inter duos montes æris pro doctrinalibus boni, quod currus fint doctrinalia, patebit alibi, quod mons fit amor, videatur n: 795. 1430. 2722, inde duo montes funt bini amores, cœleftis qui in Dominum, & fpiritualis qui erga proximum,

 quod

quod æs ſit bonum inde quod in naturali, n: 425. 1551; quod equi ſint intellectualia, ita intellectus doctrinalium boni, n: 2760. 2761. 2762. 3217; terra auſtri ſeu meridiei pro illis qui in boni & veri cognitionibus, n: 1458. 3195; terra ſeptentrionis pro illis qui in boni & veri ignorantia, ſed in vita boni, in qua ſunt gentes probæ, apud quas cum nova Eccleſia inſtauratur, ibi ſpiritus Dei quieſcere dicitur. Apud Jeremiam, "Jehovah qui aſcendere fecit, & qui reduxit ſemen domus Iſraelis *e terra ad ſeptentrionem*, & ex omnibus terris, quo depuli illos, ut habitarent ſuper terra ſua," XXIII: 8, e terra ad ſeptentrionem pro ab obſcuro ignorantiæ boni & veri. Apud Eundem, "Num frangetur ferrum, ferrum *a ſeptentrione* & æs," XV: 12, ferrum pro vero naturali, n: 425. 426; æs pro bono naturali, n: 425. 1551, hæc a ſeptentrione dicuntur quia a naturali ubi obſcurum reſpective & terminus; quod propheticum hoc non ſignificet quod a ſeptentrione ferrum & æs, patet abſque explicatione, nam quid Divini, imo quid cohærentiæ cum illis quæ antecedunt & conſequuntur, ſi intelligeretur quod ferrum & æs inde. Apud Matthæum, "Dico vobis, quod multi *ab Oriente uſque & ab Occidente* venient, & accumbent cum Abrahamo, Jiſchako & Jacobo," VIII: 11. Luc: XIII: 29, multi ab oriente uſque & ab occidente pro illis qui in cognitionibus & vita boni, & qui in obſcuro ac ignorantia, ita qui intra Eccleſiam & qui extra; quod enim ſtatus boni per orientem & occidentem ſignificentur, ſupra dictum; quod accumbere cum Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, ſit eſſe cum Domino, videatur n: 3305 f. Quod ſimiliter, nempe ab Oriente & Occidente venturi ſint, qui apud Dominum in Regno Ipſius ſeu in Eccleſia Ipſius erunt, apud Prophetas dicitur; ut apud Eſaiam, "*Ab oriente* adducam ſemen tuum, & *ab occidente* colligam te," XLIII: 5: alibi, "Timebunt *ab Occidente* Nomen Jehovæ, & *ab Oriente* gloriam Ipſius," LIX: 19; alibi, "Cognoſcent *ab ortu ſolis* & *ab occaſu*, quod nullus præter Me, Ego Jehovah, & nemo amplius," XLV: 6: & alibi, "Excitabo *e Septentrione* & veniet, *ab Ortu Solis* invocabit Nomen meum," XLI: 25. Præterea, quod per Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem, talia ſignificentur, manifeſte conſtare poteſt ex conſtructione Tabernaculi; ex Caſtrametatione & Profectione Filiorum Iſraelis; ex deſcriptione Terræ Canaanis; tum a deſcriptione Novi Templi, Novæ Hieroſolymæ, & Novæ Terræ; EX CONSTRUCTIONE TABERNACULI, quod omnia ibi ſecundum plagas ordinata ſint, videatur Exod: XXXVIII; ut quid ad Angulum Orientis & Occidentis, & quid ad Angulum Meridiei & Septentrionis, Exod: XXVI: 18. 20. 22. 27. Cap: XXVII: 9. 12. 14: & quod Candelabrum e regione menſæ ad latus habitaculi *verſus meridiem*, menſa autem *ad latus ſeptentrionis*, Exod: XXVI: 35. Cap: XL: 22. EX CASTRAMETATIONE & PROFECTIONE FILIORUM ISRAELIS, etiam ſecundum plagas, quod nempe caſtrametarentur circum Tentorium conventus, Tribus Jehudæ, Tribus Jiſchaſkaris, Tribus Sebulonis *verſus Orientem*; Tribus Rubenis, Schimeonis & Gadis *verſus Meridiem*; Tribus Ephraimi, Menaſches, & Benjaminis *verſus Occidentem*; Tribus Danis, Aſcheris & Naphtali, *verſus Septentrionem*, Num: ii: 1 ad f. Tum quod ex

Levitis

Levitis Gerfchonitæ *verfus Occidentem*, Kehatitæ *verfus Meridiem*, Meraritæ *verfus Septentrionem*, & quod Mofes, Aharon & filii ejus ante Habitaculum *verfus Orientem*, Num: III: 23 ad 38, per quæ repræfentatus erat cœleftis ordo, qui in Regno Domini fecundum ftatus boni & veri. Et quod *verfus Meridiem* conclamatione clangerent ad Profectiones, Num: x: 6; & quod ficut caftrametati, etiam fic profecti fint, Num: ii: 34. Ex DESCRIPTIONE TERRÆ CANAANIS, quæ per Mofen primum defcripta eft quoad terminos circumcirca, & quidem *ad Angulum Meridiei*, ad *Angulum Occidentis*, *Angulum Septentrionis* & *Angulum Orientis*, Num: XXXIV: 2 ad 12; dein cum per fortem data Tribubus, Jofch: XV. XVI. XVII. XVIII. XIX; inde, & quoque ab Antiquiffimis qui in terra Canaane habitarunt, omnia ibi loca, fecundum fitum, diftantiam, & terminos quoad plagas, repræfentativa & fignificativa facta funt, n: 1607. 1866. Ex DESCRIPTIONE NOVI TEMPLI, NOVÆ HIEROSOLYMÆ, & NOVÆ TERRÆ, etiam fecundum plagas apud Ezechielem: ut, quod ftructura urbis effet *a meridie:* de porta ædificii, cujus facies *verfus orientem*, *verfus feptentrionem*, & *verfus meridiem*, XL: 2. 6. 19. 20 ad 46. De Menfura Templi, & ejus oftio *verfus Septentrionem* & *Meridiem*," XLI: 11. De Atrio verfus *Septentrionem*, *Orientem*, *Meridiem* & *Occidentem*, XLII: 1. 4. 11. 17. 18. 19. 20: & quod gloria Jehovæ Dei Ifraelis intraret a *via orientis*, XLIII: 1. 2. 4: de portis atrii, XLIII: 1. 2. 4. XLIV: 1. 9. 10. 19. 20. De terminis Terræ fanctæ Cap: XLVII, verfus *Septentrionem*, Verf: 15. 16. 17: verfus *Orientem*, Verf: 18; verfus *Meridiem*, Verf: 19; verfus *Occidentem*, Verf: 20. Et de hæreditatibus juxta plagas pro unaquavis Tribu, Cap: XLVIII. Et de portis Sanctæ Hierofolymæ *ab Oriente*, *Septentrione*, *Meridie* & *Occidente*, Apoc: XXI: 13: Ex his manifefte patet, quod quatuor mundi plagæ, fecundum quas fancta illa, feu repræfentativa fancti, fuerunt ordinata, in fenfu interno non plagas illas, fed ftatus boni & veri in Regno Domini fignificent. Quod Septentrio & Occidens in fenfu oppofito fignificent falfum & malum, conftare poteft a fequentibus locis; apud Jeremiam, "Factum Verbum Jehovæ ad me fecundo, dicendo, quid tu videns, dixi ollam apertam ego videns, & *facies ejus verfus feptentrionem*; & dixit Jehovah, a *feptentrione aperietur malum* fuper omnes habitatores terræ: en Ego vocans *omnes familias Septentrionis* ut veniant," I: 13. 14. 15. Apud Eundem, "Erigite fignum Zionem verfus, convenite, ne fubfiftite, quia *malum Ego adducens a Septentrione*, & confractionem magnam," IV: 6. Apud Eundem, "Vox ftrepitus ecce veniens, & tumultus magnus *e terra feptentrionis*, ad redigendum urbis Jehudæ vaftitatem," X: 22. Apud Eundem, "In Thekoa clangite buccina, quia *malum profpicit ex Septentrione*, & confractio magna; ecce venit populus veniens *e terra feptentrionis*, & gens magna excitabitur *a lateribus terræ*," VI: 1. 22. Apud Eundem, "Accepi calicem e manu Jehovæ, & bibere feci omnes gentes, Hierofolymam & urbes Jehudæ, & reges ejus, Pharaonem regem Ægypti, & *omnem turbam occidentalem*, omnes reges Arabiæ, & *omnes reges occidentis* habitantes in deferto, & omnes *reges feptentrionis*, propinquos & longinquos," XXV: 17 ad 26. Apud Eundem,

 "Non

"Non effugiet celer, nec eripiet ſe fortis, *Septentrionem verſus*, juxta litus fluvii Euphratis impegerunt & ceciderunt: quis hic ſicut flumen aſcendit, Ægyptus ſicut flumen aſcendit, dixit enim, aſcendam, obtegam terram, perdam urbem, & habitantes in ea; ſed dies ille Domino Jehovih Zebaoth, dies ultionis, quia ſacrificium Domino Jehovih *in terra ſeptentrionis* juxta fluvium Euphratis. Vitula pulcherrima Ægyptus, *excidium a ſeptentrione venit*, pudefacta eſt filia Ægypti, tradita eſt *in manum populi ſeptentrionis*," XLVI: 6. 7. 8. 10. 20. 24. Apud Eundem, "Sic dixit Jehovah, ecce aquæ *aſcendentes a Septentrione*, quæ ſicut flumen inundans, & inundabunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in ea," XLVII: 2. Apud Eundem, "Loquutus eſt Jehovah contra Babelem, aſcendet contra eam *gens a Septentrione*, hæc ponet terram ejus in deſolationem, ut non ſit habitans in ea," L: 3. Apud Eundem, "Ecce Ego excitans & aſcendere faciens contra Babelem congregationem gentium magnarum *e terra ſeptentrionis*, & inſtruent aciem contra eam, inde capietur; ecce *populus veniens e ſeptentrione*, & gens magna, & reges multi excitabuntur *e lateribus terræ*," L: 9. 41. Apud Eundem, "Tunc canent ſuper Babele cœli & terra, & omne quod in iis, quia *e Septentrione* veniet illi vaſtatores," LI: 48. Apud Ezechielem, "Dic Gogo, venies e loco tuo *a lateribus Septentrionis*, & populi multi tecum, aſcendes contra populum meum Iſraelem, ſicut nubes, ad obtegendum terram," XXXVIII: 14. 15. 16. Apud Eundem, "Ecce Ego contra te Goge princeps, reverti faciam te, ſextabo te, & faciam deſcendere te *a lateribus ſeptentrionis*, & adducam te ſuper montes Iſraelis; ſuper montibus Iſraelis cades, ſuper faciebus agri cades," XXXIX: 1. 2. 4. 5. Apud Sachariam, "Heu fugite *e terra ſeptentrionis*, dictum Jehovæ, nam ſicut quatuor ventos cœlorum expandam vos: heu Zion, eripe te, quæ habitas cum filia Babelis," ii: 10. 11: inde patet, quid per Septentrionem in ſenſu oppoſito ſignificatur, quod nempe falſum ex quo malum, & falſum quod a malo; falſum ex quo malum, quia oriundum ex ratiocinatione de Divinis & contra Divina ex ſcientificis quæ naturalis hominis, dicitur populus Septentrionis eſſe ex Ægypto, quod Ægyptus ſit tale ſcientificum, videatur n: 1164. 1165. 2588 f: falſum quod ex malo, quia oriundum a cultu externo apparente ſancto, cujus interiora ſunt prophana, dicitur gens ſeptentrionis e Babele, quod Babel tale ſit, videatur n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326; quod etiam Babel ſit quæ vaſtat, n: 1327: utrumque, nempe falſum ex quo malum, & falſum quod ex malo, dicitur ex Gogo, nam Gogus eſt cultus in externis abſque interno, & inde idololatricus, qualis fuit Judæorum omni tempore; quod Gogus tale ſit, videatur n: 1151: Ex obſcuro quod eſt naturalis hominis, tam exoritur verum, quam oritur falſum; quando homo ſe illuminari patitur per Verbum a Domino, tunc obſcurum ejus ſit lucidum, aperitur enim via interna, ita ſit influxus & communicatio per cœlum a Domino; at quando ſe non illuminari patitur per Verbum a Domino, ſed per propriam intelligentiam, tunc obſcurum ejus ſit tenebroſum, ita falſum, clauditur enim via interna, & non ſit influxus & communicatio

per

per cœlum a Domino, modo talis, ut apparere possit sicut homo externa forma, cogitando ex malo & falso, & quoque loquendo; inde est, quod Septentrio apud illos verum, & apud hos falsum significet; illi enim ab obscuro ascendunt, hoc est, elevantur ad lucem, hi autem ab obscuro descendunt, hoc est, se removent a luce; ita illi ad meridiem feruntur, hi autem ad tartara. Quod Septentrio sit caligo falsi, & Meridies lux veri, evidenter patet apud Danielem, ubi agitur de ariete & hirco caprarum; ut & de rege meridiei & rege septentrionis; de ariete & hirco caprarum, quod aries cornuferiret *versus occidentem*, & *versus septentrionem*, & *versus meridiem*, ita ut omnes bestiæ non consisterent coram eo; & quod hircus caprarum veniret *ab Occidente* super omnes facies terræ; & ex uno cornu ejus exiret cornu, quod cresceret valde versus *Meridiem*, & versus *Ortum*, & versus decus," VIII: 4. 5. 9. De rege meridiei & rege septentrionis, ubi per regem meridiei significantur illi qui in cognitionibus veri, & per regem septentrionis illi qui in falso, "Quod sub finem annorum consociabunt se, ita ut filia *Regis Meridiei* veniet ad *Regem septentrionis* ad faciendum rectitudines, sed non obtinebit brachium vires: surget e stemmate qui veniet in munimentum *Regis septentrionis*, & prævalebit; & captivitatem abducet *in Ægyptum:* veniet in regnum *Rex meridiei*, & pugnabit cum *Rege septentrionis:* revertetur *Rex septentrionis*, & sistet multitudinem magnam præ priore: multi stabunt contra *Regem Meridiei:* veniet *Rex septentrionis* & capiet urbem munitionum, & destruet multa: *Rex Meridiei* commiscebit se bello cum exercitu magno, sed non consistet, quia cogitabunt contra illum cogitationes: post redibit, sed non erit sicut prius; populus cognoscentium Deum suum confirmabunt se: tandem in tempore finis collidetur cum eo *Rex meridiei*, ideo quasi procella in illum irruet *Rex septentrionis* cum curru & equitibus; in terra decoris multi corruent: sed rumores terrebunt eum *ab ortu* & *a septentrione*, ut exeat cum ira magna; venturus est ad finem suum, nec auxilians illi," Cap: XI: 1 ad f. Quod Rex meridiei sint illi qui in luce veri, & Rex septentrionis illi qui in umbra primum, & dein in caligine falsi, a singulis ibi constare potest, ita quod status Ecclesiæ, quomodo successive pervertitur, describatur: Reges meridiei & septentrionis vocantur, quia per Reges in sensu interno Verbi significantur Vera, & in opposito Falsa, n: 1672. 2015. 2069; & per Regna, illa quæ sunt veri, ac in opposito sensu illa quæ sunt falsi, n: 1672. 2547.

3709. Quod benedicentur in te omnes familiæ humi, significet quod omnia vera boni doctrinæ conjungentur bono, constat ex significatione benedici, quod sit conjungi, de qua n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584; ex significatione familiarum, quod sint bona & quoque vera boni, de qua n: 1159. 1261; & ex significatione humi, quod sit id quod Ecclesiæ, consequenter doctrina boni & veri in naturali seu externo homine, qui hic per Jacobum repræsentatur, de qua n: 268. 566. 990. 3671: inde patet, quod per benedicentur in te omnes familiæ humi, significetur quod omnia vera boni doctrinæ conjungentur bono: Vera boni doctrinæ, sunt doctrinalia amoris in Domi-

Dominum & charitatis erga proximum, quæ conjungi bono in naturali homine dicuntur, quando volupe & jucundum est scire illa propter facere, illa.

3710. Et in semine tuo, quod significet & vero, nempe quod conjungentur, constat ex significatione seminis, quod sit verum, de qua n: 29. 1025. 1447. 1610. 2848. 3373.

3711. Quod ecce Ego cum te, significet quod Divinum; & quod custodiam te in omni quo eas, significet Divinam Providentiam, constat ex eo, quod Ego hic sit Jehovah, ita Divinum Domini; & ex significatione custodire in omni quo eas, quod sit Providentia ex Divino, & quia agitur de Domino, est Divina Providentia: per Divinum & Divinam Providentiam hic intelligitur, quod Dominus etiam Naturale suum Divinum faceret.

3712. Et reducam te ad humum hanc, quod significet conjunctionem cum Divina doctrina, constat a significatione reducere, quod sit iterum conjungere; & a significatione humi, quod sit doctrina boni & veri in naturali homine, de qua n: 268. 566. 990, hic Divina doctrina, quia per Jacobi peregrinationem apud Labanam repræsentantur intercedentia media, per quæ Dominus Naturale Divinum fecit, & per Jacobi reductionem seu reditum ad terram Canaanem repræsentatur intercedentium mediorum finis, quod nempe Naturale Divinum fecerit; ita per reducam te ad humum hanc significatur conjunctio cum Divina doctrina. Divina Doctrina est Divinum Verum, & Divinum Verum est omne Verbum Domini; ipsa Divina doctrina est Verbum in sensu supremo in quo unice agitur de Domino; inde Divina doctrina est Verbum in sensu interno in quo agitur de Regno Domini in cœlis & in terris; Divina doctrina est quoque Verbum in sensu literali, in quo agitur de illis quæ in mundo & super terris sunt; at quia sensus literalis in se continet sensum internum, & hic supremum, & prorsus correspondet per repræsentativa & significativa, ideo etiam doctrina inde est Divina: quia Jacob repræsentat Divinum Naturale Domini, etiam repræsentat Verbum quoad sensum literalem, nam quod Dominus sit Verbum, hoc est, omne Divinum Verum, notum est; naturale Verbi non aliter se habet ac sensus ejus literalis, est enim hic nubes respective, videatur Præfat: ad Cap: XVIII; at Rationale ejus seu spirituale interius Verbi se habet ut sensus internus, & quatenus Dominus est Verbum, dici potest quod is repræsentetur per Jischakum, sensus autem supremus per Abrahamum: inde patet, quid sit conjunctio cum Divina doctrina, cum prædicatur de Divino Naturali Domini, quod repræsentatur per Jacobum: verum enim vero hæc se ita non habent in Domino, omne enim in Ipso est Divinum Bonum, non autem Divinum Verum, minus Divinum verum naturale, sed Divinum Verum est Divinum Bonum apparens in cœlo coram angelis & in terra coram hominibus, & tametsi est apparens, usque est Divinum Verum, quia est a Divino Bono, sicut Lux quod solis sit quia a sole, videatur n: 3704.

3713. Quia non relinquam te donec quod fecero quod loquutus tibi, quod significet, quod nihil deerit quin effectum habitura, constare potest absque explicatione.

3714. Vers:

3714. Verſ: 16. 17. *Et expergefactus Jacob e ſomno ſuo, & dixit, certe eſt Jehovah in loco hoc, & ego non ſcivi. Et timuit, & dixit, quam terribilis locus hic, nihil hic niſi domus Dei, & hæc porta cœli.* Expergefactus Jacob e ſomno ſuo, ſignificat illuſtrationem: & dixit, certe eſt Jehovah in loco hoc, ſignificat Divinum in hoc ſtatu: & ego non ſcivi, ſignificat in obſcuro: & timuit, ſignificat alterationem ſanctam: & dixit quam terribilis locus hic, ſignificat ſanctitatem ſtatus: nihil hic niſi domus Dei, ſignificat Regnum Domini in ultimo ordinis: & hæc porta cœli, ſignificat ultimum in quod deſinit ordo, per quod ultimum e natura apparentur introitus.

3715. Expergefactus Jacob e ſomno ſuo, quod ſignificet illuſtrationem, conſtat a ſignificatione ſomni, quod ſit ſtatus obſcurus reſpective ad vigiliam quæ eſt ſtatus lucidus, inde a ſomno expergiſci in ſpirituali ſenſu eſt illuſtrari.

3716. Et dixit, certe eſt Jehovah in loco hoc, quod ſignificet Divinum in hoc ſtatu, conſtat a ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere, de qua ſæpius prius; ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377. 2625, 2837. 3356. 3387; quod Jehovah ſit Divinum, conſtat; inde patet, quod per dixit certe eſt Jehovah in loco hoc, ſignificetur perceptio quod Divinum in hoc ſtatu.

3717. Et ego non ſcivi, quod ſignificet in obſcuro, conſtare poteſt abſque explicatione; non ſcire enim & ignorare eſt obſcurum quoad illa quæ ſunt viſus intellectualis. Ex non ſcire & ignorare, quod ſit obſcurum, ut quoque ex expergiſci e ſomno, quod ſit illuſtrari, patet, quid ſenſus internus & qualis eſt, quod nempe illa quæ ſunt ſenſus literalis ſint talia, qualia apparent coram viſu externo aut alio aliquo ſenſu, & quoque ſecundum illos ſenſus capiuntur, at illa quæ ſunt ſenſus interni talia ſunt qualia apparent coram viſu interno aut alio ibi ſenſu; quæ itaque in ſenſu literali ſunt, & ab homine capiuntur ſecundum ſenſus externos, hoc eſt, ſecundum illa quæ ſunt in mundo, aut ſecundum ideam inde, eadem ab angelis percipiuntur ſecundum ſenſus internos, hoc eſt, ſecundum illa quæ ſunt in cœlo aut ſecundum ideam inde: ſe habent illa & hæc, ſicut quæ in luce mundi ad illa quæ in luce cœli; quæ in luce mundi ſunt mortua reſpective ad ea quæ in luce cœli, in luce cœli enim eſt ſapientia & intelligentia a Domino, n: 3636. 3643; quapropter cum obliterantur ſeu abſterguntur illa quæ ſunt lucis mundi, remanent illa quæ ſunt lucis cœli, ita loco terreſtrium cœleſtia, & loco naturalium ſpiritualia; ſicut, quod ſupra dictum, neſcire & ignorare, quod ſit in ſtatu obſcuro eſſe de bono & vero, & quod expergiſci a ſomno, ſit illuſtrari; ita in omnibus reliquis.

3718. Et timuit, quod ſignificet alterationem ſanctam, conſtat ex ſignificatione timoris, quod ſit alteratio ſancta, ut ab illis, quæ incontinenter ſequuntur, patet, nam dicit, "quam terribilis locus hic, nihil hic niſi domus Dei, & hæc porta cœli," in quibus verbis, quod alteratio ſancta inſit, conſtare poteſt. Quid Timor in ſenſu interno, videatur n: 2826; eſt in genere duplex, timor in non ſancto, & timor in ſancto, timor in non ſancto eſt in-

quo-

quo ſunt mali, at timor in ſancto eſt in quo ſunt boni; hic timor, nempe in quo ſunt boni, vocatur timor ſanctus, & eſt admirationis pro Divino, & quoque eſt amoris; amor abſque timore ſancto eſt quaſi inſulſum quid, ſeu ſicut cibus in quo nihil ſalis, & inde non ſapor, ſed amor cum timore eſt quaſi cibus ſalitus qui tamen non a ſale ſapit; timor amoris eſt, ne aliquo modo lædatur Dominus, nec aliquo modo proximus, ita ne aliquo modo bonum & verum, proinde ne ſanctum amoris & fidei, & inde cultus; ſed timor ille eſt varius, non ſimilis uni prout alteri; in genere quantum amoris boni & veri alicui eſt, tantum timoris eſt ne bonum & verum lædatur, ſed uſque tantum non apparet ut timor; at quantum minus amoris boni & veri eſt, tantum minus timoris eſt pro eo, & tantum apparet non ut amor ſed ut timor, inde his timor pro inferno; at ubi nihil amoris boni & veri eſt, ibi nihil timoris ſancti, ſed modo timor jacturæ honoris, lucri, famæ propter illa, tum pœnarum ac mortis, qui timor eſt externus, & præcipue afficit corpus & naturalem hominem ejuſque cogitationes; at ille timor, nempe timor ſanctus, præcipue afficit ſpiritum ſeu internum hominem, ejuſque conſcientiam.

3719. Et dixit, quam terribilis locus hic, quod ſignificet ſanctitatem ſtatus, conſtat a ſignificatione timoris, quod ſit alteratio ſancta, de qua mox ſupra n: 3718; & quia vox terribilis in Lingua originali ex eadem voce, ex qua timor, derivatur, eſt ſanctitas, quæ per illam ſignificatur; & quia timor in ſenſu interno ſanctum ſignificat, ut mox ſupra dictum, etiam per eandem vocem in Lingua originali ſignificatur veneratio ac reverentia, quæ quoque eſt timor ſanctus: & ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua mox ſupra, n: 3716.

3720. Nihil hic niſi domus Dei, quod ſignificet Regnum Domini in ultimo ordinis, conſtat ex ſignificatione Domus Dei: in Verbo multis in locis memoratur Domus Dei, & in ſenſu externo ſeu ſecundum literam ſignificat Ædem ubi cultus ſanctus, ſed in ſenſu interno ſignificat Eccleſiam, inque ſenſu univerſaliori cœlum, ac in univerſaliſſimo univerſum Regnum Domini; in ſupremo autem ſenſu ipſum Dominum quoad Divinum Humanum; ſed in Verbo nunc dicitur Domus Dei, nunc Templum, utrumque ſimile ſignificat, ſed cum differentia, quod Domus Dei dicatur ubi agitur de Bono, at Templum ubi de Vero; inde patet, quod per Domum Dei ſignificetur Eccleſia Domi cœleſtis, inque univerſaliori ſenſu cœlum Angelorum cœleſtium, in univerſaliſſimo Regnum cœleſte Domini, ac in ſupremo ſenſu Dominus quoad Divinum Bonum; & quod per Templum ſignificetur Eccleſia Domini ſpiritualis, inque univerſaliori ſenſu cœlum angelorum ſpiritualium, in univerſaliſſimo Regnum Spirituale Domini, ac in ſupremo Dominus quoad Divinum Verum, videatur n: 2048. Quod Domus Dei ſignificet cœleſte quod boni, & quod Templum ſpirituale quod veri, eſt inde, quia Domus in Verbo ſignificat bonum, videatur n: 710. 2233. 2234. 2559. 3128. 3652, & quia conſtruebatur ex lignis apud Antiquiſſimos, ex cauſa quia lignum ſignificabat bonum, n: 643. 1110. 2784. 2812; Templum autem ſignificat verum

verum, quia construebatur ex lapidibus, quod lapides sint vera, videatur n: 643. 1296. 1298: quod ligna & lapides talia significent, non modo constat ex Verbo ubi nominantur, sed etiam ex repræsentativis in altera vita; qui enim meritum in bonis operibus ponunt, illi apparent sibi scindere ligna; & qui meritum in veris ponunt, quod nempe crediderint se vera præ aliis novisse, & tamen male vixerunt, apparent sibi scindere lapides; quæ sæpius mihi visa sunt; inde mihi constare potuit quid significatio ligni & lapidis, nempe quod ligni sit bonum, & lapidis sit verum; pariter ex eo, quod quando visa mihi domus lignea, illico obvenerit idea boni, & cum visa domus lapidea, obvenerit idea veri; de qua re etiam ab Angelis instructus sum: inde est, cum in Verbo memoratur domus Dei, Angelis obveniat idea boni, & talis boni de quali in serie agitur; & cum memoratur Templum, quod obveniat idea veri, & talis veri de quali in serie agitur. Inde quoque concludi potest, quam alte & penitus recondita sunt arcana cœlestia in Verbo. Quod per Domum Dei hic significetur Regnum Domini in ultimo ordinis, est quia agitur de Jacobo, per quem quod repræsentetur Divinum Naturale Domini, prius sæpe ostensum; Naturale est in ultimo ordinis, nam in illo terminantur interiora omnia, ac ibi simul sunt, & quia simul ibi sunt & sic simul conspiciuntur innumerabilia ut unum, est ibi obscurum respective; de obscuro ibi respective, etiam prius aliquoties actum.

3721. Et hæc porta cœli, quod significet ultimum in quod desinit ordo, per quod ultimum e natura apparenter sicut introitus, constat ex significatione portæ, quod sit illud per quod exitus & introitus; quod hic sit ultimum in quod desinit ordo, est quia agitur de Naturali quod per Jacobum repræsentatur; quid porta constat ex illis quæ n: 2851: 3187, dicta & ostensa sunt, & quod Naturale sit ultimum ordinis, ab illis quæ n: 775. 2181. 2987 ad 3002. 3020. 3147. 3167. 3483. 3489. 3513. 3570. 3576. 3671, allata sunt: quod per id ultimum e natura apparenter sic sicut introitus, est quia mens naturalis apud hominem est, per quam illa quæ sunt cœli, hoc est, quæ Domini, influunt & descendunt in naturam, & per eandem mentem illa, quæ sunt naturæ, ascendunt, videatur n: 3702; sed quod sit apparenter introitus a natura per mentem naturalem in interiora, constare potest ex illis quæ passim prius dicta & ostensa sunt; apparet coram homine quod objecta mundi per sensus ejus corporis seu externos intrent, & afficiant interiora, & sic quod introitus sit ab ultimo ordinis in illa quæ intus sunt, at quod illud sit apparentia & fallacia, patet ex communi regula, quod posteriora non possint influere in priora, seu, quod idem, inferiora in superiora, seu, quod idem, exteriora in interiora, seu, quod adhuc idem, illa quæ sunt mundi & naturæ in illa quæ sunt cœli & spiritus; illa enim crassiora sunt, hæc puriora, & crassiora illa, quæ sunt Externi seu Naturalis hominis, existunt & subsistunt ab illis quæ sunt Interni seu Rationalis hominis, quæ non afficere possunt puriora, sed afficiuntur a purioribus: Verum quomodo se habet cum hoc influxu, quia ipsa apparentia & fallacia prorsus contrarium persuadent, seorsim, ex Divina Domini Misericordia, ubi de Influxu, dicetur: inde nunc est,

quod dicatur, quod per ultimum, in quod desinit ordo, sit a natura apparenter sicut introitus.

3722. Vers: 18. 19. *Et mane surrexit Jacob in matutino, & sumsit lapidem, quem posuit subcapitalia sua, & posuit illum statuam, & fudit oleum super caput illius. Et vocavit nomen loci illius Bethel; & utique Lus nomen urbis priori.* Mane surrexit Jacob in matutino, significat illustrationis statum: & sumsit lapidem, significat verum: quem posuit subcapitalia sua, significat cum quo communicatio cum Divino: & posuit illum statuam, significat sanctum terminum: & fudit oleum super caput illius, significat sanctum bonum ex quo: & vocavit nomen loci illius Bethel, significat status quale: & utique Lus nomen urbis priori, significat status prioris quale.

3723. Mane surrexit Jacob in matutino, quod significet illustrationis statum, constat a significatione mane surgere in matutino, quod sit illustrationis status, de qua n: 3458; surgere enim in Verbo ubi nominatur involvit aliquid elevationis, n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171; & mane significat lucis cœlestis adventum, ita hic elevationem ab obscuro in lucem, proinde illustrationis statum.

3724. Et sumsit lapidem, quod significet verum, constat a significatione lapidis, quod sit verum, de qua n: 1296. 1298. 3720.

3725. Quem posuit subcapitalia sua, quod significet cum quo communicatio cum Divino, constat ex significatione subcapitalium seu cervicalium, quod sint communicatio communissima, de qua supra n: 3695.

3726. Et posuit illum statuam, quod significet sanctum terminum, constat a significatione statuæ; de qua sequitur. Quomodo hæc se habent, constare potest ab illis quæ præcedunt, quod nempe de ordine agatur quo Dominus Naturale suum Divinum fecit, ac in sensu repræsentativo quomodo Dominus Naturale hominis novum facit seu regenerat; qualis ille ordo sit, supra passim dictum & ostensum est, quod nempe inversus sit cum regeneratur homo, & primo loco ponatur verum, & quod restitutus cum homo regeneratus est, & bonum primo loco tunc sit, & verum ultimo, de qua re videatur n: 3325. 3330. 3332. 3336. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3688: hoc repræsentatum fuit per scalam, per quam Angeli ascendebant & descendebant, ubi primum dicitur quod ascenderent, & dein quod descenderent, n: 3701; de ascensu nunc agitur, quod nempe ab ultimo ordinis, de quo mox supra n: 3720. 3721; hic nunc quod sit verum quod ultimum ordinis est; hoc ultimum est, quod vocatur sanctus terminus, & significatur per lapidem, quem sumsit Jacob, & posuit in statuam. Quod verum sit ultimum ordinis, inde constare potest, quod bonum non possit in bonum terminari sed in verum, nam verum est recipiens boni, n: 2261. 2434. 3049. 3068. 3180. 3318. 3387. 3470. 3570: bonum apud hominem absque vero, seu absque conjunctione cum vero, est bonum quale apud infantes, quibus nihil adhuc sapientiæ est quia nihil intelligentiæ; at quantum infans procedente ætate recipit verum ex bono, seu quantum apud illum conjungitur verum bono, tantum fit homo; inde patet, quod Bonum sit primum

primum ordinis, & Verum ſit ultimum: inde eſt, quod homo ex ſcientificis, quæ ſunt vera Naturalis hominis, & dein ex doctrinalibus quæ ſunt vera ſpiritualis hominis in Naturali ejus, inchoare debeat, ut initietur in intelligentiam ſapientiæ, hoc eſt, ut intret in vitam ſpiritualem, ex qua homo fit homo, n: 3504: ut pro exemplo, ut homo poſſit ſicut ſpiritualis homo amare proximum, primum diſcere debet quid ſpiritualis amor ſeu charitas, & quis proximus; antequam hæc novit, quidem amare poteſt proximum, ſed ut naturalis homo, non ut ſpiritualis, hoc eſt, ex bono naturali, non ex bono ſpirituali videatur, n: 3470. 3471; at poſtquam illa novit, tunc cognitionibus illius rei implantari poteſt ſpirituale bonum a Domino; ita ſe habet cum omnibus reliquis, quæ cognitiones, vel doctrinalia, vel in genere vera, dicuntur. Dicitur, quod cognitionibus implantari queat bonum a Domino, tum quod verum ſit recipiens boni; qui non aliam ideam de cognitionibus, ut & de veris habent, quam quod ſint res abſtractæ, qualem ideam quoque de cogitationibus plerique habent, illi nequaquam capere poſſunt, quid ſit, quod cognitionibus implantetur bonum, & quod verum ſit recipiens boni; ſed ſciendum quod cognitiones & vera non magis res abſtractæ ſint a puriſſimis ſubſtantiis, quæ ſunt Interioris hominis ſeu ejus Spiritus, quam viſus eſt abſtractus ab organo ſuo ſeu oculo, aut auditus a ſuo organo ſeu aure; ſunt puriores ſubſtantiæ, quæ reales, ex quibus exiſtunt, quarum variationes formæ animatæ & modificatæ per influxum vitæ a Domino illa ſiſtunt, & illarum convenientiæ & harmoniæ ſucceſſive aut ſimul, ſunt, quæ afficiunt, ac faciunt id quod vocatur pulchrum, amænum, & jucundum: ipſi Spiritus ſunt formæ, hoc eſt, ex continuis formis conſiſtunt, æque ac homines, ſed ex purioribus, & ad viſum corporeum ſeu oculi non conſpicuis: ſed quia formæ illæ ſeu ſubſtantiæ non conſpicuæ ſunt corporeo oculo, homo hodie non aliter capit, quam quod cognitiones, & cogitationes, ſint res abſtractæ, inde quoque inſania noſtri ſæculi, quod non credant in ſe ſpiritum habere victurum poſt mortem corporis, cum tamen ille eſt ſubſtantia magis multo realis, quam ſubſtantia materialis ejus corporis: imo, ſi credere velis, eſt Spiritus poſt ſolutionem a corporeis ipſum illud corpus purificatum, quod plures dicunt ſe habituros tempore ultimi judicii, cum primum ſe reſurrecturos credunt: quod Spiritus, ſeu quod idem, Animæ, corpore præditi ſint, ſe mutuo ut in clara die videant, inter ſe loquantur, ſe mutuo audiant, & multo exquiſitiori ſenſu polleant, quam cum fuerunt in corpore ſeu in mundo, ab illis, quæ ab experientia tam copioſe relata ſunt, manifeſte conſtare poteſt.

3727. Quod ſignificationem ſtatuæ attinet, quod ſit ſanctus terminus, ita ultimum ordinis, inde eſt, quia antiquiſſimis temporibus ponebantur lapides ubi termini eorum erant, qui diſcriminabant unius poſſeſſionem aut hæreditatem ab alterius, & erant in ſignum & in teſtem, quod ibi termini; Antiquiſſimi, qui in ſingulis objectis, & in ſingulis ſtatutis cœleſte quoddam & ſpirituale cogitabant, n: 1977. 2995, etiam in his lapidibus quos ſtatuebant, cogitabant ex illis de ultimis in homine, proinde de ultimo ordinis, quod eſt verum in Naturali homine: ab Antiquiſſimis illis, qui fuerunt ante diluvium,

habuerunt hoc Antiqui qui poſt diluvium, n: 920. 1409. 2179. 2896. 2897, & lapides illos, quos in terminis ſtatuebant, ſanctos habere cœperunt, ex cauſa, ut dictum, quia ſanctum Verum quod in ultimo ordinis, ſignificabant, etiam lapides illos Statuas vocabant, inde factum quod Statuæ eſſent in cultum, & quod erigerent tales, ubi ſuos lucos habebunt, & poſtmodum ubi ſua templa, & quoque quod inungerent illos oleo, de qua re mox ſequitur; conſtabit enim Antiquæ Eccleſiæ cultus ex perceptivis & ſignificativis Antiquiſſimorum qui ante diluvium, ut ex locis mox citatis patet: Antiquiſſimi, quia loquebantur cum Angelis, & ſimul cum illis erant quando in terra, a cœlo habuerunt quod Lapides ſignificarent verum, & quod Ligna bonum, videatur mox ſupra n: 3720; inde nunc eſt, quod ſtatuæ ſignificent ſanctum terminum, ita Verum quod ultimum ordinis eſt apud hominem; bonum enim, quod per Internum hominem influit a Domino, terminatur in Externo homine, & in vero ibi, cogitatio hominis, loquela ejus, & actio, quæ ſunt ultima ordinis, non aliud ſunt quam vera ex bono, ſunt enim imagines ſeu formæ boni; nam pertinent ad partem intellectualem hominis, at bonum quod in illis, & ex quo, ad partem voluntariam. Quod Statuæ erigerentur in ſignum, & in teſtem, & quoque in cultum, & quod in ſenſu interno ſignificent ſanctum terminum, ſeu verum in naturali hominis, quod ultimum ordinis eſt, conſtare poteſt ab aliis locis in Verbo; ut in ſequentibus, ubi agitur de fædere inter Labanem & Jacobum, "Nunc ito, pangamus fœdus ego & tu, & ſit *in teſtem* inter me & inter te: & accepit Jacob *Lapidem* & *erexit illum ſtatuam:* dixit Laban Jacobo, ecce acervus hic, & *ecce Statua* quam erexi inter me & inter te, *teſtis* acervus hic, & *teſtis ſtatua*, quod ego non tranſibo ad te acervum hunc, & quod tu non tranſibis ad me acervum hunc, & *ſtatuam hanc*, ad malum, Geneſ: XXXI: 44. 45. 51. 52; quod hic per ſtatuam ſignificetur Verum, in explicatione ad illum locum videbitur. Apud Eſaiam, "In die illo, erunt quinque urbes in terra Ægypti loquentes labiis Canaanis, & jurantes Jehovæ Zebaoth: in die illo erit *Altare Jehovæ* in medio terræ Ægypti, & *Statua apud terminum ejus*, Jehovæ; quæ erit *in ſignum* & *in teſtem* Jehovæ Zebaoth in terra Ægypti," XIX: 18. 19. 20; Ægyptus pro ſcientificis, quæ Naturalis hominis; Altare pro cultu Divino in genere, factum enim eſt Altare primarium repræſentativum cultus in Eccleſia altera Antiqua ab Ebero incepta, n: 921. 1343. 2777. 2811; medium terræ Ægypti, pro primario & intimo cultus, n: 2940. 2973. 3436; ſtatua pro vero quod ultimum ordinis in naturali; quod in termino, in ſignum, & in teſtem, patet. Apud Moſen, "Scripſit Moſes omnia verba Jehovæ, & ſurrexit in mane, & ædificabat *Altare* juxta montem Sinai, & *duodecim ſtatuas* pro duodecim tribubus Iſraelis," Exod: XXIV: 4, ubi Altare ſimiliter erat repræſentativum omnis cultus, & quidem repræſentativum boni in cultu; duodecim autem ſtatuæ repræſentativum veri quod ex bono in cultu; quod duodecim ſint omnia veri in uno complexu, videatur n: 577. 2089. 2129 f. 2130 f. 3272; quod duodecim Tribus ſint pariter omnia veri Eccleſiæ, in Capite ſequente, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur. Quia Altaria fuerunt

fuerunt repræsentativa omnis boni cultus, & Ecclesia Judaica instituta fuit, ut repræsentaret Ecclesiam cœlestem, quæ non aliud verum agnovit, quam quod ex bono, quod cœleste verum appellatur, nam verum ne minime separare voluit a bono, usque adeo ut ne quidem nominare aliquid fidei seu veri vellet, nisi cogitaret de bono, & id ex bono, videatur n: 202. 337. 2069. 2715. 2718. 3246, ideo repræsentativum veri fuit per lapides Altaris, & interdictum quod per statuas, ne sic separaretur verum a bono, ac repræsentative coleretur verum loco boni; quare ita apud Mosen, "Non plantabis tibi lucum cujuscunque arboris juxta *altare Jehovæ* Dei tui quod facies tibi, & *non eriges tibi statuam*, quam odit Jehovah Deus tuus, Deut: xvi: 21. 22; colere enim verum separatum a bono, seu fidem separatam a charitate, est contra Divinum, quia contra ordinem, quod significatur per quod non eriges tibi statuam, quam odit Jehovah Deus: sed quod usque erexerint, & sic repræsentaverint illa quæ sunt contra ordinem, constat apud Hoscheam, "Israel secundum multiplicare fructum suum, *multiplicat altaria*, secundum bonum terræ suæ, *faciunt bene statuas:* sed evertet *altaria eorum*, vastabit *statuas eorum*," x: 1. 2. In Libro Primo Regum, "Fecit Jehudah malum in oculis Jehovæ, & ædificarunt sibi excelsa, & *Statuas*, & lucos, super omni colle alto, & sub omni arbore viridi," xiv: 23. In Libro Secundo Regum, "Filii Israelis *statuerunt sibi statuas*, & lucos, super omni colle alto, & sub omni arbore viridi," xvii: 10: in Eodem Libro, "Chiskia removit excelsa, & *confregit statuas*, & excidit lucum, & contudit serpentem æneum, quem fecerat Moses, quia suffiebant illi," xviii: 4. Quia Gentes per traditiones etiam habuerunt, quod sanctum cultus repræsentaretur per altaria & per statuas, & tamen illi in malo & falso essent, ideo per altaria apud gentes significantur mala cultus, & per statuas falsa, quare mandatum ut destruerentur; apud Mosen, "*Altaria Gentium evertetis*, & *statuas eorum confringetis*, & lucos eorum exscindetis," Exod: xxxiv: 13. Deut: vii: 5. Cap: xii: 3. Apud Eundem, "Non incurvabis te diis gentium, & non coles illos, & non facies juxta opera eorum, quia destruendo destrues illos, & confringendo *confringes statuas eorum*," Exod: xxiii: 24; dii gentium pro falsis, opera pro malis, confringere statuas pro destruere cultum ex falso. Apud Jeremiam, "Nebuchadnezar Rex Babelis confringet *statuas domus solis* in terra Ægypti, & domos deorum Ægypti comburet igne," xliii: 13. Apud Ezechielem, "Nebuchadnezar Rex Babelis per ungulas equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas, populum gladio occidet, & *statuas roboris tui* in terram descendere faciet," xxvi: 11; ubi de Tyro; Nebuchadnezar Rex Babelis pro illo quod vastat, n: 1327 f; ungulæ equorum pro infimis intellectualibus, qualia sunt scientifica ex meris sensualibus, quod ungulæ infima sint, alibi ex Divina Domini Misericordia, confirmabitur; equi pro intellectualibus, n: 2760. 2761. 2762; plateæ pro veris, & in opposito sensu pro falsis, n: 2336, quas conculcare est destruere cognitiones veri, quæ per Tyrum significantur, quod Tyrus, de qua hic agitur, sint cognitiones veri,

n: 1201;

n: 1201; populum gladio occidere, pro vera per falſum deſtruere, quod populus prædicetur de veris, n: 1259. 1260. 3295. 3581, & quod gladius ſit falſum pugnans, n: 2799; inde patet, quid ſit ſtatuas roboris in terram facere deſcendere; quod robur prædicetur de vero & de falſo, ex Verbo etiam conſtat.

3728. Et fudit oleum ſuper caput illius, quod ſignificet ſanctum bonum, conſtat a ſignificatione olei, quod ſit cœleſte amoris ſeu bonum, de qua n: 886. 3009; ex ſignificatione Capitis, quod ſit id quod ſuperius eſt, ſeu quod idem, id quod interius; quod bonum ſit ſuperius ſeu interius, & verum ſit inferius ſeu exterius, multis in locis oſtenſum eſt; inde patet, quid per ritum illum antiquum, quod fuderint oleum ſuper caput ſtatuæ, ſignificatum, quod nempe verum non eſſet abſque bono, ſed ex bono, ita quod bonum dominaretur, ſicut caput ſuper corpus; verum enim abſque bono non eſt verum, ſed eſt ſonus nullius vitæ, & tale ut diſſipetur ex ſe, in altera vita diſſipatur etiam apud illos, qui præ aliis verum ſeu doctrinalia fidei, etiam qui doctrinalia amoris ſciverunt ſi non in bono vixerunt, ac ita ſi non ex bono verum retinuerint; inde Eccleſia non eſt Eccleſia ex vero ſeparato a bono, proinde non a fide ſeparata a charitate, ſed a vero quod ex bono, ſeu a fide quæ ex charitate: etiam ſimile ſignificatur per illa quæ Dominus ad Jacobum dixit, "Ego Deus Bethelis, *quo unxiſti ſtatuam*, quo voviſti Mihi votum," Gen: XXXI: 13: & per quod Jacob iterum *ſtatuit ſtatuam*, *ſtatuam lapidis*, & libavit ſuper illa libamen, & *fudit ſuper illa oleum*," Gen: XXXV: 14; per libare libamen ſuper ſtatua, ſignificatur Divinum bonum fidei, & per fundere oleum ſuper illa, Divinum bonum amoris. Quod fundere oleum ſuper lapidem, abſque ſignificatione alicujus rei cœleſtis ac ſpiritualis, foret quoddam ridiculum & idololatricum, quiſque videre poteſt.

3729. Et vocavit nomen loci Bethel, quod ſignificet ſtatus quale, conſtat ex ſignificatione nominis & vocare nomen, quod ſit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; & ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387; ſtatus quale eſt, quod ſignificatur per Bethel; Bethel in Lingua originali ſignificat domum Dei, quæ quod ſit bonum in ultimo ordinis, videatur n: 3720.

3730. Et utique Lus nomen urbis priori, quod ſignificet ſtatus prioris quale, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale, de qua mox ſupra n: 3729; & ex ſignificatione urbis, quod ſit doctrinale veri, de qua n: 402. 2268. 2450. 2712. 2943. 3216: Lus in Lingua originali ſignificat receſſionem, ita disjunctionem, quæ fit quando doctrinale veri ſeu verum primo loco ponitur, & bonum negligitur, ita cum ſolum verum in ultimo ordinis eſt; at cum verum una cum bono eſt in ultimo ordinis, tunc non eſt receſſio ſeu disjunctio, ſed acceſſio ſeu conjunctio; hoc eſt ſtatus quale, quod per Lus ſignificatur.

3731. Verſ: 20. 21. 22. *Et vovit Jacob votum, dicendo, ſi fuerit Deus cum me, & cuſtodiverit me in via hac, quam ego ambulans, & dederit mihi panem ad edendum,*

edendum, & vestem ad induendum. Et rediero in pace ad domum patris mei, & erit Jehovah mihi in Deum. Et lapis hic, quem posui statuam, erit domus Dei; & omne quod dederis mihi, decimando decimabo illud tibi. Vovit Jacob votum, dicendo, significat Providentiæ statum; si fuerit Deus cum me, & custodiverit me in via hac, quam ego ambulans, significat continuum Divinum: & dederit mihi panem ad edendum, significat usque ad conjunctionem cum Divino Bono: & vestem ad induendum, significat conjunctionem cum Divino Vero: & rediero in pace ad domum patris mei, significat usque ad perfectam unionem: & erit Jehovah mihi in Deum, significat quod Divinum Naturale etiam Jehovah: & lapis hic quem posui statuam, significat verum quod ultimum: erit domus Dei, significat, hic ut prius, Regnum Domini in ultimo ordinis, in quo superiora ut in sua domo: & omne quod dederis mihi, decimando decimabo illud tibi, significat quod omnia & singula ex propria potentia Divina fecerit.

3732. Vovit Jacobus votum, quod significet Providentiæ statum, constat a significatione vovere votum, quod in sensu interno sit velle ut Dominus provideat, inde in sensu supremo, in quo agitur de Domino, est Providentiæ status. Quod vovere votum sit in sensu interno velle ut Dominus provideat, est ex eo, quia votis inest desiderium & affectio, ut fiat quod volunt, ita ut provideat Dominus: est aliquid constipulationis, & simul aliquid debiti a parte hominis, quod sibi suscepit, si optato potiretur, ut hic a Jacobo, quod Jehovah esset illi in Deum, & lapis quem posuit statuam, esset domus Dei, & quod decimaret omne quod dederit illi, si Jehovah custodiverit illum in via, & dederit illi panem ad edendum, & vestem ad induendum, ac redierit in pace ad domum patris sui: inde patet, quod vota tunc temporis fuerint singularia pacta, imprimis ad agnoscendum Deum pro suo Deo, si provideret illis quæ desiderabant, & quoque quod rependerent Ipsi per aliquod munus, si provideret. Ex his manifeste patet, quales fuerunt Patres Gentis Judaicæ, sicut hic Jacob, quod nondum agnoverit Jehovam, & quod adhuc in electione fuerit, num illum aut alium pro suo Deo agnosceret; hoc singulare fuit in gente illa, usque a Patribus eorum, quod quisque suum deum habere vellet, & qui Jehovam colebat, esset modo quod aliquem deum, qui Jehovah appellaretur, & per hoc nomen distinctus esset a diis aliarum gentium, ita quod cultus eorum, etiam in hoc, idololatricus fuerit, nam cultus solius nominis, etiamsi Jehovæ, non est nisi idololatricus, n: 1004: sicut qui se Christianos vocant, & dicunt se colere Christum, & non vivunt secundum præcepta Ipsius, illi Ipsum idololatrice colunt, quia solum Ipsius nomen, est enim falsus Christus quem colunt, de quo apud Matthæum, Cap: XXIV: 23. 24. n: 3010.

3733. Si fuerit Deus cum me, & custodiverit me in via hac quam ego ambulans, quod significet continuum Divinum, constat ex significatione esse Deus cum aliquo, & custodire in via, quam ambulat, quod sit continuum Divinum; prædicatur enim de Domino, qui quoad ipsam Essentiam vitæ fuit Jehovah, inde universa vita Ipsius a prima infantiæ ad ultimam, fuit

continuum

continuum Divinum, & hoc usque ad perfectam unionem Essentiæ Humanæ cum Divina.

3734. Et dederit mihi panem ad edendum, quod significet usque ad conjunctionem cum Divino Bono, constat a significatione panis, quod sit omne bonum cœleste & spirituale quod a Domino, & in sensu supremo Ipse Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 276. 680. 1798. 2165. 2177. 3464. 3478; & ex significatione edere, quod sit communicari, appropriari, & conjungi, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596.

3735. Et vestem ad induendum, quod significet conjunctionem cum Divino vero, constat a significatione vestis, quod sit verum, de qua n: 1073. 2576, hic Divinum Verum, quia agitur de Domino; & ex significatione induere, quod sit ei appropriari & conjungi. Sensus internus Verbi qualis est, ex his & reliquis constare potest, quod nempe cum in sensu literæ agitur de pane, & de veste, & quoque ubi historice hoc dicitur, ut hic, si Deus dederit mihi panem ad edendum, & vestem ad induendum, Angeli qui apud hominem tunc, nihil cogitent de pane sed de bono amoris, & in sensu supremo de Divino Bono Domini; & non de Veste, sed de Vero, ac in supremo sensu de Divino Vero Domini; sunt illis talia quæ in sensu literæ solum objecta cogitandi de Cœlestibus & Divinis; nam talia sunt vasa quæ in ultimo ordinis: ita cum ab homine, quando in sancto est, cogitatur de Pane, ut de Pane in Sacra Cœna, aut de Pane quotidiano in Oratione Domini, tunc cogitatio illa quæ est homini de Pane, inservit Angelis qui apud hominem pro objecto cogitandi de bono amoris quod a Domino, nam Angeli cogitationem hominis de Pane nihil capiunt, sed loco ejus illis est cogitatio de bono, talis enim correspondentia est; similiter cum ab homine, cum in sancto est, cogitatur de veste, quod cogitatio angelis tunc sit de vero: ita se habet cum omnibus reliquis quæ in Verbo: inde qualis conjunctio cœli & terræ per Verbum est, constare potest, nempe quod talis, ut homo qui sancte legit Verbum, per correspondentias tales arcte conjunctus sit cum cœlo, & per cœlum cum Domino, tametsi homo solum in cogitatione est de illis in Verbo, quæ in ejus sensu literæ sunt; ipsum sanctum, quod apud hominem tunc, est ex influxu cogitationum & affectionum cœlestium & spiritualium, quæ tales apud Angelos: ut talis influxus esset, ac inde conjunctio hominis cum Domino, a Domino instituta fuit Sancta Cœna, ubi apertis verbis dicitur, quod Panis & Vinum sit Dominus, corpus enim Domini significat Divinum Ipsius amorem, ac reciprocum apud hominem, qualis amor est apud Angelos cœlestes, & Sanguis similiter Divinum Ipsius amorem, & reciprocum apud hominem, sed qualis amor est apud Angelos spirituales. Inde patet, quantum Divini in singulis Verbi inest, tametsi homo, quid sit, & quale sit, ignorat: At qui in vita boni fuerunt, cum in mundo, illi in cognitiones & perceptionem omnium illorum venit post obitum, tunc enim exuit terrestria & mundana, & induit cœlestia, ac similiter in idea spirituali ac cœlesti est, in qua Angeli.

3736. Et

3736. Et rediero in pace ad domum patris mei, quod significet usque ad perfectam unionem, constare potest ex eo, quod domus patris, cum praedicatur de Domino, sit ipsum Divinum, in Quo Dominus ab ipsa conceptione fuit, redire ad illam domum, est ad ipsum Divinum Bonum, quod Pater vocatur, quod id sit Pater, videatur n : 3704; redire ad illam domum, quod sit uniri, constare potest: simile intellectum est a Domino, ubi dixit, quod exiverit a Patre, ac venerit in mundum, & quod rursus iret ad Patrem, nempe per exiverit a Patre, quod Ipsum Divinum assumserit Humanum; per venerit in mundum, quod fuerit sicut homo, & per iret ad Patrem, quod univerit Essentiam Humanam Essentiae Divinae: hoc intellectum fuit per haec quae Dominus loquutus apud Johannem, "Si videritis Filium Hominis ascendentem, ubi erat prius" VI : 62 : apud eundem "Scivit Jesus quod omnia dedisset Ipsi Pater in manus, & quod a Deo exivisset, & ad Deum abiret; filii, adhuc breve vobiscum sum, quo ego abeo, vos non potestis venire" XIII : 3. 33 : apud Eundem "Nunc abeo ad Ipsum Qui misit Me, at nemo ex vobis quaeret me, quo abis; prodest vobis, ut ego abeam, si enim non abirem, paracletus non veniret ad vos, si vero abivero mittam illum ad vos. Pusillum cum non videbitis Me, & rursus pusillum cum videbitis Me, & quod Ego abeo ad Patrem" XVI : 5. 7. 10. 16. 17 : apud Eundem "Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem" XVI : 28; abire ad Patrem, est, in illis locis, Essentiam Humanam unire Essentiae Divinae.

3737. Et erit Jehovah mihi in Deum, quod significet quod Divinum Naturale, etiam Jehovah, constare potest ex serie rerum in sensu interno supremo, in quo agitur de unitione Humani Domini cum Divino Ipsius; sed ut hic sensus appareat, abstrahenda est cogitatio ab historico de Jacobo, & tenenda in Divino Humano Domini, & hic in Divino Naturali Ipsius, quod per Jacobum repraesentatur: ipsum Humanum, ut aliquoties prius dictum, constat ex Rationali, quod idem est cum Interno homine, & ex Naturali, quod idem est cum Externo homine, & quoque ex corpore, quod Naturali inservit pro medio seu extimo organo vivendi in mundo, & per naturale inservit Rationali, & porro per rationale inservit Divino. Dominus, quia venit in mundum, ut Divinum faceret totum Humanum in Se, & hoc secundum Divinum ordinem, & per Jacobum repraesentatur Naturale Domini, & per ejus peregrinationis vitam in sensu supremo, quomodo Dominus Naturale suum Divinum fecit, ideo hic, ubi dicitur, si rediero in pace ad domum patris mei erit Jehovah mihi in Deum, significatur unitio Humani Domini cum Divino Ipsius, et quod quoad Divinum Naturale etiam erit Jehovah per unitionem Divinae Essentiae cum Humana, & Humana cum Divina: non intelligitur unitio, qualis est duorum, qui inter se distincti sunt, & solum per amorem conjuncti, sicut pater cum filio, cum pater amat filium, & filius patrem, aut sicut cum frater amat fratrem, aut sicut amicus amicum, sed est realis unitio in unum, ut non duo sint, sed unum, quod etiam Dominus pluribus in locis docet, & quia unum, etiam omne Huma-

num Domini est Divinum Esse seu Jehovah, videatur n : 1343. 1736. 2156. 2329. 2447. 2921. 3023. 3035.

3738. Et lapis hic, quem posui statuam, quod significet verum quod ultimum, constat ex illis quæ supra n : 3724. 3726, ubi eadem verba.

3739. Erit domus Dei, quod significet Regnum Domini in ultimo ordinis, in quo superiora ut in sua domo, constat quoque ab illis quæ supra n : 3720, dicta sunt, ubi etiam eadem verba, & præterea ab illis quæ n : 3721 : cum hoc, quod superiora in ultimo ordinis sint ut in sua domo, ita se habet; ordo talis a Domino institutus est, ut superiora influant in inferiora, ac ibi sistant sui imaginem in communi, proinde quod ibi sint simul in quadam forma communi, ac ita ordine a Supremo, hoc est, a Domino; inde est, quod proxima imago Domini sit cœlum intimum, quod cœlum innocentiæ & pacis est, ubi cœlestes, hoc cœlum, quia proximum Domino, vocatur Ipsius Similitudo: Cœlum alterum, quod nempe succedit, ac in inferiori gradu est, est imago Domini, quia in illo Cœlo simul ut in quodam communi sistuntur illa quæ in superiori cœlo: Cœlum ultimum, quod huic iterum succedit, similiter se habet ad illud, nam particularia & singularia proxime superioris Cœli influunt in id cœlum, & ibi sistuntur in communi, in forma correspondente: Similiter se habet apud hominem, is enim ad effigiem trium cœlorum creatus & formatus est; quod intimum est apud illum, influit similiter in id quod inferius est, & hoc similiter in id quod infimum seu ultimum: ex tali influxu & concursu in illis, quæ infra sunt, & tandem in illis quæ ultima, consistit naturale & corporeum: inde est nexus ultimorum cum Primo, absque quo nexu, quod ultimum est in ordine, ne quidem minimo momento subsisteret. Inde patet, quid intelligitur per hoc, quod superiora in ultimo ordinis sint ut in sua domo. Sive dicas Superiora & Inferiora, sive Interiora & Exteriora, perinde est, nam coram homine apparent interiora ut superiora, & ideo ponit homo cœlum in alto, cum tamen est in interno.

3740. Et omne quod dederis mihi decimando decimabo illud tibi, quod significet quod omnia & singula ex propria potentia Divina fecerit, constat ex significatione dare, cum prædicatur de Domino, quod sit quod Sibimet Ipsi dederit, de qua n : 3705 f.; ita quod ex propria potentia; & ex significatione decimare, & decimarum, quod sint bona & vera, quæ in interioribus apud hominem reconduntur a Domino, quæ bona vocantur Reliquiæ, de quibus n : 576. 1738. 2280; quæ cum prædicantur de Domino, sunt Divina Bona, & Divina Vera, quæ Dominus sibi propria potentia comparavit, videatur n : 1738. 1906.

Con-



Continuatio de Maximo Homine, & Correspondentia cum illo.

3741. *REgnum cœleste est instar unius hominis, quia singula ibi correspondent Soli Domino, nempe Ipsius Divino Humano, Qui Solus est Homo, n*: 49. 288. 565. 1894; *ex correspondentia, imagine & similitudine cum Ipso Cœlum dicitur Maximus Homo; ex Divino Domini sunt omnia cœlestia quæ sunt boni, & omnia spiritualia quæ sunt veri, in cœlo; omnes Angeli ibi sunt formæ, seu substantiæ formatæ secundum receptionem Divinorum quæ a Domino; Divina Domini recepta apud illos sunt quæ vocantur cœlestia & Spiritualia, cum Divina vita ac inde Divina Lux in illis ut recipientibus existit & modificatur: inde est, quod etiam formæ & substantiæ materiales apud hominem quoque tales sint, sed in inferiori gradu, quia crassiores & magis compositæ; quod hæ quoque sint formæ recipientes cœlestium & spiritualium, patet manifeste a signis prorsus visibilibus, ut ex Cogitatione, quæ influit in organicas formas linguæ, & producit loquelam; ex affectionibus animi, quæ se sistunt videndas in facie; exque voluntate, quæ per formas musculares fluit actiones; & sic porro; cogitatio & voluntas, quæ illa producunt, sunt Spiritualia & cœlestia, formæ autem seu substantiæ quæ recipiunt illa, & mittunt in actum, sunt materiales; quod hæ prorsus ad receptionem illorum formatæ sint, constat; inde patet, quod ab illis sint, & quod nisi ab illis, non tales existere potuerint.*

3742. *Quod vita unica sit, & illa a Solo Domino, & quod Angeli, Spiritus & Homines sint modo recipientes vitæ, a tam multiplici experientia mihi notum factum est, ut ne quidem minimum dubium sit relictum; ipsum Cœlum in perceptione est, quod ita sit, usque adeo, ut Angeli percipiant manifeste influxum, tum quoque quomodo influit, ut & quantum & qualiter recipiunt; cum in statu pleniori receptionis sunt, tunc in sua pace & felicitate sunt, alioquin in statu irrequiei & alicujus anxietatis: at usque appropriatur illis vita Domini, ita, ut percipiant sicut vivant ex se, sed tamen sciunt quod non ex se: appropriatio vitæ Domini venit ex*

Amore & Misericordia Ipsius erga universum genus humanum, quod nempe unicuique dare velit Se & quod Suum est, & quod actualiter det, quantum recipiunt, hoc est, quantum sicut Ipsius Similitudines & imagines in vita boni & in vita veri sunt; & quia talis Divinus conatus continuo ex Domino est, vita Ipsius, ut dictum, appropriatur.

3743. *Qui autem non in amore in Dominum & in amore erga proximum sunt, consequenter non in vita boni ac veri, illi non agnoscere possunt, quod unica vita sit quæ influit, & minus quod illa vita sit a Domino; sed omnes illi indignantur imo aversantur, cum dicitur quod non vivant a se; amor sui est qui id facit; & quod mirum, tametsi illis per vivas experientias in altera vita ostenditur, quod non vivant a se, & tunc convicti dicunt quod ita sit, usque tamen postea in eadem opinione perstant, & putant, quod si ab alio viverent, & non a se, omne jucundum vitæ eorum periret, non scientes quod prorsus contrarium sit: inde est, quod mali approprient sibi malum, quia non credunt quod mala sint ab inferno, & quod non appropriari illis possit bonum, quia credunt bonum esse a se, & non a Domino. At usque mali, & quoque infernales, sunt formæ recipientes vitæ a Domino, sed tales formæ ut bonum & verum vel rejiciant, vel suffocent, vel pervertant; & sic apud illos bona & vera, quæ sunt ex vita Domini, fiunt mala & falsa; se habet hoc sicut Lux solis, quæ tametsi unica & candida, usque sicut per formas percurrit, seu in illas influit, variatur, inde colores pulchri & jucundi, & quoque impulchri & injucundi.*

3744. *Inde nunc constare potest, quale est Cœlum, & unde est quod appelletur Maximus Homo: ut varietates ibi quoad vitam boni & veri sunt innumerabiles, & se habent secundum receptionem vitæ a Domino; sunt prorsus in ratione, in qua sunt Organa, Membra, & Viscera in homine, quæ omnia sunt formæ in perpetua veritate recipientes vitæ ab anima sua, seu potius per animam a Domino, & tamen, quamvis in tali varietate sunt, usque simul constituunt unum hominem.*

3745. *Quanta & qualis varietas est, constare potest a varietate in corpore humano; notum est, quod unum organum & membrum non sit simile alteri, sicut organum visus non est simile organo auditus, pariter organum olfactus, & organum gustus, & quoque organum tactus, quod se per universum corpus diffundit, sic etiam membra, ut brachia, manus, lumbi, pedes, plantæ; & quoque viscera,*

quæ

quæ intus latent, ut illa quæ ſunt Capitis, nempe Cerebrum, Cerebellum, Medulla Oblongata, & Medulla Spinalis, cum omnibus organulis, viſcerulis, vaſis, & fibris, ex quibus illa; tum ea quæ ſunt corporis infra caput, ut Cor, Pulmones, Ventriculus, Hepar, Pancreas, Lien, Inteſtina, Meſenterium, Renes; & quoque ea quæ generationi dicata ſunt in utroque ſexu; quæ omnia & ſingula quod inter ſe diſſimilia ſint quoad formas, & quoad functiones, & tam diſſimilia, ut prorſus differant, notum eſt; ſimiliter formæ intra formas, quæ quoque tali varietate ſunt, ut non una forma, ne quidem una particula ſit prorſus ſimilis alteri, nempe ita ſimilis, ut loco alterius ſubſtitui poſſit, abſque aliqua, etiamſi puſilla, alteratione. Hæc omnia & ſingula correſpondent cœlis, ſed ita, ut quæ corporea & materialia ſunt apud hominem, ibi ſint cœleſtia & Spiritualia; ac ita correſpondent, ut inde exiſtant & ſubſiſtant.

3746. *In genere omnes varietates ſe referunt ad illa quæ ſunt Capitis, ad illa quæ ſunt Thoracis, ad illa quæ ſunt Abdominis, & ad illa quæ ſunt Membrorum generationis; pariter ad ea, quæ ſunt Interiora & quæ ſunt Exteriora ubivis.*

3747. *Loquutus ſum aliquoties cum Spiritibus de Eruditis noſtri ſæculi, quod nihil ſciant, quam diſtinguere hominem in Internum & Externum, & hoc non ex reflectione ad interiora cogitationum & affectionum apud ſe, ſed ex Verbo Domini; & quod uſque neſciant quid Internus homo, & magis quod plures dubitent num ſit, & quoque negent, ex cauſa quia non vivunt vitam Interni ſed Externi hominis; & quod multum eos ſeducat, quod animalia bruta appareant illis ſimilia quod organa, viſcera, ſenſus, appetitus & affectus: & dictum quod Eruditi minus ſciant de talibus, quam ſimplices, & quod uſque videantur ſibi multo plura ſcire; diſceptant enim de commercio Animæ & corporis, imo de ipſa anima quid ſit, cum tamen ſimplices ſciunt, quod Anima ſit Internus homo, & quod ſit Spiritus ejus qui poſt mortem corporis victurus eſt, tum quod ſit ipſe homo qui in corpore; præterea quod eruditi plus quam ſimplices aſſimilent ſe brutis, & adſcribant omnia naturæ, & vix quicquam Divino; tum quod non reflectant, quod homo, ſecus ac bruta animalia, poſſint cogitare de cœlo, & de Deo, ac ſic elevari ſupra ſe, conſequenter per amorem conjungi Domino, ac ita quod poſt mortem non poſſint quin vivant in æternum: & quod imprimis ignorent, quod omnia & ſingula apud hominem dependeant per*

per Cœlum a Domino, & quod Cœlum sit Maximus Homo, cui correspondent omnia & singula quæ in homine, & quoque singula quæ in natura: & forte cum hæc audituri & lecturi, quod illis talia paradoxa erunt, ut nisi experientiæ confirmaret, rejicerent sicut quoddam phantasticum: similiter cum audituri, quod tres gradus vitæ in homine sint sicut sunt tres gradus, vitæ in cœlis, hoc est, tres cœli, & quod homo tribus cœlis ita correspondeat, ut sit in imagine ipse parvulum cœlum cum in vita boni & veri est, & per illam vitam imago Domini. Instructus sum de gradibus illis vitæ, quod ultimus gradus vitæ sit, qui Externus seu Naturalis homo vocatur, per quem homo similis est animalibus quoad concupiscentias & phantasias; quodque alter gradus sit, qui Internus & Rationalis homo dicitur, per quem homo supra animalia est, nam per illum cogitare & velle potest, bonum & verum, & imperare naturali homini, ejus concupiscentias & inde phantasias inhibendo & quoque rejiciendo, & insuper intra se de cœlo, imo de Divino, reflectendo, quod animalia bruta prorsus nequeunt: quod tertius gradus vitæ sit, qui ignotissimus homini, & quod sit usque ille, per quem Dominus in mentem rationalem influit, unde ei facultas cogitandi sicut homo, & unde ei conscientia, & unde ei perceptio boni & veri, & quoque a Domino elevatio versus se: sed hæc remota sunt ab Eruditorum hujus sæculi ideis, qui modo disceptant num sit, & tamdiu non scire possunt quod sit, & minus quid sit.

3748. *Quidam spiritus, qui dum vixit in mundo, inter vulgus eruditum famigeratus, subtilis ingenio ad confirmanda falsa, & admodum crassus quantum ad bona & vera; is putabat, sicut prius in mundo, quod omnia sciret, nam tales se credunt sapientissimos, & illos nihil latere, & quales fuerunt in vita corporis, talis sunt in altera vita; omnia enim quæ sunt vitæ alicujus, hoc est, quæ sunt amoris & affectionis, sequuntur illum, & insunt ei sicut anima suo corpori, quia animam suam quod quale ex illis formavit: ille qui tunc spiritus, ad me venit, & mecum loquutus est, & quia talis, interrogavi, quis plus intelligit, qui multa falsa novit, quam qui paucum veri, respondit qui paucum veri, quia putabat falsa quæ novit fuisse vera, & sic quod sapiens: ratiocinari dein voluit de Maximo Homine, & de influxu in singula hominis inde, sed cum nihil intellexit de eo, dicebam ei, quomodo intelligit, quod cogitatio quæ est spiritualis moveat totam faciem, & sistat sui vultum; & quoque moveat omnia*

omnia organa loquelæ, & hoc distincte ad perceptionem spiritualem ejus cogitationis; & quod voluntas moveat musculos totius corporis, & millia fibrarum quæ sparsæ sunt, ad unam actionem, cum illud spirituale sit quod movet, & hoc corporeum quod movetur; sed nescivit quid responderet: loquutus porro de conatu, num sciat, quod conatus producat actus & motus, & quod actui & motui insit conatus, ut existat & subsistat, dixit quod hoc nesciret; quare dictum ei, quomodo tunc velit ratiocinari cum ne quidem sciat principia, & quod tunc se habeat ratiocinatio sicut pulvis sparsus nullius cohærentiæ, quem falsa dissipant ita, ut tandem nihil sciat, ita nihil credat.

3749. *Quidam Spiritus inopinato ad me venit, ac influebat in caput, secuddum influxus in partes corporis etiam dignoscuntur spiritus, mirabar quis esset, et unde, sed postquam aliquantum tacuisset, dicebant Angeli qui apud me, quod ex spiritibus apud aliquem eruditum hodie adhuc in mundo viventem, desumptus sit, qui, nempe eruditus, famam eruditionis præ aliis captaverat; dabatur etiam tunc per spiritum illum intermedium communicatio cum cogitatione illius hominis; quærebam spiritum, quam ideam habere posset eruditus ille de Maximo Homine, & de ejus influxu, ac inde correspondentia, dicebat quod nullam posset: deinde quam ideam haberet de cælo, dicebat non aliquam, solum blasphemias, sicut quod ibi instrumentis musicis plauderent, ac talibus quibus rustici solent sonorum quoddam edere: & tamen ille æstimatus est præ aliis, & creditur quod sciat quid influxus, & quid anima, & quid commercium ejus cum corpore; fortassis etiam creditur; quod præ aliis sciat quid cælum: inde constare potest, quales illi hodie sunt, qui alios docent, quod nempe ex meris scandalis sint contra bona & vera fidei, tametsi aliud evulgant.*

3750. *Qualem ideam de cælo habent, etiam illi, qui præ omnibus aliis creduntur communicationem cum cœlo, & inde influxum habere, etiam mihi ad vivum ostensum est: qui supra caput apparent, sunt ii, qui in mundo se coli voluerunt ut dii, & apud quos amor sui ad summum per gradus potentiæ, & ad summum per imaginarium liberum inde evectus est; & sunt simul dolosi sub specie innocentiæ & amoris in Dominum; illi apparent in alto supra caput ex phantasia altitudinis, sed usque sub pedibus in inferno sunt: unus ex illis ad me se demittebat; & dictum ab aliis quod fuerit in mundo Pontifex; loquutus est mecum admodum blande, &*

& primum de Petro & ejus clavibus, quos putabat se habuisse; sed cum quæreretur de potestate intromittendi in cœlum quoscunque libebat, tam crassam ideam habebat de cœlo, ut repræsentaret sicut januam, per quam introitus; dicebat quod illam gratis aperuerit pauperibus, sed quod divites æstimati, & quod Sanctum fuisset id quod dederant; interrogatus num credat, quod remanserint ibi illi quas intromiserat, dixit, quod hoc non sciat, si non, quod inde exeant: porro dictum, quod scire interiora eorum non posset, num digni, forte prædones qui in inferno erunt, dixit, quod hoc non ei curæ fuerit, si non digni, quod queant emitti; sed instruebatur, quid per claves Petri intellectum, quod nempe fides amoris & charitatis, & quia Solus Dominus dat talem fidem, quod Solus Dominus sit Qui intromittit in cœlum, & quod Petrus non appareat alicui, & quod simplex Spiritus sit, qui non plus potestatis habet, quam alius. De Domino non aliam opinionem habuit, quam quod colendus, quantum dat potestatem talem, at si non daret, perceptum quod cogitaret, quod non magis colendus: porro cum loquutus cum illo de Interno Homine, de eo spurcam ideam habuit. Qualem respirationis libertatem, plenitudinem, & jucunditatem habuerit, cum super Solio suo in Consistorio sederit, & ex Spiritu Sancto se loquutum crediderit, mihi ad vivum ostensum est; mittebatur in similem statum, in quo fuerat cum ibi, nam in altera vita quilibet facile in statum vitæ quem habuit in mundo, mitti potest, quia status vitæ suæ quemlibet post mortem manet & communicata est mecum respiratio qualis ei tunc fuerat, erat libera cum jucunditate, lenta, regularis, alta, implens pectus, sed cum contradicebatur, tunc in abdomine erat, ex respirationis continuo, aliquid quasi se volvens ac repens; & cum putaret Divinum esse quod pronuntiabat, percepit id ex quadam respiratione magis tacita & quasi consentiente. Ostensum mihi dein, a quibus Pontifices tales tunc reguntur, quod nempe a Sirenum turba quæ supra caput, quæ imbuerunt naturam & vitam insinuandi se in affectiones quascunque animo imperandi, & subjiciendi sibi alios, ac perdendi quoscunque sui causa, quibus sanctitas & innocentia est pro medio; timent sui, & caute agunt, at data occasione in crudelia absque ulla misericordia, sui causa, ruunt.

LIBRI *GENESEOS.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

3751. ANTE Caput præcedens XXVIII, explicata sunt quæ Dominus de ultimo tempore Ecclesiæ apud Matthæum Cap: XXIV: 15. 16. 17. 18, prædixit; nunc secundum institutum ante hoc Caput explicanda sunt, quæ ibi sequuntur Versibus 19. 20. 21. 22, nempe hæc verba, *Væ autem in utero gerentibus aut lactantibus in diebus illis; orate vero ne fiat fuga vestra hyeme, neque in sabbatho. Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque nunc, nec fiet. Et nisi contraherentur dies isti, non conservaretur ulla caro; sed propter electos contrahentur dies illi.*

3752. Quid hæc verba significant, nusquam aliquis comprehendere potest, nisi illustratus per sensum internum; quod non dicta sint de destructione Hyerosolymæ, apparet a pluribus in illo Capite, ut ex his "Nisi contraherentur dies isti, non conservaretur ulla caro, sed propter electos contrahentur dies illi"; & ex sequentibus "Post afflictionem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur; & tunc apparebit Signum Filii hominis, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria" & ex aliis. Quod nec dicta sint de Interitu mundi, etiam a pluribus in eodem Capite patet, ut ex illis quæ præcedunt "Qui tunc super domo est, ne descendat ad tollendum quid e domo sua, & qui in agro, ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua"; tum ex his quæ nunc allata "Orate ne fiat fuga vestra in hyeme, neque in sabbatho"; & a sequentibus "Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur; duæ molentes, una assumetur, altera relinquetur: sed patet quod dicta sint de ultimo tempore Ecclesiæ, hoc est, de ejus vastatione; quæ tunc vastata dicitur, cum amplius nulla charitas.

3753. Quisque, qui sancte de Domino cogitat, & qui credit, quod Divinum in Ipso fuerit, & quod ex Divino loquutus sit, scire potest & credere, quod illa sicut reliqua, quæ Dominus docuit & loquutus

est, non de una Gente dicta sint, sed de universo genere humano; & non de ejus statu mundano, sed de ejus statu Spirituali; & quoque quod Domini verba comprehenderint illa quæ sunt Regni Ipsius, & quæ sunt Ecclesiæ, hæc enim Divina sunt & æterna: qui ita credit, ille concludit, quod hæc verba, "Væ in utero gerentibus aut lactantibus in diebus illis" non significent illos qui in utero gerunt & lactant; & quod hæc "Orate ne fiat fuga vestra hyeme, neque in sabbatho" non significent fugam aliquam pro hoste mundano & sic porro.

3754. In illis quæ præcedunt, actum est de tribus statibus perversionis boni & veri in Ecclesia, hic nunc agitur de quarto statu, qui etiam est ultimus; de Primo statu, quod fuerit, quod non amplius inciperent scire, quid bonum & quid verum, sed de illis litigarent inter se, a quibus falsitates, videatur n: 3354: de Secundo Statu, quod fuerit, quod bonum & verum contemturi, & quoque quod aversaturi, & sic quod exspiratura fides in Dominum, secundum gradus sicut cessatura charitas videatur n: 3487. 3488: de Tertio statu, quod fuerit desolationis, Ecclesiæ quod bonum & verum, videatur n: 3651. 3652: de Quarto statu hic nunc agitur, qui est prophanationis boni & veri; quod ille status hic describatur, constare potest a singulis ibi in sensu interno, qui talis est.

3755. *Væ autem in utero gerentibus & lactantibus in diebus illis*, significat illos qui imbuti sunt bono amoris in Dominum & bono innocentiæ; væ est formula significans periculum damnationis æternæ; in utero gerere, est concipere bonum amoris cœlestis, lactare est quoque innocentiæ statum; dies illi, sunt status in quibus tunc Ecclesia. *Orate vero, ne fiat fuga vestra hyeme, neque in sabbatho*, significat remotionem ab illis, ne hoc præcipitanter fiat in statu nimii frigoris, & in statu nimii æstus; fuga est remotio a statu boni amoris & innocentiæ, de quibus mox supra; fuga in hyeme, est remotio ab illis in statu nimii frigoris, frigus est, quando aversatio pro illis, quæ inducitur per amores sui; fuga in sabbatho, est remotio ab illis in statu nimii æstus, æstus est sanctum externum, cum intus amor sui & mundi. *Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque nunc nec fiet*, significat summum gradum perversionis ac vastationis Ecclesiæ quoad bonum & verum, qui est prophanatio; prophanatio enim sancti inducit mortem æternam & multo graviorem quam reliqui status mali, & eo graviorem, quo interiora bona & vera sunt quæ prophanantur, quæ interiora, quia aperta sunt & nota in Ecclesia Christiana, & illa prophanata, dicitur, quod tunc erit afflictio magna, qualis non fuit

ab

ab initio mundi usque nunc, nec fiet. *Et nisi contraherentur dies isti, non conservaretur ulla caro; sed propter electos contrahentur dies illi*, significant remotionem illorum, qui ab Ecclesia ab interioribus bonis & veris, ad exteriora, ut usque salvari possint illi qui in vita boni & veri sunt; per contrahi dies, significatur status remotionis; per non conservari ulla caro, significatur quod alioquin nemo salvari posset; per electos significantur illi qui in vita boni & veri sunt.

3756. Quod ille sensus internus illorum verborum sit, ad plenum potuisset ostendi, ut quod per illas quæ in utero gerunt, significentur illi qui primum imbuunt bonum; perque illas quæ lactant, quod significentur qui imbuunt innocentiæ statum; per fugam, quod remotio ab illis; per hyemem, quod aversatio bonorum illorum ex amore sui occupante interiora; & per fugam in sabbatho, prophanatio, quæ fit cum sanctum in externis est, & intus amor sui & mundi; sed quia eædem voces & similes expressiones in sequentibus passim occurrunt, ibi, ex Divina Domini Misericordia, significatio illarum, quod talis, ostendetur.

3757. Quid autem prophanatio sancti, pauci sciunt, sed constare potest ex illis, quæ prius de illa dicta & ostensa sunt, quæ videantur, nempe quod prophanare possint, qui sciunt, & agnoscunt, & imbuunt bonum & verum, non autem qui non agnoverunt, minus qui non sciunt, n: 593. 1008. 1010. 1059. 3398: ita quod qui intra Ecclesiam sunt, prophanare possint sancta, non autem qui extra, n: 2051. Quod, qui, ab Ecclesia cœlesti, prophanare possint sancta bona, qui ab Ecclesia Spirituali, possint sancta vera, n: 3399: quod ideo Judæis non detecta fuerint vera interiora, ne prophanarent illa, n: 3398: quod gentes omnium minime prophanare possint, n: 2051: quod prophanatio sit commixtio ac conjunctio boni & mali, tum veri & falsi, n: 100. 1003. 2426: quod id significatum sit per esum sanguinis, qui tam severe prohibitus est in Ecclesia Judaica, n: 1003: quod detineantur ideo, quantum possibile est, ab agnitione & fide boni & veri, si non permanere in illis possint, n: 3398. 3402: & quod teneantur ideo in ignorantia, n: 301. 302. 303: & quod etiam ideo cultus fiat externus, n: 1327. 1328, Quod interna vera non prius revelentur, quam cum Ecclesia vastata est quia tunc bonum & verum non amplius potest prophanari, n: 3398. 3399: quod Dominus ideo tunc primum in mundum venerit, n: 3398: quantum periculi a prophanatione sancti & Verbi, n: 571. 582.

CAPUT XXIX.

1. ET ſuſtulit Jacob pedes ſuos, & ivit terram filiorum orientis.

2. Et vidit & ecce puteus in agro, & ecce ibi tres catervæ gregis cubantes juxta illum, quia e puteo illo potarunt catervas; & lapis magnus ſuper ore putei.

3. Et colligebantur illuc omnes catervæ, & devolvebant lapidem a ſuper ore putei, & potabant gregem, & reducebant lapidem ſuper os putei ad locum ejus.

4. Et dixit illis Jacob, fratres mei, unde vos, & dixerunt, e Charane nos.

5. Et dixit illis, an cognoſcitis Labanem filium Nachoris, & dixerunt, cognoſcimus.

6. Et dixit illis, an pax ei, & dixerunt, pax, & ecce Rachel filia ejus venit cum grege.

7. Et dixit, ecce adhuc dies magnus, non tempus colligi pecudes, potate gregem, & ite, paſcite.

8. Et dixerunt, non poſſumus, uſque quod colligantur omnes catervæ, & devolvant lapidem a ſuper ore putei, & potabimus gregem.

9. Adhuc ille loquens cum illis, & Rachel venit cum grege, qui patri ejus, quia paſtor illa.

10. Et fuit, ut vidit Jacob Rachelem filiam Labanis fratris matris ſuæ, & gregem Labanis fratris matris ſuæ, & acceſſit Jacob, & devolvit lapidem a ſuper ore putei, & potavit gregem Labanis fratris matris ſuæ.

11. Et oſculatus eſt Jacob Rachelem, & ſuſtulit vocem ſuam & flevit.

12. Et indicabat Jacob Racheli, quod frater patris ejus ille, & quod filius Rebeccæ ille; & cucurrit, & indicavit patri ſuo.

13. Et fuit, ſicut audivit Laban famam Jacobi filii ſororis ſuæ, & cucurrit obviam ei, & amplexus eum, & oſculatus eum, & adduxit eum ad domum ſuam, & narravit Labani omnia verba illa.

14. Et

14. Et dixit ei Laban, utique os meum & caro mea tu, & habitavit cum eo menfem dierum.

15. Et dixit Laban Jacobo, num quia frater meus tu, & fervires mihi gratis, indica mihi; quid merces tua.

16. Et Labani duæ filiæ, nomen majoris Leah, & nomen minoris Rachel.

17. Et oculi Leæ debiles, & Rachel erat pulchra forma, & pulchra afpectu.

18. Et amabat Jacob Rachelem, & dixit, ferviam tibi feptem annis pro Rachele filia tua minore.

19. Et dixit Laban, bonum dare me illam tibi, præ dare illam viro alii, mane cum me.

20. Et fervivit Jacob pro Rachele feptem annis, & fuerunt in oculis ejus ficut dies aliqui in amando illo eam.

21. Et dixit Jacob ad Labanem, da mulierem meam, quia impleti dies mei, & veniam ad illam.

22. Et collegit Laban omnes viros loci, & fecit convivium.

23. Et fuit, in vefpera, & accepit Leam filiam fuam, & adduxit illam ad eum, & venit ad illam.

24. Et dedit Laban illi Silpam ancillam fuam, Leæ filiæ fuæ ancillam.

25. Et fuit in mane, & ecce illa Leah, & dixit ad Laban, quid hoc fecifti mihi, nonne pro Rachele fervivi cum te, & quare fraudafti me.

26. Et dixit Laban, non fit ita in loco noftro, dare minorem natu ante primogenitam.

27. Imple Septimanam hanc, & dabimus tibi etiam illam, in fervitium quod fervias cum me adhuc feptem annis aliis.

28. Et fecit Jacob ita, & implevit feptimanam hanc, & dedit ei Rachelem filiam fuam ei in mulierem.

29. Et dedit Laban Racheli filiæ fuæ Bilham ancillam fuam illi ad ancillam.

30. Et venit etiam ad Rachelem, & amavit etiam Rachelem præ Leah; et fervivit cum eo adhuc feptem annis aliis.

31. Et vidit JEHOVAH, quod exofa Leah, & aperuit uterum illius, & Rachel fterilis.

32. Et concepit Leah, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Ruben, quia dixit, quod vidit JEHOVAH afflictionem meam, quia nunc amabit me vir meus.

33. Et

33. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, quia audivit JEHOVAH quod exosa ego, & dedit mihi etiam hunc, & vocavit nomen ejus Schimeon.

34. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, nunc hac vice adhærebit vir meus ad me, quia peperi ei tres filios, propterea vocavit nomen ejus Levi.

35. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, hac vice confitebor JEHOVAM, propterea vocavit nomen ejus Jehudah, & substitit a pariendo.

CONTENTA.

3758. IN hoc Capite in sensu interno per Jacobum agitur de Naturali Domini, quomodo Veri bonum ibi conjunctum sit cum Bono affini ex origine Divina, quod est Laban; primum per affectionem Veri externi, quæ est Leah, & dein per affectionem veri interni, quæ est Rachel.

3759. Postea per partum quatuor filiorum Jacobi ex Leah describitur in sensu supremo ascensus a Vero externo ad bonum internum; at in sensu repræsentativo describitur status Ecclesiæ, quæ talis est, ut non agnoscat & recipiat vera interna quæ in Verbo, sed vera externa; & quia ita, quod ad interiora ascendat secundum hunc ordinem, quod ei primum sit verum quod fidei dicitur; dein exercitium secundum id verum; postea ex illo Charitas; & demum amor cœlestis: hi quatuor gradus significantur per quatuor filios Jacobi ex Leah, nempe per Rubenem, Schimeonem, Levi, & Jehudam.



SENSUS INTERNUS.

3760. Vers: 1. *ET sustulit Jacob pedes suos, & ivit terram filiorum orientis.* Sustulit Jacob pedes suos, significat elevationem naturalis: & ivit terram filiorum orientis, significat ad vera amoris.

3761. Sustulit Jacob pedes suos, quod significat elevationem naturalis, constat a significatione tollere, quod sit elevatio; & a significatione pedum, quod sit naturale, de qua sequitur; elevatio, quæ hic significatur, est de qua in hoc Capite agitur, quæ est a Vero externo ad Bonum internum; in sensu

ſenſu ſupremo, quomodo Dominus Naturale ſuum elevavit uſque ad Divinum, ſecundum ordinem, aſcendendo a Vero externo per gradus ad Bonum internum; & in ſenſu repræſentativo, quomodo Dominus Naturale hominis, cum illum regenerat, ſecundum ſimilem ordinem, novum facit: quod homo, qui in adulta ætate regeneratur, ſecundum ordinem in hoc Capite & ſequentibus in ſenſu interno deſcriptum, progrediatur, paucis notum eſt; cauſa eſt, quia pauci ſuper id reflectunt, etiam quia pauci hodie poſſunt regenerari, ſunt enim ultima tempora Eccleſiæ, quando non amplius aliqua charitas, proinde non fides, & quia ita, ne quidem ſciunt quid fides, tametſi in omnium ore eſt quod per fidem ſalvetur homo, inde adhuc minus ſciunt quid Charitas, & cum hæc ſolum quoad voces modo nota ſunt, & quoad eſſentiam ignota, inde eſt, quod dictum, quod pauci poſſint reflectere ſuper ordinem, ſecundum quem homo novus fit ſeu regeneratur, & quoque quod pauci regenerari poſſint. Quia hic de Naturali agitur, & hoc repræſentatur per Jacobum, non dicitur quod *ſurrexerit* & iverit terram filiorum orientis, ſed quod ſuſtulerit pedes ſuos, utrumque ſignificat elevationem, quod ſurgere ſignificet, videatur n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171; quod hic dicatur tollere pedes, eſt reſpective ad naturale, nam Pedes ſignificant naturale, videatur n: 2162. 3147; quod pedes ſignificent naturale ſeu naturalia, eſt ex correſpondentia cum Maximo Homine, de qua ad finem Capitum nunc, in quo, nempe Maximo Homine, illi qui ad provinciam Pedum pertinent, ſunt qui in naturali luce ſunt, & parum in ſpirituali; inde quoque eſt, quod quæ infra pedes ſunt, ut planta & calcaneum, ſignificant infima naturalia, videatur n: 259; & inde calceus, qui etiam aliquoties nominatur in Verbo, naturale corporeum, quod ultimum eſt, n: 1748.

3762. Et ivit terram filiorum orientis, quod ſignificet ad vera amoris, nempe elevationem, conſtat ex ſignificatione terræ filiorum orientis; quod Aram ſeu Syria dicta ſit terra filiorum orientis, patet, quia illuc ſe contulit Jacob, videatur etiam n: 3249; quod per Syriam in genere ſignificentur cognitiones boni, n: 1232. 1234, oſtenſum eſt, at in ſpecie per Aram Naharaim ſeu Syriam fluviorum ſignificantur cognitiones veri, n: 3051. 3664; hic autem non dicitur quod iverit ad Aram ſeu Syriam, ſed ad terram filiorum Orientis, ut ſignificetur id de quo in toto hoc Capite agitur, nempe aſcenſus ad vera amoris: vera amoris dicuntur illa vera, quæ alibi vera cœleſtia appellata ſunt, ſunt enim cognitiones de charitate erga proximum, deque amore in Dominum; in ſenſu ſupremo, in quo agitur de Domino, ſunt vera Divini amoris; illa vera, nempe de charitate erga proximum & de amore in Dominum, diſcenda ſunt, antequam homo regenerari poteſt, & quoque agnoſcenda & credenda, & quantum agnoſcuntur, creduntur, & vita imbuuntur, tantum quoque regeneratur homo, & tunc tantum implantantur illa Naturali hominis, in quo ſunt ut in ſua humo; implantantur ibi primum per inſtructionem a parentibus, & magiſtris, dein ex Verbo Domini, poſtea ex propria reflexione ſuper illa, ſed per illa ſolum reponuntur ſolum

solum in memoria naturali hominis, ac inter cognitiones ibi referuntur; sed usque non agnoscuntur, creduntur, & imbuuntur, nisi sit vita secundum illa, tunc enim homo in affectionem venit, & quantum in affectionem ex vita venit, tantum naturali ejus, ut suæ humo, implantantur; quæ non ita implantantur, quidem apud hominem sunt, sed modo in memoria ejus sicut aliquod cognitivum aut historicum, quod non ad aliud conducit, quam ut de illis loqui possit, & per illa captare famam, & per hanc lucrari opes & honores; sed tunc non implantata sunt. Quod per terram filiorum orientis significentur vera amoris, ita cognitiones veri quæ tendunt ad bonum, constare potest a significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623; & ex significatione orientis, quod sit amor, de qua n: 101. 1250. 3249; terra illorum, est humus in qua sunt: quod filii orientis sint illi qui in cognitionibus veri & boni, proinde in veris amoris, constare etiam potest alibi ex Verbo, ut in Libro Primo Regum "Multiplicata est "Sapientia Salomonis *præ Sapientia omnium filiorum orientis*, & præ omni "Sapientia Ægyptiorum" Vers: 10. ubi per Sapientiam filiorum orientis significantur cognitiones interiores veri & boni, ita ii qui in illis sunt; per sapientiam autem Ægyptiorum scientia earundem, quæ in gradu inferiori est, quod per Ægyptios significentur Scientifica in genere, videatur n: 1164. 1165. 1462. Apud Jeremiam "Sic dixit Jehovah, surgite, ascendite contra Kedarem, devastate *filios orientis*, tentoria & greges eorum sument, cortinas eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum sument" XLIX: 28. ibi quod per filios orientis intelligantur illi qui in cognitionibus boni & veri sunt, constat ex eo, ut quod sument tentoria & greges eorum, tum cortinas, & omnia vasa eorum, ut & camelos, per tentoria enim significantur sancta boni, n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312, per greges bona charitatis, n: 343. 2566; per cortinas sancta vera, n: 2576. 3478, per vasa vera fidei, & scientifica, n: 3068. 3079, per camelos scientifica in communi, n: 3048. 3071. 3143. 3145; ita per filios orientis illi qui in illis sunt, hoc est, qui in cognitionibus boni & veri. Quod Sapientes ab orientalibus, qui venerunt ad Jesum, cum nasceretur, fuerint ex illis qui filii orientis dicti sunt, constare potest ex eo, quod illi in cognitione fuerint, quod nasciturus Dominus, & quod adventum Ipsius sciverint ex Stella, quæ illis apparuit in Oriente, de quibus ita apud Matthæum "Cum nasceretur Jesus in Bethlehem Judææ, ecce *sapientes ab orientalibus* venerunt in Hierosolymam, dicentes, ubi est natus Rex Judæorum, vidimus enim Ipsius stellam ab Oriente, & venimus adorare Ipsum" II: 1. 2; quod apud filios orientis, qui e Syria, tale propheticum ab Antiquo fuerit, constat a Prophetia Bileami de adventu Domini, apud Mosen "Video Ipsum, & non nunc, "conspicio Ipsum & non propinquus, *orietur Stella* ex Jacobo, & surget "sceptrum ex Israele" Num: XXIV: 17; quod Bileamus fuerit ex terra filiorum orientis seu ex Syria, patet ex his apud Mosen "Edidit Bileamus "enuntiatum suum, & dixit, *a Syria* adduxit me Balakus, ex *montibus orientis*" Num: XXIII: 7; sapientes illi qui venerunt ad Jesum cum nasceretur,

retur, vocantur magi, sed ita dicti sunt sapientes illo tempore, ut constat ex pluribus locis, ut Genes: XLI: 8. Exod: VII: 11. Dan: II: 27. Cap. IV: 3, 4. 1 Reg: V: 10; & passim apud Prophetas. Quod filii orientis in opposito sensu significent cognitiones mali & falsi, ita illos qui in illis sunt, constat apud Esaiam "Recedit æmulatio Ephraimi, & hostes Jehudæ exscindentur; involabunt in humerum Philistæorum versus mare, & simul deprædabuntur *filios orientis*" XI: 14. Apud Ezechielem "Contra filios Ammonis, ecce Ego tradidi te *filiis orientis* in hæreditatem, & collocabunt ordinationes suas in te" XXV: 4. 10. In Libro Judicum "Cum seminavit Israel, & ascendit Midian & Amaleck, & *filii Orientis*, & ascenderunt supra illum" VI. 3, Midian pro illis qui in falso, quia non in vitæ bono, n: 3242, Amaleck pro illis qui in falsis, quibus oppugnant vera, n: 1679, filii orientis pro illis qui in cognitionibus falsi.

3763. Vers: 2. 3. *Et vidit, & ecce puteus in agro, & ecce ibi tres catervæ gregis cubantes juxta illum, quia e puteo illo potarunt catervas, & lapis magnus super ore putei. Et colligebantur illuc omnes catervæ, & devolvebant lapidem a super ore putei, & potabant gregem, & reducebant lapidem super os putei ad locum ejus.* Vidit, significat perceptionem: ecce puteus, significat verbum: in agro, significat pro Ecclesiis: & ecce ibi tres catervæ gregis cubantes juxta illum, significat sancta Ecclesiarum & doctrinalium: quia e puteo illo potarunt catervas, significat quod inde scientia: & lapis magnus super ore putei significat quod occlusum esset: & colligebantur illuc omnes catervæ, significat quod omnes Ecclesiæ & earum doctrinalia inde: & devolvebant lapidem a super ore putei, significat quod recluderent: & potabant gregem, significat quod inde doctrina: & reducebant lapidem super os putei ad locum ejus, significat quod interea esset occlusum.

3764. Vidit, quod significet perceptionem, constat a significatione videre, quod sit percipere, de qua in sequentibus hujus Capitis ad Vers: 32, ubi de Ruben, qui a videre nominatus est.

3765. Ecce puteus, quod significet verbum, constat a significatione putei, quod sit Verbum, & quoque doctrina e Verbo, de qua n: 2702. 3096. 3424; Verbum hic puteus dicitur, quia agitur de naturali, quod in se spectatum Verbum modo ad sensum literalem capit; at Verbum fons dicitur cum agitur de Rationali, ex quo Verbum secundum sensum internum potest percipi.

3766. In agro, quod significet pro Ecclesiis, constat ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 2971; Ecclesia in Verbo significatur per terram, per humum, & per agrum, at cum differentia; quod ager sit Ecclesia, est inde, quia illa sicut ager recipit semina boni & veri; Ecclesia enim Verbum habet, e quo illa; inde quoque est, quod quicquid in agro est, etiam significet id quod est Ecclesiæ, sicut sementis, messis, seges, triticum, hordeum, & reliqua, & quoque hæc cum differentia.

3767. Et ecce ibi tres catervæ gregis cubantes juxta illum, quod signifi-

cet sancta Ecclesiarum & doctrinalium, constat ex significatione trium, quod sint sanctum, de qua n: 720. 901; ex significatione catervarum gregis, quod sint illa quæ sunt Ecclesiæ, ita doctrinalia; in specie grex significat illos qui intra Ecclesiam sunt, ac discunt & imbuunt bona quæ charitatis & vera quæ fidei, & tunc pastor qui docet illa; in genere autem grex significat omnes illos qui in bono sunt, ita qui ad Ecclesiam Domini in universo terrarum orbe pertinent; & quia omnes illi per doctrinalia introducuntur in bonum & verum; ideo etiam per gregem significantur doctrinalia; illa enim quæ faciunt ut talis sit homo, ac ipse homo qui talis est, per eandem vocem in sensu interno intelligitur; subjectum enim quod est homo, intelligitur ex eo ex quo est homo; inde est quod aliquoties dicatur, quod nomina significent res, & quoque illos apud quos eæ res sunt, sicut Tyrus & Zidon, quod significent cognitiones boni & veri; & quoque illos qui in cognitionibus illis sunt; & quod Ægyptus significet scientiam, & Aschur ratiocinationem, sed intelliguntur tunc ii qui in illis sunt, ita in reliquis; at loquela in cœlo apud Angelos per res absque idea personarum fit, ita per universalia, & hoc ex causa, quia sic comprehendunt innumerabilia, at imprimis ex causa quia omne bonum & verum tribuunt Domino, ac sibimet nihil, inde non determinatæ sunt ideæ loquelæ illorum quam ad solum Dominum ex his nunc patet, unde est, quod Grex dicatur significare, Ecclesias, & quoque doctrinalia. Catervæ gregis dicuntur cubantes juxta puteum, quia ex Verbo doctrinalia, quod puteus sit Verbum, mox supra n: 3765, dictum est.

3768. Quia e puteo illo potarunt catervas, quod significet quod inde scientia, nempe ex Verbo, constat a significatione putei, quod sit Verbum, de qua mox supra n: 3765; a significatione potare seu facere bibere, quod, sit instrui, de qua n: 3069; & a significatione catervarum, quod sint scientia doctrinalium, de qua etiam mox supra, n: 3767; ex his patet, quod per e puteo potarunt catervas, significetur quod ex Verbo scientia doctrinalium boni & veri. In his quæ sequuntur de Jacobo, in sensu supremo agitur de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit, & in hoc Capite de initiatione; ac in sensu interno repræsentativo de illis qui regenerantur, quomodo Dominus naturalem eorum hominem renovat, & in hoc Capite de initiatione; ideo hic agitur de Verbo & de doctrina inde, nam per doctrinam e Verbo initiatio & regeneratio: & quia hæc significantur per puteum & per tres catervas gregis, ideo hæc historice memorantur; quæ nisi illa significarent, leviora forent quam ut in Verbo Divino memorarentur: quid involvunt, constare potest, quod nempe omnis scientia & doctrina boni & veri sit ex verbo: Naturalis homo quidem scire potest, & quoque percipere quid bonum & verum, sed modo bonum & verum naturale, & civile, at bonum & verum spirituale non potest, hoc ex revelatione erit, ita ex Verbo; ut pro exemplo, homo scire potest ex rationali quod cuivis est, quod proximus sit amandus, & quod Deus sit colendus, sed quomodo proximus amandus, & quomodo Deus colendus non sciri potest quam ex Verbo, ita quid bonum & verum.

rum ſpirituale; ſicut quod ipſum bonum ſit proximus, proinde illi qui in bono ſunt, & hoc ſecundum bonum in quo ſunt; & quod ideo bonum ſit proximus quia in bono eſt Dominus, & quod ſic in amore boni ametur Dominus: pariter, qui non Verbum habent nec ſcire poſſunt, quod omne bonum ſit a Domino, & quod id influat apud hominem, & faciat affectionem boni, & quod illa affectio vocetur charitas; qui non Verbum habent, nec ſcire poſſunt, quis eſt Deus univerſi, quod ſit Dominus illos latet, cum tamen intimum affectionis ſeu charitatis, proinde intimum boni ſpectabit Ipſum, inde patet, quid bonum ſpirituale quod non aliunde poteſt ſciri quam ex Verbo: at quoad Gentes, quamdiu in mundo ſunt, id quidem non ſciunt, at uſque cum illæ in mutua charitate inter ſe vivunt, in facultate ſunt inde, ut in altera vita de talibus inſtrui queant, & quod etiam facile recipiant, & imbuant, videatur n: 2589 ad 2604.

3769. Et lapis magnus ſuper ore putei, quod ſignificet quod occluſum eſſet, nempe Verbum, conſtare poteſt abſque explicatione. Verbum occluſum dicitur, dum ſolum quoad ſenſum literæ intelligitur, & omne id pro doctrinali aſſumitur quod ibi; & adhuc magis occluſum, cum illa pro doctrinalibus agnoſcuntur, quæ favent cupiditatibus amoris ſui & mundi, nam hæc imprimis lapidem magnum ſuper os putei advolvunt, hoc eſt, occludunt Verbum; & tunc ſicut non ſciunt, nec ſcire volunt, quod ſenſus aliquis interior in Verbo ſit; cum tamen videre hoc poſſunt a pluribus locis, ubi ſenſus literæ quoad interiorem ſenſum explicatur; & quoque ex doctrinalibus in Eccleſia receptis, ad quæ omnem ſenſum literæ Verbi per explicationes varias referunt: quid ſit, quod occluſum ſit Verbum, conſtare imprimis poteſt a Judæis, qui omnia & ſingula explicant ſecundum literam, & inde credunt quod illa præ omnibus in univerſo terrarum orbe electi ſint, & quod Meſſias venturus qui introducet eos in terram Canaanem, & illos ſupra omnes gentes & populos terrarum evehet; ſunt enim in terreſtribus corporeis amoribus, qui tales ſunt ut prorſus occludant Verbum quoad interiora; ideo etiam nondum ſciunt, an aliquod regnum cœleſte ſit, an victuri poſt mortem, quid internus homo, ne quidem quod detur aliquod ſpirituale; minus quod Meſſias venerit ad ſalvandum animas; quod Verbum pro illis occluſum ſit, ſatis conſtare poteſt etiam ex eo, quod tametſi inter Chriſtianos vivunt, uſque tamen ne hilum ex doctrinalibus eorum recipiant; ſecundum hæc apud Eſaiam "Dicas populo huic, audite audiendo, & ne intelligite, & videte videndo, & ne cognoſcite; impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline: & dixi, quouſque Domine, & dixit, uſque dum vaſtatæ ſunt urbes, dum nullus habitator, & domus dum nullus homo, & humus vaſtata ſit in ſolitudinem" VI: 9. 10. 11. Matth: XIII: 14. 15. Joh: XII: 40. 41. Quantum enim homo in amoribus ſui & mundi eſt, & in eorum cupiditatibus, tantum occluditur ei Verbum; amores enim illi pro fine habent ſe, qui finis lumen naturale accendit, ſed lucem cœleſtem extinguit, ſic ut accute videant illa quæ ſunt ſui & mundi, & ne hilum quæ ſunt Domini & Ipſius

Regni; & cum ita eſt, quidem legere poſſunt Verbum, ſed ex fine lucrandi honores & opes, aut ex fine ut appareant, aut ex amore & inde tracta conſuetudine, aut ex pio, & uſque non ex fine emendandi vitam; illis diverſimode Verbum occluſum eſt, quibuſdam ita, ut nequaquam ſcire velint aliud quam quod doctrinalia eorum dictant, qualiacunque ſint; ut ſi quis dixerit, quod Petro non data ſit poteſtas aperiendi cœlum & claudendi illud, ſed quod fidei amoris, quæ per claves Petri ſignificatur, quia obſtat amor ſui & mundi, nequaquam agnoſcunt: & ſi quis dixerit, quod ſancti non colendi, ſed unice Dominus, hoc nec recipiunt: ſi quis dixerit, quod per panem & vinum in Sancta Cæna intelligatur Amor Domini erga univerſum Genus Humanum, & reciprocus hominis in Dominum, hæc nec credunt: ac ſi quis dixerit, quod fides nihil faciat, niſi ſit bonum fidei, hoc eſt, Charitas, hoc inverſe explicant; ita in reliquis: qui tales ſunt, ne hilum videre poſſunt, nec volunt videre verum quod in Verbo, ſed obſtinate manent in ſuo dogmate; & ne quidem audire volunt, quod ſenſus internus ſit, in quo ſanctitas & gloria Verbi; imo cum audiunt quod ſit, ad ſolum auditum ex averſatione nauſeant: ita occluſum eſt Verbum; cum tamen Verbum tale eſt, ut uſque in Cœlum, & per Cœlum ad Dominum apertum ſit, & ſolum clauſum reſpective ad hominem, quantum is in malis amoris ſui & mundi quoad fines vitæ, & in principiis falſi inde, eſt. Inde conſtare poteſt, quid ſit, quod lapis magnus ſuper ore putei.

3770. Et colligebantur illuc omnes catervæ, quod ſignificet quod omnes Eccleſiæ & earum doctrinalia inde, conſtat ex ſignificatione catervarum, quod ſint Eccleſiæ, & quoque doctrinalia quæ Eccleſiarum, de qua ſupra n: 3767. 3768; quæ quod ſint ex Verbo, ſignificatur per colligi illuc.

3771. Et devolvebant lapidem a ſuper ore putei, quod ſignificet quod recluderent, conſtat ex illis, quæ mox ſupra n: 3769, dicta ſunt de ſignificatione lapidis magni ſuper ore putei, quod ſit quod Verbum occluſum eſſet; inde patet, quod devolvebant lapidem a ſuper ore putei, ſit quod recluderent.

3772. Et potabant gregem, quod ſignificet quod inde doctrina, conſtat a ſignificatione potare ſeu bibere facere, quod ſit inſtruere, de qua n: 3069. 3768; & a ſignificatione gregis, quod ſint illi qui in bonis & veris fidei, de qua n: 343. 3767; ita potare illum, eſt inſtruere ex Verbo, proinde doctrina.

3773. Et reducebant lapidem ſuper os putei ad locum ſuum, quod ſignificet quod interea eſſet occluſum, conſtat ex illis, quæ de lapide ſuper ore putei, n: 3769. 3771, dicta ſunt. Cum his, quod nempe Verbum recluſum ſit Eccleſiis, & dein quod occluſum, ita ſe habet; in principio, cum aliqua Eccleſia inſtauratur, tunc primum eſt illis Verbum occluſum, ſed dein recluditur, providente ita Domino, & inde diſcunt, quod omnis doctrina fundetur ſuper his duobus præceptis, quod amandus ſit Dominus ſupra omnia, & proximus ſicut ipſe; quando hæc duo præcepta pro fine ſunt, tunc recluſum;

reclusum est Verbum, omnis enim Lex, & omnes Prophetæ, hoc est, totum Verbum, sic ab illis dependent, adeo ut omnia inde sint, & sic ut omnia ad illa se referant; & quia tunc in principiis veri & boni sunt, illustrantur in singulis quæ in Verbo vident, Dominus enim per Angelos tunc est apud illos, & illos, tametsi nesciunt, docet, & quoque in vitam veri & boni ducit: hoc quoque constare potest ab omnibus Ecclesiis, quod tales fuerint in infantia sua, & quod coluerint Dominum ex amore, & amaverint proximum ex corde: at temporis successu Ecclesiæ ab his binis præceptis se removent, & a bono amoris & charitatis deflectunt ad illa quæ fidei vocantur, ita a vita ad doctrinam, & quantum hoc fit, tantum occluditur Verbum: hæc sunt quæ significantur per illa verba in sensu interno,. "Ecce puteus in agro, & ecce ibi tres catervæ gregis cubantes juxta illum, quia e puteo illo potarunt catervas, & lapis magnus super ore putei: Et colligebantur illuc omnes catervæ, & devolvebant lapidem a super ore putei, & potabant gregem, & reducebant lapidem super os putei ad locum suum.

3774. Vers: 4. 5. 6. *Et dixit illis Jacob, fratres mei, unde vos, & dixerunt, e Charane nos. Ex dixit illis, an cognoscitis Labanem filium Nachoris, & dixerunt, cognoscimus. Et dixit illis, an pax ei, & dixerunt, pax, & ecce Rachel filia ejus venit cum grege.* Dixit illis Jacob, significat verum boni: fratres mei unde vos, significat charitatem ibi ex qua origine: & dixerunt, e Charane nos, significat ex bono communis stirpis: Et dixit illis, an cognoscitis Labanem filium Nachoris, significat num illis bonum ejus stirpis: & dixerunt, cognoscimus, significat affirmativum: Et dixit illis, an pax ei, significat nonne illud ex Regno Domini: & dixerunt, pax, significat affirmativum: & ecce Rachel filia ejus, significat affectionem veri interioris: venit cum grege, significat doctrinalia interiora.

3775. Dixit illi Jacob, quod significet verum boni, constat ex repræsentatione Jacobi, quod sit Divinum Naturale Domini, de qua prius: quia omnia & singula ubivis se ad bonum & verum referunt, n: 3166. 3513. 3519, ita etiam quæ in naturali, & quia bonum & verum in Naturali, cum regeneratur homo, in alio statu est in principio, quam in progressu, & in fine, ideo per Jacobum repræsentatur Naturale quoad verum & bonum secundum statum, hic quoad verum boni: sed varia illa ubivis singillatim exponere, foret res in obscurum mittere, imprimis apud illos qui non distinctam ideam de vero & bono habent, & minus adhuc de vero per quod bonum, & de vero quod ex bono.

3776. Fratres mei, unde vos, quod significet charitatem ibi ex qua origine, constat ex significatione fratrum, quod sint illi qui in bono, & inde quod sit ipsum bonum, proinde charitas, de qua n. 367. 2360. 3303. 3459; & ex significatione unde vos, quod sit ex qua origine. Ex his quoque patet, quod quæ in sensu literæ sunt interrogationis, & quod determinatum ad personas, in sensu interno in ideam indeterminatam ad aliquem cadant; historica

hiſtorica enim literæ nulla fiunt in cœlo apud angelos cum relinquunt hominem, & intrant cœlum; inde conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum interrogatione Jacobi ad viros Charanis, "Fratres mei, unde vos" quod ſignificet charitatem ibi ex qua origine. Cum his ita ſe habet; charitas quæ externa forma ſicut charitas apparet, non ſemper eſt charitas in forma interna; ex fine cognoſcitur qualis eſt; & unde eſt; charitas quæ ex fine ſit propter ſe aut propter mundum, non eſt Charitas in forma interna, imo nec dicenda eſt Charitas; at Charitas quæ ex fine ſit propter proximum, propter commune bonum, propter Cœlum, ac ita propter Dominum, eſt ipſa Charitas, & habet in ſe affectionem benefaciendi ex corde, & inde jucundum vitæ, quod in altera vita beatum fit: hoc ſcire maxime intereſt, ut homo ſciat quid Regnum Domini in ſe: de inquiſitione de hac charitate, ſeu quod idem, de hoc bono, in his verſibus nunc agitur; & hic primum quæritur, ex qua origine ibi Charitas, quod ſignificatur per fratres mei unde vos.

3777. Et dixerunt, e Charane nos, quod ſignificet ex bono communis ſtirpis, conſtat ex ſignificatione Charanis, quod ſit bonum communis ſtirpis collaterale, de qua n: 3612.

3778. Et dixit illis, an cognoſcitis Labanem filium Nachoris, quod ſignificet num illis bonum ejus ſtirpis, conſtat ex repræſentatione Labanis, quod ſit bonum communis ſtirpis collaterale, de qua n: 3612. 3665; & ex repræſentatione Nachoris, quod ſit communis illa ſtirps, ex qua bonum, quod Laban; cognoſcere, quod ſit in ſenſu interno eſſe inde, ex ſerie patet. Quomodo ſe habet cum repræſentatione boni collateralis per Nachorem, Bethuelem & Labanem, paucis dicendum eſt; Therachus qui fuit pater trium filiorum, nempe Abrami, Nachoris, & Haranis, Gen: XI: 27, repræſentat communem ſtirpem, ex qua Eccleſiæ; ipſe Therachus quidem fuit idolatra, at repræſentativa non ſpectant perſonam, ſed rem, videatur n: 1361; & quia Eccleſia repræſentativa Judaica inchoabatur in Abrahamo, & inſtaurabatur apud poſteros ejus a Jacobo, induit Therachus & tres ejus filii repræſentationem Eccleſiarum, Abram induit repræſentationem genuinæ Eccleſiæ, qualis eſt apud illos qui Verbum habent; at Nachor ejus frater induit repræſentationem Eccleſiæ qualis apud gentes quæ non Verbum habent; quod Eccleſia Domini ſparſa ſit per univerſum terrarum orbem, & quoque ſit inter gentes quæ in charitate vivunt, patet ab iis quæ de gentibus paſſim oſtenſa ſunt: inde nunc eſt, quod per Nachorem, ejus filium Bethuelem, & hujus filium Labanem repræſentetur bonum communis ſtirpis collaterale, hoc eſt, bonum in quo ſunt illi qui ab Eccleſia Domini apud gentes: hoc bonum differt in eo a bono communis ſtirpis in linea recta, quod non ſint vera genuina, quæ bono illorum conjunguntur, ſed quod pleraque ſint apparentiæ externæ, quæ fallaciæ ſenſuum vocantur, nam Verbum non habent ex quo illuſtrari poſſunt; bonum quidem in ſua eſſentia unicum eſt, ſed accipit quale a veris quæ ei implantantur, inde varium fit;

vera

vera quæ gentibus apparent ut vera, funt in genere quod colant aliquem Deum, a quo fuum bonum petunt, & cui id tribuunt, & quamdiu in mundo vivunt, ignorant quod ille Deus fit Dominus; & quoque quod Deum fuum fub imaginibus, quas fanctas habent, adorent; præter alia plura; fed ufque illa non impediunt, quin falventur æque ac Chriftiani, modo in amore in Deum fuum, & in amore erga proximum vivunt; nam fic in facultate funt recipiendi vera interiora in altera vita, videatur n: 932. 1032. 1059. 2049. 2051. 2284. 2589. ad 2604. 2861. 2863. 3263: inde patet, quid per bonum communis ftirpis collaterale intelligitur; quod per Nachorem repræfententur illi extra Ecclefiam, qui in fraternitate ex bono funt, videatur n: 2863. 2864. 2868; quod per Bethuelem repræfentetur bonum gentium primæ Claffis, n: 2865. 3665; quod per Labanem affectio boni externi feu corporei, & proprie bonum communis ftirpis collaterale, n: 3612. 3665: Cum hoc bono ita fe habet, quod omnium primo inferviat homini pro medio comparandi fibi bonum fpirituale, eft enim externum corporeum, & ex apparentiis externis, quæ in fe funt fallaciæ fenfuum; in pueritia homo non aliud pro vero & bono agnofcit, & tametfi docetur quid bonum & verum internum, ufque non de hoc aliam ideam habet, quam corpoream; & quia talis eft prima idea, ideo tale bonum & verum eft primum medium, per quod introducuntur vera & bona interiora; hoc arcanum eft, quod hic per Jacobum & Labanem repræfentatur.

3779. Et dixerunt, cognofcimus, quod fignificet affirmationem, conftare poteft abfque explicatione.

3780. Et dixit illis, an pax ei, quod fignificet nonne illud ex Regno Domini, nempe bonum, conftat a fignificatione Pacis, de qua fequitur: in fenfu hiftorico de Labane quæritur, an pax ei, at in fenfu interno de bono quod per Labanem repræfentatur; quod Laban fit bonum communis ftirpis collaterale, hoc eft, quale apud gentes, quæ in Ecclefia communi, hoc eft, in Regno Domini funt, videatur mox fupra n: 3778; inde patet, quid per illa verba fignificetur, nonne illud ex Regno Domini. Quod Pacem attinet, fignificat illa in fupremo fenfu Ipfum Dominum, & inde in fenfu interno Regnum Ipfius, eftque Pax Divinum Domini intime afficiens bonum in quo funt illi qui ibi: quod hæc fignificentur per Pacem in Verbo, conftare poteft a pluribus locis, ut apud Efaiam "Puer natus eft nobis, filius datus eft nobis, fuper cujus humero principatus, & vocabitur Nomen Ipfius, Mirabilis, Confiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, *Princeps pacis:* multiplicanti principatum & *Pacem* non erit finis fuper throno Davidis, & fuper Regno Ipfius" IX: 5. 6; ubi Princeps pacis manifefte pro Domino, & multiplicans principatum & pacem, pro illis quæ in Regno Ipfius, ita pro ipfo Regno. Apud Eundem "Erit opus juftitiæ *Pax*, & labor juftitiæ *quies*, & *fecuritas* in æternum; & habitabit populus meus *in habitaculo pacis*" XXXII: 17. 18, ibi de Regno Domini; ubi pax, quies, & fecuritas fibi fuccedunt; habitaculum pacis pro cœlo. Apud Eundem

Eundem "*Angeli pacis* amare flent; vastatæ sunt semitæ, cessavit transiens viam" xxxiii : 7. 8; angeli pacis pro illis qui in Regno Domini, ita pro ipso Regno, & in supremo sensu pro Domino; vastatæ semitæ, & cessavit transiens viam, pro quod non alicubi verum amplius, quod semitæ & viæ sint vera, videatur n : 627. 2933. Apud Eundem "Quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis, *audire facientis Pacem*, dicentis Zioni, regnat Rex tuus" lii : 7; evangelizans & audire faciens pacem, pro Regnum Domini. Apud Eundem "Montes recedent, & colles dimovebuntur, sed misericordia mea a tecum non recedet, & *fœdus Pacis meæ* non dimovebitur" liv : 10. Apud Eundem "*Viam Pacis* non noverunt; nec judicium in orbitis eorum" lix : 8. Apud Jeremiam "*Colligam pacem meam* a cum populo hoc, dictum Jehovæ, miserationem & misericordiam" xvi : 5. Apud Eundem "Vastatæ sunt *caulæ pacis*, propter ardorem Jehovæ" xxv : 37. Apud Eundem "Propheta qui *prophetat de Pace*, cum venit verbum Jehovæ cognoscetur propheta, quod miserit illum Jehovah" xxviii : 9. Apud Eundem "Ego novi cogitationes, quas Ego cogitans super vos, dictum Jehovæ, *cogitationes pacis*" xxix : 11. Apud Haggæum "Major erit gloria domus hujus posterioris, quam prioris, nam in loco hoc *dabo pacem*," ii : 9. Apud Sachariam "*Semen pacis erunt*, vitis dabit fructum suum, & terra dabit proventum suum, & cœli dabunt rorem suum" viii : 12. Apud Davidem "Custodi integritatem, & vide rectum, quia *postremum viro pax*" Psalm : xxxvii : 37. Apud Lucam "Jesus ad discipulos; quam domum intraveritis, primum dicite *Pax domui huic*, & si fuerit ibi *filius pacis*, requiescet super illo *pax vestra*; si vero non, super vos revertetur" x : 5. 6. Apud Johannem "*Pacem* relinquo vobis, *Pacem meam* do vobis; non sicut mundus dat, Ego do vobis" xiv : 27. Apud Eundem "Jesus dixit, hæc loquutus sum vobis, ut *in Me pacem habeatis*" xvi : 33. In omnibus his locis Pax in supremo sensu significat Dominum; in repræsentativo Regnum Ipsius, & bonum a Domino ibi, ita Divinum quod influit in bonum seu in affectiones boni, quod & facit ex intimo gaudia & felicitates: inde patet, quid per hæc benedictionis verba "Levabit Jehovah facies suas ad te, & *ponet tibi pacem*" Num : vi : 26, intelligitur; & quid per salutationem solennem ab antiquo, *Pax Vobis*; & eandem a Domino ad Apostolos dictam, Joh : xx : 19. 21. 26, videatur etiam de pace, n : 92. 93. 1726. 2780. 3170. 3696.

3781. Et dixerunt, pax, quod significet affirmativum, constare potest absque explicatione, nam est responsum affirmans.

3782. Et ecce Rachel filia ejus, quod significet affectionem veri interioris, constat ex repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris; & Leæ, quod sit affectio veri exterioris, de quibus in sequentibus.

3783. Venit cum grege, quod significet doctrinalia interiora, constat ex significatione gregis, quod sit Ecclesia, & quoque doctrinalia, de qua n : 3767.

3767. 3768. 3772, hic doctrinalia interiora, quia dicitur de Rachele, quod illa veniret cum grege.

3784. Verf: 7. 8. *Et dixit ecce adhuc dies magnus, non tempus colligi pecudes, potate gregem, & ite, pafcite. Et dixerunt non poffumus, ufque quod colligantur omnes catervæ, & devolvant lapidem a fuper ore putei, & potabimus gregem.* Dixit, ecce adhuc dies magnus, fignificat quod nunc ftatus procedens: non tempus colligi pecudem, fignificat quod nondum in unum bona & vera Ecclefiarum & doctrinalium: potate gregem, & ite, pafcite, fignificat ufque inftructionem inde paucis: Et dixerunt, non poffumus ufque quod colligantur omnes catervæ, fignificat quod fimul effe debeant: & devolvant lapidem a fuper ore putei, fignificat quod fic retegantur illa quæ funt Verbi: & potabimus gregem, fignificat quod tunc inftruantur.

3785. Dixit, ecce adhuc dies magnus, quod fignificet quod nunc ftatus procedens, conftat ex fignificatione diei, quod fit ftatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462; quod ecce adhuc magnus, fit procedens, ex ferie patet.

3786. Non tempus colligi pecudes, quod fignificet quod nondum in unum bona & vera Ecclefiarum & doctrinalium, conftat ex fignificatione temporis, quod fit ftatus in genere, de qua n: 2625. 2788. 2837. 3254. 3356; ex fignificatione colligi, quod fit in unum effe; & a fignificatione pecudum, quod fint in genere bona & vera Ecclefiarum & doctrinalium: quod pecudes in genere fignificent illa, eft quia animalia in ritualibus Ecclefiæ repræfentativæ, & in Verbo, fint affectiones boni aut veri, ut conftare poteft ex illis, quæ n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 2679. 2697. 2979. 3203. 3502. 3508. 3510. 3665. 3699. 3701, oftenfa funt. Similiter fe habet in communi cum Ecclefia cum hæc inftauratur, primum erunt in unum doctrinalia boni & veri, hæc enim funt, fuper quibus extruitur; habent etiam doctrinalia inter fe nexum, feque mutuo fpectant, quare nifi in unum prius fint, mancum erit, & quæ deficiunt, a rationali hominis fupplenda effent, quod quantum cæcutit & halucinatur in fpiritualibus & Divinis, dum ex fe concludit, prius paffim oftenfum eft: ideo Ecclefiæ datum eft Verbum, in quo omnia doctrinalia boni & veri funt: Ecclefia in communi fe habet in hoc, ficut in particulari cum homine qui regeneratur, hic enim eft Ecclefia in particulari; apud hominem quod prius fimul effe debeant doctrinalia boni & veri, quæ Ecclefiæ, antequam regeneratur, fupra dictum eft; hæc funt quæ in fenfu interno fignificantur per, ecce adhuc dies magnus, non tempus colligi pecudes.

3787. Potate gregem, & ite, pafcite, quod fignificet ufque inftructionem inde paucis, conftat ex fignificatione potare gregem, quod fit inftruere e Verbo, de qua n: 3772; & a fignificatione ite, pafcite, quod fit inde vita & doctrina, quod ire fit vita, videatur n: 3335. 3690, & quod pafcere fit doctrina, n: 343, & in fequentibus: arcanum quod inibi latet, eft quod pauci fint, qui ufque ad ftatum plenum perveniunt, de qua n: 2636, & fic qui regenerari poffunt.

3788. Et dixerunt, non possumus, usque quod colligantur omnes catervæ, quod significet quod simul esse debeant, constat a significatione colligi, quod sit in unum seu simul esse, ut supra n : 3786 ; & a significatione catervarum, quod sint doctrinalia, de qua n : 3767. 3768 : a significatione catervarum, quod sint doctrinalia, de qua n: 3767. 3768: quid hæc verba involvunt, constare potest ab illis, quæ mox supra n : 3786. 3787, dicta sunt.

3789. Et devolvant lapidem a super ore putei, quod significet quod sic retegantur illa quæ sunt Verbi, constat ex significatione devolvere lapidem, quod sit retegi, de qua n : 3769. 3771. 3773 ; & a significatione putei, quod sit Verbum, de qua n : 3424. 3765.

3790. Et potabimus gregem, quod significet quod tunc instruantur, constat ex significatione potare gregem, quod sit instruere, de qua n : 3772. 3787 : hæc quoque ab illis quæ præcedunt, patent.

3791. Vers : 9. 10. 11. *Adhuc ille loquens cum illis, & Rachel venit cum grege, qui patri ejus, quia pastor illa. Et fuit, ut vidit Jacob Rachelem filiam Labanis fratris matris suæ ; & gregem Labanis fratris matris suæ, & accessit Jacob, & devolvit lapidem a super ore putei, & potavit gregem Labanis fratris matris suæ. Et osculatus est Jacob Rachelem, & sustulit vocem suam, & flevit.* Adhuc ille loquens cum illis, significat cogitationem tunc : & Rachel venit cum grege, significat affectionem veri interioris, quæ Ecclesiæ & doctrinæ : qui patri ejus, significat ex bono quoad originem : quia pastor illa significat quod affectio veri interioris quod in Verbo doceat : Et fuit, ut vidit Jacob Rachelem filiam Labanis fratris matris suæ, significat Ecclesiam & doctrinam inde : & accessit Jacob, & devolvit lapidem a super ore putei, significat Dominum ex bono naturali retexisse Verbum quoad interiora : & potavit gregem Labanis fratris matris suæ, significat amorem erga vera interiora : & sustulit vocem suam, & flevit, significat amoris ardorem.

3792. Adhuc ille loquens cum illis, quod significet cogitationem tunc, constat ex significatione loqui in historicis Verbi, quod sit cogitare, de qua n: 2271. 2287. 2619 ; quod tunc, patet, quia ipso tempore cum loquebatur cum illis, seu quod idem, adhuc ille loquens cum illis, Rachel venit.

3793. Et Rachel venit cum grege, quod significet affectionem veri interioris quæ Ecclesiæ & doctrinæ, constat a repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris ; & ex significatione gregis, quod sit Ecclesia & quoque doctrina, de qua n : 3767. 3768. 3783. Ut sciatur, quomodo se habet cum repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, & cum Leæ, quod sit affectio veri exterioris, paucis dicendum : Naturale, quod per Jacobum repræsentatur, ex bono & vero consistit, & in eo, nempe naturali, sicut in omnibus & singulis in homine, imo in universa natura, conjugium boni & veri esse debet ; absque conjugio boni & veri nihil producitur, omnis productio & omnis effectus est inde : in Naturali apud hominem, cum nascitur, non est conjugium boni & veri,
quia

quia solus homo non in ordinem Divinum nascitur, est quidem bonum innocentiæ & charitatis, quod in prima infantia influit a Domino, sed non est aliquod verum, cui bonum illud copuletur; in ætate progrediente hoc bonum, quod in infantia insinuatum ei est a Domino, versus interiora intrahitur, & ibi tenetur a Domino, ut per id temperentur status vitæ quos postea induit; inde est, quod homo absque bono infantiæ suæ ac primæ pueritiæ omni fero animali pejor & magis ferus foret; cum bonum id infantiæ intrahitur, tunc in naturale hominis succedit & intrat malum, cui se copulat falsum, & fit conjunctio & quasi conjugium mali & falsi apud eum ut itaque salvetur homo, regenerandus est, & removendum malum, ac insinuandum bonum a Domino, & secundum bonum quod recipit, insinuatur ei verum, ut fiat boni & veri copulatio, seu quasi conjugium: hæc sunt quæ repræsentantur per Jacobum, & per binas ejus uxores, nempe Rachelem & Leam; Jacobus ideo nunc induit repræsentationem boni naturalis, & Rachel repræsentationem veri; sed quia omnis conjunctio veri cum bono fit per affectionem, est affectio veri copulandi bono quam Rachel repræsentat; præterea in Naturali sicut in Rationali, datur interius & exterius, Rachel repræsentat affectionem veri interioris, & Leah affectionem veri exterioris. Laban, qui pater illarum, repræsentat bonum communis stirpis, sed collaterale, ut dictum, quod bonum est id quod in collaterali linea correspondet vero Rationalis, quod est Rebecca, n: 3012. 3013. 3077, inde filiæ ex illo bono repræsentant affectiones in naturali, nam hæ sunt ut filiæ a bono illo ut ex patre; & quia affectiones illæ copulandæ sunt bono naturali, ideo repræsentant affectiones veri, una affectionem veri interioris, altera affectionem veri exterioris. Cum regeneratione hominis quoad ejus naturale, prorsus similiter se habet, ac cum Jacobo, & cum binis Labanis filiabus Rachele & Leah; qui itaque Verbum hic secundum sensum ejus internum videre & capere potest, is arcanum hoc videt sibi detectum; sed hoc nullus alius videre potest, quam qui in bono & vero est; alii utcunque perceptionem rerum in illis quæ vitæ moralis & civilis sunt, habent, & apparent sicut intelligentes, nihil tale usque ad agnitionem videre possunt, non enim sciunt quid bonum & verum, malum enim putant bonum, & falsum verum, quapropter illico cum bonum dicitur, idea mali sistitur, & cum verum dicitur, idea falsi; inde est, quod nihil percipiant de his, quæ in sensu interno continentur, sed ad primam auditionem oboriantur tenebræ, quæ lucem extinguunt.

3794. Qui patri ejus, quod significet ex bono quoad originem, constat ex repræsentatione Labanis qui hic pater, quod sit bonum communis stirpis collaterale, de qua n: 3612. 3665. 3788; & quoque ex significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 3703.

3795. Quia pastor illa, seu pascens illa, quod significet quod affectio veri interioris, quod in Verbo doceat, constat ex significatione pastoris seu pascentis, quod sit qui ducit & docet, de qua n: 343; & ex repræsentatione Rachelis, quæ hic est illa, quod sit affectio veri interioris, de qua mox supra, n: 3793; quod ex Verbo, est quia ad puteum cum grege ivit, puteus quod sit Verbum, videatur n: 3765; & præterea affectio veri interioris est quæ docet, ex illa enim affectione Ecclesia est Ecclesia, & pastor est pastor: Quod

paſtor & paſcens in Verbo ſignificet illos qui ducunt & docent, eſt quia grex ſignificat illos qui ducuntur & docentur, proinde Eccleſias & quoque doctrinas quæ ſunt Eccleſiæ, n: 3767. 3768. 3783: quod paſtor & grex illa ſignificent, in Chriſtiano orbe notiſſimum eſt, ita enim vocantur illi qui docent & diſcunt, quapropter illa ex verbo confirmare ſuperſedetur.

3796. Et fuit, ut vidit Jacob Rachelem filiam Labanis fratris matris ſuæ, quod ſignificet agnitionem affectionis illius veri ex qua origine, conſtat ex ſignificatione videre, quod hic ſit agnoſcre, ut patet a ſerie; & ex repræſentatione Rachelis, quod ſit affectio veri interioris, de qua ſupra n: 3793; filiæ Labanis fratris matris ſuæ involvit originem, quod nempe ex bono collaterali, quod fraternitate conjunctum eſſet vero rationali per Rebeccam matrem Jacobi repræſentato. Cum affectionibus veri & boni ita ſe habet; genuinæ affectiones veri & boni, quæ percipiuntur ab homine, ſunt omnes ex origine Divina, quia a Domino, ſed in via cum deſcendunt, in varios & diverſos rivos abeunt, & ibi novas ſibi origines formant, ſicut enim influunt in affectiones non genuinas & ſpurias, & in affectiones mali & falſi apud hominem, ita variantur; ſiſtunt ſe in externa forma ſæpe ſimiles genuinis, ſed uſque in forma interna tales ſunt; unicum indicium, ex quo cognoſcuntur, eſt ex fine, ſi ex fine ſunt, propter ſe aut mundum, tunc affectiones illæ non genuinæ, ſunt; ſi autem ex fine ſunt propter bonum proximi, bonum ſocietatum, bonum patriæ, & magis ſi propter bonum Eccleſiæ, & bonum Regni Domini, ſunt genuinæ, nam tunc ſunt propter Dominum, Dominus enim in illis bonis eſt; at uſque ſapientis eſt, ſcire fines apud ſe, quandoque apparet quaſi fines ſint propter ſe, cum tamen non ſunt, nam homo talis eſt, ut in ſingulis reflectat ſuper ſe, & hoc ex more & habitu; at ſi quis ſcire velit fines apud ſe, modo attendat ad jucundum quod percipit in ſe ex laude & gloria ſui, & ad jucundum quod percipit ex uſu ſeparato a ſe, ſi hoc jucundum percipit, tunc eſt in affectione genuina; attendere etiam debet ad varios ſtatus, in quibus eſt, nam ipſi ſtatus plurimum variant perceptionem; hæc poteſt homo apud ſe explorare, ſed apud alios non poteſt, nam fines affectionis cujuſvis ſoli Domino noti ſunt; inde eſt, quod Dominus dixit "non judicate, ne judicemini, non condemnate, ne condemnemini" Luc: VI: 37; poſſunt enim mille apparere in ſimile affectione quoad verum & bonum, & tamen unuſquiſque eſt in diſſimili quoad originem, hoc eſt, finem: quod finis faciat, ut affectio ſit talis, quod nempe ſit genuina, vel ſpuria, vel falſa, inde eſt, quia finis eſt ipſa vita hominis, pro fine enim habetur ab homine quod eſt vitæ ejus, ſeu quod idem, quod eſt amoris ejus; cum bonum proximi, bonum commune, bonum Eccleſiæ & Regni Domini, eſt finis, tunc eſt homo quoad animam ſuam in Regno Domini, ita apud Dominum, Regnum enim Domini non eſt niſi quam Regnum finium ac uſuum propter bonum generis humani, n: 3645; ipſi Angeli, qui apud hominem, non ſunt niſi quam in finibus ejus; quantum homo eſt in tali fine, in quali eſt regnum Domini, tantum Angeli delectantur illo, & conjungunt ſe illi ut fratri; quantum autem homo eſt in fine ſui, tantum angeli recedunt, & tantum accedunt ſpiritus mali ab inferno, nam in inferno non alius finis regnat: ex his conſtare poteſt, quantum intereſt explorare

rare

rare & fcire, ex qua origine affectione funt, quæ non aliunde fciri poffunt, quam ex fine.

3797. Et gregem Labanis fratris matris fuæ, quod fignificet Ecclefiam & doctrinam inde, conftat ex fignificatione gregis, quod fit Ecclefia & Doctrina, de qua n: 3767, 3768, 3783. Quod hic etiam Laban dicatur frater matris fuæ, eft quia per id quoque fignificatur agnitio ex qua origine, ut mox fupra.

3798. Et acceffit Jacob & devolvit lapidem a fuper ore putei, quod fignificet Dominum ex bono naturali retexiffe Verbum quoad interiora, conftat ex repræfentatione Jacobi, quod fit Divinum Naturale Domini, de qua prius, hic quoad bonum ibi; & ex fignificatione devolvere lapidem a fuper ore putei, quod fit retegere Verbum quoad interiora, de qua n: 3769. 3771. 3773. 3789. Quod fenfus internus fupremus hic fit, quod Dominus ex bono naturali retexerit Verbum quoad interiora, eft quia per Jacobum hic repræfentatur bonum in Naturali, induit enim Jacob repræfentationem boni, quia ei nunc adjungendum eft verum per affectionem, quam Rachel repræfentat, videatur mox fupra n: 3775. 3793, & quod ex bono retegatur Verbum quoad ejus interiora, n: 3776; quod ex bono retegatur Verbum, patet manifefte, unufquifque ex amore in quo eft, videt illa quæ amoris illius eft, & quæ videt vocat vera, quia confentanea ei; eft in amore cujufvis lux vitæ ejus, amor enim fe habet ficut flamma, ex qua lux, qualis itaque amor feu flamma, talis eft ei lux veri, qui in amore boni funt, videre poffunt quæ illius amoris funt, proinde vera quæ in Verbo, & hæc quantum & qualiter in amore boni funt, influit enim tunc e cœlo, hoc eft, per cœlum a Domino lux feu intelligentia; inde eft, quod, ficut prius dictum, nemo poffit videre & agnofcere interiora Verbi, nifi qui in bono eft quoad vitam.

3799. Et potavit gregem Labanis fratris matris fuæ, quod fignificet inftructionem, conftat a fignificatione potare gregem, quod fit inftructio, de qua n: 3772. Quod te hic tertio Laban dicatur frater matris fuæ, eft quia indicatur origo, ex qua grex, & ex qua Rachel, hoc eft, doctrina & affectio veri interioris.

3800. Et ofculatus eft Jacob Rachelem, quod fignificet amorem erga vera interiora, conftat ex fignificatione ofculari, quod fit unitio & conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3547, proinde amor, quia amor in fe fpectatus eft unitio & conjunctio ex affectione; & ex repræfentatione Rachelis, quod fit affectio veri interioris, de qua n: 3793; inde patet, quod per ofculatus eft Jacob Rachelem, fignificetur amor erga vera interiora.

3801. Et fuftulit vocem fuam & flevit, quod fignificet amoris ardorem, conftat ex fignificatione tollere vocem & flere, quod fit amoris ardor; fletus enim eft triftitiæ, & eft amoris, eftque utriufque fummus gradus.

3802. Verf: 12. 13. *Et indicabat Jacob Racheli, quod frater patris ejus ille, & quod filius Rebeccæ ille; & cucurrit & indicavit patri fuo. Et fuit, ficut audivit Laban famam Jacobi filii fororis fuæ, & cucurrit obviam ei, & amplexus eum, & ofculatus eum, & adduxit eum ad domum fuam, & narravit Labani*

Labani omnia verba illa. Indicabat Jacob Racheli, quod frater patris ejus ille, ſignificat affinitatem boni quod Jacob, & boni quod Laban: & quod filius Rebeccæ ille, ſignificat affinitatum conjunctionem: & cucurrit & indicavit patri ſuo, ſignificat agnitionem per interiora vera: & fuit, ſicut audivit Laban famam Jacobi filii ſororis ſuæ, ſignificat agnitionem boni affinis: & cucurrit obviam ei, ſignificat convenientiam: & amplexus eum, ſignificat affectionem: & oſculatus eum, ſignificat initiationem: & adduxit eum ad domum ſuam, ſignificat ad conjunctionem: & narravit Labani omnia verba illa, ſignificat ex veris.

3803. Et indicabat Jacob Racheli, quod frater patris ejus ille, quod ſignificet affinitatem boni quod Jacob, & boni quod Laban, conſtat ex ſignificatione indicare, qud ſit notum facere; a repræſentatione Jacobi, quod ſit bonum, de qua prius; ex repræſentatione Rachelis, cui notum factum, quod ſit affectio veri interioris, de qua n: 3793. ex ſignificatione fratris, qui hic Jacob, quod ſit bonum, de qua n. 367. 2360. 3303. 3459; & ex ſignificatione patris, qui hic Laban, quod quoque ſit bonum, de qua n: 3703; inde & ex ſerie patet, quod per indicabat Jacob Racheli, quod frater patris ejus ille, ſignificetur affinitas boni quod Jacob, & boni quod Laban, ſed ipſſam affinitatem exponere, & inde utriuſque conjunctionem per affectionem veri interioris, quæ Rachel, foret rem in obſcurum mittere, quia pauci ſciunt quid bonum Naturalis, & quod hoc diſtinctum ſit a bono rationalis, & quid bonum communis ſtirpis collaterale, & quoque quid affectio veri interioris; qui non aliquam ideam de his ſibi comparavit ex propria indagatione, levem ſi aliquam accipit ex deſcriptione, tantum enim homo ex aliis recipit, quantum vel ex proprio habet, vel per intuitionem rei apud ſe ſibi acquirit, reliqua præterlabuntur; ſatis eſt ſcire, quod innumerabiles affinitates boni & veri ſint, & quod ſecundum illas ſint ſocietates cœleſtes, videatur n: 685. 917. 2739. 3612. Quod Jacob ſe dicat fratrem Labanis, cum tamen erat filius ſororis ejus, eſt quia ex bono omnes fratres ſunt, inde quoque eſt, quod Laban Jacobum viciſſim fratrem appellet, Verſ: 15, bonum enim eſt, quod facit conſanguineum, & quod conjungit, nam bonum eſt amoris, & amor eſt conjunctio ſpiritualis; inde erat quod in antiquis Eccleſiis omnes illi qui in bono fuerunt dicti ſint fratres, etiam in Eccleſia Judaica, ſed quia hæc omnes alios vilipendit, & ſe ſolos electos putavit, modo illos appellabat fratres, qui nati Judæi fuerunt, & reliquos ſocios, aut alienos: primitiva Eccleſia Chriſtiana etiam omnes vocabat fratres qui in bono, at poſtea ſolum illos qui intra ſuum cætum fuerunt; ſed fratris nomen cum bono apud Chriſtianos evanuit, & quando verum loco boni, ſeu fides loco charitatis ſucceſſit, tunc non ex bono ſe amplius dicere potuerunt fratres, ſed proximum; hoc quoque ſecum habet doctrina fidei abſque vita charitatis, quod infra ſe videatur eſſe fraternitas cum viliore ſe; fraternitas enim apud eos non originem ducit a Domino ac inde a bono, ſed a ſe, & inde honore & lucro.

Et quod filius Rebeccæ ille, quod ſignificet affinitatum conjunctionem, conſtare poteſt abſque explicatione; Rebecca enim, quæ mater Jacobi, & ſoror Labanis, erat ex qua conjunctio.

3804. Et cucurrit & indicavit patri suo, quod significet agnitionem per interiora vera, constat ex significatione currere & indicare, quod sit affectio notum facienti, hic ex agnitione; & ex significatione patris sui, quod sit bonum quod Laban; quod per vera interiora, repraesentatur per Rachelem, quae est affectio veri interioris; inde resultat, quod per illa verba significetur agnitio per interiora vera. Cum his ita se habet, bonum, quod Jacob repraesentat, quod est bonum naturalis, sicut omne bonum in genere, cognoscitur & agnoscitur quod sit, non autem quale sit, nisi per vera; bonum enim suum quale accipit a veris, & sic per vera cognoscitur & agnoscitur; bonum enim non fit bonum, quod charitatis vocatur, antequam implantata ei sunt vera; & qualia vera ei implantantur, tale fit bonum; inde est quod unius bonum, tametsi simillimum apparet, non tamen est sicut alterius, nam bonum in omnibus & singulis, qui in universo terrarum orbe, inde differt; se habet hoc sicut facies humanae, in quibus, se utplurimum affectiones effigiant, quod nusquam in universo genere humano dentur prorsus similes; ipsa vera faciunt sicut faciem boni, cujus pulchritudo est a forma veri, sed quod afficit est bonum; tales sunt formae angelicae omnes, & talis foret homo, si in amore in Dominum & in charitate erga proximum ab interiore vita foret; in tales formas est homo creatus, quia in similitudinem & imaginem Dei; & tales formae sunt illi qui regenerati sunt quoad spiritus suos, utcunque apparent quoad corpus. Inde constare potest, quid intelligitur per quod agnoscatur bonum per interiora vera.

3805. Et fuit sicut audivit Laban famam Jacobi filii sororis suae, quod significet agnitionem boni affinis, constat similiter ex illis quae resultant ex significatione vocum illarum in sensu interno; est reciproca agnitio, quae ita describitur. Agitur hic, ut patet, de electione boni, quae electio praecedit conjugium boni & veri.

3806. Et cucurrit obviam ei, quod significet convenientiam, constat ex significatione currere obviam, quod sit convenientia, nam spectat conjunctionem, de qua sequitur; convenientia seu similitudo, ut notum est, conjungit.

3807. Et amplexus eum, quod significet affectionem, constat ex significatione amplecti, quod sit affectio; interior enim affectio in illum gestum labitur, nam unicuique affectioni sunt gestus in corpore qui correspondent; quod affectioni in communi sit amplexatio, notum est.

3808. Et osculatus eum, quod significet initiationem, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 3800; hic initiatio ad illam conjunctionem, initiatio enim est praecedens conjunctio.

3809. Et adduxit eum ad domum suam, quod significet ad conjunctionem, constat a significatione adducere ad domum, quod sit ad se, ipse enim homo in sensu interno vocatur domus, videatur n: 3128. 3142. 3538, & hoc ex bono, quod proprie est domus, n: 2233. 2234. 3652. 3720: hic itaque ad bonum, quod per Labanem repraesentatur; quapropter per adducere ad domum suam hic significatur conjunctio. Hic in sensu interno plene describitur pro-

cessus conjunctionis boni naturalis quod Jacob, cum bono collaterali quod Laban; sunt hæc quinque, quæ processum illum constituunt, nempe mutua agnitio, convenientia, affectio, initiatio & conjunctio; mutua agnitio significata est per quod Rachel cucurrit & indicavit patri suo, & per quod Laban audivit famam Jacobi filii sororis suæ, de qua n: 3804. 3805; convenientia per quod Laban cucurrit obviam ei de qua n: 3806; affectio, per quod Laban amplexus eum, de qua n: 3807; initiatio, per quod osculatus eum de qua n: 3808; & conjunctio, per quod adduxerit eum ad domum suam, de qua hic.

3810. Et narravit Labani omnia verba illa, quod significet ex veris, nempe agnitio, convenientia, affectio, initiatio & conjunctio, constat ex serie, & quoque ex verbis secundum sensum internum explicatis, a quibus hæc clausula; videantur quæ mox supra n: 3804, dicta sunt.

3811. Vers: 14. 15. *Et dixit ei Laban, utique os meum, & caro mea tu; & habitavit cum eo mensem dierum. Et dixit Laban Jacobo, num quia frater meus tu, & servies mihi gratis, indica mihi quid merces tua.* Dixit ei Laban, utique os meum & caro mea tu, significat conjuncta quoad vera & quoad bona: & habitavit cum eo mensem dierum, significat vitæ statum novum: & dixit Laban Jacobo, num quia frater meus tu, significat quia consanguinei ex bono: & servies mihi gratis, indica mihi quid merces tua, significat quod erit medium conjunctionis.

3812. Dixit ei Laban, utique os meum & caro mea tu, quod significet conjuncta quoad vera & quoad bona, constat a significatione os meum & caro mea tu, quod sit conjunctio, antiquis formula fuit dicendi de illis qui ex una domo, aut ex una familia, aut in aliqua cognatione fuerunt, os meum & caro mea, videatur n: 157, inde est, quod per illa verba significetur conjunctio: quod quoad vera & quoad bona, est quia omnis conjunctio spiritualis fit per illa, & omnis conjunctio naturalis se refert ad illa; & præterea per os & carnem significatur proprium hominis, per Os proprium ejus intellectuale, & per Carnem proprium ejus voluntarium, ita per Os proprium quoad verum nam hoc intellectualis est, & per Carnem proprium quoad bonum nam hoc voluntatis est, videatur n: 148. 149. Quod proprium in genere concernit, est illud duplex, unum infernale, alterum cœleste; infernale accipit homo ab inferno, cœleste accipit a cœlo, hoc est, per cœlum a Domino; omne enim malum, & inde falsum, ab inferno influit, & omne bonum & inde verum a Domino: hoc novit homo ex doctrina fidei, sed vix unus inter myriades credit, inde est, quod homo malum, quod influit ab inferno, sibi appropriet seu suum faciat, & quod bonum quod a Domino, non afficiat illum, proinde non imputetur ei: quod homo non credat malum influere ab inferno, & bonum a Domino, est quia in amore sui est, qui amor hoc secum habet, usque adeo, ut indignetur valde, cum dicitur, quod omne influat; inde nunc est, quod omne proprium hominis non sit nisi quam malum, videatur n: 210. 215. 694, 731. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 1047; at quod homo credat, quod malum ab inferno, & bonum a Domino, est ex eo quod non in amore sui sit, sed in amore erga proximum, & in amore in Dominum, hic amor

hoc secum habet; inde est, quod homo a Domino accipiat proprium cœleste, de quo n: 155. 164. 731. 1023. 1044. 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. Proprium hoc in utroque sensu significatur per os & carnem: inde est, quod per Ossa in Verbo significetur verum, & in opposito sensu falsum, & per Carnem bonum, & in opposito sensu malum; quod per ossa illud significetur, ex sequentibus locis constare potest; apud Esaiam "Ducet te Jehovah jugiter, & saturabit in ariditatibus animam tuam, & *Ossa tua expedita reddet*, ut sis sicut hortus irriguus" LVIII: 11. ossa expedita reddere, pro vivificare proprium intellectuale, hoc est, illustrare intelligentia, inde dicitur, ut sis sicut hortus irriguus, quod hortus sit intelligentia, videatur n: 100. 108. 1588. Apud eundem "Tunc videbitis, & guadebit cor vestrum, & *Ossa vestra sicut herba germinabunt*" LXVI: 14; Ossa sicut herba germinare, pro simili. Apud Jeremiam "Albi erant Naziræi præ nive, candidi erant præ lacte, *rubuerunt Ossa præ gemmis*, sapphirus polities eorum; obscurata est præ nigredine forma eorum, non cognoscuntur in plateis *adhæsit cutis eorum Ossi eorum*, exaruit, facta est sicut lignum" Thren: IV: 7. 8. Naziræus pro homine cœlesti, n: 3301; albi præ nive & candidi præ lacte, pro quod in cœlesti vero, quod verum quia ex amore boni, dictum quod rubuerunt ossa præ gemmis, albedo & candor prædicantur de vero, n: 3301, rubedo de bono, n: 3300, gemmæ de veris quæ ex bono, n: 114; per adhæsit cutis ossi eorum, describitur status mutatus quoad cœlestia amoris, quod nempe non caro ossi, hoc est, non amplius bonum, tunc enim omne verum fit instar cutis quæ adhæret ossi, exarescit & fit sicut lignum. Apud Ezechielem "Paraboliza contra domum rebellionis parabolum, & dic ad eos, sic dixit Dominus Jehovih, appone ollam, appone, & etiam infunde in eam aquas, colligendo *frusta ejus* in eam, omne *frustum bonum*, femur & humerum, *electione ossium imple*, electione gregis accipiendo, & etiam *focus ossium* sub ilia, etiam *coquantur ossa* in medio ejus" XXIV: 3, 4, 5. 10; olla pro violentia illata bono & vero, inde vocatur illa urbs sanguinem ibi Vers: 6; frusta, frustum bonum, femur & humerus in illam collecta, sunt carnes, quæ sunt bona; electio ossium, qua olla impleta, pro veris; focus ossium pro affectione veri; coquantur ossa in medio ejus, pro violentia illis illata; quod in hac parabola recondita sint arcana, quæ Divina, quisque videre potest, tum quod illa nequaquam sciri queant, nisi sciatur quid in sensu interno significatur per ollam, per frusta, femur & humerum, per electionem ossium, per focum ossium, per coqui. Apud Micham "Nonne vestrum nosse, judicium, odio habentes bonum, & amantes malum, rapientes cutem eorum desuper illis, & *carnem eorum* desuper *ossibus eorum*, qui comederunt *carnem populi mei*, & cutem ejus desuper eis detraxerunt, & *ossa eorum diffregerunt*, ac diviserunt sicut in *ollam*, & sicut *carnem* in medium lebetis" III: 2. 3, similiter. Apud Ezechielem "Eduxit me in spiritu Jehovæ, & posuit me in medio vallis, quæ erat *plena ossibus*; dixit ad me, num vivent *ossa hæc*: dixit ad me propheta *super ossibus his*, & dic ad illa, *ossa arida*, audite verbum *Jehovæ*; sic dixit Dominus Jehovih *ossibus his*, ecce Ego adducens spiritus in vos, ut vivatis,

dabo super vos nervos, & ascendere faciam super vos *Carnem*, & obducam super vos cutem, & dabo in vobis spiritum ut vivatis. Prophetavi, & *accesserunt Ossa, Os ad Os* suum, vidi cum ecce super illis nervi, & *caro* ascendit, & obducta est super illis cutis superius, & spiritus non erat in illis, & venit in ea spiritus, & revixerunt, & steterunt super pedibus suis" XXXVI: 1 seq: agitur ibi in communi de instauratione Ecclesiæ apud gentes, & in particulari de regeneratione hominis, Ossa arida pro proprio intellectuali, quod inanimatum est antequam vitam boni a Domino accipit, per illam animatur seu fit vivum; caro quam Dominus ascendere facit super Ossa est proprium voluntarium, quod proprium cœleste vocatur, ita est bonum; spiritus est vita Domini, quæ cum influit in bonum hominis quod ex proprio videtur sibi velle & facere, tunc bonum vivificatur, & ex bono verum, & fit ex Ossibus aridis homo. Apud Davidem "Dissoluta sunt *omnia Ossa mea*, factum est cor meum sicut cera, numerare possum *omnia Ossa mea*, diviserunt vestes meas sibi, & super vestimentum meum jecerunt sortem" Psalm: XXII: 15. 18. 19, ibi de tentationibus Domini quoad Divina vera, quæ propria Domini; & inde vocantur Ossa mea, & quoad Divinum Bonum quod proprium Domini, & inde vocatur cor meum, quod cor sit bonum, videatur n: 3313. 3635; & quia ossa significant vera illa, quæ numerare est per ratiocinia & falsa dissipare velle; ideo etiam immediate sequitur, quod diviserint vestes & super vestimentum jecerint sortem, nam vestes etiam sunt vera, sed exteriora, n: 297. 1073. 2576, dividere illas & jacere sortem super vestimentum, simile involvit, ut quoque apud Matthæum Cap: XVII: 35. Apud Eundem "Anima mea exultat in Jehovah, lætetur in salute Ipsius, *omnia Ossa mea dicant*, quis sicut Tu" Psalm: XXXV: 9. 10, manifeste quod Ossa in spirituali sensu sint intellectuale proprium. Apud Eundem "Audire facies me gaudium & lætitiam, *exultabunt Ossa* contrivisti" Psalm: LI: 10. exultabunt Ossa quæ contrivisti, pro recreatione per vera post tentationes. Quia Os significabat proprium intellectuale, seu proprium quoad verum, & in supremo sensu Divinum verum quod Proprium Domini, inde ex statuto Paschatis erat, quod non frangerent Os agni paschalis, de qua re ita apud Mosen "In domo una comedetur, non educes e domo de carne foras, & *non Os frangetis in eo*" Exod: XII: 46; & alibi "Non relinquent de eo usque ad mane, *& Os non frangent de eo*" Numb: IX: 12, Os non frangere, in supremo sensu pro non violare Verum Divinum, & in sensu repræsentativo pro non violare verum cujusvis boni, quale enim boni & forma boni est ex veris, & est verum sustentaculum boni, sicut ossa sunt carnis. Quod Verbum, quod est ipsum verum Divinum, vivificet mortuos, repræsentatum est per quod vir revixerit, & surrexerit super pedes suos, qui conjectus in sepulchrum Elisæi *tangeret Ossa ejus*, II Reg: XIII: 21; quod Elisæus repræsentaverit Dominum quoad Verum Divinum seu verbum, videatur n: 2762. Quod Ossa in opposito sensu significent falsum quod ex proprio, patet ab his locis; apud Jeremiam "In tempore illo extrahent *Ossa Regum Jehudæ*, & *Ossa principum ejus*, & *Ossa sacerdotum*, & *Ossa prophetarum*, & *Ossa habitatorum Hierosolymæ*

a se-

a ſepulchris eorum, & expandent ea Soli & Lunæ, & omni exercitui cœlorum, quæ amaverant, & quibus ſerviverant" VIII: 1. 2. Apud Ezechielem "Dabo cadavera filiorum Iſraelis coram idolis eorum, & *diſpergam Oſſa veſtra* circum altaria veſtra " VI: 5. Apud Moſen " Deus qui eduxit eum ex Ægypto, ſicut robora unicornis illi, comedet gentes hoſtes ſuos, & *oſſa eorum franget* & tela eorum conteret" Num: XXIV: 8. In Libro Secundo Regum " Joſchias Rex confregit ſtatuas, & excidit lucos, & implevit locum eorum *oſſibus hominis*; ſumſit oſſa ex ſepulchris, & combuſſit ſuper altari, ut immundum redderet illud; ſacrificavit omnes ſacerdotes excelſorum qui ibi ſuper altaribus, & *combuſſit oſſa hominum ſuper iis*" XXIII: 14. 16. 20. Apud Moſen " Anima quæ tetigerit ſuper ſuperficie agri confoſſum gladio, aut mortuum, aut *os hominis*, aut ſepulchrum, emundus erit ſeptem dies" Num: XIX:16.18. Quia oſſa ſignificant falſa, & ſepulchra mala in quibus illa, & quia hyprocriſis eſt malum apparens extrinſecus ut bonum, ſed intus eſt fædum a falſis & prophanis, ideo Dominus ita dicit apud Matthæum " Væ vobis Scribæ & Phariſæi, *hyrocritæ*, quia ſimiles vos facitis *ſepulchris dealbatis*, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero *plena ſunt oſſibus mortuorum*, & omni immunditie; ſic etiam vos foris quidem apparetis hominibus juſti, intus vero pleni eſtis hypocriſi & iniquitate" XXIII: 27. 28. Ex his nunc patet, quod per oſſa ſignificetur proprium intellectuale tam quoad verum quam quoad falſum.

3813. Quod Carnem attinet, ſignificat illa in ſenſu ſupremo Proprium Divini Humani Domini, quod eſt Divinum Bonum, in ſenſu reſpectivo proprium hominis voluntarium vivificatum a Proprio Divini Humani, hoc eſt, a Divino Bono Ipſius; hoc proprium eſt quod vocatur proprium cœleſte, quod in ſe eſt ſolius Domini appropriatum illis qui in bono ſunt & inde in vero, tale proprium eſt Angelis qui in Cœlis, & hominibus qui quoad interiora ſua ſeu quoad ſpiritum ſunt in Regno Domini; at in oppoſito ſenſu caro ſignificat proprium hominis voluntarium, quod in ſe non niſi quam malum eſt, & quia non vivificatum a Domino vocatur mortuum, & inde homo ille dicitur mortuus. Quod Caro ſit in ſupremo ſenſu Proprium Divini Humani Domini, ita Divinum Bonum Ipſius, conſtat a Domini verbis apud Johannem " Jeſus dixit, Ego ſum Panis vivens qui e cœlo deſcendit, ſi quis comederit ex hoc Pane, vivet in æternum: Panis quem Ego dabo, *Caro mea eſt*, quam Ego dabo pro mundi vita. Pugnarunt inter ſe invicem Judæi, dicentes, quomodo poteſt Hic dare *carnem* ad edendum; dixit ergo illis Jeſus, amen, amen, dico vobis, niſi comederitis *carnem Filii hominis*, & biberitis Ipſius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ipſis: qui manducat meam Carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & Ego reſuſcitabo illum extremo die, *nam Caro mea eſt vere cibus*, & ſanguis meus eſt vere potus, qui manducat *meam Carnem*, & bibit meum ſanguinem, in Me manet, & ego in illo; hic eſt Panis qui e cœlo deſcendit" VI: 51. ad 58; quod hic Caro ſit Proprium Divini Humani Domini, ita Divinum Bonum, manifeſte patet, eſtque illa quæ in Sancta Cæna vocatur Corpus, quod Corpus ibi

seu Caro sit Divinum Bonum, & sanguis Divinum verum, videatur n: 1798. 2165. 2177. 3464. 3735; & quia panis & vinum idem significant cum carne & sanguine, panis nempe Divinum Bonum Domini, & Vinum Divinum Verum Ipsius, ideo hæc loco illorum mandata sunt: inde est, quod Dominus dicit, Ego sum Panis vivens, Panis quem ego dabo, Caro mea est, qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, in Me manet & Ego in illo, hic est Panis qui e cœlo descendit; comedere quod sit communicari, conjungi, & appropriari, videatur n: 2187. 2343. 3168. 3513. f. 3596: idem repræsentabatur in Ecclesia Judaica, qer quod carnem sacrificiorum comederent, Aharon, filii ejus, & ipsi qui sacrificabant, ac alii qui mundi erant, & quod hoc sanctum esset, videatur Exod. XII: 7. 8. 9. Cap. XXIX: 30 ad 34. Levit: VII: 15 ad 21. Cap: VIII: 31. Deut: XII, 27. Cap: XVI: 4; quare si immundus comederet de carne illa, exscinderetur e populis suis, Levit: VII: 21; quod hæc dicta sint panis, videatur n: 2165; quod Caro illa Caro sanctitatis vocata sit, Jerem: XI: 15. Hag: II: 12, & Caro muneris quæ super mensis in Regno Domini, Ezech: XL: 43, ubi de Novo Templo; per quod cultus Domini in Regno Ipsius significari constat. Quod Caro in sensu respectivo sit proprium voluntarium apud hominem a Divino Bono Domini vivificatum, constat quoque ab his locis; apud Ezechielem "Dabo illis Cor unum; & spiritum novum dabo in medio vestri, & removebo cor lapidis *e carne eorum*, & dabo illis *cor carnis*" XI: 19 Cap: XXXVI: 26, cor lapidis e carne eorum, pro voluntario & proprio non vivificato, cor carnis pro voluntario & proprio vivificato, quod cor sit repræsentativum boni voluntarii, videatur n: 2930. 3313. 3635. Apud Davidem "Deus, Deus meus Tu, mane quæro Te, sitit anima mea Tibi, desiderat Te *caro mea* in terra Siccitatis, & lassus sine aquis" Psalm: LXIII: 2. Apud Eundem "Desiderat anima mea erga atria Jehovæ, Cor meum & *Caro mea* jubilant erga Deum vivum" Psalm: LXXXIII: 3. Apud Hiobum "Cognovi Redemptorem meum, vivit, & postremum super pulvere surget, & post cute mea circumdabuntur hæc, & ex *Carne mea videbo Deum*, Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius" XIX: 25. 26. 27; cute circumdari pro naturali, quale secum homo post mortem habet, de qua n: 3539; ex carne videre Deum pro ex proprio vivificato, ideo dicit, quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius; quia Ecclesiis notum fuit, quod Caro significaret proprium & Liber Hiobi est liber Ecclesiæ Antiquæ, n: 3540, f. ita ex significativo de his, ut de pluribus aliis, secundum morem illius temporis, loquutus est: qui itaque inde deducunt, quod ipsum cadaver a quatuor ventis colligetur & resurget, non sciunt sensum internum Verbi; qui sensum internum norunt, sciunt quod in alteram vitam venturi sint corpore, sed puriori, sunt enim ibi corpora pluriora, nam se mutuo vident, inter se mutuo loquuntur, omni sensu quali in corpore, gaudent sed exquisitiori, corpus quod homo circumfert in terra, est pro usibus ibi, ideo consistit ex ossibus & carne, & corpus quod spiritus in altera vita circumfert, est pro usibus ibi, & non consistit ex ossibus & carne,

carne, sed ex talibus quæ illis correspondent, videatur n : 3726. Quod Caro in opposito sensu significet proprium hominis voluntarium, quod in se non nisi quam malum est, constat ex his locis; apud Esajam " Vir *carnem brachii sui* comedent" IX : 19. Apud Eundem " Cibabo oppressores suos *carne ipsorum*, & sicut musto sanguine eorum inebriabuntur" XLIX : 26. Apud Jeremiam " Cibabo vos *carne filiorum eorum*, & *carne filiarum eorum*, & vir *carnem socii sui* comedent" XIX : 9. Apud Sachariam " Reliquæ comedent quælibet *carnem alterius*" IX : 9. Apud Mosen " Castigabo vos sextuplo propter peccata vestra, & comedatis *carnem filiorum vestrorum*, & *carnem filiarum vestrarum* comedetis" Levit : XXVI : 28. 29; proprium voluntarium seu natura hominis ita describitur, est enim non nisi quam malum & inde falsum, ita odium contra vera & bona, quæ significantur per comedere carnem brachii sui, carnem filiorum & filiarum, carnem alterius. Apud Johannem " Vidi unum angelum stantem in sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio cœlo, venite & congregamini ad cœnam magni Dei, ut comedatis *carnes regum*, & *carnes chiliarchorum*, & *carnes fortium*, & *carnes equorum* & sedentium super illis, & *carnes omnium liberorum* & servorum, & parvorum & magnorum" Apoc : XIX : 17. 18. Ezech : XXXIX : 17. 18. 19. 20; quod per carnes regum, chiliarchorum, fortium, equorum & sedentium super illis, liberorum & servorum, non significentur talia, unicuique constare potest, ita quod per carnes significentur alia, quæ hactenus ignota sunt, quod mala quæ ex falsis, & mala ex quibus falsa, quæ ex proprio voluntario hominis, ex singulis patet, Quia falsum quod ex proprio intellectuali hominis resultat, in sensu interno est sanguis, & malum quod ex proprio voluntario ejus, est caro, Dominus de homine regenerando ita loquitur " Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in nomen Ipsius, *qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis*, neque e voluntate viri, sed ex Deo nati sunt" Joh : I : 12. 13: inde est, quod per carnem in genere intelligatur omnis homo, videatur n : 574. 1050 f; nam sive hominem dicas, sive proprium hominis, idem est. Quod per Carnem in supremo sensu significetur Divinum Humanum Domini, patet a loco supra allato, & quoque ab hoc apud Johannem " *Verbum Caro factum est*, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut unigeniti a Patre" I : 14, ex hac Carne vivificatur omnis caro, hoc est, ex Divino Humano Domini omnis homo, per appropriationem amoris Ipsius, quæ appropriatio significatur per comedere Carnem Filii hominis, Joh : VI : 51 ad 58; & per comedere Panem in Sancta Cœna, panis enim est corpus seu caro, Matth : XXVI : 26. 27.

3814. Et habitavit cum eo mensem dierum, quod significet vitæ statum novum, constat a significatione habitare, quod sit vita, de qua n : 1293. 3384. 3613; & ex significatione mensis dierum, quod sit status novus; quod omnia tempora sint status, videatur n : 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3404, ita anni, menses & dies; quales autem status significent,

significent, constat ex numeris eis appositis; cum autem in singulari dicitur annus, mensis, aut dies, significatur integer status, ita finis prioris & principium sequentis, ut quoque in explicationibus passim ostensum, hic itaque per mensem finis prioris status & principium sequentis, ita status novus; ut quoque alibi in Verbo, ut apud Esaiam " Tandem fiet *de mense* in *mensem* suum, & de sabbatho in sabbathum, veniet omnis caro ad incurvandum se coram Me, dixit Jehovah" LXVI : 23. Apud Johannem " Ostendit mihi purum fluvium aquæ vitæ, splendidum sicut chrystallum, exeuntem e throno Dei & Agni; in medio plateæ ejus & fluvii hinc & illinc arbor vitæ faciens fructus duodecim, *juxta mensem quemvis reddens fructum suum*" Apoc : XXII : 1. 2; juxta mensem quemvis reddens fructum suum, pro novo semper statu quoad boni receptionem, & inde exercitium. Apud Mosen " Recense filios Levi, juxta domum patris eorum, & juxta familias eorum, omnem masculum, *a filio mensis* & supra recensebis illos. Recense omnem Primogenitum, masculum filiorum Israelis a *filio mensis* & supra, & tolle numerum nominum eorum" Num : XI : 18. 19. 20; quia finis prioris status & principium sequentis, seu novus status, per mensem significabatur, mandatum est ut recensio eorum fieret a filio mensis & supra. Apud Eundem " Si videris in captivitate mulierem pulchram forma, & desideraveris illam, ut accipias tibi in uxorem, removebit vestem captivitatis suæ desuper se, & sedebit in domo tua, & deflebit patrem suum, & matrem suam *Mense dierum*, postea intrabis ad illam, & cognosces illam, & erit tibi in uxorem" Deut : XXI : 11. 13; hic manifeste mensis dierum pro fine status prioris & principio sequentis seu novi.

3815. Et dixit Laban Jacobo, num quia frater meus tu, quod significet quia consanguinei ex bono, constat a repræsentatione Labanis, quod sit bonum communis stirpis collaterale, & ex repræsentatione Jacobi, quod sit bonum Naturalis, de quibus supra; & a significatione fratris, quod sit bonum, de qua n : 3803, hic consanguineum, quia dicitur a Labane ad Jacobum, proinde a bono ad bonum; omnis etiam consanguinitas originem ducit a bono, nam bonum est amoris; est proximus gradus amoris in linea descendente, qui dicitur consanguineus, & intelligitur in sensu proprio per fratrem: quod in mundo spirituali seu cœlo non aliæ consanguinitates & affinitates dentur, quam amoris in Dominum, & amoris erga proximum, seu quod idem, qam boni, constare mihi potuit ex eo, quod omnes societates, quæ cœlum constituunt, & innumerabiles sunt, inter se distinctissimæ sint, secundum gradus & differentias amoris & inde fidei, videatur n : 685. 917. 2739. 3612; tum ex eo, quod ibi se mutuo agnoscant non ex quadam affinitate, quæ fuerat illis in vita corporis, sed solummodo ex bono & inde vero, non pater filium aut filiam, nec frater fratrem aut sororem, ne quidem maritus uxorem, nisi fuerint in simili bono, conveniunt quidem cum primum in alteram vitam veniunt, sed dissociantur, nam ipsum bonum, seu amor & charitas, determinat & addicit quemcumque suæ societati;

tati; in societate, in qua unusquisque est, inchoat consanguinitas, & inde progrediuntur affinitates usque ad circuitus.

3816. Et servires mihi gratis, indica mihi quid merces tua, quod significet quod erit medium conjunctionis, constat a significatione servire gratis, quod sit absque obligatorio; & ex significatione mercedis, quod sit medium conjunctionis; merces aliquoties nominatur in Verbo, & ibi non aliud in sensu interno significat, quam medium conjunctionis; causa est, quia Angeli prorsus nihil audire volunt de Mercede, quod sit propter aliquid apud illos, imo aversantur prorsus ideam mercedis pro aliquo bono seu bene-acto, sciunt enim quod apud unumquemvis, quod proprium seu suum est, non sit nisi malum, & quia ita, quicquid faciunt ex proprio seu suo, contrarium mercedi secum haberet, & quod omne bonum sit ex Domino, & quod influat, & hoc ex sola Misericordia, ita non a se, propter quod de mercede cogitent; imo ipsum bonum non sit bonum, cum de mercede propter id cogitatur, nam finis propter se illico se adjungit, qui finis quantum se adjungit, tantum inducit negationem quod a Domino, & quod a Misericordia, proinde tantum removet influxum, consequenter tantem a se cœlum & beatitudinem, quæ bono & ejus affectioni inest; affectio boni, seu amor in Dominum & amor erga proximum in se habet beatum & felix, ipsi affectioni & amori hoc inest; ex affectione & ejus beatitudine aliquid facere, & simul propter mercedem, sunt sibi prorsus opposita; inde nunc est, quod Angeli per mercedem, cum ea nominatur in Verbo, non percipiant aliquid mercedis, sed id quod gratis & ex misericordia a Domino illis donatur; at merces pro medio conjunctionis inservit illis qui nondum initiati sunt, qui enim nondum initiati sunt bono & ejus affectioni, hoc est, qui nondum plene regenerati, illi non possunt aliter quam etiam de mercede cogitare, quia bonum quod faciunt non faciunt ex affectione boni, sed ex affectione beati & felicis propter se, & simul ex timore pro inferno; sed cum regeneratur homo, tunc invertitur hoc, & fit affectio boni, quæ cum est, non amplius mercedem spectat: hoc illustrari potest ab illis quæ in vita civili, qui habet amorem patriæ, & in tali affectione erga patriam est, ut sit ei voluptas ex bene velle ei benefacere, is, si ei hoc negaretur, doleret & supplicaret ut ei copia benefaciendi daretur, hoc enim affectionis ejus est, proinde voluptatis & beatitudinis; talis etiam honoratur & ad dignitates evehitur, quia hæ sunt illi media patriæ inserviendi, tametsi vocantur mercedes; at qui in nulla affectione patriæ sunt, sed modo in affectione sui & mundi, ii propter honores & opes faciunt, quas etiam ut fines spectant, tales præferunt se patriæ, seu suum bonum communi bono, & sunt sordidi respective, & usque volunt præ aliis apparere, quod ex sincero amore faciant quod faciunt; at cum de eo apud se cogitant, negant quod aliquis hoc faciat, & mirantur quod aliquis possit: qui tales sunt in vita corporis respective ad patriam, seu publicum ibi, tales etiam sunt respective ad Regnum Domini ibi, sequitur enim unumquemvis affectio ejus seu amor, nam affectio seu amor est vita cujusvis.

3817.

2

3817. Verf: 16. 17. *Et Labani duæ filiæ, nomen majoris Leah, & nomen minoris Rachel, & oculi Leæ debiles, & Rachel erat pulchra forma, & pulchra aspectu.* Labani duæ filiæ, significat affectiones veri ex bono quod ex ftirpe communi: nomen majoris Leah, significat affectionem veri externi cum quali; & nomen minoris Rachel, significat affectionem veri interni cum quali: & oculi Leæ debiles, significat affectionem veri externi quoad intellectum ejus quod talis: & Rachel erat pulchra forma & pulchra aspectu, significat affectionem veri interioris quoad spirituale quod talis.

3818. Labani duæ filiæ, quod significet affectiones veri ex bono quod ex ftirpe communi, conftat a repræsentatione Labanis, quod fit bonum communis ftirpis, fed a latere, de qua n: 3612. 3665. 3778; & a significatione filiarum, quod fint affectiones, de qua n: 2362, hic affectiones veri quæ ex bono quod Laban, videatur n: 3793.

3819. Nomen majoris Leah, quod significet affectionem veri externi cum quali, & nomen minoris Rachel, quod significet affectionem veri interni cum quali, conftat ex repræsentatione Leæ, quod fit affectio veri externi; & Rachelis, quod fit affectio veri interni, de quibus n: 3793; & ex significatione nominis, quod fit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. major dicitur Leah, quia verum externum prius dicitur, & minor Rachel, quia verum internum deinceps, feu quod idem, homo prius afficitur externis veris, & deinceps internis, funt enim externa vera plana internorum, nam funt communia in quæ fingularia infinuantur, homo abfque idea communi rei nihil fingulare comprehendit, inde eft, quod in Verbi fenfu literali communia vera fint, in fenfu autem interno fingularia; illa funt quæ vocantur externa, hæc autem interna: & quia vera abfque affectione non funt vera, quia nullius vitæ, ideo cum vera externa & interna dicuntur, intelliguntur affectiones illorum.

3820. Et oculi Leæ debiles, quod significet affectionem veri externi quoad intellectum ejus quod talis, conftat ex repræsentatione Leæ, quod fit affectio veri externi, de qua n: 3793, & mox fupra n: 2701; & ex significatione debilis, quod fit refpective talis. Quod affectiones veri externi fint quoad intellectum debiles, feu quod idem, qui in illis funt, conftare poteft ab externis, hoc eft, communibus ideis, quæ nondum illuftratæ funt a fingularibus, quod infirmæ fint & vacillent, & quafi ad quemcunque ventum ferri, hoc eft, ad quamcunque opinionem trahi fe patiantur, at cum eædem illuftratæ funt a fingularibus, quod firmæ evadant, & confiftant, nam inde illis effentialia & formalia, quæ significantur per pulchram forma & pulchram afpectu, quæ Racheli, per quam affectiones interioris veri repræfentantur. Quid externa vera & affectiones eorum, & quid interna vera & eorum affectiones, & quod illæ fint debiles oculis refpective, & hæ pulchræ forma & afpectu, fit pro exemplo, qui in externis veris funt, modo commune hoc fciunt, *quod pauperibus benefaciendum*, nec fciunt difcernere quinam vere pauperes funt, minus quod per pauperes in Verbo intellecti fint illi qui fpiritualiter tales funt, inde æque benefaciant malis quam

bonis, non ſcientes quod benefacere malis ſit malefacere bonis, nam ſic datur malis copia bonis malefaciendi, quare illi qui in ſimplici tali zelo ſunt, ab aſtutis & doloſis quam maxime infeſtantur; at qui in internis veris ſunt, ſciunt quinam pauperes ſunt, & diſcernunt inter quoſcunque, & cuivis ſecundum quale ejus benefaciunt. Sit quoque pro exemplo, qui in externis veris ſunt, modo commune hoc ſciunt, *quod amandus proximus*, & credunt quod unuſquiſque in ſimili gradu proximus ſit, & ſic quod unuſquiſque ſimili amore amplectendus, & ita ſe ſeduci patiuntur; qui autem in internis veris ſunt, ſcient in quo gradu quiſque proximus eſt, & quod unuſquiſque in diſſimili, inde innumerabilia ſciunt præ illis, proinde ſe non abduci patiuntur a ſolo nomine proximi, & ad faciendum malum ex perſuaſione boni, quam inducit nomen. Sit etiam pro exemplo, qui ſolum in externis veris ſunt, putant *quod docti ſicut ſtellæ lucebunt in altera vita*, & quod omnes qui in vinea Domini laborarunt, mercedem præ aliis habebunt; at qui in internis veris ſunt, ſciunt quod per doctos, ſapientes & intelligentes, ſignificentur illi qui in bono ſunt, utcunque non in aliqua ſapientia & intelligentia humana, & quod illi ſicut ſtellæ lucebunt, & quod qui in vinea laborant, quiſque ſecundum affectionem boni & veri, ex qua laborat, mercedem obtineant, & quod qui propter ſe & mundum, hoc eſt, propter excellentiam ſui & opulentiam laborant, mercedem ſuam habeant in vita corporis, ſed in altera vita ſors illis ſit cum malis ibi, Matth: VII: 22. 23: inde patet, quam debiles intellectu ſunt illi, qui ſolum in externis veris, & quod interna vera, ſint quæ eſſentiam & formam illis dant, & quoque qualificant bonum apud illos. At uſque qui in externis veris ſunt, & ſimul in ſimplici bono, cum in mundo vivunt, illi in altera vita interna vera, & inde ſapientiam recipiunt, nam ex ſimplici bono in ſtatu & facultate ſunt illa recipiendi.

3821. Et Rachel erat pulchra forma & pulchra aſpectu, quod ſignificet affectionem veri inferioris quoad ſpirituale, quoad talis, conſtat ex illis quæ mox ſupra dicta ſunt; per formam ſignificatur eſſentia, & per aſpectum pulchritudo inde.

3822. Verſ.: 18. 19. 20. *Et amabat Jacob Rachelem, & dixit, ſerviam tibi ſeptem annis pro Rachele filia tua minore. Et dixit Laban, bonum dare me illam tibi, præ dare me illam viro alii, mane cum me. Et ſervivit Jacob pro Rachele ſeptem annis; & fuerunt in oculis ejus ſicut dies aliqui in amando illo eam.* Amabat Jacob Rachelem, ſignificat boni amorem erga verum internum: & dixit, ſerviam tibi ſeptem annis pro Rachele filia tua minore, ſignificat ſtudium, & tunc ſtatum ſanctum ut cum interno vero conjungeretur: & dixit Laban, bonum dare me illam tibi præ dare me illam viro alii, mane mecum, ſignificat medium conjunctionis per verum interius cum illo bono: & ſervivit Jacob pro Rachele ſeptem annis, ſignificat effectum: & fuerunt in oculis ejus ſicut dies aliqui in amando illo eam, ſignificat ſtatum amoris.

3823. Amabat Jacob Rachelem, quod significet boni amorem erga verum internum, constat ex repræsentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua n: 3599. 3659. 3775; & ex repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interni, de qua n: 3793. 3819, hic verum internum conjungendum bono naturalis, pro qua conjunctione amor.

3824. Et dixit, serviam tibi septem annis pro Rachele filia tua minore, quod significet studium & tunc statum sanctum ut cum interno vero conjungeretur, constat a significatione servire, quod sit studium; a significatione septem, quod sit sanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881; & ex significatione annorum, quod sint status, de qua n: 487. 488. 493. 893, quod sit propter conjunctionem, constat; inde patet, quod per serviam tibi septem annis pro Rachele filia tua minore, significetur studium & tunc status sanctus ut cum interno vero conjungeretur. Interna vera conjungi naturali dicuntur, cum discuntur, agnoscuntur & creduntur; in naturali hominis seu in hujus memoria sunt vera tam externa quam interna, & ibi ut scientifica doctrinalia, sed non prius conjuncta sunt, quam cum homo illis propter usum vitæ afficitur, seu propter vitam amantur, nam tunc bonum illis copulatur, per quod conjunguntur cum rationali, proinde cum interno homine: per hanc viam est influxus vitæ in illa a Domino.

3825. Et dixit Laban, bonum dare me illam tibi præ dare me illam viro alii, mane mecum, quod significet medium conjunctionis per verum interius cum illo bono, constat ex significatione mercedis, de qua hic respondetur & illis verbis affirmatur, quod sit medium conjunctionis, de qua n: 3816; quod Rachel, quæ hic est verum interius, & quod Jacob qui hic est *tibi*, sit bonum, prius ostensum est. Quod conjunctionem boni quod Jacob cum bono quod Laban, per verum interius quod Rachel, attinet, est arcanum, quod ad captum non facile describi potest, clara idea utriusque boni, tum quoque affectionis veri interioris, prius habenda est, intellectus omnis rei etiam secundum ideas est, nullus si nulla ejus idea, obscurus si obscura, perversus si perversa, clarus si clara; & quoque secundum affectiones, per quas idea etiamsi clara quoque variatur; paucis usque dicendum, apud omnem hominem qui regeneratur, bonum ejus naturalis, quale hic repræsentatur per Jacobum, conjungitur primum cum bono, quale hic repræsentatur per Labanem, per affectionem veri interioris, quæ hic repræsentatur per Rachelem, & postea cum bono Rationalis & vero ejus, quæ sunt Iischakus & Rebecca; per primam illam conjunctionem est homo in statu recipiendi vera interna seu spiritualia, quæ sunt media conjunctionis Naturalis cum Rationali, seu Externi hominis cum Interno.

3826. Et servivit Jacob pro Rachele septem annis, quod significet effectum, constat ex significatione horum verborum, quod sit studium & tunc status sanctus ut cum interno vero conjungeretur, de qua supra n: 3824, hic quod sit effectus ejus rei, patet.

3827. Et fuerunt in oculis ejus sicut dies aliqui in amando illo eam, quod significet statum amoris, quod nempe absque tædio, constat ex significatione

ficatione esse in oculis ejus, quod sit ita apparere; ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 893. 2788. 3462. 3785; inde sicut dies aliqui in amando illo eam, est status amoris; cum homo est in statu amoris seu affectionis cœlestis, tunc est in statu angelico, nempe non quasi in tempore, si non affectioni illi inest impatientia, hæc enim est affectio corporea, in qua quantum est homo, tantum est in tempore, sed quantum non simul in illa, tantum non est in tempore: hoc patet in quadam imagine a jucundis & lætis quæ sunt affectionis seu amoris, quod, cum homo in his est, non appareat ei tempus, est enim in interno homine tunc; per affectionem genuini amoris abstrahitur homo a corporeis & mundanis, nam elevatur mens ejus versus cœlum, ita abstrahitur ab illis quæ sunt temporis: tempus enim apparens quid est ex reflexione super illa quæ non affectionis seu amoris sunt, ita quæ tædii: inde etiam patet, quid significat, quod septem anni fuerint in oculis ejus, sicut dies aliqui in amando illo eam.

3828. Vers: 21. 22. 23. 24. *Et dixit Jacob ad Labanem, da mulierem meam, quia impleti dies mei, & veniam ad illam. Et collegit Laban omnes viros loci, & fecit convivium. Et fuit in vespera, & accepit Leam filiam suam, & adduxit illam ad eum, & venit ad illam. Et dedit Laban illi Silpam ancillam suam Leæ filiæ suæ ancillam.* Dixit Jacob ad Labanem, da mulierem meam, significat quod a bono communi nunc conjunctio cum affectione veri interioris: quia impleti dies mei, ut veniam ad illam significat quod nunc status: & collegit Laban omnes viros loci, significat omnia vera illius status: & fecit convivium, significat initiationem: & fuit in vespera, significat statum adhuc obscurum: & accepit Leam filiam suam, & adduxit illam ad eum, & venit ad illam, significat quod solum conjunctio adhuc esset cum affectione veri externi: & dedit Laban illi Silpam ancillam suam Leæ filiæ suæ ancillam, significat externas affectiones seu externa vincula quæ media inservientia.

3829. Dixit Jacob ad Labanem, da mulierem meam, quod significet quod a bono communi nunc conjunctio cum affectione veri interioris, constat a repræsentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua prius, hic bonum commune, quia quæ Naturalis sunt, communia respective sunt, sunt enim innumerabilia quæ ab Interno homine influunt in Naturalem seu Externum, quæ in hoc apparent ut commune unum, & adhuc magis antequam particularia communium recepta sunt, ut hic; inde est, quod bonum, quod per Jacobum repræsentatur, nunc dicatur bonum commune; quod sit conjunctio cum affectione veri interioris, nam Rachel, quæ hic est mulier mea, repræsentat affectionem veri interioris, ut supra ostensum.

3830. Quia impleti dies mei ut veniam ad illam, quod significet quod nunc status, constat a significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; quod impleti sint dies, ut veniam ad illam, significet quod status illo nunc sit, patet absque explicatione.

3831. Et collegit Laban omnes viros loci, quod significet omnia vera illius status, constat a significatione virorum, quod sint vera, de qua n: 3134; & a significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387.

3832. Et fecit convivium, quod significet initiationem, constat a significatione convivii, quod sit appropriatio & conjunctio, de qua n: 3596, hic initiatio, quia hæc præcedit conjunctionem, ac spondet & testatur eam: Convivia quæ antiquitus fiebant apud illos qui in significativis & repræsentativis fuerunt, non aliud significabant quam initiationem in amorem mutuum, qui charitatis; & convivia nuptialia initiationem in amorem conjugialem, & convivia sancta initiationem in amorem Spiritualem & cœlestem, & hoc ex causa, quia per convivari seu comedere & bibere significabatur appropriatio & conjunctio, ut n: 3134 ostensum est; quia hæc significabantur, etiam Dominus in tali sensu dixit "Quod multi ab oriente usque & occidente venient, & *accumbent* cum Abrahamo, Isaco & Jacobo, in Regno cœlorum" Matth: VIII: 11: & alibi ad discipulos "*Ut comedatis & bibatis super mensa mea* in Regno meo" Luc: XXII: 30: & cum instituit Sanctam Cœnam, dixit "Dico vobis quod non *bibiturus* sim a nunc ex hoc genimine vitis usque ad diem illum, *quando id bibero vobiscum novum in Regno Patris mei*" Matth: XXVI: 29; quisque videre potest, quod per accumbere, comedere, & bibere in Regno Domini, non significetur accumbere, comedere, & bibere, sed quod tale quod ibi est, nempe quod appropriatio boni amoris & veri fidei per illa intelligatur, ita quod illud, quod cibus spiritualis & cibus cœlestis vocatur; manifeste quoque ex illis verbis patet, quod sensus internus illis, quæ Dominus loquutus est, insit, & quod absque intellectu ejus non sciri possit, quid sit cum Abrahamo, Isaco & Jacobo accumbere, super mensa in Regno Domini comedere & bibere, & ex genimine illius vitis cum illis bibere in Regno Patris; imo nec sciri possit, quid per comedere panem & bibere vinum in Sancta Cœna intelligatur.

3833. Et fuit in vespera, quod significet statum adhuc obscurum, constat a significatione vesperæ, quod sit status obscurus, de qua n: 3056; etiam convivia, quæ in vespera fiebant, seu cœnæ, nec aliud apud Antiquos, qui in ritualibus congruis fuerunt, significabant, quam statum initiationis qui præcedit conjunctionem, qui status est obscurus respective ad statum conjunctionis; cum enim initiatur homo in verum & inde in bonum, est ei omne, quod tunc discit, obscurum, at cum conjungitur ei bonum & inde spectat verum, tunc fit ei clarum, & hoc successive magis & magis, non enim tunc amplius in dubio est, num sit, aut num ita sit, sed novit quod sit, & quod ita sit; cum homo in hoc statu est, tunc innumerabilia scire incipit, procedet enim tunc a bono & vero, quæ credit & percipit, quasi a centro ad peripherias, & quantum procedit, tantum illa quæ circumcirca sunt, videt, & successive adhuc extensius, continue enim terminos educit & dilatat; & quoque dein a quavis re in spatio intra terminos inchoat, & inde ut ex novis

centris novas peripherias educit, sic porro; inde lux veri a bono in immensum crescit, & fit sicut continuum lucidum, nam in luce cœli tunc est quæ a Domino: at qui in dubio sunt, & disquirunt num sit, & num ita sit, illis innumerabilia illa, imo indefinita ne hilum apparent, sunt eis omnia & singula prorsus obscura, & spectantur illa vix ut unum quod sit, sed ut unum quod non sciunt num sit; in tali statu est sapientia & intelligentia humana hodie, posse ingeniose ratiocinari num sit, sapientis est, & ratiocinari quod non sit, adhuc magis sapientis est: ut pro exemplo, num detur sensus internus Verbi quem vocant mysticum, antequam hoc creditur, ne hilum de innumerabilibus illis scire possunt, quæ in sensu interno sunt, quæ tot sunt, ut universum cœlum cum infinita varietate impleant: sit etiam pro exemplo, qui ratiocinatur de Providentia Divina, num sit modo universalis, & non in singularibus, ille nec scire potest innumerabilia illa arcana quæ Providentiæ sunt, quæ tot sunt, quot contingentia usque a cujusvis primo vitæ ad ultimum, aque mundi creatione ad ejus finem, imo quæ in æternum: sit quoque pro exemplo, qui ratiocinatur num aliquis in bono possit esse, quia voluntas hominis radicitus depravata est, is nusquam scire potest omnia illa arcana quæ regenerationis sunt, & ne quidem quod nova voluntas implantetur a Domino, & hujus rei arcana; ita in omnibus reliquis: inde sciri potest, in quali obscuro sunt illi, qui tales sunt, & quod ne quidem primum limen sapientiæ videant, minus id tangant.

3834. Et accepit Leam filiam suam, & adduxit ad illam eum, & venit ad illam, quod significet quod solum conjunctio adhuc esset cum affectione veri externi, constat ex repræsentatione Leæ, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793. 3819; adducere illam ad eum quod sit conjunctio qualis conjugialis, patet. Hæc ita se habent, qui in affectione veri interni est, hoc est, qui in desiderio sciendi arcana interiora Regni Domini, principio non illa ei conjuncta sunt, tametsi illa scit, & quandoque tametsi illa agnoscit & quasi credit, sunt enim adhuc affectiones mundanæ & corporeæ quæ adsunt, & quæ faciunt ut quidem illa accipiat & quasi credat, sed quantum illæ affectiones adsunt, tantum vera illa non conjungi possunt; est solum affectio veri ex bono, & affectio boni, quæ applicat illa sibi, quantum homo in his affectionibus est, tantum vera interiora ei conjunguntur, nam vera sunt vasa recipientia boni; Dominus enim providet, ne cœlestia & spiritualia vera, qualia sunt omnia interiora vera, conjungantur affectionibus aliis quam genuinis; inde est, quod communis affectio veri ex bono præcedat, & vera quæ ei insinuantur, non sint nisi communia vera; status veri se prorsus habent secundum status boni, seu status fidei secundum statum charitatis; ut pro exemplo, mali etiam possunt scire, quod Dominus regat universum cœlum, tum quod cœlum sit amor mutuus & amor in Dominum, ut & quod inde illis conjunctio cum Domino, & inde illis sapientia, & quoque inde illis felicitas, imo possunt in persuasione esse quod ita sit, at usque non verum fidei, & minus adhuc bonum amoris illis conjuncta sunt, ex vita cognoscitur

cognoscitur num conjuncta sunt, sicut arbor ex fructu; se habet hoc sicut uvæ in quibus nulli nuclei, quæ cum in terram utcunque fæcundam demittuntur, in fimum fathiscunt; & se habet sicut lumen fatuum noctu, quod veniente sole illico dissipatur: sed de hac re plura, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus dicentur.

3835. Et dedit Laban illi Silpam ancillam suam Leæ filiæ suæ ancillam, quod significet externas affectiones, seu externa vincula, quæ media inservientia, constat ex significatione ancillæ, quod sint affectiones externæ, de qua n: 1895. 2567; quod dederit Laban, significat quod sint ex bono communis stirpis collaterali, inde enim tales affectiones sunt: vocantur illæ vincula externa, quia omnes affectiones sunt vincula, videatur n: 1077. 1080. 1835. 1944, nam nihil aliud tenet hominem in vinculis, quam affectio ejus; affectio cujusvis non quidem apparet ei ut vinculum, sed usque ita vocatur, ex eo quod regat hominem ac teneat illum sibi vinctum; affectiones autem internæ vocantur vincula interna, sicut affectiones veri & boni vincula conscientiæ; his correspondent vincula externa seu affectiones externæ, nam omne internum habet correspondens externum: quia per externa introducitur homo, qui regeneratur, ad interna, & hic de statu illo agitur, ideo hic memoratur, quod ancilla Labanis data sit Leæ filiæ in ancillam, quibus significatur, quod tales affectiones quæ pro mediis inserviunt, quæ quod extimæ fuerint, quales sunt illæ quæ vocantur affectiones corporis, patet ex eo quod per Leam repræsententur affectiones veri externi: sed de his quoque, ex Divina Domini Misericordia, plura alibi.

3836. Vers: 25. 26. *Et fuit in mane, & ecce illa Leah, & dixit ad Laban, quid hoc fecisti mihi nonne pro Rachele servivi cum te, & quare fraudasti me? Et dixit Laban; non sit ita in loco nostro, dare minorem ante primogenitam.* Fuit in mane, significat illustrationem in illo statu: & ecce illa Leah, significat quod conjunctio cum vero externo: & dixit ad Laban, quid hoc fecisti mihi, significat indignationem: nonne pro Rachele servivi cum te, significat quod studium esset pro affectione veri interni: & quare fraudasti me, significat indignationem majorem: & dixit Laban, non sit ita in loco nostro, significat quod non talis sit status: dare minorem ante primogenitam, significet ut affectio veri interioris præcedat affectioni veri externi.

3837. Fuit in mane, quod significet illustrationem in illo statu, constat a significatione mane, quod sit illustratio, de qua n: 3458. 3723, & quia omne tempus significat statum, n: 2625. 2788. 2837. 3356, sic etiam tempus matutinum seu mane: illustratio spectat id quod mox sequitur, nempe quod agnoverit, quod conjunctio modo esset cum vero externo.

3838. Et ecce Leah, quod significet quod conjunctio cum vero externo, constat a repræsentatione Leæ, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793. 3819, cum qua quod conjunctio significetur, patet, quia illa erat quæ pro Rachele data erat in mulierem; quid hæc involvunt, constare potest ab

ab illis, quæ de conjunctione cum veris externis prius quam cum veris internis supra n : 3834, dicta sunt, & ab illis quæ infra ad n : 3843, dicentur.

3839. Et dixit ad Laban, quid hoc fecisti mihi, quod significet indignationem, constat ex affectione in his verbis, & in illis quæ sequuntur, quod sit indignationis, patet, quæ secundum seriem historicam in illa verba cadit; sunt bina, quæ sensum internum Verbi constituunt, nempe affectiones & res; affectiones quæ in verbis Verbi latent, non patent coram homine, sed intime ibi reconditæ sunt, nec patere possunt, quia homo, dum in corpore vivit, in mundanis & corporeis affectionibus est, quæ commune non habent cum illis affectionibus, quæ in sensu interno Verbi, sunt enim ibi affectiones amoris spiritualis & cœlestis, quas homo eo minus percipere potest, quia pauci sunt qui in illis sunt, & illi pauci sunt plerique simplices, qui super affectiones reflectere non possunt; reliqui ne quidem sciunt, quid genuina affectio; affectiones illæ in charitate erga proximum, & in amore in Deum sunt, qui in illis non sunt, credunt quod non sint aliquid, cum tamen hæ affectiones implent universum cœlum, & hoc cum varietate ineffabili: tales affectiones sunt cum illarum varietatibus, quæ reconditæ sunt in sensu interno Verbi, & ibi sunt non solum in unaquavis serie, sed etiam in unaquavis voce, imo in unaquavis jotha, & elucent coram angelis, cum Verbum legitur ab illis qui in simplici bono, & simul in innocentia sunt, & hoc, ut dictum, cum indefinita varietate: sunt imprimis binæ affectiones quæ e Verbo coram angelis elucent, nempe affectiones veri & affectiones boni, affectiones veri coram angelis spiritualibus, & affectiones boni coram angelis cœlestibus, hæ, nempe affectiones boni, quæ sunt amoris in Dominum, sunt coram homine prorsus ineffabiles, inde etiam sunt incomprehensibiles, at affectiones veri, quæ sunt amoris mutui, quoad communissima aliquatenus comprehendi possunt, sed solum ab illis qui in amore genuino mutuo sunt, & hoc non ex quadam perceptione interna nisi obscura; ut pro exemplo, affectio indignationis, de qua hic, homo qui non novit quid affectio charitatis ex eo, quod in illa non sit, non aliam ideam de illa habere potest, quam talis indignationis, qualis est apud hominem, cum ei malum fit, quæ est indignatio iræ, sed talis indignatio non est apud angelos, sed est indignatio prorsus alia, quæ non iræ est, sed zeli, in qua nihil mali inest, & tam longe abest ab odio, aut vindicta, aut a retributione mali pro malo, quantum abest cœlum ab inferno, nam scaturit ex bono; sed qualis illa est, non potest, ut dictum, aliquibus verbis exprimi: similiter se habet cum reliquis affectionibus, quæ ex bono & vero sunt, & quæ boni & veri sunt. Hoc quoque patet ab eo, quod angeli sint modo in finibus, & in finium usibus, n : 1317. 1645. 3645; fines non aliud sunt quam amores seu affectiones, n : 1317. 1568. 1571. 1909. 3425. 3796, nam quod homo amat, hoc pro fine habet; & quia ita, sunt in affectionibus rerum, quæ in Verbo, & hoc cum omni varietate secundum affectionum genera in quibus angeli sunt; inde satis constare potest, quam sanctum sit Verbum,

bum, nam amori Divino seu amori qui a Divino inest sanctitas, & inde rebus quæ ibi.

3840. Nonne pro Rachele servivi cum te, quod significet quod studium esset pro affectione veri interni, constat ex repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interni, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; & a significatione servire, quod sit studium, de qua n: 3824.

3841. Et quare fraudasti me, quod significet indignationem majorem, constare potest ab illis, quæ mox supra n: 3839, dicta sunt.

3842. Et dixit Laban, non fit ita in loco nostro, quod significet quod non talis sit status, constat ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377. 2025. 2837. 3356. 3387; inde patet, quod non ita fit in loco nostro, significet quod non talis sit status.

3843. Dare minorem ante primogenitam, quod significet ut affectio veri interioris præcedat affectioni veri externi, constat a repræsentatione Rachelis, quæ hic est minor, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; & ex repræsentatione Leæ, quæ hic est primogenita, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793, 3819; inde patet, quod per dare minorem ante primogenitam, significet ut affectio veri interioris præcedat affectioni veri externi: hæc quomodo se habent, supra n: 3834 paucis explicata sunt, & porro ab his; qui non statum hominis novit, is credere potest, quod conjunctio detur cum veris non modo externis, sed etiam cum internis, cum illa & hæc novit, seu cum illa & hæc in memoria sua habet; sed usque non est conjunctio, priusquam vivit secundam illa, nam vita manifestat conjunctionem; se habet hoc sicut omne quod implantatur homini a pueritia, hoc non fit ejus proprium, priusquam agit secundum id, & hoc ex affectione, imbuit enim tunc ejus voluntatem, & in actum non magis ex scientia seu doctrina mittitur, sed ex jucundo quodam ei ignoto, & quasi ex indole aut natura; unusquisque enim indolem sibi comparat per frequentem usum seu habitum, & hunc ex illis quæ didicit: hoc fieri non potest, priusquam illa, quæ per doctrinas hausit, ab Externo homine insinuata sunt interiori, cum enim in interiori homine sunt, tunc non magis ex memoria sed ex indole agit, tandem ita ut sponte fluant in actum, inscripta enim tunc sunt memoriæ interiori hominis, & quæ ex hoc prodeunt, apparent sicut innata; ut constare potest a linguis, quas homo in pueritia hausit, tum a facultate ratiocinandi, & quoque a conscientia: inde patet, quod vera doctrinæ etiam interiora, non sint conjuncta homini, priusquam vitæ sunt. Sed de his, ex Divina Domini misericordia, alibi plura dicentur.

3844. Vers: 27. 28. 29. 30. *Imple septimanam hanc, & dabimus tibi etiam illam in servitium, quod servias cum me adhuc septem annis aliis. Et fecit Jacob ita, & implevit septimanam hanc, & dedit ei Rachelem filiam suam ei in mulierem. Et dedit Laban Racheli filiæ suæ Bilham ancillam suam illi ad ancillam. Et venit etiam ad Rachelem, & amavit etiam Rachelem præ Leah;*

&

& fervivit cum eo adhuc feptem annis aliis. Imple feptimanam hanc, fignificat ftudii fucceffionem: & dabimus etiam illam in fervitium quod fervias cum me adhuc feptem annis aliis, fignificat quod tunc ftatus plenus ftudii: & fecit Jacob ita, & implevit feptimanam hanc, fignificat effectum illorum: & dedit ei Rachelem filiam fuam ei in mulierem, fignificat tunc conjunctionem boni cum affectione veri interioris: & dedit Laban Racheli filiæ fuæ Bilham ancillam fuam illi ad ancillam, fignificat exteriores affectiones quæ vincula feu media infervientia: & venit etiam ad Rachelem, fignificat conjunctionem cum affectione veri interni: & amavit etiam Rachelem præ Leah, fignificat amorem veri interni præ vero externo: & fervivit cum eo adhuc feptem annis aliis fignificat ftudium fanctum.

3845. Imple feptimanam hanc, quod fignificet adhuc ftudii fucceffionem, conftat a fignificatione implere, quod hic fit fervire, feu implere ferviendo, ita quod fit ftudium, de qua n: 3824; & a fignificatione feptimanæ, quod fit ftatus & quoque integra periodus, de qua n: 728. 2044, hic itaque ftatus & periodus fequens, proinde fucceffivum: fe habet cum fignificatione feptimanæ ficut cum fignificatione menfis, de qua n: 3814, quod, cum in fingulari nominatur, fit finis ftatus prioris & principium ftatus fequentis, ita ftatus novus, quem implere eft a principio ad finem: quod feptimana, ficut omnia tempora in fpecie, fit ftatus & quoque periodus, eft quia omnes ftatus etiam fuas periodos habent, hoc eft, fuum principium, fucceffivum & finem, aft hæc non ut tempora percipiuntur in altera vita, fed ut ftatus & eorum volutiones. Hic manifefte patet, quid per feptimanam ab Antiquis intellectum fit, nempe in proprio fenfu omnis periodus diftincta in feptem, five dierum fuerit, five annorum, five fæculorum, ita five magna fuerit five parva, hic quod fit periodus feptem annorum patet; & quia feptem apud illos fignificabant fanctum, n: 84 ad 87. 395. 433. 716. 881, feptimana inde fignificabat fanctam periodum, & quoque fanctum periodi.

3846. Et dabimus tibi etiam illam in fervitium quod fervias cum me adhuc feptem annis aliis, quod fignificet quod tunc ftatus plenus ftudii, conftat ex fignificatione fervitii & fervire, quod fit ftudium, de qua n: 3824; & a fignificatione feptem annorum, quod fit idem cum feptimana, nempe ftatus & integra periodus, ut mox fupra n: 3845, ita ftatus plenus, qui quoque fanctus, ut n: 3824: per dabimus tibi etiam illam, fignificatur quod tunc conjunctio cum affectione veri interni. Quod fervire fit ftudium in fenfu interno, eft quia labor qui eft Externi hominis, eft ftudium in interno; inde ftudium vocatur mentis labor.

3847. Et fecit Jacob ita, & implevit feptimanam hanc, quod fignificet effectum illorum, conftat a fignificatione implere feptimanam, quod fit ftudii fucceffio, ut fupra n: 3845, hic quod fit effectus ejus patet.

3848. Et dedit ei Rachelem filiam fuam ei in mulierem, quod fignificet tunc conjunctionem boni cum affectione veri interioris, conftat a repræfentatione Jacobi, quod fit bonum Naturalis, de qua prius; ex repræfentatione Rachelis, quod fit affectio veri interioris, de qua etiam prius; quod

dare in mulierem, fit conjunctio, patet. Quia omnis conjunctio boni cum vero primum apparenter procedit ab exterioribus ad interiora ordine, & tandem ad intima, ideo hic dicitur affectio veri interioris, ipsa enim affectio quæ est veri, influit a bono: conjunctio boni cum affectione veri interni, est tunc primum, quando bonum Naturalis conjungitur vero Rationali, & per hoc Bono Rationali; hæc conjunctio repræsentatur per Jacobum post partum duodecim filiorum, cum rediit ad domum matris & patris sui, de qua re in sequentibus.

3849. Et dedit Laban Racheli filiæ suæ Bilham ancillam suam illi ad ancillam, quod significet exteriores affectiones, quæ vincula seu media inservientia, constat ex illis quæ supra n: 3835, dicta sunt: quod per Bilham ancillam significentur exteriores affectiones, & per Silpam ancillam Leæ, externæ affectiones, est quia per Rachelem repræsentatur affectio veri interni, & per Leam affectio veri externi: exteriores affectiones sunt affectiones naturales inservientes internis. Quod affectiones illæ sint media inservientia conjunctioni veri cum bono, inde est, quia nihil quod doctrinæ est, imo nec quicquam quod scientiæ est, intrare possit apud hominem, nisi per affectiones; in affectionibus enim est vita, non autem in veris doctrinæ ac scientiæ absque illis; quod ita sit, patet manifeste; absque affectione enim ne quidem cogitare potest homo, imo nec potest ullam vocem eloqui, qui attendit, percipiet quod vox absque affectione sit quasi vox automati, ita modo sonus absque vita, & quantum affectionis & quale affectionis inest, tantum vitæ & tale vitæ insit; inde patet, quid vera sunt absque bono, & quod veris insit affectio ex bono; idem quoque scire potest ab intellectu hominis quod nullus sit, nisi ei voluntas insit, vita enim intellectus est ex voluntate; inde quoque patet, quid vera absque bono, quod nempe nulla sint, & quod a bono trahant suam vitam, nam ad intellectualem partem pertinent vera, & ad voluntariam bonum; judicare inde quisque potest, quid fides sit quæ veri, absque charitate quæ boni, & quod fidei vera absque charitatis bono mortua sint, nam, ut dictum, quantum affectionis & quale affectionis veris inest, tantum vitæ & tale vitæ inest: sed quod vera usque animata appareant tametsi non est bonum charitatis, est ex affectionibus amoris sui & mundi, quæ non aliam vitam habent, quam quæ in spirituali sensu vocatur mors, & est vita infernalis. Affectio dicitur, & per illam intelligitur amoris continuum. Ex his nunc constare potest, quod affectiones sint media inservientia conjunctioni veri cum bono; & quod affectiones sint, quæ introducunt vera, & quoque quæ disponunt vera in ordinem, affectiones genuinæ, quæ sunt amoris in Dominum & amoris erga proximum, in ordinem cœlestem, at affectiones malæ, quæ sunt amoris sui & mundi, in ordinem infernalem, hoc est, in oppositum ordini cœlesti. Extimæ affectiones sunt quæ sunt corporis, & vocantur appetitus & voluptates; quæ proxime interiores sunt, sunt animi, & vocantur affectiones naturales; internæ autem sunt mentis rationalis, & vocantur affectiones spirituales; ad has affectiones, nempe ad mentis spirituales, introducuntur vera quæ sunt doctrinalium, per affectiones exteriores & extimas, seu per na-

turales

turales & corporeas; hæ inde ſunt media inſervientia, & ſignificantur per ancillas datas Racheli, & datas Leæ, a Labane: quod illæ Labanis ancillæ dicantur, ſignificat quod originem duxerint a bono quod per Labanem repræſentatur, de quo bono prius actum eſt; vera enim quæ primum diſcuntur, non per affectiones alias primum inſinuari poſſunt, affectiones genuinæ tempore veniunt, nec niſi quam cum homo ex bono agit.

3850. Et venit etiam ad Rachelem, quod ſignificet conjunctionem cum affectione veri interni, conſtat a ſignificatione venire ad, quod ſit conjungi; & a repræſentatione Rachelis, quod ſit affectio veri interni, de qua prius.

3851. Et amavit etiam Rachelem præ Leah, quod ſignificet amorem veri interni præ vero externo, conſtat a repræſentatione utriuſque, quod Rachel ſit verum internum, & Leah verum externum; quid verum internum & quid verum externum, videatur n: 3820.

3852. Et ſervivit cum eo adhuc ſeptem annis aliis, quod ſignificet ſtudium ſanctum, conſtat a ſignificatione ſervire, quod ſit ſtudium, de qua n: 3824. 3846; & a ſignificatione ſeptem, quod ſit ſanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881. 3824; ſtudium ſanctum dicitur ſtudium per quod interna vera conjunguntur bono, nam interna vera ſpectant omnia Dominum, & conjunguntur per amorem in Ipſum, amor hic eſt ipſum ſanctum.

3853. Verſ: 31. *Et vidit Jehovah quod exoſa Leah, & aperuit uterum illius, & Rachel ſterilis.* Vidit Jehovah, ſignificat prævidentiam & providentiam Domini: quod exoſa Leah, ſignificat quod affectio veri externi non ita chara quia longius a Divino: & aperuit uterum illius, ſignificat quod inde doctrinæ Eccleſiarum: & Rachel ſterilis, ſignificat quod interiora vera non reciperentur.

3854. Vidit Jehovah, quod ſignificet prævidentiam & providentiam Domini, conſtat a ſignificatione videre, cum prædicatur de Domino, quod ſit prævidentia & providentia, de qua in ſequente Verſu, ubi de Ruben, qui a videre dictus eſt; quod Jehovah ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 1793. 2156. 2329. 2921. 3023. 3035. Quod Prævidentiam & Providentiam in genere attinet, eſt Prævidentia reſpective ad hominem, Providentia reſpective ad Dominum; prævidit Dominus ab æterno quale Genus humanum futurum, & quales ſinguli in genere humano, & quod malum continue creſceret, tandem ita, ut homo ex ſe rueret ad infernum, quapropter providit Dominus non ſolum media, per quæ ab inferno flecti poſſet, & duci ad cœlum, ſed etiam ex Providentia continue flectit & ducit; prævidit etiam Dominus, quod nuſquam aliquod bonum radicari poſſet apud hominem, niſi in libero ejus, nam quod radicatur in non libero, ad primum mali adventum, & ad primum tentationis, diſſipatur; hoc prævidit Dominus, & quoque quod ſic homo a ſemet ſeu a ſuo libero, ad profundiſſimum infernum vellet, quapropter providet Dominus, quod, ſi non ſe duci pateretur in libero ad cœlum, uſque flecteretur ad infernum mitius, at ſi ſe duci pateretur in libero ad bonum, quod ad cœlum: inde patet, quid Prævidentia & Providentia, & quod quæ prævidentur, ita provideantur: inde conſtare poteſt, quantum

homo errat, qui credit, quod Dominus non fingulariffima apud hominem præviderit & videat, & quod non in fingulariffimis prævideat & ducat, cum tamen ita fe habet, quod prævidentia & providentia Domini fit in omnium minutiffimis fingulariffimorum apud hominem, & in tam minutiffimis, ut impoffibile fit aliqua cogitatione comprehendere unum myriadis myriadum illorum; unumquodvis enim minimum momentum vitæ hominis habet feriem confequentiarum continuam in æternum, eft enim unumquodvis ut principium novum fequentium, & fic omnia & fingula momenta vitæ tam intellectus quam voluntatis ejus; & quia Dominus ab æterno prævidit, qualis futurus, & qualis in æternum, conftat quod Providentia in fingulariffimis adfit, quæ regit & flectit, ut dictum, ut talis fit, & hoc per continuam moderationem liberi ejus: fed de hac re, ex Divino Domini Mifericordia, plura in fequentibus dicentur.

3855. Quod exofa Leah, quod fignificet quod affectio veri externi non ita chara quia longius a Divino, conftat a fignificatione exofæ, quod fit non chara; & ex repræfentatione Leæ, quod fit affectio veri externi, de qua prius: quod vera externa a Divino remotiora fint, quam interna, conftare poteft ex eo, quod externa exiftant ab internis, funt enim externa imagines & formæ ex myriadibus internorum compofitæ, quæ ut unum apparent; & quia externa talia funt, longius a Divino funt, nam Divinum eft fupra intimum feu in fupremo; influit Dominus e fupremo in intima hominis, & per hæc in ejus interiora, & per hæc iterum in externa, ita mediate, & præterea etiam immediate: & quia externa funt longius a Divino, ideo etiam inordinata funt refpective, nec ita in ordinem fe redigi patiuntur ficut interna; fe habet hoc ficut femina, quæ intus perfectiora funt quam extus, ac intus tam perfecta, ut inde producere poffint totam plantam aut totam arborem fuo ordine cum foliis & fructibus, quorum formæ externæ facile poffunt lædi a quibufcunque injuriis, non autem ita internæ feu intimæ feminum, quæ in natura interiore & perfectiore funt; fimiliter fe habet cum hominis internis & externis, quare etiam, cum regeneratur homo, prius regeneratur quoad rationale quam quoad naturale, n: 3493, ac naturale & ferius & ægrius, quia ibi plura inordinata funt, ac injuriis a corpore & a mundo expofita: & quia ita, dicitur quod hæc non ita chara fint: quantum autem concordant cum internis, & quantum conducunt ad vitam & ad vifum internorum in fe, ut & quantum ad regenerationem hominis, tantum etiam chara funt.

3856. Et aperuit uterum illius, quod fignificet quod inde doctrinæ Ecclefiarum, conftat ex fignificatione aperire uterum, feu concipere & parere, quod fit fieri Ecclefia, & quia hoc fit per doctrinalia, per aperire uterum fignificantur doctrinæ Ecclefiarum: quod per conceptiones & partus in Verbo, fignificentur conceptiones & partus fpirituales, quales funt cum homo e novo nafcitur, videatur n: 1145. 1255. 1330. 2584: quomodo hæc fe habent, patebit ab illis quæ mox fequuntur.

3857. Et Rachel fterilis, quod fignificet quod interiora vera non reciperentur, conftat ex repræfentatione Rachelis, quod fit affectio veri interioris, de

de qua prius; & a significatione sterilis, quod sit quod inde non doctrinæ, ita nec Ecclesiæ; opponitur enim illis quæ de Leah dicuntur, nempe quod Jehovah aperuerit uterum illius, per quæ significatum, quod inde doctrinæ Ecclesiarum: causa quod interiora vera non reciperentur, est, quia interiora vera sunt talia, ut transcendant fidem hominis, quippe non cadunt in ideas ejus, & non sunt, secundum apparentias externas seu fallacias sensuum, a quibus omnis homo se duci patitur, nec credit nisi aliquo modo cum eis coincidant; ut pro exemplo, interius verum est, quod tempora & spatia dentur in altera vita, sed loco illorum status, homo qui in tempore & spatio est, dum vivit in terra, omnes suas ideas ab illis habet, usque adeo ut absque illis nihil possit cogitare, n: 3404, quare nisi status, qui in altera vita, describerentur per tempora & spatia coram homine, seu per talia quæ inde trahunt formas, nihil perciperet, ita nihil crederet, consequenter non reciperet, ita foret doctrina sterilis, proinde nulla Ecclesia: sit quoque pro exemplo, nisi affectiones cœlestes & spirituales describerentur per talia quæ sunt affectionum mundanarum & corporearum, homo nec aliquid perciperet, nam in his est, & inde notiones de affectionibus cœlestibus & spiritualibus habere potest, cum tamen inter se ita differunt, aut ita distant, procul cœlum a terra, n: 1839; ut pro exemplo gloria cœli, seu angelorum in cœlo, nisi homo secundum ideam gloriæ quæ est in mundo, sibi formaret ideam gloriæ in cœlo, non caperet, ita nec agnosceret; similiter in omnibus reliquis; quapropter Dominus in Verbo loquutus est secundum captum hominis, & secundum apparentias ejus; sensus Verbi literalis est talis, sed usque talis ut sensum internum in se habeat, in quo interiora vera sunt; inde nunc est, quod de Leah dicatur, quod Jehovah aperuerit uterum ejus, & quod Rachel sterilis, per Leam enim repræsentatur affectio veri exterioris, & per Rachelem affectio veri interioris, ut dictum; sed a Domino provisum est, quia exteriora vera, sunt prima vera, quæ homo discit, quod per illa introduci possit in interiora vera, hæc sunt quæ significantur per quod Deus tandem recordatus sit Rachelis, & exaudiverit illam, & aperuerit uterum illius, Genes: xxx: 22. Hæc constare possunt ab Ecclesiis quæ ab Antiquo tempore fuerunt, & ab earum doctrinalibus, quod nempe doctrinalia illarum ab externis veris formata fuerint; ut ab Ecclesia Antiqua quæ fuit post diluvium; ejus doctrinalia quoad plurimam partem fuerunt externa repræsentativa & significativa, in quibus interna vera recondita erant; maxima pars in cultu sancto fuerunt cum in externis, si quis in principio dixisset illis, quod repræsentativa & significativa illa non essent essentialia cultus Divini, sed spiritualia & cœlestia quæ repræsentabant & significabant, prorsus rejecissent, & sic nulla facta fuisset Ecclesia: adhuc magis Ecclesia Judaica, si quis dixisset illis, quod ritualia suum sanctum haberent a Divinis Domini, quæ in illis, prorsus non agnovissent: talis etiam fuit homo, cum Dominus venit in mundum, & adhuc magis corporeus, & præ reliquis illi, qui ab Ecclesia erant; hoc patet manifeste ab ipsis discipulis, qui continue apud Dominum fuerunt, & tam multa audiverunt de Regno Ipsius, usque tamen non-

dum

dum potuerunt percipere interiora vera, non enim aliam notionem habere potuerunt de Domino, quam ficut hodie Judæi de Meffia quem exfpectant, quod populum illum ad dominatum & gloriam fuper omnes gentes in univerfo eveheret; & poftquam tam multa a Domino audiverunt de Regno cœlefti, ufque nec aliud cogitare potuerunt, quam quod Regnum cœlefte foret ficut Regnum terreftre, & quod ibi Deus Pater Supremus effet, & poft illum Filius, & poftea illi duodecim, & fic ordine regnarent; quare etiam Jacobus & Johannes petierunt ut unus a dextris Ipfius federet, & alter a finiftris, Marc: x. 35. 36. 37, & quod indignarentur reliqui difcipuli, quod illi iis majores effe vellent; Marc: x: 41. Matth: xx: 24; quapropter etiam Dominus, poftquam docuit illos, quid effet maximus effe in cœlo, Matth: xx: 25. 26. 27. 28. Marc: x: 42. 43. 44. 45, ufque fecundum conceptum eorum loquutus eft, quod nempe federent fuper duodecim thronis, & judicarent duodecim Tribus Ifraelis, Luc. xxii: 24. 30. Matth: xix: 28; fi dictum illis fuiffet, quod per difcipulos non illi intellecti fint, fed omnes illi qui in bono amoris & fidei, n: 3354. 3488, tum quod non in Regno Domini fint throni, nec principatus & dominatus ficut in mundo, & quod ne quidem minimum unius hominis judicare poffent, n: 2129. 2553, rejeciffent verbum, & quifque ad negotium fuum iviffet, relicto Domino; quod Dominus ita loquutus fit, erat ut reciperent, & per illa introducerentur in vera interna, nam in externis illis quæ Dominus loquutus erat, recondita latuerunt interna, quæ patent tempore, & cum hæc patent, externa illa diffipantur, & inferviunt folum pro objectis aut mediis cogitandi de internis. Inde nunc fciri poteft, quid intelligitur per id quod Jehovah primum aperuerit uterum Leæ, & pepererit Jacobo filios, & quod Rachel poftea.

3858. Quia in nunc fequentibus agitur de duodecim filiis Jacobi, & ex illis ut Patribus duodecim Tribus Ifraelis nominatæ funt, in anteceffum hic dicendum, quid Tribus fignificant, & cur duodecim fuerint; nemo adhuc novit arcanum quod in his latet, quia Hiftorica Verbi crediderunt nude hiftorica effe, & non in illis plus Divini, quam quod fervire potuerint ad applicationes cum de rebus fanctis agitur; inde etiam crediderunt, quod duodecim Tribus nihil aliud fignificaverint, quam partitiones Populi Ifraelitici in tot diftinctas gentes feu familias communes, cum tamen Divina involvant, nempe tot partitiones univerfales fidei & amoris, proinde quæ Regni Domini in cœlis & in terris funt, & quidem unaquævis Tribus aliquod univerfale: quid autem unaquævis fignificat, ex mox fequentibus patebit, ubi de filiis Jacobi, a quibus Tribus illæ nominatæ funt, agitur: in genere Duodecim Tribus fignificarunt omnia doctrinæ veri & boni, feu fidei & amoris, hæc enim, nempe verum & bonum, feu fides & amor, faciunt Regnum Domini, nam illa quæ funt veri feu fidei, funt omne cogitationis ibi, & illa quæ funt boni feu amoris, funt omne affectionis; & quia Ecclefia Judaica fuit inftituta, ut repræfentaret Regnum Domini, ideo partitiones populi illius in duodecim Tribus, illa fignificabant: hoc eft arcanum, quod prius non detectum fuit;

fuit; quod *Duodecim* fignificent *omnia* in genere, prius n: 577. 2089. 2129. 2130 f. 3272, oftenfum eft; quod autem *Tribus* fignificent illa quæ funt veri & boni, feu fidei & amoris, ita duodecim Tribus omnia illorum, licet hic antequam de fingulis in fpecie agitur, ex Verbo confirmare; apud Johannem "Civitas Sancta Hierofolyma nova habens portas *duodecim*, & fuper portis angelos *duodecim*, & nomina fcripta quæ funt *duodecim Tribuum filiorum Ifraelis*; & in iis nomina *duodecim Apoftolorum Agni*. Menfus eft civitatem calamo in ftadiis *duodecies mille*, & menfus eft murum ejus *centum quadraginta quatuor* cubitorum, quæ eft menfura hominis, hoc eft, Angeli, *duodecim* portæ *duodecim* margaritæ" Apoc: XXI: 12. 14. 16. 17. 21; quod Civitas fancta, feu Nova Hierofolyma, fit nova Ecclefia Domini, patet a fingulis quæ ibi; in illis quæ præcedunt, agitur de ftatu Ecclefiæ qualis ante finem ejus futurus, hic de Nova Ecclefia; & quia ita, funt portæ, murus, fundamenta, non aliud quam quæ funt Ecclefiæ, quæ funt illa quæ charitatis & fidei, hæc enim Ecclefiam faciunt; inde unicuivis conftare poteft, quod per duodecim toties ibi nominata, tum per Tribus, ut & per Apoftolos, non duodecim, nec tribus, nec apoftoli intelligantur, fed quod per duodecim *Omnia* in uno complexu, ut oftenfum videatur n: 577. 2089. 2129. 2130 f. 3272, fimiliter per numerum centum quadraginta quatuor, hic enim eft duodecies duodecim; & quia per duodecim fignificantur omnia, inde patet, quod per duodecim Tribus fignificentur omnia quæ funt Ecclefiæ, quæ quod fint Verum & bonum, feu fides eft amor, fupra dictum eft; fimiliter per duodecim Apoftolos, per quos quoque quod omnia Ecclefiæ, hoc eft, omnia fidei et amoris repræfentata fint, videatur n: 2129. 3354. 3488. 3857; inde nunc dicitur numerus ille menfura hominis, hoc eft, angeli, per quod intelligitur ftatus veri & boni, quod menfura fit ftatus, videatur n: 3104; quod homo fit id quod Ecclefiæ, patet ab illis quæ de fignificatione hominis, n: 478. 479. 565. 768. 1871. 1894, dicta funt, & quoque ex eo quod Regnum Domini dicatur Maximus Homo, & hoc ex bono & vero, quæ a Domino, de quo ad finem Capitum n: 3624 ad 3649. 3741 ad 3751; quod Angelus fit idem, n: 1705, 1754. 1925. 2821. 3039. Similiter ut apud Johannem, etiam apud Prophetas in Veteri Teftamento agitur de Nova Hierofolyma, & per illam fimiliter fignificatur Nova Ecclefia Domini, ut apud Efaiam Cap: LXV: 18. 19. feq: apud Sachariam Cap. XIV: imprimis apud Ezechielem Cap: XL: XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII, ubi per Novam Hierofolymam, per Novum Templum, & per Novam Terram, defcribitur in fenfu interno Regnum Domini in cœlis, et Regnum Domini in terris quod eft Ecclefia; ex illis ibi conftare poteft manifeftius quam alibi quid per *Terram*, per *Hierofolymam*, per *Templum*, & per omnia quæ ibi fignificata funt, & quoque quid per *duodecim Tribus*, nam de divifione Terræ, & *hæreditate ejus fecundum Tribus* agitur, & quoque de *Civitate*, & ejus *muris*, *fundamento*, *portis*, & de omnibus quæ *Templi* ibi erunt, a quibus folum illa quæ de Tribubus dicuntur, hic afferre licet "Dixit Dominus Jehovih, hic eft terminus ad quem hæreditabitis *Terram*, juxta *Duodecim*

Duodecim Tribus Israelis: dividetis Terram hanc juxta *Tribus Israelis*; sed fiet, per sortem dividetis eam in hæreditatem, & peregrinis peregrinantibus in medio vestri, cum vobis jacient sortem in hæreditatem, in *medio Tribuum Israelis*" Ezech: XLVII: 13. 21. 22. 23. Quoad *Terram*, erit Principi ad possessionem in Israele, & non affligent amplius Principes populum meum, & *Terram dabunt* domui Israelis secundum *Tribus eorum* XLV: 8. De Hæreditatibus, quomodo designatæ *singulis Tribubus*, quæ ibi etiam nominantur, videatur Cap: XLVIII: 1 seq: Et de *Portis* Civitatis juxta *Nomina Tribuum Israelis*, ibid: Vers: 31 ad 34; quoad per Tribus ibi non Tribus intellectæ sint, evidenter patet, Decem enim Tribus jamdum tunc fuerunt per universum terrarum orbem dispersæ, & postea nec redierunt, nec usquam redire possunt, nam Gentes factæ sunt, & tamen singulæ nominantur quomodo hæridaturæ terram, & qui termini cuivis, quis nempe terminus Tribui Danis, Vers: 2, quis terminus Tribui Ascheris, Vers: 3, quis Naphtali, Menasche, Ephraim, Rubenis, Jehudæ, & de hæreditate Levitarum, quis Benjaminis, quis Schimeonis, quis Iisascharis, Sebulonis, Gadis, ibid: Vers: 4 ad 29; tum quoque quod ibi duodecim portæ juxta nomina Tribuum Israelis, quod portæ tres versus septentrionem, Rubenis, Jehudæ, Levi; portæ tres versus orientem, Josephi, Benjaminis, Danis; portæ tres versus meridiem, Schimeonis, Iisascharis, Sebulonis; portæ tres versus occidentem, Gadis, Ascheris, Naphthali, ibid: Ver: 31. 32. 33. 34; inde patet, quod per duodecim Tribus significentur omnia illa quæ sunt Regni Domini, proinde quod sint omnia fidei & amoris, quia hæc faciunt Regnum Domini, ut supra dictum. Quia duodecim Tribus omnia Regni Domini significabant, etiam duodecim Tribus per Castrametationes, & quoque per Profectiones illud repræsentabant, de quibus apud Mosen "Quod *Castramentarentur juxta Tribus circum Tentorium Conventus*, versus Orientem, Judas, Iisaschar, Sebulon; versus meridiem, Ruben, Schimeon, Gad; versus Occidentem, Ephraim, Menasche, Benjamin; versus septentrionem, Dan, Ascher, Naphtali; & quod sicut castrametati, ita profecti," Num: II: 1 ad f: quod in his repræsentaverint Regnum Domini, patet manifeste a prophetia Bileami, in qua ita "Cum tolleret Bileamus oculos suos, & videret Israelem *habitantem juxta Tribus*, venit super eum Spiritus Dei, & edidit enuntiatum suum, & dixit, quam bona sunt, tabernacula tua, Jacob, habitacula tua, Israel, sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium, sicut santalos plantavit Jehovah, sicut cedros juxta aquas," Num: XXIV: 2. 3. 5. 6. quod Bileamus illa ex Jehovah loquutus, manifeste dicitur ibi Cap: XXII: 8. 18. 19. 35. 38. Cap: XXIII: 5. 12. 16. 26. Cap: XXIV: 2. 13. Ex his etiam patet, quid per hæreditates terræ Canaanis secundum Tribus repræsentatum fuerat, de quibus apud Mosen "Quod tolleret summam cætus filiorum Israelis juxta domum patrum eorum, a filio viginti annorum, *omnis exiens in exercitum Israelis*; per sortem distribueretur Terra, *juxta nomina Tribuum patrum eorum accipient hæreditatem*" Num: XXVI: 7 ad 56. Cap: XXXIII: 54. Cap: XXXIV: 19 ad 29: & quod per Josuam divisa sit Terra "per sortem *secundum Tribus*" Jos: XIII. XV: XVI.

XVI. XVII. XVIII. XIX; quod repræsentatum sit Regnum Domini, ut dictum, a singulis patet, Terra enim Canaan illud significavit, videatur n: 1585. 1607. 3038. 3481. 3705: quod vocentur Exercitus, & dicatur quod secundum Exercitus castrametarentur, & secundum Exercitus proficiscerentur, Num: II: 4. 6. 8. 11. 13. 15. 19. 21. 22. 23. 26. 28. 30, est quia Exercitus idem significabat, nempe vera & bona, videatur n: 3448, & Dominus, Jehovah Zebaoth seu Jehovah Exercituum, n: 3448; Exercitus Jehovæ inde appellati sunt cum exierunt Ægypto, ut apud Mosen "Tactum a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, factum est in ipso die hoc *exirent omnes Exercitus Jehovæ* e terra Ægypti" Exod: XII: 41; quisque scire potest, quod qui tales fuerunt in Ægyto, & dein tales in deserto, non appellati sint Exercitus Jehovæ quam repræsentative, in nullo enim bono nec vero fuerunt, pessima Gens inter omnes. Inde quoque manifeste patet, quid per Nomina Duodecim Tribuum in Pectorali Aharonis, quod Urim & Thumim dictum, significatum sit, de quo ita apud Mosen "Erunt ibi quatuor ordines, duodecim lapides, lapides hi erunt *juxta Nomina filiorum Israelis*, duodecium juxta nomina eorum; sculpturæ sigilli cuivis supra nomen ejus erunt pro *duodecim Tribubus*" Exod: XXVIII: 21. Cap: XXXIX: 14; Aharon enim repræsentabat Divinum Sacerdotium Domini, quare etiam omnia illa, quibus indutus fuit, Divina cœlestia & spiritualia significabant, at quæ significaverint, ex Divina Domini misericordia, constabit ubi de illis agendum; in ipso Pectorali, quia sanctissimum fuit, repræsentationes erant omnium quæ amoris & fidei in Dominum sunt, hæc sunt Urim & Thumim; quod lapidibus pretiosis insculpta essent Nomina, erat, quia Lapides in genere significant vera, n: 1298. 3720, Lapides pretiosi vera quæ pellucent a bono, n: 114; & quia singularum Tribuum Nomina significabant quale, idcirco etiam designabatur lapis specialis pro unaquavis Tribu, Exod: XXVIII: 17. 18. 19. 20; Cap: XXXIX: 8. 11. 12. 13, qui Lapis per colorem & pellucidum suum exprimebat quale, quod significabatur per unamquamvis Tribum; inde erat quod Jehovah seu Dominus per Urim & Thumim responsa dederit. Per binos Lapides Schoham, qui super binis humeris ephodi, simile etiam repræsentabatur, sed in minori gradu, quam per duodecim super pectorali, humeri enim significabant omnem potentiam, ita Omnipotentiam Domini, n: 1085; Pectus autem, seu Cor & Pulmones, amorem Divinum cœlestem & spiritualem, cor amorem Divinum cœlestem, Pulmones amorem Divinum spiritualem, videatur n: 3635, & ad finem hujus Capitis, ubi de Maximo Homine, & de Correspondentia ejus cum provincia Cordis & cum provincia Pulmonum agitur; de binis Lapidibus super humeris Ephodi ita apud Mosen "Sumes duos Lapides Schoham, & sculpes super illis *nomina filiorum Israelis*, sex de nominibus super Lapide uno, & nomina sex reliqua super Lapide altero, juxta generationes eorum; pones duos Lapides super humeris ephodi, lapides recordationis *filiorum Israelis*" Exod: XXVIII: 9. 10. 11. Cap: XXXIX: 6. 7. Quia Tribus significabant illa quæ sunt veri & boni, seu quæ sunt fidei & amoris, & unaquavis Tribus universale

ſale quoddam eorum, & Tribus Levi Amorem, ut patebit ab explicatione ad Verſ: 34 hujus Capitis, inde ſciri poteſt quid ſignificabitur per quod baculos, unum pro unaquavis Tribu, ponerent in Tentorio conventus, & quod ſolum baculus Levi floruerit amygdalis, de quibus ita apud Moſen "Acciperit *duodecim baculos*, unum baculum pro Capite domus patrum eorum, & relinquerentur in Tentorio Conventus, & nomen Aharonis ſcriberet ſuper *baculo Levi*, baculus Aharonis ponebatur in medio eorum: poſtridie ecce effloruit *Baculus Aharonis* pro *Tribu Levi*, produxit florem, ut floreret flos, & ferret amygdala" Num: XVII: 17 ad 23, ſignificabatur quod amor omnium eſſentiale & principale eſſet in Regno Domini, & quod inde omnis fructificatio; & quod Aharonis Nomen ſuper illo eſſet, erat quia Aharon repræſentabat Dominum quoad Divinum Sacerdotium Ipſius, quod per Sacerdotium Domini ſignificetur Divinum Bonum, quod eſt Amoris & Miſericordia Ipſius, & per Regium Domini, Divinum Verum quod ex Divino Bono, videatur n: 1728. 2015 f. 3670. Ex his nunc quæ allata ſunt, conſtare poteſt, quid per Tribus, & per Duodecim Tribus, in ſequentibus locis ſignificatur; ut apud Johannem "Audivi numerum obſignatorum, *centum quadraginta quatuor millia* obſignati ex *omni Tribu Iſraelis*; ex *Tribu Jehuda duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Gad duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Aſcher duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Napthalim duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Menaſche duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Schimeonis duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Levi duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Iſaſchar duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Sebulun duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Joſeph duodecim* millia obſignati; ex *Tribu Benjamin duodecim* millia obſignati" Apoc: VII: 4. 5. 6. 7. 8. Apud Moſen "Memento dierum æternitatis, intelligite annos generationis & generationis, cum hæreditatem daret Altiſſimus Gentibus, cum ſepararet filios hominis, conſtituit terminos populorum, *ſecundum numerum filiorum Iſraelis*" Deut: XXXII: 7. 8. Apud Davidem "Hieroſolyma ædificata ſicut Civitas quæ cohæret ſibi una, eo aſcendunt *Tribus*, *Tribus Jah*, teſtimonium Iſraeli, ad confitendum Nomini Jehovæ" Pſalm: CXXII: 3. 4. Apud Joſuam "Cum tranſiret arca fœderis Domini totius terræ coram vobis in Jordanem, ſumeret *duodecim viros de Tribubus Iſraelis*, virum unum *de Tribu*; fiet quando quieverint plantæ pedum ſacerdotum portantium arcam Jehovæ Domini totius terræ in aquis Jordanis, aquæ Jordanis exſcindentur, conſiſtent cumulo uno" III: 11 ad 17: porro "Tollite e medio Jordanis, de ſtatione pedum ſacerdotum, præparando, *duodecim lapides*, quos transferetis vobiſcum, & vir lapidem unum ſuper humero ſuo, *juxta numerum Tribuum Iſraelis*, ut ſit in ſignum, quod exciſæ ſint aquæ Jordanis. Inſuper *duodecim lapides* erexit Joſua in medio Jordanis, ſub ſtatione pedum ſacerdotum portantium arcam fœderis" IV: 1 ad 9. Tum, quod Elias ſumpſerit *duodecim lapides*, *juxta numerum Tribuum filiorum Jacobi*, ad quem factum eſt verbum, Iſrael erit nomen tuum, ac ſtruxerit Altare in Nomen Jehovæ" 1 Reg: XVIII: 31. 32. Quod Tribus ſint bona amoris & vera fidei, etiam conſtat ex Domini verbis apud Matthæum

"Tunc

"Tunc apparebit signum Filii Hominis, & *tunc plangent omnes Tribus Terræ*, & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria" xxiv: 30, ubi per quod plangent omnes Tribus terræ, significatur quod nulla amplius agnitio veri & vita boni, agitur enim ibi de consummatione sæculi: similiter apud Johannem "Ecce veniet cum nubibus, & videbit Ipsum omnis oculus, & qui Ipsum perfoderunt, & lugebunt super Ipso *omnes Tribus Terræ*" Apoc: i: 7, quod sit venire in nubibus cœli, videatur Præfatio ad Cap: xviii: Genes: Præterea videantur quæ per experientiam de duodecim mihi ostensa sunt, de qua n: 2129. 2130. Quod omnia fidei & amoris dicta sint Tribus, est inde qui eadem vox in Lingua Originali etiam significat sceptrum & baculum; quod sceptrum ut & baculus sit potentia, ex Divina Domini Misericordia, alibi ostendetur; exinde involvit nomen Tribus id quod bonis & veris insit omnis potentia a Domino; ideo quoque Angeli Potentiæ nominati sunt, & quoque Principatus, nam Principes significant primaria charitatis & fidei, ut duodecim Principes qui ab Ischmaele, Gen: xxiv: 16, videatur 3089, tum Principes qui Tribubus præerant, Num: vii: 1 ad f. Cap: xiii: 14 ad 16. Ex his, quæ hactenus de duodecim Tribubus dicta sunt, sciri potest cum discipuli Domini, qui postea vocati sunt Apostoli, numero duodecim fuerint, & quod illi repræsentaverint Ecclesiam Domini quoad bona & vera similiter ac Tribus, n: 2229. 3354. 3488. 3859; quod Petrus repræsentaverit fidem, Jacobus Charitatem, & Johannes Opera charitatis, videatur Præfatio ad Cap: xviii, & Præf: ad Cap: xxii Genes: tum n: 3750; quod etiam manifeste patet ab iis, quæ Dominus de illis & cum illis loquutus est.

3859. Vers: 32. *Et concepit Leah, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Ruben, quia dixit, quod vidit Jehovah afflictionem meam, quia nunc amabit me vir meus.* Concepit Leah, & peperit filium, significat conceptionem & partum spiritualem ab externo ad internum: & vocavit nomen ejus Ruben, significat quale ejus, quod describitur: quia dixit, quod vidit Jehovah, significat in supremo sensu Prævidentiam, in interno fidem, in interiori intellectum, in externo visum, hic fidem a Domino: afflictionem meam, significat statum perveniendi ad bonum: quia nunc amabit me vir meus significat quod inde bonum veri.

3860. Concepit Leah, & peperit filium, quod significet conceptionem & partum spiritualem ab externo ad internum, constat a significatione concipere & parere, quod in sensu interno sit regenerari; homo enim, qui regeneratur, e novo concipitur & nascitur, quapropter Regeneratio dicitur renascentia, sed spiritualis; nascitur quidem homo sicut homo a parentibus, sed non fit homo antequam renatus est a Domino, vita spiritualis & cœlestis est quæ facit hominem, nam hæc distinguit illum a brutis animalibus; hæc conceptio, & hic partus est, qui significatur in Verbo per conceptiones & partus qui ibi memorantur; & per hæc, quod concepit Leah & peperit filium; quod generationes & nativitates sint fidei & amoris, quæ significantur, videatur n: 613. 1145. 1255. 2020. 2584. 3856. Quod conceptiones illæ & partus fiunt ab externo ad internum

ternum significatur per quod Leah concepit & peperit, per Leam enim repræsentatur affectio veri externi, n: 3793. 3819. & per Ruben Verum fidei, quod est primum regenerationis, & externum a quo inchoatur. Quomodo cum his se habet, ex omnibus illis quæ sequuntur de Liberis Jacobi ex Leah & ex Rachele patebit.

3861 Et vocavit nomen ejus Ruben, quod significet quale ejus quod describitur constat ex significatione Nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; ipsum quale describitur per *quod vidit Jehovah Afflictionem meam, & nunc amabit me vir meus*, quæ sunt Ruben: quod nomina in Verbo omnia significent res, sæpius ostensum est, videatur n: 1224. 1264. 1876. 1888; & quod Nomina apud Antiquos significativa status inderentur, n: 340. 1946. 2643. 3422; quod hic Nomina omnium filiorum Jacobi significent Ecclesiæ universalia, videbitur; ipsum universale etiam inditum est cujusvis nomini; sed quodnam universale, nusquam aliquis scire potest, nisi sciat quid voces, ex quibus quisque vocatus, in sensu interno involvunt, sicut quid in sensu interno *vidit*, ex qua voce Ruben vocatus est, quid *exaudivit*, ex qua voce Schimeon, quid *adhæsit* ex qua Levi, & quid *confiteri* ex qua Jehudas, & porro ex quibus reliqui.

3862. Supra n: 3858 ostensum est, quod duodecim Tribus significaverint omnia veri & boni, seu fidei & amoris, nunc quia de singulis Jacobi filiis, ex quibus Tribus nominatæ sunt, agitur, ideo hic alterum Arcanum aperiendum est, quid nempe involvunt. Quod omnis calor cœlestis & spiritualis, seu amor & charitas, in externa forma in cœlo percipiatur sicut flammeum a Sole, & quod omnis Lux cœlestis & spiritualis, seu fides, in externa forma in cœlo appareat sicut lux quæ a Sole, tum quod calor ille cœlestis & spiritualis in se habeat sapientiam, & quod lux inde in se habeat intelligentiam, & hoc quia a Domino, Qui ibi est Sol, videatur n: 1053. 1521. ad 1533. 1619. ad 1632. 2441. 2495. 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3338. 3339. 3341. 3413. 3485. 3636. 3643; inde patet, quod omne bonum sit ex calore qui a Domino ut Sole, & quod omne verum sit ex luce inde; & quoque inde patet, quod omnes affectiones, quæ sunt amoris seu boni, sint variationes caloris ilius cœlestis & spiritualis qui a Domino, & quod inde sint mutationes status; & quod omnes cogitationes, quæ sunt fidei seu veri, sint variegationes lucis illius cœlestis & spiritualis quæ a Domino, & quod inde sit intelligentia: in his sunt omnes Angeli qui in cœlo, eorum affectiones & cogitationes non aliunde sunt, & non aliud; hoc patet ab eorum loquelis, quæ quia inde, sunt variegationes seu modificationes cœlestis lucis in qua cœlestis calor, quare etiam ineffabiles sunt, & tali varietate ac plenitudine, ut incomprehensibiles, n: 3342. 3344. 3345. Ut hæc repræsentative sisterentur in mundo singulis Jacobi filiis indita sunt Nomina, quæ universalia boni & veri, seu amoris & fidei, significarent, ita universalia quoad variationes caloris cœlestis & spiritualis, & quoad variegationes lucis inde; ipse ordo universalium illorum est qui determinat flammam & splendorem

dorem inde; cum ordo ichoat ab amore, tunc flammeum apparet omne quod in genuino ordine inde sequitur, cum autem ordo inchoat a fide, tunc lucidum apparet omne quod in genuino ordine sequitur, sed cum omni differentia secundum illa quæ sequuntur; at si non secundum genuinum ordinem, quod obscurum cum omni differentia; sed de Ordine & inde differentia, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; inde nunc est, quod Dominus per Urim & Thumim dederit responsa, & quod secundum statum rei responsa tulerint, per luces, & eorum explendescentiam ex lapidibus pretiosis & pellucidis, quibus nomina duodecim Tribuum inscripta fuerunt, nam, ut dictum, nominibus inscripta fuerunt universalia amoris & fidei quæ in Regno Domini, proinde universalia flammæ & lucis, per quas illa quæ amoris & fidei sunt, in cœlo repræsentantur. Primum itaque ex Verbo licet confirmare, quod ordo nominum, in quo nominantur Tribus, varius sit in Verbo, & hoc secundum statum rei, de quo ibi agitur; & quod inde sciri possit, quod responsa a Domino per Urim & Thumim data, fuerint exsplendescentiæ lucis secundum status rei ex ordine; omnis enim lux cœli variatur secundum status rei, & status rei secundum ordinem boni & veri; quid autem veri & boni per unumquemvis significatur, patebit ab explicatione, quod nempe per Ruben significetur *Fides a Domino*, per Schimeonem *Fides voluntatis* quæ a Domino; per Levi *amor spiritualis* seu charitas; per Jehudam *Divinum Amoris & cæleste Regnum Domini*, quid autem per octo reliquos, in Capite sequente dicetur: Ordo eorum secundum nativitatem est qui hic describitur, in quo ita sequuntur, *Ruben*, *Schimeon*, *Levi*, *Jehudas*, *Dan*, *Naphtali*, *Gad*, *Ascher*, *Jisaschar*, *Zebulon*, *Joseph*, *Benjamin*, Videatur hujus Capitis Vers: 32. 33. 34. 35. Cap: seq: xxx: Vers: 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24, Cap: xxxv: 18, qui ordo est secundum statum rei de quo hic agitur, qui est regenerationis hominis, tunc enim a vero fidei inchoatur, quod est Ruben, & progressus fit inde ad velle verum, quod est Schimeon; inde ad charitatem, quod est Levi; ita ad Dominum, qui in supremo sensu est Jehudas; quod conceptio & partus spiritualis seu regeneratio fit ab externo ad internum, mox supra n: 3860, dictum, hoc est, a vero fidei ad bonum amoris. Antequam venit Jacob ad Jischarum patrem suum in Mamre Kiriath Arba, in hoc ordine nominantur, *Ruben*, *Schimeon*, *Levi*, *Jehudas*, *Jisachar*, *Sebulon*, *Joseph*, *Benjamin*, *Dan*, *Naphthali*, *Gad*, *Aschar*, Gen: xxxv: 23. 24. 25. 26, ubi primo loco sunt, qui a Leah & Rachele, & postremo qui ab ancillis, & hoc secundum statum rei, de qua ibi agitur. Alio adhuc ordine recensentur, cum profecti venerunt Ægyptum, de qua Gen: xlvi: 9 ad 19. Et alio ordine, cum ante mortem benedicti a Jacobo, tunc Israele, Gen: xlix: 3 ad 27: & alio cum benedicti a Mose, Deut: xxxiii. 6 ad 24. In hoc ordine fuerunt, cum castrametati sunt circum Tentorium conventus, ad orientem *Judas*, *Jisaschar*, *Sebulon*; ad meridiem, *Ruben*, *Schimeon*, *Gad*; ad Occidentem, *Ephraim*, *Menasche*, *Benjamin*; ad Septentrionem, *Dan*, *Ascher*, *Naphthali*, Num: ii: 1 ad f. Quo ordine steterunt ad benedicendum populo super monte Gerisim, & ad maledicendum super monte Ebal, videatur Deut: xxvii: 12. 13.

Cum Principes viri singuli de Tribu mitterentur ad explorandum terram, recensentur hoc ordine, *Ruben*, *Schimeon*, *Jehuda*, *Iisaschar*, *Ephraim*, *Benjamin*, *Sebulon*, *Joseph* seu *Menasche*, *Dan*, *Ascher*, *Naphthali*, *Gad*" Num: XIII: 4 ad 16. Alio autem ordine Principes qui in hæreditatem darent terram, Num: XXXIV: 19 ad 29. Quo ordine jacta & exiit sors cum terra data in hæreditatem, videatur Jos: Cap: XIII ad XIX. Ubi de terminis Terræ Novæ seu Sanctæ, quam hæreditaturæ Tribus, apud Ezechielem agitur, memorantur hoc ordine, *Dan*, *Ascher*, *Naphthali*, *Menasche*, *Ephraim*, *Ruben*, *Jehudah*, *Benjamin*, *Schimeon*, *Iisaschar*, *Sebulon*, *Gad*, omnes ab angulo ad orientem ad angulum maris seu occidentis, præter Gadem, qui ad angulum meridiei versus meridiem" XLVIII: 2 ad 8: 23 ad 26: & ubi de portis Civitatis Novæ seu Sanctæ, hoc ordine, versus septentrionem tres portæ *Rubenis*, *Jehudæ*, *Levi*; versus orientem tres portæ, *Josephi*, *Benjaminis*, *Danis*; versus meridiem tres portæ, *Schimeonis*, *Iisascharis*, *Sebulonis*; versus occidentem tres portæ, *Gadis*, *Ascheris*, *Naphthali*" Ezech: XLVIII: 31 ad 34. Ordo obsignatorum, duodecim millia e quavis Tribu, videatur Apoc: VII: 5 ad 8. In his omnibus locis recensitio Tribuum se habet prorsus secundum statum rei, de qua ibi agitur, cui ordo correspondet; ipse status rei patet ab illis quæ ibi præcedunt, & quæ sequuntur. Qualis ordo lapidum pretiosorum in Urim & Thumim fuerit in Verbo memoratur & describitur, sed quibus nam Tribubus singuli lapides corresponderent, non memoratur, erant enim omnia lucis e flamma cœlesti, hoc est, omnia veri ex bono, seu omnia fidei ex amore, quæ repræsentabant, & quia hæc repræsentabant, ipsa lux cœlestis miraculose transluceba secundum statum rei, de qua interrogabatur & responsum dabatur, fulgens & splendens pro affirmativo boni & veri, præter variegationes quoad colores secundum differentias status boni & veri, sicut in cœlo, in quo per luces & earum discriminationes omnia cœlestia & spiritualia exprimuntur, & hoc modo ineffabili & prorsus incomprehensibili ab homine, nam, ut aliquoties ostensum, luci cœlesti inest vita a Domino, proinde sapientia & intelligentia, inde lucis discriminationibus omne quod est vitæ, hoc est, omne quod est sapientiæ & intelligentiæ, ac flammæ, fulguris & splendoris discriminationibus omne quod est vitæ boni, & vitæ veri ex bono, seu amoris in Dominum & fidei inde; hoc nunc fuit Urim & Thumim, quod super pectorali Ephodi, & super corde Aharonis; quod patet etiam ex eo, quod Urim & Thumim significent Luces & Perfectiones, & quod pectorale, super quo erat, vocabatur pectorale judicii, ex eo quod judicium sit intelligentia & sapientia, n: 2235; quod hoc super Corde Aharonis, erat quia per Cor significatur Amor Divinus, n: 3635, & ad finem hujus Capitis; inde etiam lapides illi pretiosi erant in fundis auri, aurum enim in sensu interno est bonum quod est amoris, n: 113. 1551. 1552, & lapis pretiosus verum quod pellucet ex bono, n: 114: de Urim & Thumim ita apud Mosen "Facies *Pectorale Judicii*, opus excogitationis, sicut opus ephodi facies illud, ex auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & xylino intertexto facies illud: quadratum erit

erit duplicatum, & implebis in illo impleturas lapidis, quatuor ordines lapidis erunt; *fundæ ex auro erunt* in impleturis eorum; & *lapides erunt juxta nomina filiorum Israelis, duodecim juxta nomina eorum*; sculpturæ sigilli singuli juxta nomen suum erunt *pro duodecim Tribubus*" Exod: XXVIII: 15 ad 21. Cap: XXXIX: 8 ad 14; lapides quinam in unoquovis ordine, etiam ibi designantur: & porro " Non recedet Pectorale a super Ephodo; & portabit Aharon *nomina filiorum Israelis* in *Pectorali Judicii* super *corde suo*, in ingrediendo illo ad sanctum, in memoriale coram Jehovah jugiter; & dabis ad *Pectorale judicii Urim* & *Thumim*, & erunt *super corde Aharonis* in ingrediendo illo coram Jehovah; & portabit Aharon *Judicium filiorum Israelis* super *corde suo* coram Jehovah jugiter" Exod: XXVIII: 28. 29. 30. Levit: VIII: 7. 8. Quod Jehovah seu Dominus per Urim interrogatus sit & responsa dederit, apud Mosen " Dixit Jehovah ad Mosen, sume Joschuam filium Nunis, dabis de gloria tua super eum, ut obediat omnis congregatio filiorum Israelis: coram Eleasare Sacerdote stabit, & *interrogabit eum in Judicio Urim coram Jehovah*" Num: XXVII: 18. 20. 21. Et apud Samuelem " Interrogavit Schaul Jehovam, & non respondit illi Jehovah etiam per somnia, nec per *Urim*, nec per Prophetas" 1 Sam: XXVIII: 6.

3863. Quia dixit, quod vidit Jehovah, quod significet in supremo sensu Prævidentiam, in interno fidem, in interiori intellectum, in externo visum, hic fidem a Domino, constat a significatione videre, de qua sequitur. Ex illis, quæ præmissa sunt, constare potest, quod duodecim Tribus ex duodecim filiis Jacobi nominatæ, significaverint omnia veri & boni, seu fidei & amoris, ita omnia Ecclesiæ, & quod unaquævis Tribus aliquod universale, ita duodecim Tribus duodecim universalia, quæ in se comprehendunt & sub se concludunt omnia & singula quæ sunt Ecclesiæ & in universali sensu omnia quæ sunt Regni Domini; universale quod Ruben significat est Fides, quod hæc, nempe Fides, sit primum universale, est ex eo, quia homo cum regeneratur seu fit Ecclesia, primum discet & imbuet illa quæ fidei sunt, hoc est, quæ veri spiritualis, nam per doctrinam fidei seu veri introducitur; homo enim talis est, ut ex se non sciat quid bonum cœleste, sed hoc discet ex doctrina, quæ doctrina fidei vocatur; omnis doctrina fidei spectat vitam ut finem, & quia vitam, spectat bonum, nam bonum est vita. Apud antiquos controversum fuit, quodnam Primogenitum Ecclesiæ sit, num verum quod est fidei, vel num bonum quod est amoris, qui verum quod est fidei primogenitum dixerunt, ex apparentia externa concluserunt, & id primogenitum statuerunt, quia primum discitur & discendum est, & quia homo per id introducitur ad bonum; sed nesciverunt quod bonum essentialiter Primogenitum sit, & quod id a Domino per Internum hominem insinuetur, ut adoptet & recipiat verum quod per Externum introducitur, & quod bono insit vita a Domino, & quod vero nulla vita nisi quæ per bonum, sic ut bonum sit anima veri, ac appropriet & induat sibi verum, sicut anima corpus; inde constare potest, quod secundum apparentiam externam verum primo loco sit, & quasi primogenitum, cum regeneratur

regeneratur homo, tametſi bonum eſſentialiter primo loco eſt & primogenitum, & fit quoque cum homo regeneratus eſt; quod ita ſit, videatur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. Quia agitur in hoc Capite & in illis quæ præcedunt, de Regeneratione Naturalis, & hic de primo ejus ſtatu, qui eſt introductionis per verum ad bonum, ideo primus filius Jacobi ſeu Ruben nominatus eſt a *Videre Jehovah*, quod in ſenſu interno ſignificat fidem a Domino. Fides in ſe ſpectata eſt fides intellectu & fides voluntate; ſcire & intelligere verum quod eſt fidei, dicitur fides intellectu, at velle verum quod eſt fidei, dicitur fides voluntate; illa, nempe fides intellectu eſt quæ ſignificatur per Ruben, hæc autem nempe fides voluntate eſt quæ ſignificatur per Schimeonem: quod fides intellectu, ſeu intelligere verum, præcedat fidem voluntate ſeu velle verum, cuivis conſtare poteſt; quod enim homini ignotum eſt, ut eſt bonum cœleſte, hoc prius ſcire debet quod ſit, & intelligere quid ſit, antequam id velle poteſt. Quod videre in ſenſu externo ſignificet viſum, conſtat abſque explicatione; quod videre in ſenſu interiori ſignificet intellectum, etiam conſtare poteſt, viſus enim interni hominis non aliud eſt quam intellectus, quare etiam intellectus in communi loquela vocatur viſus internus, & de eo quoque prædicatur lux ſicut de viſu externo, & vocatur lux intellectualis: quod videre in ſenſu interno ſit fides a Domino, conſtat ex eo, quod intellectus interior non alia objecta habeat, quam illa quæ ſunt veri & boni, hæc enim ſunt fidei; interior ille intellectus, ſeu internus viſus, quæ pro objectis habet vera quæ ſunt fidei, ſe non ita manifeſtat ſicut intellectus qui pro objectis habet vera quæ ſunt vitæ civilis & moralis, ex cauſa quia intra hunc eſt, & in luce cœli, quæ lux in obſcuro eſt quamdiu homo eſt in luce mundi; at uſque apud illos qui regenerati ſunt, ſe revelat, imprimis per conſcientiam. Quod videre in ſupremo ſenſu ſit Prævidentia, conſtare poteſt, nam intelligentia, quæ prædicatur de Domino, eſt intelligentia infinita, quæ non aliud eſt quam Prævidentia. Quod per *videre*, ex quo Ruben nominatus eſt, in ſenſu interno ſignificetur fides a Domino, patet a perplurimis locis in Verbo, quorum hæc licet afferre; apud Moſen "Dixit Jehovah ad Moſen, fac tibi ſerpentem, & pone eum ſuper ligno, & erit, omnis qui morſus fuerit, & *viderit illum*, & vivet: fecit Moſes ſerpentem æris, & poſuit eum ſuper ligno, & fuit ſi momordit ſerpens virum, & *inſpexit* ſerpentem æris, revixit" Num: XXI: 8. 9. Serpens æneus quod repreſentaverit Dominum quoad Senſuale externum, ſeu naturale, videatur n: 197; quod æs ſit naturale, n: 425. 1551; quoad fides in Ipſum repræſentata ſit per quod revixerint, qui viderunt, ſeu inſpexerunt illum, Ipſe Dominus docet apud Johannem "Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari Filium hominis, *ut omnis qui credit in Ipſum* non pereat, ſet vitam æternam habeat" III: 14. 15. Apud Eſaiam "Dominus dixit, abi & dic populo huic, audite audiendo, ſed non intelligite, & *videte videndo*, & ne cognoſcite, impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & *oculos ejus obline, ne forte videat oculis ſuis*, & auribus ſuis audiat, & cor ejus

ejus intelligat" VI: 9. 10; quod ibi videre videndo & non cognoſcere, ſit intelligere quod verum & uſque non agnoſcere, patet; ac quod oculos obtinere ne forte videat oculis ſuis, ſit privare intellectu veri, & quod fides in Dominum ſit quæ hic per videre ſignificatur, conſtat a Domini verbis apud Matthæum Cap: XIII: 13. 14; & apud Johannem Cap: XII: 36. 37. 39. 40. Apud Ezechielem " Fili hominis, in medio domus rebellionis tu habitans, *quibus oculi ad videndum*, ſed *non vident*, quibus aures ad audiendum & non audiunt" XII: 2, quod oculi ad videndum ſed non vident, pro quod poſſint intelligere vera quæ fidei, ſed non volunt, & hoc propter mala, quæ ſunt domus rebellionis, quæ mendacem lucem falſis, & tenebras veris inducunt, ſecundum hæc apud Eſaiam " *Populus rebellionis* ille, filii mendaces, filii non voluerunt audire legem Jehovæ, qui dixerunt *videntibus ne videatis*, & viſionem habentibus, *ne, videatis nobis recta*, loquimini nobis blanditias, *videte illuſiones*" XXX: 9, 10. Apud Eſaiam " Populus hic ambulantes in tenebris *viderunt lucem magnam*, habitantes in terra umbræ mortis, *lux effulſit ſuper eos*" IX: 1, videre lucem magnam, pro vera quæ ſunt fidei recipere & credere, ſuper illos qui in fide ſunt, lux cœleſtis dicitur effulgere, nam lux, quæ in cœlo, eſt Divinum Verum a Divino Bono. Apud Eundem " Effudit ſuper vas Jehovah ſpiritum ſomnolentiæ, & *occluſit oculos veſtros*, prophetas & capita veſtra, *videntes* obtexit" XXIX: 10, occludere oculos pro intellectum veri, quod oculos ſit intellectus, videatur n: 2701; videntes obtegere pro illos qui ſciunt & docent vera fidei, videntes olim dicti ſunt prophetæ, qui quod ſint docentes, tum vera doctrinæ, videatur n: 2534. Apud Eundem " Sacerdos & Propheta errant per ſiceram, errant *inter videntes*, titubant judicio" XXVIII: 7, ſimiliter: quod judicium, quo titubant, ſit verum fidei, videatur n: 2235. Apud Eundem " Non connivebunt *oculi videntium*, & aures audientium auſcultabunt" XXXII: 3, ſimiliter. Apud Eundem " Regem in pulchritudine ſua *ſpectabunt oculi tui*, *videbunt terram* longinquitatum" XXXIII: 17, ſpectare Regem in pulchritudine, pro vera fidei quæ a Domino, quæ pulchra dicuntur a bono, videre terram longinquitatum pro bonum amoris, quod rex ſit verum fidei, videatur n: 1672. 2015. 2069. 2015 f. 3009. 3670; quod pulchrum dicatur a bono, n: 553. 3080. 3821; quod terra ſit bonum amoris, n: 620. 636. 3368. 3379. Apud Matthæum " Beati mundi corde, quia hi ipſi *Deum videbunt*" V: 8, videre Deum, quod ſit credere in Ipſum, ita fide Ipſum videre, patet, qui enim in fide ſunt, ex fide vident Deum, nam Deus eſt in fide, & Deus eſt id in fide, quod vere fides eſt. Apud Eundem " Si *oculus tuus* ſcandalizaverit te, erue illum, bonum eſt tibi *luſcum* intrare in vitam, quam *duos habentem oculos* mitti in gehennam ignis" XVIII: 9; hic quod oculus non ſit oculus, nec quod is eruendus, patet, is enim non ſcandalizat, ſed intellectus veri, qui hic eſt oculus, n: 2701; quod melius ſit non ſcire & capere vera fidei, quam ſcire & capere illa, & uſque vivere vitam mali; ſignificatur per bonum eſſe luſcum intrare in vitam, quam duos habentem oculos mitti in gehennam ignis.

Apud Eundem "Vestri beati sunt *oculi* quia *vident*, & aures vestræ quia audiunt: amen dico vobis, quod multi prophetæ & justi desideraverint *videre quæ videtis*, sed *non viderunt*" XIII: 13 ad 17. John: XII: 40, videre pro scire & intelligere illa quæ sunt fidei in Dominum, ita pro fide; nam quod viderint Dominum, & viderint miracula Ipsius, non inde beati fuerunt, sed quod crediderint, ut constare potest ab his verbis apud Johannem "Dixi vobis, quod *& videritis Me*, & *non credatis*; hæc est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui *videt Filium*, & *credit in Ipsum*, habeat vitam æternam: non quod Patrem *viderit* quis, nisi qui est apud Patrem, hic *vidit* Patrem; amen, amen, dico vobis, qui credit in Me, habet vitam æternam" VI: 36. 40. 46. 47; videre & non credere pro scire vera fidei & non recipere, videre & credere pro scire illa & recipere; quod non Patrem viderit quis nisi qui apud Patrem, pro quod non agnosci possit Divinum Bonum nisi per Divinum Verum, quod Pater sit Divinum Bonum & Filius Divinum Verum, videatur n: 3704; inde sensus internus est, quod nemo cœleste bonum possit habere, nisi agnoscat Dominum. Similiter apud Eundem "*Deum nemo vidit* usquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit" I: 18. Et apud Eundem "Jesus dixit, *qui videt Me, videt Illum*, qui misit Me; Ego Lux in mundum veni, ut omnis *qui credit in Me*, in tenebris non maneat" XII: 45. 46, ibi quod videre sit credere seu fidem habere, manifeste dicitur. Et apud Eundem "Jesus dixit, si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Illum, & *vidistis Illum*, *qui credit in Me, vidit Patrem*" XIV: 7. 9. Apud Eundem "Spiritum *Veritatis* mundus non potest recipere, quoniam *non videt illum* neque cognoscit illum: non relinquam vos orphanos, venio ad vos, adhuc parum *dum mundus Me non amplius videbit, vos autem videbitis Me*, quia Ego vivo, & vos vivetis" XIV: 17. 18. 19, videre pro fidem habere, solum enim per fidem videtur Dominus, fides enim est oculus amoris, nam ab amore per fidem videtur Dominus, est amor vita fidei, quare dicitur, vos videbitis Me, quia Ego vivo & vos vivetis. Apud Eundem "Dixit Jesus, in judicium Ego in mundum hunc veni, ut *non videntes videant*, *videntes* vero *cæci fiant*; Pharisæi dixerunt, num etiam nos *cæci* sumus, dixit illis Jesus, si *cæci* essetis, non haberetis peccatum, jam vero dicitis quod *videmus*, ideo peccatum vestrum manet" IX: 39. 40. 41, videntes pro illis qui putant se intelligentes esse præ reliquis, de quibus dicitur, quod cæci fient, hoc est, non accepturi fidem; quod non videre seu cæcus esse prædicetur de illis qui in falsis, tum de illis qui in ignorantia, videatur n: 2383. Apud Lucam "Vobis datum est, cognoscere mysteria Regni Dei, reliquis vero in parabolis, ut *videntes non videant*, & audientes non audiant" VIII: 10, similiter. Apud Eundem "Dico vobis, sunt quidam hic stantium, qui non gustabunt mortem, *donec viderint Regnum Dei*" IX: 27. Marc: IX: 1, videre Regnum Dei pro credere. Apud Eundem "Jesus dixit ad discipulos, venient dies, cum desiderabitis *unum dierum Filii hominis videre*, sed non *videbitis*" XVII: 22, ibi de consummatione sæculi,

fæculi, feu de ultimo tempore Ecclefiæ, quando non amplius aliqua fides. Apud Eundem "Factum eft cum Jefus accumberet cum illis, accipiens panem benedixit, & frangens tradidit illis, *illorum autem aperti funt oculi*, & cognoverunt Ipfum" XXIV: 30. 31, per hoc fignificatum eft, quod Dominus per bonum appareat; non autem per verum abfque bono, panis enim eft bonum amoris, n: 276. 680. 2165. 2177. 3478. 3735. 3813; ex his & pluribus aliis locis conftat, quod videre in fenfu interno fit fides a Domino, nam non alia datur fides, quæ eft fides, quam quæ a Domino, hæc quoque dat hominem videre, hoc eft, credere; fides autem a fe, feu a proprio hominis non eft fides, nam hæc facit videre falfa ut vera, & vera ut falfa, & fi vera ut vera, ufque non videt, quia non credit, videt enim fe in illis, non autem Dominum. Quod videre fit fidem habere in Dominum, poteft manifefte ab illis, quæ de luce cœli fæpius dicta funt, quod nempe lux cœli, quia eft a Domino, fecum habeat intelligentiam & fapientiam, proinde fidem in Ipfum, nam fides in Dominum intus in intelligentia & fapientia eft, quapropter videre ex illa luce, ficut vident Angeli, non aliud poteft fignificare quam fidem in Dominum, eft etiam Ipfe Dominus in luce illa, quia procedit a Domino; illa lux etiam eft, quæ lucet in confcientia illorum, qui fidem in Ipfum habent, tametfi homo hoc nefcit, quamdiu in corpore vivit, nam tunc lux mundi illam lucem obfcurat.

3864. Afflictionem meam, nempe quod vidit Jehovah, quod fignificet ftatum perveniendi ad bonum, conftat a fignificatione afflictionis, quod fit tentatio, de qua n: 1846, quæ quia eft medium per quod pervenitur ad bonum, hic per afflictionem meam fignificatur ftatus a vero, quod eft externum, perveniendi ad bonum, quod eft internum.

3865. Quia nunc amabit me vir meus, quod fignificet quod inde bonum veri, conftat a fignificatione amabit, quod fit inde bonum, omne enim bonum eft amoris, quare id per amare hic fignificatur; & ex fignificatione viri, quod fit verum, de qua n: 3134: quid bonum veri prius aliquoties explicatum eft, quod nempe fit affectio veri propter vitam, nam vita eft bonum quod fpectatur in vero ab illis qui poftea regenerantur; abfque vita fecundum verum nulla fit conjunctio veri cum bono, proinde nulla appropriatio: hoc evidenter conftare poteft unicuivis, fi attendat ad illos qui male vivunt, & ad illos qui bene vivunt, quod nempe qui male vivunt, tametfi in pueritia & in juventute doctrinalia Ecclefiæ æque ac alii calluerint, ufque fi explorentur quid credant de Domino, de fide in Ipfum, & de veris Ecclefiæ, comperies quod ne hilum credant; at qui bene vivunt, quod quifque eorum fidem veris, quæ credunt vera effe, habeant: qui autem docent vera, ut antiftites Ecclefiæ, & male vivunt, quidem fe dicent credere, fed ufque corde non credunt; apud quofdam eft perfuafivum quod mentitur fidem, fed perfuafivum eft tale, quod fit fcientificum confirmatum non propter quod verum fit, fed propter quod id profitendum fui officii, honoris & lucri caufa; hoc non altius vadit, quam per aures in memoriam, & a memoria exit in labia, non autem in cor & inde in confeffionem. Inde

patet, quod vita doceat, qualis agnitio veri sit, hoc est, qualis fides; & quod fides separata a bono vitæ dicat, quod utcunque homo vivit, usque ex gratia salvari possit; & quod ratiocinetur contra illud doctrinæ, quod unumquemvis vita ejus maneat post mortem.

3866. Ex sensu interno verborum, quæ Leah dixit de Rubene cum natus, nempe ex his, vidit Jehovah afflictionem meam quia nunc amabit me vir meus, constare potest, quid Ecclesiæ Ruben aut Tribus a Rubene nominata, significet, quod nempe id quod primum regenerationis est, seu quod primum est cum homo fit Ecclesia, quod nempe sit Verum doctrinæ per quod ad bonum vitæ pervenire possit.

3867. Vers: 33. *Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, quia audivit Jehovah quod exosa ego, & dedit mihi etiam hunc, & vocavit nomen ejus Schimeon.* Concepit adhuc & peperit filium, significat, ut prius, conceptionem & partum spiritualem ab externo versus interiora magis: quia audivit Jehovah, significat in supremo sensu Providentiam, in interno fidei voluntatem, in interiori obedientiam, in externo auditum, hic fidem voluntate quæ a solo Domino: quod exosa ego, significat statum fidei si non voluntas ei correspondens: & dedit mihi etiam hunc, significat successivum: & vocavit nomen ejus Schimeon.

3868. Concepit adhuc & peperit filium, quod significet conceptionem & partum spiritualem ab externo versus interiora magis, constat ab illis quæ supra n: 3860, dicta sunt, ubi eadem verba. Ab externo versus interiora progredi dicitur, cum a scientia quæ est intellectus ad voluntatem, aut spiritualiter loquendo, a vero quod est fidei ad charitatem; intellectus enim est id quod procedit a voluntate, & in quadam forma visuali manifestat voluntatem, similiter fides procedit a charitate, & in quadam forma manifestat charitatem; inde patet, quod externum voluntatis sit intellectus, & externum charitatis sit fides, seu quod idem, quod internum intellectus sit voluntas, & internum fidei sit charitas; quare progredi ab externo ad interiora magis, est a fide intellectu ad fidem voluntate; proinde a fide ad charitatem, quæ repræsentatur per Levi, de quo mox sequitur. Sciendum, quod per fidem, cum illa distinguitur a charitate, intelligatur verum, quale est doctrinæ, seu quale est in confessione quæ fides Apostolica vocatur, & hoc secundum sensum communem in Ecclesia, nam fidem habere veris creditur esse fides per quam salus; sunt pauci qui sciunt quod fides sit fiducia ac confidentia, & inter illos paucos adhuc pauci, qui sciunt quod fiducia seu confidentia sit ex charitate, & non dabilis apud aliquem, qui non charitatis vitam habuit.

3869. Quia audivit Jehovah, quod significet in supremo sensu Providentiam, in interno fidei voluntatem, in interiori obedientiam, in externo auditum, hic fidem, voluntate quæ a solo Domino, constat a significatione audire: quod audire sit auditus, non opus habet explicatione; quod autem audire in sensu interiori sit obedientia, & in sensu interno fides voluntate, constat a plurimis locis in Verbo, de quibus sequitur; tum ex quali auditus respective

respective ad quale visus; quod visus in sensu interiori sit intellectus & in sensu interno sit fides intellectu, videatur n: 3863, & hoc ex eo, quia res per visum internum apparent quales sunt, ita capiuntur aliqua fide sed intellectuali; quæ autem audiuntur, cum ad interiora penetrant, etiam in simile visui mutantur, videntur enim interius quæ audiuntur, quare per auditum quoque significatur id quod per visum, nempe id quod intellectus, ut & quod fidei est, sed auditus simul persuadet quod ita sit, & afficit non modo partem intellectualem hominis, sed etiam ejus voluntariam, & efficit ut velit quod videt, inde est quod audire significet intellectum rei & simul obedientiam, & in spirituali sensu fidem voluntate: quia in audire id latet, nempe obedientia et fides voluntate, ideo ea etiam significantur per *audire*, *auscultare*, *attendere*, in communi sermone, nam audiens esse est obediens esse, & auscultare alicui, est quoque obedire; interiora enim rei quandoque ita insunt vocibus loquelæ hominis, ex causa quia spiritus hominis est qui cogitat, & percipit sensum vocum loquelæ, & is est in quadam communione cum spiritibus & angelis, qui in principiis vocum sunt; præterea talis est circulus rerum apud hominem, quod quicquid per aurem & oculum, seu per auditum & visum intrat, transeat in ejus intellectum, & per intellectum in voluntatem, & a voluntate in actum, ita quoque verum fidei, id primum fit verum fidei scientia, dein verum fidei voluntate, & denique verum fidei actu, ita charitas, fides scientia seu intellectu est Reuben, ut ostensum est, fides voluntate est Schimeon, fides voluntate cum fit charitas est Levi. Quod audire in supremo sensu sit Providentia, ex illis quæ de videre, quod in supremo sensu sit Prævidentia, supra n: 3863 dicta sunt, constare potest, nam Prævidere Domini est videre ab æterno in æternum quod ita sit, at Providere Domini est regere ut ita sit, & flectere liberum hominis ad bonum, quantum prævidet quod homo se in libero flecti patitur, videatur n: 3854. Quod per audire Jehovah, ex quo Schimeon nominatus, in sensu interiori significetur obedientia, & in sensu interno fides voluntate a solo Domini, patet a perplurimis locis in Verbo, ut ab his quæ sequuntur; apud Matthæum "Ecce vox e nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in Quo Mihi complacuit, *Ipsum audite*" XVII: 5; Ipsum audire, pro Ipsi fidem habere, & Ipsius præceptis obedire, ita fidem voluntate habere. Apud Johannem "Amen, Amen, dico vobis, quod veniet hora, quando mortui *audient vocem Filii Dei*, & qui *audient*, *vivent*: ne miremini hoc, quoniam venit hora, in quo omnes qui in monumentis *audient vocem Ipsius*" V: 25. 28; audire vocem Filii hominis pro fidem habere verbis Domini, & velle illa; qui fidem voluntatis habent, illi vitam accipiunt, quare dicitur, qui audient vivent. Apud Eundem "Qui ingrediens est per januam, pastor est ovium, huic ostiarius aperit, & *oves vocem illius audiunt*. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex ovili hoc, etiam illas oportet Me adducere, & *vocem meam audient*, & fiet unus grex, & unus pastor; oves meæ *vocem meam audiunt*, & Ego cognosco illas, & sequuntur Me" X: 2. 3. 16. 27; audire vocem, manifeste pro obedire ex fide volun-

tatis. Apud Eundem "Omnis qui eſt ex veritate, *audit vocem meam*" XVIII : 37, ſimiliter. Apud Lucam "Dixit illi Abraham, habent Moſen & Prophetas, *audiunto illos*, ſi Moſen & Prophetas *non audiunt*, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur" XVI : 29. 31, audire Moſen & Prophetas pro ſcire quæ in Verbo, & fidem ei habere, ita quoque velle illa, nam fidem habere abſque velle, eſt videre & non audire, at fidem habere cum velle eſt fidem habere & audire; quare utrumque, nempe videre & audire, paſſim in Verbo ſimul dicitur, & per videre ſignificatur id quod per Reuben, & per audire id quod per Schimeonem, nam conjuncta ſunt ſicut frater fratri: quod videre & audire conjunctim dicantur, conſtat ex his locis; apud Matthæum "Propterea per parabolas loquor illis, quia *videntes non vident*, & *audientes non audiunt*, nec intelligunt; & completur in illis prophetia Eſaiæ, quæ dicit, *Auditu audietis*, & non intelligetis, & *videntes videbitis* & non cernetis: incraſſatum eſt cor populi hujus, & *auribus graviter audiverunt*, & *oculos ſuos occluſerunt*, ne forte *videant oculis* & *auribus audiant*, & corde intelligant. Veſtri vero beati ſunt *oculi quia vident*, & *aures veſtræ quia audiunt*; amen dico vobis, quod multi prophetæ & juſti deſideraverint *videre quæ videtis* ſed non viderunt, & *audire quæ auditis*, & non audiverunt" XIII : 13 ad 17. Joh : XII : 4. Eſaj : VI : 9. Apud Marcum "Dixit Jeſus ad diſcipulos, quid diſputatis quod panes non habetis, nondumne intelligentes eſtis, neque intelligitis, adhucne obduratum habetis cor veſtrum, *oculos habentes non videtis*, & *aures habentes non auditis*" VIII : 17. 18. Apud Lucam "Vobis datum eſt cognoſcere myſteria Regni Dei, reliqui vero in parabolis, ut *videntes non videant*, & *audientes non audiant*" VIII : 10. Apud Eſajam "Aperientur *oculi cæcorum*, & aures ſurdorum aperientur" XXXV : 5. Apud Eundem "Tunc *audient* in die illo *ſurdi* verba libri, & ex caligine eque tenebris *oculi cæcorum videbunt*" XXIX : 18. Apud Eundem "*Surdi audite*, & *cæci ſpectate videndo*" XLII : 18. Apud Eundem "Educ populum *cæcum* cui *oculi* erunt, & ſurdos quibus aures" XLIII : 8. Apud Eundem "Non connivebunt *oculi videntium*, & *aures audientium* auſcultabunt" XXXII : 3. Apud Eundem "Sint *oculi tui reſpicientes* doctores tuos, & *aures tuæ audiant* verbum" XXX : 20. 21. Apud Eundem "Qui obturat *aurem ſuam ne audiat* ſanguines; & occludit *oculos ſuos ne videant* malum, hic in altis habitabit" XXXIII : 15. 16. Apud Ezechielem "Fili hominis, in medio domus rebellionis tu habitans, quibus *oculi ad videndum* ſed *non vident*, quibus *aures ad audiendum*, & *non audiunt*" XII : 2; in his locis utrumque dicitur, quia unum ſequitur alterum, nempe fides intellectu quæ eſt videre, & fides voluntate quæ eſt audire, alioquin unum ſatis fuiſſet; inde etiam patet, quare unus filius Jacobi nominatus eſt a videre, & alter ab audire. Quod videre ſignificet fidem ſcientia ſeu intellectu, & audire fidem obedientia ſeu voluntate, eſt ex correſpondentiis in altera vita, & inde ſignificativis; qui intellectuales ſunt & in fide inde, illi ad Oculi provinciam pertinent, & qui obedientes ſunt & in fide inde, illi ad Auris provinciam pertinent; quod ita ſit, videbitur ex illis, quæ ad finem

Capitum, de Maximo homine, & correfpondentia omnium quæ in Corpore humano cum illo, ex Divina Domini Mifericordia, oftendetur; inde nunc eft, quod *Oculus* in fenfu interno fit intellectus, videatur n: 2701, & quod *Auris* fit obedientia, & in fenfu fpirituali fides inde, feu fides voluntate; ut quoque conftat ex his locis; apud Efajam "Etiam, *non audivifti*, etiam non novifti, etiam ex tunc *non aperuit fe auris tua*" XLVIII: 8. Apud Eundem "Dominus Jehovih excitabit mihi *aurem ad audiendum*, quafi inftructi Dominus Jehovih *aperuit mihi aurem*, & ego non rebellavi" L: 4. 5. Apud Eundem "Attendite attendendo ad Me, & comedite bonum, ut delitietur in pinguedine anima veftra; *inclinate aurem veftram*, & ite ad Me, *audite* ut vivat anima veftra" LV: 2. 3. Apud Jeremiam "Ad quem loquar & teftificer, *ut audiant*, ecce *præputiata auris eorum*, & non poffunt aufcultare" VI: 10. Apud Eundem "Hoc præcepi iis, dicendo, *audite vocem meam*, tunc ero vobis in Deum, & vos eritis Mihi in populum, & *non audiverunt, nec inclinarunt aurem fuam*" VII: 23. 24. 26. Apud Eundem "*Audite* mulieres verbum Jehovæ, & accipiat *auris veftra* verbum oris Ipfius" IX: 19. Apud Eundem "Non inclinaftis *aurem veftram*, & *non obedivistis Mihi*" XXXV: 15. Apud Ezechielem "Fili hominis, omnia verba mea, quæ loquutus fum ad te, *recipe in cor tuum*, & *auribus tuis audi*" III: 10. Apud Eundem "Dabo zelum meum contra te, & agent tecum in excandefcentia, nafum tuum, & *aures tuas* removebunt" XXIII: 25; nafum & aures removere pro perceptionem veri & boni, & fidei obedientiam. Apud Sachariam "Renuerunt attendere, & dederunt humerum refractarium, & *aures fuas aggravarunt*, ut *non audiant*, & cor fuum pofuerunt adamantem, ut *non audirent legem*" VII: 11. 12. Apud Amos "Sic dixit Jehovah, ficut eripuerit paftor ex ore leonis duo crura, vel *particulam auris*, ita eripientur filii Ifraelis in Samaria, in angulo lecti, & in extremitate fpondæ" III: 12; eripere duo crura pro voluntatem boni, particulam auris pro voluntatem veri; quod particula auris id fit, folum conftare poteft, ut dictum, ex correfpondentiis in altera vita, & inde fignificativis, fecundum quæ Verbi fenfus internus eft, & quoque ritualia in Ecclefia Ifraelitica & Judaica; inde erat, cum Aharon & filii ejus inaugurarentur minifterio, quod inter alia mandatum fit, ut Mofes fumeret de fanguine Arietis, & daret *fuper auriculam auris Aharonis*, & *fuper auriculam auris filiorum ejus*; & fuper pollicem manus eorum dextræ, & fuper pollicem pedis eorum dextri" Exod: XXIX: 20, per hoc rituale repræfentabatur fidei voluntas, in quam ficut facerdos etiam initiaretur; quod rituale hoc fanctum effet, quifque fcire poteft, quia a Jehovah mandatum Mofi, ita quoque quod fanctum dare fanguinem fuper auriculam auris, fed quodnam fanctum, non fciri poteft, nifi ex rerum interno fenfu in Verbo, qui hic eft, quod fanctum fidei ex voluntate cuftodiretur. Quod per aurem fignificetur obedientia, & in fenfu interno fides inde, manifeftius adhuc patet ex rituali de fervo, qui non fervitio exire vellet, de quo ita apud Mofen "Si fervus vel ancilla non fervitio exire vellet, adducet eum Dominus ejus ad Deum, & adducet

adducet eum ad januam, aut ad postem, & *perforabit Dominus ejus aurem subula*, & serviet illi in perpetuum" Exod: XXI: 6. Deut: XV: 17; perforare aurem subula ad postem, pro perpetuo servire seu obedire, in sensu spirituali pro non velle intelligere verum, sed velle verum ex obedientia, quod respective non liberum est. Quia obedientia fidei per aures, & obedire per audire in sensu interno intelligitur, constat quid per hæc verba Domini, quæ toties dixit, significatur "*Qui habet aurem ad audiendum, audiat*" Matth: XIII: 9. 43. Marc: IV: 9. 21. Cap: VII: 16. Luc: VIII: 8. Cap: XIV: 35. Apoc: II: 7. 11. 29. Cap: III: 13. 22. Quod audire in sensu supremo sit Providentia, & videre sit Prævidentia, constat ex illis locis in Verbo, in quibus de Jehovah seu Domino prædicantur Oculi, ut & aures; ut apud Esajam "*Inclina Jehovah aurem tuam & audi*, aperi Jehovah *oculos tuos* & *vide*" XXXVII: 17. Apud Danielem "Inclina, Deus mi, *aurem tuam* & *audi*, aperi Jehovah *oculos tuos* & *vide* vastitates nostras" IX: 18. Apud Davidem "Deus inclina *aurem tuam* ad me, & *audi* sermonem meum" Psalm: XVII: 6. Apud Eundem "Inclina ad me *aurem tuam*, & serva me" Psalm: LXXI: 2. Apud Eundem "*Adverte aurem* ad precationes meas, ob veritatem tuam, responde mihi ob justitiam tuam" Psalm: CXLIII: 1. Apud Jeremiam "Jehovah, vocem meam audivisti, ne abscondas *aurem tuam* ad suspirationem meam, ad clamorem meum" Thren: III: 56. Apud Davidem "Jehovah ne abscondas facies tuas a me, in die quo angustia mihi, inclina ad me *aurem tuam*, in die clamo, responde mihi" Psalm: CII: 3: quod non aures Jehovæ, nec oculi sicut homini, notum est, sed quod sit Attributum prædicabile de Divino, quod per Aurem & per Oculum significatur, nempe infinitum velle, & infinitum intelligere, infinitum velle est Providentia, & infinitum intelligere est Prævidentia; hæc per Aurem & Oculum, cum tribuuntur Jehovæ, in sensu supremo intelliguntur. Ex his nunc patet, quid per Audivit Jehovah, ex quo Schimeon nominatus, in omni sensu significatur.

3870. Quod exosa ego, quod significet statum fidei si non voluntas ei correspondens, constat ex significatione exosæ, quod sit non amata, talis enim est status fidei, si non voluntas ei correspondet. Agitur in sensu interno de progressu regenerationis hominis ab externo ad internum, hoc est, a vero fidei ad bonum charitatis; verum quod fidei, est externum, & bonum quod charitatis, est internum; ut verum quod est fidei, vivat, inducetur ad voluntatem ut ibi vitam accipiat, verum enim ex scire non vivit, sed ex velle, per novum velle, quod Dominus creat apud hominem, influit vita ab Ipso; prima vita se manifestat per obedientiam, quæ est primum voluntatis; altera per affectionem faciendi verum, quæ est progressivum voluntatis, quæ tunc est, quando jucundum & beatum in faciendo verum percipitur; nisi fidei progressus talis fiat, verum non fit verum, sed fit quoddam separatum a vita, quandoque confirmativum falsi, & quandoque persuasivum, ita quoddam spurcum, nam se copulat cum affectione mala hominis, seu ejus cupiditate, hoc est, cum voluntate propria ejus, quæ contraria charitati est;

talis

talis est fides, quæ a multis hodie creditur esse fides, & sola absque charitatis operibus salvare; sed hæc fides, nempe separata a charitate, & inde contraria charitati, repræsentatur in sequentibus per Reubenem, quod cubuerit cum Bilha concubina patris sui, Gen: xxxv: 22, & quam detestatur Jacob, tunc Israel, his verbis "Reuben, primogenitus meus, tu robur meum, & principium virtutis meæ, levis es sicut aqua, ne excelleas, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc polluisti stratum meum, ascendit" Gen: XLIX: 3. 4: hujus fidei nempe separate a charitate, voluntas & affectio contraria charitati, describitur ibi quoque per Schimeonem & Levi, his verbis "Schimeon & Levi fratres, arma violentiæ macheræ eorum, in arcanum eorum non veniat anima mea, in cœtu eorum ne uniat se gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua enervarunt bovem; maledictus furor eorum, quia vehemens, & ira eorum quia gravis, dividam eos in Jacobum, & dispergam eos in Israelem" Gen: XLIX: 5. 6. 7; quod sit fides separata a charitate, quæ per illos describitur, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, ostendetur.

3871. Et dedit mihi etiam hunc, quod significet successivum, nempe fidem obedienta seu voluntate, quæ quod succedat fidei scientia seu intellectu, supra ostensum est; hoc significatur per, dedit mihi etiam hunc.

3872. Et vocavit nomen ejus Schimeon, quod significet quale ejus, constat a significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; ipsum quale continetur in sensu interno verborum, quæ Leah dixit "Audivit Jehovah quod exosa ego, & dedit mihi etiam hunc" hoc quale est quod significatur per Schimeonem, tum per Tribum ab illo nominatam; estque id alterum universale Ecclesiæ, seu alterum cum homo regeneratur & fit Ecclesia; est nempe obedientia seu voluntas faciendi verum quod est fidei, in quam obedientiam & in qua voluntate implantatur charitas, quæ succedit, & significatur per Levi.

3873. Vers: 34. *Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, nunc hac vice adhærebit vir meus ad me, quia peperi ei tres filios, propterea vocavit nomen ejus Levi.* Concepit adhuc & peperit filium, significat, ut prius, conceptionem & partum spiritualem ab externo ad internum adhuc magis: & dixit, nunc hac vice adhærebit vir meus ad me, significat in sensu supremo amorem & misericordiam, in interno charitatem, in externo conjunctionem, hic amorem spiritualem: quia peperi ei tres filios, significat successivum: propterea vocavit nomen ejus Levi, significat quale ejus.

3874. Concepit adhuc & peperit filium, quod significet conceptionem & partum spiritualem ab externo ad internum adhuc magis, constat ab illis quæ supra n: 3860. 3868, dicta sunt, ubi eadem verba.

3875. Et dixit, nunc hac vice adhærebit vir meus ad me, quod significet in sensu supremo amorem & misericordiam, in interno charitatem, in externo conjunctionem, hic amorem spiritualem, constat a significatione adhærere: quod adhærere in sensu externo seu proxime interiori sit conjunctio,

constare potest absque explicatione; quod adhærere in sensu interno sit charitas, patet ex eo, quod charitas, seu quod idem, amor mutuus, sit conjunctio spiritualis, est enim conjunctio affectionum quæ voluntatis, & inde convenientia cogitationum quæ intellectus, ita conjunctio mentium quoad utramque partem; quod adhærere in sensu supremo sit amor & misericordia, inde patet, nam infinitum & æternum quod prædicatur de charitate seu amore spirituali, est Misericordia, quæ est Amor Divinus erga genus humanum in tantis miseriis constitutum, cum enim homo non est nisi malum ex se, & in illo quantum ex illo, non nisi quam infernale, ac inspicitur a Domino ex Divino Amore, tunc quod elevetur ab inferno, in quo est a se, & liberatur, dicitur Misericordia, hinc quia Misericordia est ex Divino Amore, significatur per adhærere in supremo sensu & Amor & Misericordia. Quod adhærere in sensu interno significet amorem spiritualem, seu quod idem, charitatem erga proximum, constare potest etiam ex aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam "Ne dicat filius alienigenæ, *qui adhæsit ad Jehovam*, dicendo, separando separat me Jehovah a cum populo suo: filii alienigenæ, *qui adhærent ad Jehovam*, ad ministrandum Ipsi, & ad *diligendum* Nomen Jehovæ, erunt Ipsi in servos" LVI: 3. 6; adhærere ad Jehovam pro præcepta observare, quod est amoris spiritualis, nemo enim præcepta Dei ex corde observat, nisi qui in bono charitatis erga proximum est. Apud Jeremiam "In diebus illis venient filii Israelis, illi & filii Jehudæ, eundo & flendo ibunt, & Jehovam Deum suum quærent, Zionem interrogabunt de via, eo facies eorum, venite & *adhæreamus ad Jehovam* fœdere sæculi, non oblivioni datur" L: 4. 5; adhærere ad Jehovam similiter pro præcepta observare ex corde, hoc est, ex bono charitatis. Apud Sachariam "*Adhærebunt gentes multæ ad Jehovam* in die illo, & erunt Mihi in populum" II: 15; similiter. Apud Esaiam "Miserebitur Jehovah Jacobi, & eliget denuo Israelem, & ponet eos super terram eorum, & *adhærebit peregrinus eis*, & adjungent se ad domum Jacobi" XIV: 1; adhærere peregrinus eis pro in simili observantia legis esse, adjungere se ad domum Jacobi, pro esse in bono charitatis, in quo illi qui per domum Jacobi significantur. Apud Matthæum "Nemo potest duobus dominis servire, nam aut unum odio habebit & alterum amabit, aut *uni adhærebit*, & alterum contemnet" VI: 24; ibi cœleste amoris est amare, & spirituale amoris est adhærere, utrumque dicitur quia distincta sunt, alioquin unum satis fuisset. Illi qui in spirituali amore sunt, vocantur ideo filii Levi, ut apud Malachiam "Quis sustinet diem adventus Ipsius, & quis consistet cum apparuerit, sedebit conflans & purgans argentum, & purificabit *filios Levi*, & defæcabit illos sicut aurum & sicut argentum" III: 2. 3. Quod in supremo sensu Dominus sit Levi, ex Amore Divino & Misericordia erga illos qui in amore spirituali sunt, apud Eundem "Ut cognoscatis quod miserim ad vos præceptum hoc, ad esse *fœdus meum cum Levi*, dixit Jehovah Zebaoth, fœdus meum erit cum illo vitæ & pacis. Vos recessistis a via, impingere fecistis multos in legem, corrupistis *fœdus Levi*, ideo dedi vos contemtos" II: 4. 5. 8. 9. Et quia

Divinus

Divinus Amor seu Misericordia Domini in supremo sensu per Levi intellectus est, & in sensu interno spiritualis amor, ideo Tribus Levi Sacerdotium facta est, nam Sacerdotium in sensu interno Verbi non aliud est quam sanctum amoris, & Regium sanctum fidei, n: 1728. 2015 f. 3670. Quia per vocem adhærere, ex qua Levi nominatus est, significatur amor spiritualis, qui idem est ac amor mutuus, etiam per eandem vocem in Lingua originali significatur mutuo dare & accipere, & quoque per mutuo dare & accipere in Ecclesia Judaica repræsentatus est amor mutuus, de qua re, ex Divina Domini Misericordia, alibi; amor mutuus in eo differet ab amicitia, quod amor mutuus spectet bonum quod apud hominem, & quia est erga bonum est erga illum qui est in bono; amicitia autem spectat hominem, quæ tunc quoque amor mutuus est, cum spectat hominem ex bono seu propter bonum, at cum non ex bono seu propter bonum, sed propter semet quod vocat bonum, tunc amicitia non est amor mutuus, sed accedit ad amorem sui, & quantum accedit, tantum est amori mutuo oppositus: amor mutuus est in se non aliud quam charitas erga proximum, nam per Proximum in sensu interno non aliud significatur quam bonum, ac in supremo sensu Dominus, quia ab Ipso omne bonum, & Ipse est Ipsum Bonum, videatur n: 2425. 3419: amor ille mutuus seu charitas erga proximum, est qui intelligitur per amorem spiritualem, & qui significatur per Levi. Etiam in Verbo amor cœlestis, & quoque amor conjugialis, in sensu literæ per *Adhærere* exprimitur, sed est ex alia voce in Lingua originali, quam ex qua Levi dictus est; illa vox significat adhuc arctiorem conjunctionem; ut in sequentibus locis; apud Mosen "Jehovam Deum tuum timebis, Ipsi servies, & *Ipsi adhærebis*" Deut: x: 20. Post Jehovam Deum vestrum ibitis, & Ipsum timebitis, & præcepta Ipsius servabitis, & vocem Ipsius audietis, & Ipsi servietis, & *Ipsi adhærebitis*" Deut: XIII: 5. Ad *amandum Jehovam Deum vestrum*, ad eundum in omnibus viis Ipsius, & *ad adhærendum Ipsi*" Deut: XI: 22. "Ad *amandum Jehovam Deum tuum*, ad obediendum voci Ipsius, & *ad adhærendum Ipsi*, quia Ille vita tua" Deut: XXX: 20. Apud Josuam "Studete valde facere præceptum & legem, quam præcepit vobis Moses servus Jehovæ, ad *amandum* Jehovam Deum vestrum, & ad ambulandum in omnibus viis Ipsius, & ad servandum præcepta Ipsius, & *ad adhærendum Ipsi*, & ad serviendum Ipsi in toto corde vestro, & in tota anima vestra" XXII: 5. In Libro secundo Regum "Rex Chiskia in Jehovah Deo Israelis confisus est, *adhæsit Jehovæ*, non recessit a post Ipsum, & custodivit præcepta Ipsius, quæ præceperat Jehovah Mosi" XVIII: 5. 6. Apud Jeremiam "Quemadmodum *adhæret cingulum ad lumbos viri*, ita *adhærere feci ad Me* totam domum Israelis, & totam domum Jehudæ, ad esse Mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in decus; & non obediverunt" XIII: 11. Quod Amor conjugialis etiam per adhærere exprimatur, patet ab his "Propterea relinquet vir patrem suum & matrem suam, & *adhærebit uxori suæ*, & erunt in carnem unam" Gen: II: 24. Propter duritiem cordis vestram scripsit Moses præceptum hoc, ab initio autem creationis masculum & fæminam fecit eos Deus;

propter hoc derelinquet homo patrem ſuum & matrem, & *adhærebit uxori ſuæ*, & erunt duo in carnem unam, quod ergo Deus *conjunxit*, homo non ſeparabit" Marc: x: 5 ad 9. Matth: xix: 5. "*Adhæſit Anima Schechemi Dinæ* filiæ Jacobi; *amavit* puellam, & loquutus ad cor puellæ" Gen: xxxiv: 3. Schelomoh amavit mulieres exteras multas, *his adhæſit Schelomoh ad amandum*" 1 Reg: xi: 1. 2. Inde nunc patet, quod adhærere ſit vox amoris, in uſum recepta antiquis temporibus ab Eccleſiis, quæ in ſignificativis fuerunt; & quod non aliud ſit in ſenſu interno quam conjunctio ſpiritualis, quæ eſt charitas & amor.

3876. Quia peperi ei tres filios, quod ſignificet ſucceſſivum, conſtat ab illis quæ ſupra n: 3871, dicta ſunt, ſucceſſivum, quod ſignificatur hic per tres filios, eſt quod charitas nunc veniat, cum enim regeneratur homo, hoc eſt, cum fit Eccleſia, primum erit ei ſcire & intelligere quid verum fidei, alterum erit velle & facere illud, tertium eſt affici illo; cumque homo afficitur vero, hoc eſt, cum jucundum & beatum percipit in faciendo ſecundum verum, tunc eſt in charitate ſeu amore mutuo; hoc ſucceſſivum eſt, quod per peperi ei tres filios hic intelligitur.

3877. Propterea vocavit nomen ejus Levi, quod ſignificet quale ejus, conſtat a ſignificatione nominis & vocare nomen, quod ſit quale, de qua ſupra n: 3872; quale eſt, quod continetur in illis verbis "Nunc hac vice adhærebit vir meus ad me, quia peperi ei tres filios" de quibus mox ſupra n: 3875. 3876; hoc quale eſt quod ſignificatur per Levi, tum per Tribum ab illo nominatam; eſtque id tertium univerſale Eccleſiæ, ſeu tertium cum homo regeneratur aut fit Eccleſia; eſtque Charitas. Se habet ita cum charitate, quod in ſe contineat velle verum, & per hoc in ſe contineat intelligere verum, nam qui in charitate eſt, illa habet; at antequam homo ad charitatem venit, tunc primum in externo erit, nempe in intelligere verum, dein in velle verum, demum in affici vero, quod eſt charitas, in charitate cum homo eſt, tunc ſpectat Dominum, qui per Jehudam, quartum filium Jacobi, in ſenſu ſupremo ſignificatur.

3878. Verſ: 35. *Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, hac vice confitebor Jehovam, propterea vocavit nomen ejus Jehudah; & ſubſtitit a pariendo.* Concepit adhuc, & peperit filium, ſignificat, ut prius, conceptionem & partum ſpiritualem ab externo ad internum adhuc magis: & dixit, hac vice confitebor Jehovam, ſignificat in ſenſu ſupremo Dominum, in interno Verbum, in externo doctrinam inde, hic Divinum amoris, & cœleſte Regnum Ipſius: propterea vocavit nomen ejus Jehudah, ſignificat quale ejus: & ſubſtitit a pariendo, ſignificat per ſcalam aſcenſum a terra uſque ad Jehovam ſeu Dominum.

3879. Concepit adhuc & peperit filium, quod ſignificet conceptionem & partum ſpiritualem ab externo ad internum adhuc magis, conſtat ab illis, quæ ſupra n: 3860. 3868, dicta ſunt, ubi ſimilia verba.

3880. Et dixit, hac vice confitebor Jehovam, quod ſignificet in ſenſu ſupremo Dominum, in interno Verbum, in externo doctrinam inde, hic Divinum amoris & cœleſte Regnum Ipſius, conſtat a ſignificatione confiteri: quod

quod confiteri in ſenſu externo ſeu proxime interiori ſignificet doctrinam ex Verbo, patet confeſſio enim non aliud eſt, etiam in communi ſermone, quam declaratio ſuæ fidei coram Domino, ita comprehendit in ſe illa quæ homo credit, proinde quæ ei ſunt Doctrina: quod Confiteri in ſenſu interno ſit Verbum, inde ſequitur omnis enim doctrina fidei & charitatis ex Verbo erit, ex ſe enim homo de cœleſtibus & ſpiritualibus nihil novit, quare ex revelatione Divina, quæ eſt Verbum: quod confiteri in ſenſu ſupremo ſit Dominus, eſt quia Dominus eſt Verbum, proinde doctrina ex Verbo, & quia Verbum in ſenſu interno Dominum ſolum ſpectat, & de Ipſius Regno agit, n: 1871. 2859. 2894. 3245. 3305 pr: 3393. 3432. 3439. 3454; inde eſt, quod per confiteri Jehovam, ſignificetur Divinum amoris, & cœleſte Regnum Ipſius, Dominus enim eſt Ipſe Divinus Amor, & influxus hujus facit Regnum Ipſius, & hoc per Verbum quod ab Ipſo: quod per Jehudam, qui a confiteri Jehovam nominatus eſt, ſignificetur Divinum amoris, & cœleſte Regnum Domini, prius n: 3654, oſtenſum videatur, inde eſt quod dicatur quod hic confiteri ſit illud. Quid autem Confiteri & confeſſio ſit, conſtare poteſt a locis in Verbo, ubi memoratur; ut apud Eſaiam "Dices in die illo, *confitebor Tibi Jehovah*, quod ſuccenſuiſti mihi, reverſa eſt ira tua, & conſolatus es me: & dicetis in die illo, *confitemini Jehovæ*, invocate Nomen Ipſius, nota facite in populo opera Ipſius, commemorate quod exaltatum ſit Nomen Ipſius" XII: 1. 4. Apud Davidem "*Confitemur Tibi Deus, Confitemur*, & propinquum Nomen tuum, enarrant mirabilia tua" Pſalm: LXXV: 2. Apud Eundem "Pſalmus *ad confeſſionem*; jubilate Jehovæ omnis terra, Ille fecit nos, & non nos, populum ſuum & gregem paſcui ſui, ideo Ipſius nos, populus Ipſius & grex paſcui Ipſius: intrate per portas Ipſius *in Confeſſione* atria Ipſius in laude, *Confitemini Ipſi*, benedicite Nomini Ipſius, quia bonus Jehovah, in æternum Miſericordia Ipſius, & uſque in generationem & generationem veritas Ipſius" Pſalm: C: 1 ad 5; ibi quid Confiteri & Confeſſio ſit, patet, quod nempe ſit agnoſcere Jehovam ſeu Dominum, & quæ Ipſius ſunt; Agnitio illa quod ſit Doctrina & Verbum, patet. Apud Eſaiam "Conſolabitur Jehovah Zionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, lætitia & gaudium invenietur in illa, *confeſſio* & vox cantus" LI: 3. Apud Jeremiam "Sic dixit Jehovah, ecce Ego reducens captivitatem tentoriorum Jacobi, & habitaculorum ejus miſerebor, & ædificabitur urbs ſuper tumulo ſuo, & palatium juxta morem ſuum habitabitur, & exibit ab iis *Confeſſio* & vox ludentium" XXX: 18. 19. Apud Davidem "*Confitebor Jehovæ* juxta juſtitiam Ipſius, & cantabo Nomen Jehovæ Altiſſimi" Pſalm: VII: 18. Apud Eundem "Quando tranſivero ad domum Dei voce cantus & *Confeſſionis*, multitudine feſtum agente" Pſalm: XLII: 5. Apud Eundem "*Confitebor Tibi* inter gentes, Domine, pſallam Tibi inter populos, quia magna uſque ad Cœlum Miſericordia tua" Pſalm: LVII: 10. 11; ex his locis patet, quod Confeſſio ſe ad cœleſte amoris referat, diſtinguitur enim ab illis quæ ſunt Spiritualis amoris, nam dicitur Confeſſio & vox cantus, confeſſio & vox ludentium, confitebor Tibi inter gentes & pſallam Tibi inter populos, confeſſio & confiteri eſt cœleſte, vox cantus, vox ludentium, tum pſallere ſunt ſpiritualia,

etiam

etiam confiteri inter gentes dicitur, & psallere inter populos quia per gentes significantur illi qui in bono, & per populos illi qui in vero, n: 1416. 1849. 2928, hoc est, illi qui in cœlesti amore, & qui in spirituali amore, in Verbo enim apud Prophetas plerumque binæ expressiones occurrunt, quarum una se refert ad cœleste seu bonum, altera ad spirituale seu verum, ut sit conjugium Divinum in singulis Verbi, ita conjugium boni & veri, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 3132: exinde etiam patet, quod confessio involvat cœleste amoris, & quod confessio genuina seu quæ ex corde, non sit nisi ex bono; at quæ ex vero, dicitur vox cantus, vox ludentium, & psallere; similiter in his locis, apud Davidem "Laudabo Nomen Dei cantico, & magnum faciam Ipsum *confessione*" Psalm: LXIX: 31. Apud Eundem "Ego *confitebor Tibi* instrumento nablii, veritatem tuam Deus mi, canam Tibi in cithara, Sancte Israelis" Psalm: lxxi: 22; quod per canere cithara, & per reliqua instrumenta chordacea significentur spiritualia, videatur n: 418. 419. 420. Apud Eundem "Intrare portas Ipsius in *confessione*, atria Ipsius in laude, *confitemini Ipsi*, benedicite Nomini Ipsius" Psalm: c: 4, confessio & confiteri est ex amore boni, laus autem & benedicere ex amore veri. Apud Eundm "Respondete Jehovæ *per confessionem*, psallite Deo nostro in cithara" Psalm: CXLVII: 7. Apud Eundem "*Confitebor Tibi* in congregatione magna, in populo numeroso laudabo Te" Psalm: XXXV: 17. 18. Apud Eundem "*Confitebor Jehovæ* ore meo, & in medio multorum laudabo Ipsum" Psalm: CIX: 30. Apud Eundem "Nos populus tuus, & grex pascui tui, *confitebimur Tibi* in æternum, in generationem & generationem enumerabimus laudem tuam" Psalm: LXXIX: 13. Apud Eundem "*Confiteantur Jehovæ* Misericordiam Ipsius, & mirabilia Ipsius filiis hominis, *sacrificent sacrificia confessionis*, & annuntient opera Ipsius cum cantu" Psalm: CVII: 21. 22; quod in his locis binæ expressiones unius rei sint, patet, quæ apparerent sicut inanes repetitiones, nisi una involveret cœleste quod est bonum, & altera spirituale quod est verum, ita conjugium Divinum, ipsum Regnum Domini est tale conjugium; hoc arcanum est in Verbo ubivis, sed detegi nusquam potest nisi per sensum internum, & inde cognitionem quænam vox ad cœlestem classem, & quænam ad spiritualem pertinet; at in genere sciri debet quid cœleste, & quid spirituale, de quibus sæpius prius. Ipsa confessio cordis, quia est ex cœlesti amore, est in genuino sensu confessio, homo qui in hac est is agnoscit quod omne bonum a Domino, & quod omne malum a seipso, in qua agnitione cum est, in statu humiliationis est, agnoscit enim tunc quod Dominus sit omne apud Ipsum, & quod ipse sit nihil respective, ex quo statu cum sit confessio, tunc est ex cœlesti amore. Sacrificia autem confessionis, quæ fuerunt in Ecclesia Judaica, erant gratiarum actiones, & vocabantur in universali sensu Sacrificia eucharistica & retributoria, quæ erant duplicis generis, nempe confessionis & votiva; quod Sacrificia confessionis involverint cœleste amoris, constare potest ab institutione eorum, de qua ita apud Mosen "Hæc lex sacrificii Eucharisticorum, quod offeretur Jehovæ; si *pro Confessione obtulerit illud*, tunc offeret præter sacrificium *confessionis* placentas

placentas azymas mixtas oleo, & lagana azyma uncta oleo, & similaginem bullatam, placentas mixtas oleo super placentas panis fermentatas offeret munus suum, *præter sacrificium confessionis*" Levit: VII: 11. 12. 13. 15, per omnia illa quæ ibi memorantur, ut per placentas azymas mixtas oleo, per lagana azyma uncta oleo, per similaginem bullatam, placentas panis fermentatas, significantur cœlestia amoris & fidei, & inde confessiones, & quod erunt in humiliatione; quod similago & inde placentæ sint cœleste amoris & inde spirituale fidei quod est charitas, videatur n: 2177; quod azymum sit purificatio a malis & falsis, n: 2342; quod oleum sit cœleste amoris, n: 886. 3728; quod panis etiam, n: 2165. 2177. 3464, 3735. 3478. 3735. Votiva autem, quæ erant alterum genus eucharisticorum, in sensu externo significabant retributionem, in interno voluntatem ut Dominus provideret, in supremo Providentiæ statium, videatur n: 3732, inde est quod utrumque passim in Verbo memoretur, ut apud Davidem "*Sacrifica Deo confessionem, & exsolve Altissimo vota tua: sacrificans confessionem* honorat Me, & qui disponit viam ei monstrabo salutem Dei" Psalm: L: 14. 23. Apud Eundem "Super me Deus, *vota tua retribuam confessiones Tibi*" Psalm: LVI: 13. Apud Eundem "*Tibi sacrificabo sacrificium confessionis*, & Nomen Jehovæ invocabo, *vota mea Jehovæ solvam*" Psalm: CXVI: 17. 18. Apud Jonam "Ego *cum voce confessionis sacrificabo Tibi*, quod *vovi exsolvam*" II: 10. Ex his nunc patet, quid sit confessio, ex qua Jehudah nominatus, quod nempe in supremo sensu sit Dominus & Divinum amoris, in interno Verbum, tum cœleste Regnum Domini, & in sensu exteriori Doctrina ex Verbo, quæ est Ecclesiæ Cœlestis; quod illa significentur per Jehudam in Verbo, constare potest a nunc sequentibus.

3881. Propterea vocavit nomen ejus Jehudah, quod significet quale ejus, constat a significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421; ipsum quale continetur in sensu interno verborum horum, quæ Leah dixit, "Hac vice confitebor Jehovam" de quo mox supra n: 3880, quod nempe in sensu supremo sit Dominus, & Divinum Amoris Ipsius, in sensu interno Verbum, tum cœleste Regnum Domini, & in exteriori Doctrina e Verbo quæ est Ecclesiæ cœlestis: quod hæc in Verbo per Jehudam, ubi nominatur, significentur, vix adhuc aliquis novit, ex causa, quia historica creduntur historica, & prophetica esset alia quæ inter obliterata sunt, præter aliqua ex quibus dogmatica hauriri possunt; quod sensus spiritualis insit, hoc non creditur, quia quid sensus spiritualis Verbi, imo quid spirituale, non hodie scitur, & hoc imprimis ex causa, quia vita naturalis est quæ vivitur, quæ talis est, ut cum pro fine habetur seu unice amatur, & cognitiones & fidem obliteret, usque adeo, ut cum dicatur vita spiritualis, & sensus spiritualis, sit quoddam quasi nullum, aut quoddam inamænum & triste ad quod nauseatur, sicut ad discors cum vita naturali; quia genus humanum in tali statu hodie est, ideo non aliud per nomina in Verbo capit, nec capere vult, quam gentes, populos, personas, regiones, urbes, montes, fluvios, quæ

5 nomi-

nominantur, cum tamen nomina in sensu spirituali significant res: quod per Jehudam significetur in sensu interno Ecclesia Cœlestis Domini, & in universali sensu Regnum cœleste Ipsius, inque sensu supremo Ipse Dominus constare potest a pluribus locis in Veteri Testamento, ubi Jehudah nominatur, ut ab his quæ sequuntur; apud Mosen "*Jehudah* tu, laudabunt te fratres tui, manus tua in cervice hostium tuorum, incurvabunt se tibi filii patris tui; catulus leonis Jehudah, a præda, fili mi, ascendisti; curvavit se, cubuit sicut leo, & sicut leo vetulus, quis excitabit eum; non recedet sceptrum a Jehudah, nec legislator ab inter pedes ejus, usque dum venit Schiloh, & huic congregatio populorum; ligans ad vitem asininum pullum suum, & ad vitem nobilem filium asinæ suæ, lavabit in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum velamen suum: ruber oculus a vino, & candidus dentibus a lacte" Gen: XLIX: 8 ad 12: hoc propheticum Jacobi, tunc Israelis, de Jehuda, nemo scire potest quid sit, ne quidem unam expressionem, nisi ex sensu interno, ut quid, laudabunt illum fratres ejus, & incurvabunt se ei filii patris ejus, quod sicut catulus leonis a præda ascendat, quod sicut leo curvet se & cubet, quid Schiloh, quid ligare ad vitem asininum pullum suum, & ad vitem nobilem filium asinæ suæ, quid lavare in vino vestimentum, & in sanguine uvarum velamen, quid ruber oculis a vino, & quid albus dentibus a lacte; hæc nusquam ab aliquo, ut dictum, capi possunt, nisi ex sensu interno, cum tamen omnia & singula significent cœlestia Regni Domini & Divina, & per illa prædicitur, quod cœleste Regnum Domini, & in supremo sensu Ipse Dominus, per Jehudam repræsentaretur, de quibus omnibus, ex Divina Domini Misericordia, in explicationibus ad illud Caput dicetur. Similiter se habet alibi, imprimis apud Prophetas, ubi Jehudah nominatur, ut apud Ezechielem "Tu fili hominis, sume tibi lignum unum, & scribe super illo Jehudæ & filii ejus, Israel socii ejus, & sume lignum unum, & scribe super illo Josepho, lignum Ephraimi & omnis domus Israelis sociorum ejus, & conjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in una in manu mea: faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israelis; & Rex unus erit omnibus illis in Regem; servus meus David Rex super eos, & pastor unus erit omnibus illis; & in judiciis meis ambulabunt, & statuta mea custodient, & facient illa, & habitabunt super terra, quam dedi servo meo Jacobo, in qua habitarunt patres vestri, habitabunt super ea illi & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in æternum, & David servus meus princeps illis in æternum, & pangam illis fædus pacis, fædus æternitatis erit cum illis; dabo illis & multiplicabo illos, & dabo sanctuarium meum in medio eorum in æternum; sic erit habitaculum meum apud illos, & ero illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum" XXXVII: 15 ad 28: qui per Jehudam intellligit Judam, per Israelem Israelem, per Josephum Josephum, per Ephraimum Ephraimum, & per Davidem Davidem, credet quod omnia illa secundum sensum literæ ita futura sint, nempe quod Israel rursus consociabitur cum Jehuda, & quoque quod tribus Ephra-

5 im,

im, tum quod David regnaturus, & quod habitaturi sic super terra data Jacobo in æternum, & quod cum illis tunc fœdus æternitatis, & in medio eorum sanctuarium in æternum; cum tamen ne hilum intellectum sit ibi de gente illa, sed de Regno cœlesti Domini quod est Jehudah, & de Regno spirituali Ipsius quod est Israel, & de Domino qui est David; inde manifeste patet, quod per nomina non intelligantur personæ, sed quod cœlestia & Divina. Similiter se habet cum illis quæ apud Sachariam "Venient populi multi & gentes numerosæ ad quærendum Jehovam Zebaoth: in diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium, & apprehendent alam viri Jehudæi, dicendo, ibimus cum vobis, quia audivimus Deum vobiscum" VIII: 23; qui secundum literam hæc capiunt, dicent sicut Gens illa Judaica adhuc credit, quod quia prophetia illa nondum completa est, complebitur, ita quod redituri in terram Canaanem, & quod sequuturi illos multi ex omni gente & lingua, & quod apprehensuri alam viri Jehudæi, & precaturi, ut liceret illos sequi, & quod apud illos tunc Deus, nempe Messias, quem Christiani dicunt Dominum fore, ad quem prius convertendi; hæc fides verborum foret, si per virum Jehudæum intelligetur vir Judæus; cum tamen ibi in sensu interno agitur de Nova Ecclesia spirituali apud gentes, & per virum Jehudæum significatur fides salvans quæ est ex amore in Dominum. Quod per Jehudam non Jehudah intellectus sit, sed, ut dictum, in sensu interno Cœleste Regnum Domini, quod in Ecclesia apud Jehudam seu Judæus instituta repræsentatum fuit, etiam manifeste constare potest a sequentibus locis; apud Esaiam "Dominus cum tollet signum gentibus, congregabit expulsos Israelis, & dispersa Jehudæ colliget a quatuor alis terræ; tunc recedet æmulatio Ephraimi, & hostes Jehudæ exscindentur; Ephraim non æmulabitur cum Jehudah, & Jehudah non angustabit Ephraimum" XI: 12. 13. Apud Jeremiam "Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, & excitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, & prosperabitur, & faciet judicium & justitiam in terra: in diebus Ipsius salvabitur Jehudah, & Israel habitabit secure; & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum, Jehovah Justitia nostra" XXIII: 5. 6. Apud Joelem "Tunc cognoscetis quod Ego Jehovah Deus vester habitans in Zione, monte sanctitatis meæ, & erit Hierosolyma sanctitas: & fiet in die illo, stillabunt montes mustum, & colles fluent lacte, & omnes rivi Jehudæ fluent aquis, & fons e domo Jehovæ exibit, & irrigabit flumen Shittim; Jehudah in æternum sedebit, & Hierosolyma in generationem & generationem" IV: 17. 18. 20. Apud Sachariam "In die illo percutiam omnem equum stupore, & equitem ejus amentia, & super domum Jehudæ aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate: & dicent duces Jehudæ in corde suo, confirmabo mihi habitatores Hierosolymæ in Jehovah Zebaoth Deo illorum: in die illo ponam duces Jehudæ sicut focum ignis in lignis, & sicut facem ignis in manipulo, & comedent ad dextram & ad sinistram omnes populos circum circa; & habitabitur Hierosolyma adhuc sub se in Hierosolyma; & salvabit Jehovah tentoria Jehudæ primum, ut non extollat se gloria domus Davidis, & gloria

habitatoris Hierosolymæ super Jehudam: in die illo proteget Jehovah habitatorem Hierosolymæ; & domus Davidis sicut Deus, sicut angelus Jehovæ coram illis: & effundam super domum Davidis, & super habitatorem Hierosolymæ spiritum gratiæ" XII: 4 ad 10; agitur ibi de Regno cœlesti Domini, quod ibi non dominaturum Verum super bonum, sed quod Verum subordinatum erit bono; illud nempe Verum significatur per domum Davidis & per habitatorem Hierosolymæ, & hoc seu bonum per Jehudam; inde patet, cur primum dicitur, quod non extollet se gloria domus Davidis & gloria habitatoris Hierosolymæ super Jehudam, & dein dicitur, quod domus Davidis erit sicut Deus, & sicut Angelus Jehovæ, & quod super illam & super habitatorem Hierosolymæ effundetur spiritus gratiæ, talis enim status est, quum Bono subordinatum est Verum, seu Amori fides: equus qui percutietur stupore, & equus populorum cæcitate, est propria intelligentia, videatur n: 2761. 2762. 3217. Apud Eundem "In die illo erit super tintinnabulis equorum sanctitas Jehovæ; & erunt ollæ in domo Jehovæ sicut crateres coram altari; & erit omnis olla in Hierosolyma & in Jehudah sanctitas Jehovæ Zebaoth" XIV: 20, 21, ibi de Regno Domini agitur. Apud Malachiam "Ecce Ego mittens Angelum meum, qui parabit viam ante Me, & subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quærentes, & Angelus fœderis, quem vos desideratis; ecce venit, quis sustinet diem adventus Ipsius; tunc suavis erit Jehovæ Minchah Jehudæ & Hierosolymæ, juxta dies sæculi & juxta annos priores" III: 1. 2. 4; manifeste ibi de adventu Domini, quod tunc non suavis Minchah Jehudæ & Hierosolymæ fuerit, notum est, sed quod suavis cultus ex amore qui est Minchah Jehudæ, & cultus ex fide inde, qui est Mincha Hierosolymæ. Apud Jeremiam "Sic dixit Jehovah Zebaoth, adhuc dicent verbum hoc in terra Jehudæ, & in urbibus ejus, in convertendo captivitatem eorum, benedicat tibi Jehovah, habitaculum justitiæ, mons sanctitatis, & habitabunt in ea Jehudah, & omnes urbes ejus una. Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, quibus seminabo domum Jehudæ semine hominis, & semine bestiæ. Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, quibus pangam cum domo Israelis, & cum domo Jehudæ, fædus novum, non sicut fædus quod pepigi cum patribus eorum" XXXI: 23. 24. 27. 31. 32. Apud Davidem "Dominus elegit Tribum Jehudæ, montem Zionis, quem amavit, & ædificavit sicut celsitudines sanctuarium suum, sicut terram fundavit in æternum" Psalm: LXXVIII: 68. 69. Ex his locis & perplurimis aliis, quæ prætereuntur; constare potest, quid per Jehudam in Verbo significatur, non quod per illam gens Judaica, hæc enim nihil minus fuit quam cœlestis Ecclesia seu cœleste Regnum Domini, nam quoad amorem in Dominum, & charitatem erga proximum, & quoad fidem, fuit gens omnium pessima, & hoc a primis patribus suis, nempe filiis Jacobi, usque ad hodienum tempus; sed quod usque tales repræsentare potuerint cœlestia & spiritualia Regni Domini, videatur n: 3479. 3480. 3481; quia in repræsentationibus nihil reflectitur super personam, sed super rem quæ repræsentatur, n: 665. 1097 f. 1361. 3147. 3670: cum autem non permanserunt

ferunt in ritualibus a Jehovah seu Domino mandatis, sed deflexerunt ab illis ad idololatrias, tunc non amplius illa repræsentabant, sed illa quæ opposita sunt, nempe infernalia & diabolica, secundum Domini verba apud Johannem "Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit" VIII: 44: quod tale per Jehudam in opposito sensu significetur, constare potest ab his apud Esaiam "Impegit Hierosolyma, & Jehudah cecidit, quia lingua eorum, & opera eorum contra Jehovam, ad rebellandum oculis gloriæ Ipsius" III: 8. Apud Malachiam "Perfide egit Jehudah, & abominatio facta est in Israele & in Hierosolyma, & profanavit Jehudah sanctitatem Jehovæ, quia amavit & desponsavit sibi filiam Dei alieni" II: 11; & præterea in sequentibus locis, Esai: III: 1 seq: Cap: VIII: 7. 8. Jerem: II: 28. Cap: III: 7 ad 11. Cap: IX: 25. Cap: XI: 9. 10. 12. Cap: XIII: 9. Cap: XIV: 2. Cap: XVII: 1. Cap: XVIII: 12. 13. Cap: XIX: 7. Cap: XXXII: 35. Cap: XXXVI: 31. Cap: XLIV: 12. 14. 26. 28. Hos: V: 5. Cap: VIII: 14. Amos: II: 4. 5. Zephan: I: 4. & alibi multoties.

3882. Et substitit a pariendo, quod significet per scalam ascensum a terra usque ad Jehovam seu Dominum, constat a significatione parere seu partus, quod sit verum & bonum, nam hæc sunt partus in sensu spirituali, homo enim regeneratur seu e novo nascitur per verum & bonum; hæc etiam sunt quæ significata sunt per quatuor partus Leæ, Rubenem, Schimeonem, Levi & Jehudam; per Rubenem Verum quod primum regenerationis seu renascentiæ est, hoc modo est quoad scientiam, ita scire verum; per Schimeonem Verum quod alterum regenerationis seu renascentiæ est, hoc verum est quoad voluntatem, ita velle verum; per Levi Verum quod tertium regenerationis seu renascentiæ est, hoc quoad affectionem est, ita affici vero, quod idem est cum charitate; per Jehudam autem bonum, quod quartum regenerationis seu renascentiæ est, quod est cœleste amoris; cum regeneratus seu e novo natus ad hoc pervenit, tunc apparet ei Dominus, ascenderat enim tunc ab infimo gradu sicut per scalam usque ad gradum ubi Dominus; hic etiam ascensus est, qui significatus est per scalam in somnio visam Jacobo statutam terræ, cujus caput pertingeret cœlum, & in qua Angeli Dei ascenderent & descenderent, & super qua Jehovah seu Dominus staret, de qua in Cap: præced: XXVIII; Vers: 12; inde patet, quod per substitit a pariendo illud significetur. Quod per concipere & parere quater dicta, progressus ab externo ad internum, seu a vero ad bonum, hoc est, a terra ad cœlum, significatus sit, videatur n: 3860. 3868. 3874. 3879. Descensus dein sequitur, descendere enim homo non potest nisi prius ascenderat; descensus autem non aliud est, quam ex bono prospicere verum, sicut a monte, ad quem homo enisus est, illa quæ infra jacent, quod tunc uno intuitu comprehendere possit innumerabilia præ illis qui infra aut in valle stant, unicuique patet; similiter se prorsus habet cum illis qui in bono sunt, hoc est, in amore in Dominum & in charitate erga proximum, præ illis qui modo in vero sunt, hoc est, in sola fide.



Continuatio de Maximo Homine, & de Correſpondentia, hic de Correſpondentia cum Corde & Pulmone.

3883. *QUID Maximus homo, & quid Correſpondentia cum illo, prius dictum eſt, quod nempe Maximus homo ſit univerſum cœlum, quod in communi eſt ſimilitudo & imago Domini, & quod correſpondentia ſit Divini Domini cum cœleſtibus & ſpiritualibus ibi, & cœleſtium ac ſpiritualium quæ ibi cum naturalibus quæ in mundo, & principaliter cum illis quæ apud hominem; ita Divini Domini per cœlum ſeu Maximum hominem cum homine, & cum ſingulis quæ apud hominem, uſque adeo ut homo inde exiſtat, hoc eſt, ſubſiſtat.*

3884. *Quia prorſus ignotum eſt in mundo, quod correſpondentia ſit cœli ſeu Maximi hominis cum ſingulis apud hominem, & quod homo inde exiſtat & ſubſiſtat, ac ideo apparitura ut paradoxa & incredibilia quæ de illa dicentur, licet illa quæ experientiæ & inde apud me confirmata fidei ſunt, referre. Quondam cum aperiretur mihi cœlum interius, & ibi cum angelis loquerer, licebat ſequentia obſervare: ſciendum quod tametſi ibi eſſem uſque non eſſem extra me, ſed in corpore, cœlum enim eſt in homine, in quocunque loco ille ſit, ita cum beneplacet Domino, homo poteſt in cœlo eſſe, & uſque non abduci a corpore; inde operationes cœli communes dabatur percipere tam manifeſte ſicut id quod aliquo ſenſu: quatuor Operationes erant, quas tunc percepi, primam in Cerebrum ad ſiniſtrum tempus, quæ operatio erat communis quoad organa Rationis; ſiniſtra enim pars Cerebri correſpondet rationalibus ſeu intellectualibus, dextra autem affectionibus ſeu voluntariis. Alteram operationem communem percepi in Reſpirationem pulmonum, quæ reſpirationem meam molliter ducebat, ſed ab interiori, ita ut non opus haberem per aliquod meæ voluntatis ſpiritum ducere ſeu reſpirare; ipſa Reſpiratio cœli tunc percepta mihi fuit manifeſte; eſt illa interna, ac ideo imperceptibilis homini; ſed influit per mirabilem correſpondentiam in reſpirationem hominis, quæ externa eſt ſeu corporis, quo influxu ſi privaretur homo, momento occumberet mortuus. Tertia operatio, quam*

quam percepi, erat in Cordis sistolen & diastolen, quæ tunc mihi mollior erat, quam usquam alias; tempora pulsus erant regularia, intra respirationis unamquamvis vicem circiter tria, usque tamen talia, ut desinerent in pulmonica, & sic pulmonica regerent; quomodo Cordis vices se insinuabant in Pulmonum vices, ad finem cujusvis respirationis quodammodo observare dabatur; vices pulsus tam observabiles erant, ut potuissem illas numerare, erant distinctæ & molles. Quarta operatio communis erat in Renes, quam quoque percipere datum, sed obscure. Ex his patuit, quod Cœlo seu Maximo homini sint pulsus cardiaci, & quod sint respirationes; & quod pulsus cardiaci cœli seu Maximi hominis correspondentiam habeant cum Corde, & cum ejus systolicis & diastolicis motibus, & quod respirationes cœli seu Maximi hominis correspondentiam habeant cum pulmone & ejus respirationibus; sed quod utrumque inobservabile sit homini, quia imperceptibile propterea quod interna sint.

3885. *Quondam etiam cum abducerer ab ideis quæ a sensualibus corporis, apparebat mihi lux cœlestis, ipsa illa lux abduxit me magis ab illis, nam Luci cœli spiritualis vita inest, videatur n:* 1524. 2776. 3167. 3195. 3339. 3636. 3643; *in qua cum essem, apparebant corporea & mundana sicut infra me, quæ tamen usque appercipiebam sed sicut remotiora a me, & ad me non pertinentia; visus tunc eram mihi in cœlo esse Capite non Corpore: in illo statu etiam observare dabatur respirationem communem cœli, tum qualis esset, erat interior, facilis, spontanea, & correspondens meæ respirationi ut tria ad unum: similiter etiam observare dabatur pulsuum cordis reciprocationes: & tunc informabar ab angelis quod inde pulsus cordis & respirationes omnibus & singulis in tellure; & quod dissimilibus momentis fiant, causa esset, quod & pulsus cardiacus & respiratio pulmonaris, quæ in cœlis, abeant in continuum quoddam, & sic in conatum, qui talis est ut excitet motus illos varie secundum cujusvis statum.*

3886. *Sed sciendum, quod variationes quoad pulsus & quoad respirationes in cœlis sint multiplices, & quod tot sint, quot Societates, se enim ibi habent secundum status eorum cogitationis & affectionis, & hi secundum status fidei & amoris; sed communis pulsus & communis respiratio se habet, sicut supra dictum est. Quondam etiam observare dabatur cardiacos pulsus eorum, qui ab occipitii provincia erant, & singillatim pulsus cœlestium ibi, & singillatim pulsus spiritualium ibi; cœlestium erant taciti & lenes, spiritualium autem fortes & vibratorii; momenta pulsus cœlestium ibi erant ad spiritualium*

spiritualium ut 5 ad 2; influit enim pulsus cœlestium in pulsum spiritualium, & sic exit & transit in naturam. Et quod mirabile Angelorum cœlestium sermo non auditur ab angelis spiritualibus, sed percipitur sub specie pulsus cordis, & id ex causa, quia sermo angelorum cœlestium non intelligibilis est angelis spiritualibus, fit enim ille per affectiones quæ sunt amoris, at spiritualium per ideas intellectuales, videatur n: 1647. 1759. 2157. 3343; *& illæ pertinent ad cordis provinciam, hæ autem ad pulmonum.*

3887. *In Cœlo seu in Maximo homine sunt bina Regna, unum vocatur cœleste, alterum spirituale; Regnum Cœleste constituitur ab Angelis qui celestes vocantur, & illi sunt qui in amore in Dominum fuerunt, ac inde in omni sapientia, nam sunt præ aliis in Domino, & inde præ aliis in statu pacis & innocentiæ, apparent aliis sicut infantes, nam status pacis & innocentiæ illam apparentiam sistit; vivit quasi coram illis quicquid ibi est, nam quod immediate a Domino venit, hoc vivit, hoc est Regnum cœleste. Alterum Regnum vocatur spirituale, hoc constituitur ab Angelis qui spirituales vocantur, & ibi sunt qui in bono charitatis erga proximum fuerunt, jucunditatem vitæ in eo ponunt, quod benefacere possint aliis absque retributione, hoc illis est retributio, quod aliis liceat bonum facere; quo plus hoc volunt & desiderant, eo in majore intelligentia & felicitate sunt, nam quisque in altera vita intelligentia & felicitate a Domino donatur secundum usum quem ex affectione voluntatis præstat; hoc est Regnum spirituale. Qui in cœlesti Regno Domini sunt, pertinent omnes ad provinciam Cordis; & qui in Spirituali Regno pertinent omnes ad provinciam Pulmonum. Influxus a cœlesti Regno in Spirituale se habet similiter sicut influxus Cordis in Pulmones; tum sicut influxus omnium quæ Cordis sunt in illa quæ Pulmonum; Cor enim in universo corpore & in singulis ejus regnat per vasa sanguinea, & quoque Pulmo in singulis ejus per respirationem; inde est ubivis in Corpore sicut influxus Cordis in Pulmones, sed secundum formas ibi & secundum status; inde existit omnis sensatio, ut & omnis actio, quæ propriæ sunt corporis; quod etiam constare potest ab embryonibus & infantibus recens natis, hi non aliquam sensationem corpoream habere possunt, nec aliquam actionem voluntariam, priusquam aperti illis sunt pulmones, & inde influxus unius in alterum datus: in spirituali mundo similiter se habet, sed cum differentia quod ibi non corporea & naturalia*

naturalia sint, sed cœlestia & spiritualia, quæ sunt bonum amoris & bonum fidei, inde cardiaci motus apud illos est secundum status amoris, & respiratorii motus secundum status fidei, influxus unius in alterum facit ut spiritualiter sentiant, & spiritualiter agant. Hæc non possunt aliter apparere homini quam sicut paradoxa, quia de bono amoris & vero fidei non aliam ideam habet, quam quod sint abstracta quædam absque potentia aliquid efficiendi, cum tamen contrarium est, nempe quod inde sit omnis perceptio & sensatio, & omnis vis & actio, etiam quæ in homine.

3888. *Bina illa Regna sistuntur in homine per bina illa regna quæ apud illum, nempe per regnum voluntatis & per regnum intellectus, quæ bina constituunt hominis mentem, imo ipsum hominem, voluntas est cui correspondet pulsus cordis, & intellectus est cui correspondet respiratio pulmonis; inde quoque est, quod in Corpore hominis etiam sint bina regna, nempe cordis & pulmonum: qui hoc arcanum novit, etiam nosse potest, quomodo se habet cum influxu voluntatis in intellectum, ac intellectus in voluntatem, consequenter cum influxu boni amoris in verum fidei, & reciproce, ita quomodo se habet cum regeneratione hominis: sed qui in ideis corporeis solum sunt, hoc est, qui in voluntate mali & intellectu falsi, hæc non capere possunt, ii enim de spiritualibus & cœlestibus non aliter cogitare possunt quam sensualiter & corporee, proinde non nisi quam ex caligine de illis quæ sunt lucis cœlestis seu veri fidei, & ex frigore de illis quæ sunt flammæ cœlestis seu boni amoris, utrumque, nempe caligo illa & frigus illud, exstinguit adeo cœlestia & spiritualia, ut appareant eis sicut nulla.*

3889. *Ut scirem non modo quod correspondentia sit cœlestium quæ sunt amoris cum motibus cordis, & spiritualium quæ sunt fidei ex amore cum motibus pulmonum, sed etiam quomodo se haberet, dabatur per insigne temporis spatium interesse angelis, qui hoc ad vivum ostenderent: formabant illi per mirabilem & nullis vocibus expressibilem fluxonem in gyros, instar cordis & instar pulmonum, cum omnibus contexturis interioribus & exterioribus quæ in illis; & tunc sequebantur fluxum cœli spontaneo modo, nam cœlum connititur in talem formam ex influxu amoris a Domino; ita sistebant singula quæ in corde, & dein unionem inter cor & pulmones, quam etiam repræsentabant per conjugium boni & veri: ex eo etiam patuit, quod*

5 cor

cor correspondeat cœlesti quod est boni, & pulmones spirituali quod est veri; & quod utriusque conjunctio in forma materiali se habeat sicut cordis & pulmonum: & dictum, quod similiter se habeat in universo corpore, nempe in singulis ejus membris, organis & visceribus, cum illis quæ ibi sunt cordis, & quæ ibi sunt pulmonum; ubi enim non ambo agunt, & unumquodvis distincte suas vices, ibi non potest esse aliquis motus vitæ a principio aliquo voluntario, nec aliquis sensus vitæ a principio aliquo intellectuali.

3890. Prius aliquoties dictum est, quod Cœlum seu Maximus homo, in innumerabiles societates distinctum sit, & in genere in totidem quot sunt Organa & viscera in corpore, & quod singulæ societates ad unum illorum pertineant, n: 3745; tum quod societates, tametsi innumerabiles sunt & variæ, usque unum agant, sicut omnia quæ in corpore, tametsi varia sunt, unum societates quæ inibi ad cordis provinciam pertinent, cœlestes societates sunt, & sunt in medio seu in intimis, quæ autem ad pulmonum provinciam inibi pertinent, spirituales sunt, & sunt circumcirca & in exterioribus; influxus a Domino est per cœlestes in spirituales, seu per medium in circuitus, hoc est, per intima ad exteriora; hoc inde est quia Dominus per amorem seu misericordiam influit, inde omne cœleste quod in Regno Ipsius, & per amorem seu misericordiam in bonum fidei, inde omne spirituale quod in Regno Ipsius, & hoc cum ineffabili varietate, sed varietas non existit ex influxu, sed ex receptione.

3891. Quod non modo universum Cœlum, sicut unus homo, respiret, sed etiam singulæ societates in consortio, imo quod omnes angeli & spiritus, testatum mihi factum est per vivas experientias perplures, adeo ut nullum dubium mihi sit relictum; imo mirantur spiritus, si quisquam de eo dubitaret: sed quia pauci sunt, qui de Angelis & Spiritibus aliam ideam habent, quam qualem de immateriali, ac inde quod forent modo cogitationes, ita quod vix substantiæ, minus quod sicut homines sensu visus, sensu auditus, & sensu tactus gauderent, & adhuc minus quod illis respiratio, & inde illis vita sicut homini sed interior, qualis est vita spiritus respective ad hominis, ideo licet adhuc experientias adducere: quondam prædicebatur mihi, antequam dormitum irem, quod essent plures qui contra me conspirarent, animo me interimendi per suffocationem, sed nihil ad eorum minas attendi, quia tutus a Domino, quare secure indormiebam; verum

nocte media. expergefactus ſenſi manifeſte quod non reſpirarem a me, ſed quod ex cœlo; reſpiratio enim non erat mea, ſed uſque reſpirabam. Alioquin innumeris vicibus datum eſt ſentire animationem ſeu reſpirationem ſpirituum, & quoque Angelorum, per id quod illi in me reſpirarent, & quod mea reſpiratio uſque ſimul adeſſet diſtincta ab illorum; ſed hoc ſentire nemo poteſt, niſi cui aperta ſunt interiora, & per illud communicatio data cum cœlo.

3892. Ab Antiquiſſimis, qui cœleſtes homines fuerunt, & præ reliquis in amore in Dominum, informatus ſum, quod illi non reſpirationem externam, qualem poſteri illorum, ſed internam habuerint, & quod reſpiraverint cum Angelis, cum quibus in conſortio fuerunt, ex cauſa quia in cœleſti amore fuerunt: informatus etiam, quod ſtatus eorum reſpirationis ſe habuerint prorſus ſecundum ſtatus amoris eorum & inde fidei, de quibus videantur, quæ prius n: 608. 805. 1118. 1119. 1120, relata ſunt.

3893. Erant Chori angelici, qui ſimul celebrabant Dominum, & hoc ex cordis lætitia; audita erat celebratio quandoque ut ex dulci cantu, vox enim ſonora eſt ſpiritibus & Angelis inter ſe, & audiuntur ſibi tam bene ac homo homini, ſed cantus humanus quoad ſuavitatem & harmoniam, quæ cœleſtis, non illi comparabilis eſt; ex ſoni varietate percepi, quod plures chori eſſent: inſtruebar ab Angelis qui apud me, quod illi ad provinciam pulmonum & eorum functiones pertinerent, illis enim eſt cantus, quia hoc officium eſt pulmonum hoc etiam per experientiam ſcire dabatur; licebat illis regere reſpirationem meam, quod fiebat tam leniter & dulce, & quoque interius, ut vix ullam meam reſpirationem ſentirem: inſtruebar etiam quod diſtincti eſſent illi, qui reſpirationi involuntariæ & reſpirationi voluntariæ dicati ſunt; dicebatur, quod qui involuntariæ reſpirationi dicati ſunt, adſint cum homo dormit, nam ut primum homo dormit, ceſſat ejus voluntarium reſpirationis, & excipit reſpirationis involuntarium.

α 3894. Quia ut ſupra n: 3892 dictum, reſpirationes angelorum & ſpirituum ſe habent prorſus ſecundum ſtatus eorum amoris & inde fidei, inde eſt quod una ſocietas non reſpiret ſimiliter ac altera; tum quod mali, qui in amore ſui & mundi, & inde in falſo ſunt, non poſſint intereſſe bonorum conſortio, ſed cum ad illos accedunt videantur ſibi non poſſe reſpirare, ſed quaſi ſuffocari, & quod inde ut ſemimortui ac ſicut lapides decidantuſque in infernum,

num, ubi rursus suam respirationem recipiunt, quam communem habent cum illis ibi; inde constare potest, quod illi qui in malo & falso sunt, non possint esse in Maximo homine seu in cœlo, cum enim respiratio illorum ad approximationem illuc cessare incipit, tunc quoque omnis illorum apperceptio & cogitatio, & quoque omnis illorum conatus faciendi malum & persuadendi falsum, & cum conatu perit illis omnis actio & motus vitalis, quare non possunt aliter quam se præcipites inde dejicere.

b. 3894. *Quia ita est, & probi, dum in alteram vitam veniunt, primum remittuntur in vitam quam in mundo habuerunt,* n: 2119, *ita quoque in amores & voluptates illius vitæ, ideo nondum, antequam præparati sunt, in consortio Angelorum possunt esse, etiam quoad respirationem; quapropter, cum præparantur, primum inaugurantur in vitam angelicam per concordes respirationes, & simul tunc veniunt in perceptiones interiores & in liberum cæleste: hoc fit in societate plurimum seu in choris, in quibus unus respirat similiter ac alter tum similiter percipit, & similiter ex libero agit; quod quomodo fit, etiam ad vivum mihi ostensum est.*

3895. *Persuasivum mali & falsi, etiam persuasivum veri cum homo in vita mali est, tale in altera vita est, ut quasi suffocet alios, & quoque probos spiritus antequam inaugurati sunt in respirationem angelicam, quapropter illi qui in persuasivo sunt, removentur a Domino, & detinentur in inferno, ubi unus alteri non noscere potest, ibi enim unius persuasivum pæna simile est alterius, ac inde respirationes concordant: quidam, qui in tali persuasivo erant, ad me venerunt, animo me suffocandi, & quoque aliquid suffocationis intulerunt, sed a Domino liberatus sum; infans tunc a Domino missus est, a cujus præsentia ita angebantur, ut illi vix respirare possent, in quo statu tenebantur usque ad supplicationes, & sic detrusi sunt in infernum. Persuasivum veri cum homo in vita mali est, tale est, quod persuadeat sibi verum esse quod verum, non propter finem boni sed propter finem mali, ut nempe lucretur per id honores, famam & opes, omnium pessimi in tali persuasivo possunt esse, etiam in apparente zelo, usque adeo ut damnent ad infernum omnes qui non in vero sunt, utcunque in bono, de quo persuasivo videatur* n: 2689. 3865; *tales in principio cum veniunt in alteram vitam, credunt se Angelos, sed ad Angelicam aliquam societatem non approximare possunt, ex suomet persuasivo ibi quasi suffocantur;*

cantur illi sunt, de quibus Dominus loquutus est apud Matthæum "*Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo multas virtutes fecimus; sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me* operatores iniquitatis."

3896. *Continuatio de Maximo homine, & de Correspondentia, ad finem Capitis sequentis.*



LIBRI *GENESEOS.*

CAPUT TRIGESIMUM.

3897. SEcundum institutum ante hoc Caput explicanda veniunt, quæ Dominus docuit de Ultimo Judicio seu de ultimis temporibus Ecclesiæ apud Matthæum Cap: XXIV: ante Caput præcedens explicata sunt, quæ ibi a Versu 19 ad 22 continentur, nunc sequuntur quæ a Versu 23 ad 28, nempe " *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus aut ibi, ne credatis. Surgent enim falsi Christi, & falsi prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ut seducant, si possibile, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, ne exeatis, ecce in conclavibus, ne credatis. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usque ad occidentem, ita erit etiam adventus Filii hominis. Ubicunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur etiam aquilæ.*

3898. Quid hæc verba involvunt, nemo scire potest, nisi sensus internus doceat, ut quod surgent falsi Christi, qui daturi signa & prodigia; qui si dixerint, quod Christus sit in deserto, quod non exirent, si dixerint quod in conclavibus, non crederent; quod adventus Filii hominis erit sicut fulgur quod exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem; tum quod ubi cadaver illic congregabuntur aquilæ: hæc, sicut illa quæ præcedunt & quæ sequuntur in hoc Capite, quoad sensum literæ in nulla serie esse videntur, sed tamen quoad sensum internum in pulcherrima sunt, quæ series tunc primum apparet, cum intelligitur quid per falsos Christos significatur, quid per signa & prodigia, quid per desertum & conclavia, tum quid per adventum Filii hominis, & denique quid per cadaver & aquilas. Quod ita loquutus sit Dominus, fuerat ob causam, ut non intelligerent verbum, ne prophanarent illud; cum enim Ecclesia vastata est, sicut erat tunc apud Judæos, si intellexissent, prophanavissent, quapropter, etiam Dominus per parabolas loquutus est ob eandem causam, sicut Ipse docet apud Matthæum Cap: XIII: 13. 14. 15. Marc: IV: 11. 12. Luc: VIII: 10; nam prophanari Verbum non potest ab illis qui mysteria non sciunt, sed ab illis qui sciunt, videatur n: 301. 302. 303. 593. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 3398. 3402; & magis

5

magis ab illis qui sibi docti apparent, quam qui sibi indocti: ast quod nunc aperiantur interiora Verbi, est quia Ecclesia hodie in tantum vastata est, hoc est, absque fide & amore, ut tametsi sciunt & intelligunt, usque non agnoscant, minus credant, videatur n: 3398. 3399, præter paucos, qui in vita boni sunt & electi vocantur, qui nunc instrui possunt, apud quos nova Ecclesia instituenda; sed ubinam illi sunt, solus Dominus novit, pauci erunt intra Ecclesiam, gentes fuerunt, apud quas novæ Ecclesiæ prius instauratæ sunt, videatur n: 2986.

3899. Actum est in illis quæ præcedunt in hoc Capite apud Matthæum de successiva vastatione Ecclesiæ, quod nempe primum non amplius inciperent scire quid bonum & verum, sed litigarent de illis; dein quod contemnerent illa; tertio quod non agnoscerent; quarto quod prophanarent, videatur n: 3754: nunc agitur de statu Ecclesiæ qualis est tunc quoad doctrinam in communi, & apud illos in specie, qui in sancto cultu externo, sed in prophano interno sunt, hoc est, qui ore profitentur Dominum cum sancta veneratione, sed corde se colunt & mundum, sic ut cultus Domini illis sit pro medio lucrandi honores & opes; illi quantum agnoverunt Dominum, cælestem vitam & fidem, tantum, cum tales fiunt, prophanant. De hoc statu Ecclesiæ nunc agitur; ut melius constare potest a sensu interno verborum Domini, quæ supra allata sunt; qui talis.

3900. *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut ibi, ne credatis*, significat hortationem ut sibi caveant a doctrina eorum: Christus est Dominus quoad Divinum Verum, inde est quoad Verbum & quoad doctrinam ex Verbo; hic quod sit contrarium, nempe Divinum Verum falsificatum, seu doctrina falsi, constat: quod Jesus sit Divinum Bonum, & Christus Divinum Verum, videatur n: 3004. 3005. 3008. 3009. *Surgent enim falsi Christi & falsi prophetæ*, significant falsa illius doctrinæ; quod falsi Christi sint doctrinalia ex Verbo falsificata, seu vera non Divina, patet ab illis quæ mox supra dicta sunt, videatur n: 3010. 3732 f. & quod falsi prophetæ sint qui falsa illa docent, n: 2534: qui falsa docent, sunt in Christiano orbe imprimis illi, qui pro fine habent sui excellentiam, tum mundi opulentiam, illi enim Verbi vera ad sui favorem pervertunt; sui enim & mundi amor cum pro fine est, nihil aliud cogitatur; hi sunt falsi Christi & falsi prophetæ. Et *dabunt signa magna & prodigia*, significat confirmantia & persuadentia ex apparentiis externis & fallaciis, quibus simplices se seduci patiuntur; quod hæc sint dare signa

signa & prodigia, alibi, ex Divina Domini Misericordia, ostendetur. *Ut seducant, si possibile, etiam electos*, significat illos qui in vita boni & veri sunt, & inde apud Dominum; illi sunt qui in Verbo vocantur electi: hi in cætu illorum qui prophanum cultum sub sancto velant, raro apparent, aut si apparent non cognoscuntur, nam Dominus illos abscondit, ac ita tutatur; antequam enim confirmati sunt, facile se per Sanctitates externas abduci patiuntur, sed postquam confirmati sunt, permanent; tenentur enim a Domino in consortio angelorum, quod ipsi nesciunt, & tunc impossibile est, ut a turba illa nefanda seducantur. *Ecce prædixi vobis*, significat hortationem ad prudentiam, ut nempe sibi caveant, sunt enim inter pseudoprophetas, qui apparent in indumentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces, Matth: VIII: 25; pseudoprophetæ illi sunt filii sæculi, qui prudentiores sunt, hoc est, callidiores filiis lucis in generatione sua, de quibus apud Lucam Cap: XVI: 8; quapropter Dominus hortatur illos his verbis "Ecce Ego mitto vos sicut oves in medium luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ" Matth: X: 16. *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, ne exeatis, ecce in conclavibus, ne credatis*, significat quod non credendum quod loquuntur de vero, nec quod loquuntur de bono, & plura: quod hæc sint quæ significantur, nemo videre potest, nisi qui sensum internum novit; quod arcanum in illis verbis contineatur, scire potest ex eo, quod Dominus illa loquutus sit, & quod absque alio sensu interius recondito sit quoddam nihil, nempe si dicerent Christum esse in deserto non exirent, & si dicerent esse in conclavibus quod non crederent, sed vastatum verum est quod per desertum significatur, & vastatum bonum per conclavia seu penetralia; quod vastatum verum per desertum significetur, est inde, quia Ecclesia cum vastata est, hoc est, cum in illa non amplius aliquod verum Divinum, quia non amplius aliquod bonum seu amor in Dominum & charitas erga proximum, tunc dicitur illa desertum, seu esse in deserto, nam per desertum intelligitur omne id quod non excultum aut habitatum est, n: 2708, tum quod parum vitale, n: 1927, sicut tunc est verum in Ecclesia, inde patet, quod desertum hic sit Ecclesia in qua non verum; Conclavia autem seu penetralia significant in sensu interno Ecclesiam quoad bonum, tum simpliciter bonum, Ecclesia quæ est in bono vocatur domus Dei, conclavia sunt bona & quæ in domo; quod domus Dei sit divinum bonum, & domus in genere bonum quod est amoris & charitatis, videatur n: 2233. 2234. 2559. 3142.

3142. 3652. 3720: quod non credendum quod loquuntur de vero & quod loquuntur de bono, est causa, quia falsum vocant verum, & malum bonum, qui enim se & mundum spectant ut finem, non aliud per verum & bonum intelligunt quam quod ipsi adorandi, & quod ipsis benefaciendum; sique pietatem inspirant, est ut appareant in indumentis ovium. Præterea, quia Verbum, quod Dominus loquutus, innumerabilia in se continet, & desertum est vox amplæ significationis, nam omne id desertum vocatur quod non excultum & habitatum est, & conclavia vocantur omnia illa quæ interiora sunt, ideo etiam per desertum significatur Verbum Veteris Testamenti, nam hoc abrogatum censetur, & per conclavia Verbum Novi Testamenti, quia interiora seu de interno homine docet: pariter etiam totum Verbum dicitur desertum, cum non amplius inservit pro doctrinalibus, & conclavia vocantur institutiones humanæ, quæ quia discedunt a Verbi præceptis & institutis faciunt ut Verbum sit desertum; ut quoque notum est in orbe Christiano, qui enim in cultu sancto externo sunt, & prophano interno, propter innovationes quæ spectant sui eminentiam super omnes & opulentiam præ omnibus, ut fines, Verbum abrogant, imo in tantum, ut ne quidem legi ab aliis permittant: & qui non in tali cultu prophano sunt, tametsi Verbum sanctum habent, & in vulgo esse permittunt, usque ad doctrinalia sua omnia inflectunt & explicant, quod facit ut reliqua in Verbo, quæ non secundum doctrinalia sunt, sint desertum, ut satis constare potest ab illis qui in sola fide salutem ponunt & charitatis opera contemnunt, illi omne id faciunt sicut desertum, quod Dominus Ipse in Novo Testamento, & toties in Veteri de Amore & Charitate loquutus est, & sicut conclavia omnia quæ fidei absque operibus sunt: inde patet, quid per si dixerint vobis ecce in deserto est ne exeatis, ecce in conclavibus ne credatis, significatur. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem, ita erit etiam adventus Filii hominis*, significat quod cum interno cultu Domini ita erat, sicut cum fulgure, quod illico dissipatur; per fulgur enim significatur id quod lucis cœlestis est, ita quod de amore & fide prædicatur, nam hæc sunt lucis cœlestis; oriens in supremo sensu est Dominus, in sensu interno est bonum amoris, charitatis & fidei a Domino, videatur n: 101. 1250. 3249; occidens autem in sensu interno est quod occubuit seu desiit esse, ita non agnitio Domini, nec boni amoris, charitatis & fidei, ita fulgur quod exit ab oriente & apparet usque ad occidentem, est dissipatio; adventus Domini non est secundum literam,
quod

quod appariturus iterum mundo, ſed eſt præſentia Ipſius in unoquovis, quæ toties eſt, quoties prædicatur evangelium, & de ſancto cogitatur. *Ubicunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ*, ſignificat quod confirmationes falſi per ratiocinia in Eccleſia vaſtata multiplicabuntur: Eccleſia dum abſque bono & inde vero fidei eſt, ſeu cum vaſtata eſt, tunc mortua dicitur, nam vita ejus eſt a bono & vero, inde cum mortua eſt comparatur cadaveri; ratiocinia de bonis & veris quod non ſint niſi quantum capiuntur, & per illa confirmationes mali & falſi, ſunt aquilæ, ut conſtare poteſt ab illis, quæ mox ſequuntur; quod Cadaver hic ſit Eccleſia abſque vita charitatis & fidei, patet a Domini verbis, ubi de conſumatione ſæculi, apud Lucam "Diſcipuli dicebant, ubi Domine, nempe conſumatio ſæculi ſeu ultimum judicium, Jeſus dixit illis, *ubi Corpus ibi congregabuntur aquilæ*" XVI: 37, Corpus ibi loco cadaveris, eſt enim corpus mortuum quod hic intelligitur, & ſignificat Eccleſiam, nam quod judicium a domo Dei ſeu ab Eccleſia inchoaturum, conſtat paſſim ex Verbo. Hæc ſunt quæ verba Domini nunc allata & explicata in ſenſu interno ſignificant; quæ quod in pulcherrima ſerie ſint, tametſi non ita in ſenſu literæ apparet, conſtare poteſt contemplanti illa in nexu ſecundum explicationem.

3901. Quod Eccleſiæ ultimus ſtatus comparatus ſit aquilis quæ congregantur ad cadaver ſeu corpus eſt quia per Aquilas ſignificantur rationalia hominis, quæ cum prædicantur de bonis ſunt rationalia vera, ſed cum de malis ſunt rationalia falſa ſeu ratiocinia; Aves in genere ſignificant cogitationes hominis, etiam in utroque ſenſu, n: 40. 745. 776. 866. 991. 3219; & unaquævis ſpecies aliquid ſingulare, aliquæ quia alte volant & acute vident, rationalia: quod ita ſit, conſtare poteſt a pluribus locis in Verbo, quorum hæc licet ad confirmationem adducere; primum ubi ſignificant rationalia vera, apud Moſen "Jehovah invenit populum ſuum in terra deſerti, & in inanitate, ejulatu, ſolitudine, circumduxit illum, inſtruxit illum, cuſtodivit illum ſicut pupillam oculi, *ſicut Aquila excitat nidum ſuum*, ſuper pullis motitat ſe, expandit alas ſuas, accipit illum, portat illum ſuper ala ſua" Deut. XXXII: 10. 11; eſt inſtructio in veris & bonis fidei, quæ hic deſcribitur, & comparatur aquilæ, ipſe proceſſus uſque dum homo fit rationalis & ſpiritualis in deſcriptione & comparatione continetur; comparationes in Verbo omnes fiunt per ſignificativa, inde hic per Aquilam quæ eſt rationale. Apud Eundem "Jehovah ad Moſen, vos vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, & *tulerim*

vos

vos ſuper alis aquilarum, ut adducerem vos ad Me" Exod: XIX: 3. 4. ſimiliter. Apud Eſajam "Exſpectantes Jehovam innovabuntur robore, *aſcendent ala forti ſicut aquilæ*, current & non delaſſabuntur, ambulabunt & non defatigabuntur" XL: 31; innovari robore pro creſcere quoad velle bonum, aſcendere ala forti ſicut aquilæ pro creſcere quoad intelligere verum, ita quoad rationale; res per binas expreſſiones hic ut alibi exponitur, quarum una involvit bonum quod eſt voluntatis, altera verum quod eſt intellectus, ſimiliter currere non delaſſari, ambulare non defatigari. Apud Ezechielem "Parabolam paraboliza de domo Iſraelis, & dic, ſic dixit Dominus Jehovih, *aquila magna, longa pennas, plena plumis*, cui acupictura, venit ſuper Libanum, & accepit ramuſculum cedri, deduxit in terram commercii, in urbe aromatoriorum poſuit, germinavit & factus eſt in vitem luxuriantem. Fuit *Aquila altera magna, magna magna plumis*, ad quam ecce vitis hæc applicabat radices ſuas, & palmites ſuos emiſit ad illam, ad irrigandum illam ex areolis plantationum ſuarum in agro bono, apud aquas multas, ſed devaſtabitur: miſit legatos ſuos in Ægyptum ad dandum ſibi equos & populum multum" XVII 2 ad 9. 15; aquila primum nominata pro rationali illuſtrato a Divino, aquila altero loco pro rationali ex proprio per ratiocinia ex ſenſualibus & ſcientificis dein perverſo facto, Ægyptus pro ſcientificis, n: 1164. 1165. 1186. 1462, equi pro intellectuali inde, n: 2761. 2762. 3217. Apud Danielem "Viſio Danielis; quatuor beſtiæ aſcenderunt e mari, diverſæ hæc ab altera, prima ſicut leo, ſed *alæ aquilæ illi*, videns fui donec evulſæ ſunt alæ ejus, & ſublata eſt a terra, & ſupra pedes ſicut homo erecta, & cor hominis datum ei" VII. 3. 4; eſt ſtatus primus Eccleſiæ qui per leonem cui alæ aquilæ, deſcribitur, & ſunt ibi alæ aquilæ rationalia ex proprio, quibus ſublatis rationalia & voluntario ex Divino data ſunt, quæ ſignificantur per quod ſublata ſit a terra, & ſuper pedes ſicut homo erecta, & cor hominis datum. Apud Ezechielem "Similitudo facierum quatuor Animalium ſeu Cheruborum, facies hominis & facies leonis ad dextram quatuor illis, & facies bovis ad ſiniſtram quatuor illis, & *facies aquilæ* quatuor illis" I: 10. Rotæ eorum vocabantur Galgal, & quatuor facies unicuique, facies primæ facies cherubi, & facies ſecundæ facies hominis, & tertiæ facies leonis, & quartæ *facies aquilæ*" X: 13. 14. Apud Johannem "Circa thronum quatuor animalia plena oculis ante & retro, primum animal ſimile leoni, alterum animal ſimile vitulo, tertium animal habens faciem ſicut homo, quartum animal

ſimile

ſimile Aquilæ volanti" Apoc: IV: 7; quod animalia illa viſa ſignificent arcana Divina, conſtat, proinde quod ſimilitudo facierum illorum; ſed quænam arcana non ſciri poteſt, niſi ſciatur quid in ſenſu interno eſt leo, vitulus, homo, aquila; quod aquilæ facies ſit circumſpectio & inde Providentia patet, nam Cherubi, qui repræſentati ſunt per Animalia apud Ezechielem, ſignificant Providentiam Domini ne homo ex ſe & ex ſuo rationali intret in myſteria fidei, videatur n: 308; inde quoque patet, quod Aquila, cum prædicatur de homine, in ſenſu interno ſit rationale, & hoc inde, quia aquila alte volat, & a ſuperiori proſpicit late illa quæ infra ſunt. Apud Hiobum "Num per intelligentiam tuam volat accipiter, expandit alas verſus auſtrum, num juxta os tuum *attollit ſe Aquila*, & quod exaltet nidum ſuum" XXXIX: 26. 27, hic quod Aquila ſit ratio, quæ eſt intelligentiæ, patet; tale ſignificavit aquila in Eccleſia Antiqua, nam liber Hiobi eſt Antiquæ Eccleſiæ liber, n: 3570 f: libri enim tunc temporis pæne omnes per ſignificativa conſcripti ſunt, ſed ſignificativa temporis ſucceſſu ita obliterata ſunt, ut ne quidem ſciatur quod aves in communi ſint cogitationes, tametſi in Verbo toties nominantur, & ibi apparet manifeſte quod aliud ſignificent. Quod Aquila in oppoſito ſenſu ſignificet rationalia non vera, ita falſa, patet a ſequentibus locis; apud Moſen "Extollet Jehovah ſupra te gentem e longinquo ab extremitate terræ, *quemadmodum advolat Aquila*, gentem cujus non audis linguam, gentem duram faciebus" Deut: XXVIII: 49. 50. Apud Jeremiam "Ecce nubes aſcendit, & ſicut procella currus ejus, *celeres ſunt præ aquilis equi ejus*, væ nobis quia vaſtati ſumus" IV: 13. Apud Eundem "Jactantia tua decepit te, ſuperbia cordis tui habitans in foraminibus petræ occupans altitudinem collis, quia *exaltas ſicut aquila nidum tuum*, inde dejiciam te. Ecce *ſicut aquila aſcendit & volat*, & extendit alas ſuas ſupra Bozram, & factum eſt cor potentum, Edomi in die illo ſicut cor mulieris quæ in anguſtia" XLIX: 16. 17. 22. Apud Eundem "Celeres fuerunt inſectantes nos *præ aquilis*, ſuper montibus inſectati ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis" Thren: IV: 19. Apud Micham "Calvitiem induc, & tonde te ſuper filios deliciarum tuarum, dilata calvitiem *ſicut aquila*, quia migrarunt a te" I: 16. Apud Obadiam "Si *exaltaveris te ſicut aquila*, & ſi inter ſtellas ponis nidum tuum, inde detraham te" Verſ: 4. Apud Habakuk "Ego excitans Chaldæos, gentem amaram & præcipitem, pergentem in latitudines terræ, ad hæreditandum habitacula non ſua, *cujus leves ſunt præ aquilis equi*, equites ejus e longinquo

longinquo venient, advolabunt ficut *aquila feftinans ad comedendum*" 1 : 6. 8 ; in his locis per aquilas fignificatur falfitas inducta per ratiocinia, quæ inducitur ex fallaciis fenfuum & apparentiis externis ; quod apud Prophetam ultimo citatum per Chaldæos fignificentur illi qui in externo fancto funt, fed interius in falfo, videatur n : 1368 ; quod illi ficut Babel fint qui vaftant Ecclefiam, n : 1327 ; quod latitudines terræ fint vera, n : 3433. 3434, vaftatio fignificatur per pergentem in latitudines terræ ; quod equi fint intellectualia illorum quæ fimilia, n : 2761. 2762. 3217 ; quid aquila feftinans ad comedendum, inde conftat, quod nempe ad defolandum hominem veris, nam de defolatione Ecclefiæ ibi agitur : comparationes funt cum aquilis, fed, ut dictum, comparationes in Verbo fiunt per fignificativa. Inde nunc patet, quid per comparationem cum aquilis quæ congregabuntur ad cadaver, fignificatur.

CAPUT XXX.

1. ET vidit Rachel, quod non pareret Jacobo, & zelavit Rachel in fororem fuam, & dixit ad Jacobum, da mihi filios, & fi non, mortua ego.

2. Et accenfus ira Jacob in Rachelem, & dixit, an pro Deo ego, qui prohibet a te fructum ventris.

3. Et dixit, ecce famula mea Bilhah, veni ad illam, & pariat fuper genua mea, & ædificabor etiam ego ex illa.

4. Et dedit ei Bilham ancillam fuam ad mulierem, & venit ad illam Jacob.

5. Et concepit Bilhah, & peperit Jacobo filium.

6. Et dixit Rachael, judicavit me DEUS, & etiam audivit vocem meam, & dedit mihi filium, propterea, vocavit nomen ejus Dan.

7. Et concepit adhuc, & peperit Bilhah ancilla Rachelis filium fecundum Jacobo.

8. Et dixit Rachel, luctationibus DEI luctata fum cum forore mea, etiam valui, & vocavit nomen ejus Napthali.

9. Et vidit Leah, quod fubftitiffet a pariendo, & accepit Silpam ancillam fuam, & dedit illam Jacobo ad mulierem.

10. Et peperit Silpah ancilla Leæ Jacobo filium.

11. Et dixit Leah, venit turma, & vocavit nomen ejus Gad.

12. Et peperit Silpah ancilla Leæ filium secundum Jacobo.

13. Et dixit Leah, in beatitudine mea, quia beatificabunt me filiæ, & vocavit nomen ejus Ascher.

14. Et ivit Reuben in diebus messis triticorum, & invenit dudaim in agro, & adduxit illos ad Leam matrem suam, & dixit Rachel ad Leam, da quæso mihi de dudaim filii tui.

15. Et dixit illi, an parum sumsisse te virum meum, & sumes etiam dudaim filii mei; & dixit Rachel, idcirco cubabit cum te nocte hac pro dudaim filii tui.

16. Et venit Jacob de agro in vespera, & exivit Leah obviam ei, & dixit, ad me venies, quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei; & cubuit cum illa in nocte illa.

17. Et audivit DEUS ad Leam, & concepit & peperit Jacobo filium quintum.

18. Et dixit Leah, dedit DEUS mercedem meam, quod dedi ancillam meam viro meo, & vocavit nomen ejus Jisaschar.

19. Et concepit adhuc Leah, & peperit filium sextum Jacobo.

20. Et dixit Leah, dotavit me DEUS me dote bona, vice hac cohabitabit mihi vir meus, quia peperi illi sex filios, & vocavit nomen ejus Sebulun.

21. Et postea peperit filiam, & vocavit nomen ejus Dinah.

22. Et recordatus est DEUS Rachelis, & audivit ad illam DEUS, & aperuit uterum illius.

23. Et concepit, & peperit filium, & dixit, collegit DEUS ignominiam meam.

24. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, addat JEHOVAH mihi filium alterum.

* * * *

25. Et factum, cum peperisset Rachel Josephum, & dixit Jacob ad Laban, mitte me, & eam ad locum meum, & ad terram meam.

26 Da fæminas meas, & natos meos, quod servivi tibi pro illis, & eam, quia tu nosti servitium meum, quo servivi tibi.

27. Et dixit ad eum Laban, si quæso inveni gratiam in oculis tuis, expertus sum, & benedixit mihi JEHOVAH propter te.

28. Et dixit, designa mercedem tuam super me, & dabo illam.

29.

29. Et dixit ad eum, tu nosti qualiter servivi tibi, & qualiter fuit acquisitio tua mecum.

30. Quia parum quod fuit tibi ante me, & erupit ad multitudinem, & benedixit JEHOVAH tibimet ad pedem meum, & nunc quando faciam etiam ego domui meæ.

31. Et dixit, quid dabo tibi; & dixit Jacob, non dabis mihi quicquam, si facias mihi verbum hoc, revertar, pascam, gregem tuum custodiam.

32. Transibo per omnem gregem tuum hodie, removendo abinde omne pecus punctatum & maculosum, & omne pecus nigrum in agnis, & maculosum & punctatum in capris, & erit merces mea.

33. Et respondebit mihi justitia mea in die crastino, quia venis super mercedem meam coram te, omne quod non est illud punctatum & maculosum in capris, & nigrum in agnis, furatum illud cum me.

34. Et dixit Laban, ecce utique sit secundum verbum tuum.

35. Et removit in die isto capros variegatos & maculosos, & omnes capras punctatas & maculosas, omne in quo album, & omne nigrum in agnis, & dedit in manum filiorum ejus.

36. Et posuit viam trium dierum inter se & inter Jacobum, & Jacob pascens greges Labanis reliquos.

37. Et accepit sibi Jacob baculum populi recentem, & corylum, & platanum, & decorticavit in illis decorticationes albas, denudationem albi, quod super baculis.

38. Et constituit baculos, quos decorticavit, in canalibus, in potatoriis aquæ, quo veniebant greges ad bibendum, e regione gregum, & incalescebant in veniendo illos ad bibendum.

39. Et incalescebant greges ad baculos, & pariebant greges variegatos, punctatos, & maculosos.

40. Et agnos separavit Jacob, & dedit facies gregis ad variegatum, & omne nigrum in grege Labanis, & posuit sibi catervas soli sibi, & non posuit eos ad gregem Labanis.

41. Et fuit in omni incalescendo gregis primum coeuntium, & posuit Jacob baculos ad oculos gregis in canaliculis, ad incalescendum illum ad baculos.

42. Et ad dein coire gregem non posuit, & erat dein coeuntium Labani, & primum coeuntium Jacobo.


43. Et diffudit se vir valde valde, & erat ei greges multi, & ancillæ, & servi, & cameli, & asini.

CON-

CONTENTA.

3902. IN Capite præcedente per quatuor filios Jacobi ex Leah, actum est de statu Ecclesiæ, seu hominis qui sit Ecclesia, quoad ascensum a vero quod fidei ad bonum quod amoris: in hoc Capite per filios Jacobi ex ancillis Rachelis & Leæ, & ex Leah, & denique ex Rachele, agitur de conjunctione veri naturalis per media cum bono spirituali; & hoc eo ordine, quo fit apud hominem qui regeneratur.

3903. Post conjunctionem illam describitur fructificatio & multiplicatio veri & boni, quæ significatur per gregem, quem sibi Jacob per gregem Labanis comparavit.



SENSUS INTERNUS.

3904. Vers: 1: 2. *ET vidit Rachel, quod non pareret Jacobo, & zelavit Rachel in sororem suam, & dixit ad Jacobum, da mihi filios, & si non, mortua ego. Et accensus ira Jacob in Rachelem, & dixit an pro Deo ego, qui prohibet a te fructum ventris.* Vidit Rachel quod non pareret Jacobo, significat quod nondum interius verum agnitum: & zelavit Rachel in sororem suam, significat indignationem quod non agnosceretur sicut externum: & dixit ad Jacobum, da mihi filios, significat quod a Veri naturalis bono vellet habere vera interiora: & si non, mortua ego, significat quod sic non resurgeret: & accensus ira Jacob in Rachelem, sigificat indignationem a parte boni naturalis: & dixit, an pro deo ego, significat quod ei impossibile: qui prohibet a te fructum ventris, significat quod hoc ab interna.

3905. Vidit Rachel quod non pareret Jacobo, quod significet quod nondum interius verum agnitum, constat a repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris seu verum interius, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; ex significatione parere, quod sit agnoscere fide tum actu, de qua sequitur; & ex repræsentatione Jacobi, quod sit bonum veri naturalis, de qua n: 3669. 3677. 3829, & in toto Capite præcedente: quod parere sit agnoscere fide tum actu, est quia per partus in Verbo significantur partus spirituales, n: 1145. 1255. 3860. 3868, spiritualis partus est veri & boni agnitio & fides, hic agnitio fide tum actu, nempe veri interioris per Rachelem repræsentati; quia non prius aliquid agnoscitur fide, quam cum vivitur secundum id, idcirco dicitur agnitio fide tum actu; vera fidei quæ non addiscuntur propter agere,

agere, sed solum propter scire, illa se adjungunt affectionibus mali & falsi, quare non sunt fidei apud illum qui addidicit, sed sunt interius contra fidem.

3906. Et zelavit Rachel in sororem suam, quod significet indignationem quod non agnosceretur sicut externum, constat a significatione zelare, quod sit indignationis, & quidem quod non pareret sicut Leah; a repræsentatione Rachelis, quod sit verum interius, de qua mox supra n: 3904, & ex significatione sororis, quæ hic Leah, quod sit verum externum; quod Leah sit verum externum, videatur n: 3793, 3819. Ita se habet cum illis qui regenerantur, discunt scire quid verum internum, sed principio non agnoscunt id tali fide ut vivatur secundum id; vera enim interna conjuncta sunt affectioni spirituali, quæ non influere potest, priusquam externa vera ad correspondentiam cum internis sunt adaptata; sicut hoc verum internum pro exemplo, quod omne bonum sit a Domino, & quod non bonum sit quod a proprio hominis; illud principio regenerationis sciri potest, sed usque non agnosci fide tum actu, id enim agnoscere fide & actu, est perceptionem habere quod ita sit, & affectionem quod ita esse velit, & hoc in omni actu boni; tum perceptionem quod bonum ex proprio non possit aliter quam spectare se, ita præferentiam sui præ aliis, consequenter contemtum aliorum, ac insuper meritum in bono quod agit, hæc insunt vero externo antequam ei conjunctum est verum internum, quæ non conjungi possunt, priusque sui intuitio cessare, & intuitio proximi sentiri incipit: exinde patere potest, quid intelligitur per indignationem, quod verum internum non adhuc agnosceretur sicut externum.

3907. Et dixit ad Jacobum, da mihi filios, quod significet quod a veri naturalis bono vellet habere vera interiora, constat a repræsentatione Jacobi, quod sit veri naturalis bonum, de qua mox supra n: 3904; & a significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623, hic vera interiora, quia a Rachele, per quam quod repræsentetur verum interius, videatur n: 3758. 3782. 3793. 3819.

3908. Et si non, mortua ego, quod significet quod sic non resurgeret, constat ex significatione mori, quod sit non resurgere in vitam; uxores antiquis temporibus se dicebant mortuas, cum non filium seu filiam parerent, & quoque se ut tales credebant; quia nulla sui memoria seu quasi vita, in posteritate relicta maneret; sed quod tales se dicerent & crederent, erat quidem ob causas in mundo; sed quia omnis causa existit a causa priore se, ita omne causæ in mundo naturali a causa in mundo spirituali, ita etiam hæc, causa in mundo spirituali erat ex conjugio cœlesti boni & veri, in quo partus non alii sunt, quam vera fidei & boni charitatis, illa & hæc ibi sunt filii & filiæ, & quoque per filios & filias in Verbo, significantur, is cui illis partus, nempe vera fidei & bona charitatis, non sunt, quasi mortuus est, hoc est, inter mortuos qui non resurgunt, nempe ad vitam seu cœlum: inde constare potest, quid per illa verba Rachelis, si non, mortua ego, significatur.

3909.

3909. Et accensus ira Jacob in Rachelem, quod significet indignationem a parte boni naturalis, constat a significatione accendi ira, quod sit indignari, de qua sequitur; & a repræsentatione Jacobi, quod sit bonum naturalis, de qua supra in Rachelem dicitur, quia verum interius per Rachelem repræsentatum a bono naturalis, quod est Jacob, non adhuc agnosci fide & actu posset. Quod ira accendi sit indignari in sensu interno, est quia omnis affectio naturalis cum versus interiora, seu versus cœlum ascendit, mitior fiat, & tandem mutetur in affectionem cœlestem; quæ enim in sensu literæ exstant, ut hic accendi ira, sunt radia respective, quia naturalia & corporea, sed mitia & lenia fiunt sicut a corporeo & naturali homine ad internum seu spiritualem elevantur; inde est, quod sensus literalis sit talis quia ad captum naturalis hominis, & sensus internus non talis, quia ad captum spiritualis hominis, accommodatus est: inde patet, quod per accendi ira significetur indignari; ipsa indignatio spiritualis, minus cœlestis, nec trahit aliquid ab ira naturalis hominis, sed ab interiore essentia zeli, qui nempe zelus, in externa forma apparet sicut ira, sed in interna non est ira, ne quidem indignatio iræ, sed est triste quoddam eum votivo ut non ita sit, & in forma adhuc interiore est modo obscurum quoddam quod jucundum cœleste interpolat ex non bono & vero apud alium.

3910. Et dixit an pro deo ego, quod significet quod ei impossibile, constat ex significatione non pro deo esse, quod sit impossibile, Deus enim in Verbo dicitur ex posse seu potentia, Jehovah autem ex esse seu essentia, videatur n: 300; inde est quod Deus dicatur cum agitur de vero & Jehovah cum de bono, n: 2769. 2807. 2822, nam de vero prædicatur posse cum de bono esse, per Verum enim potentia est bono, nam per verum agit bonum omne quod existit: inde constare potest, quod per hæc verba, an pro deo ego, in sensu interno significetur quod ei impossibile.

3911. Qui prohibet a te fructum ventris, quod significet quod hoc ab interno, constat a sensu qui resultat a sensu interno vocum, fructus ventris enim in sensu interno significat simile cum partu nempe agnitionem veri & boni fide & actu n: 3905, & adhuc magis, nempe conjunctionem veri & boni inde: agnitio illa & conjunctio hæc, non existere potest ab externo homine sed ab interno; omne enim bonum influit a Domino per Internum hominem in Externum, & adoptat vera quæ insinuata sunt per sensualia Externi hominis & facit ut homo agnoscat illa fide & actu, & ut adjungantur, & sic approprientur homini; quod omne bonum a Domino per Internum hominem in vera quæ in Memoria Externi hominis collecta sunt, influat, prius multoties ostensum est: id est quod intelligitur per explicationem illorum verborum, quod hoc ab interno.

3912. Vers: 3. 4. 5. *Et dixit ecce famula mea Bilha, veni ad illam, & pariat super genua mea, & ædificabor etiam ego ex illa. Et dedit ei Bilham ancillam suam ad mulierem, & venit ad illam Jacob & concepit Bilha, & peperit Jacobo filium.* Dixit, ecce famula mea Bilha significat medium affirmans

3

mans quod inter naturale verum ac interius verum: veni ad illam, significat quod cum illo conjunctionis facultas: & pariat super genua mea, significat agnitionem affectione interioris veri, ex qua conjunctio: & ædificabor etiam ego ex illa, significat quod sic vita ei: Et dedit ei Bilham ancillam suam ad mulierem, significat medium affirmativum adjunctum: & venit ad illam Jacob, significat quod conjunctum: Et concepit Bilha, & peperit Jacobo filium, significat receptionem & agnitionem.

3913. Dixit, ecce famula mea Bilha, quod significet medium affirmans quod inter naturale verum & interius verum, constat ex significatione famulæ tum ancillæ, quod sit affectio cognitionum quæ sunt exterioris hominis, de qua n: 1895, 2567. 3835. 3849, & quia affectio illa est medium conjungendi vera interiora cum veris naturalibus seu externis, ideo hic per famulam significatur medium affirmans inter illa; & ex repræsentatione Bilhæ, quod sit quale illius medii: Per ancillas datas Jacobo a Rachele & Leah in mulieres, ut procrearent sobolem, nihil aliud in sensu interno repræsentatum & significatum est, quam tale quod inservit, hic pro medio conjunctionis, nempe interioris veri cum externo; per Rachelem enim repræsentatur interius verum, per Leam externum, n: 3793. 3819: agitur enim hic per duodecim filios Jacobi de duodecim communibus seu cardinalibus rebus, per quas initiatur homo in spiritualia & cœlestia dum regeneratur seu dum fit Ecclesia; homo enim cum regeneratur seu fit Ecclesia; hoc est, cum fit a mortuo homine vivus seu a corporeo cœlestis, per plures status a Domino ducitur, communes status sunt qui designantur per duodecim illos filios, & dein per duodecim tribus, quapropter duodecim Tribus significant omnia fidei & amoris, ut n: 3858 ostensum videatur; communia enim involvunt omnia particularia & singularia, & hæc se referunt ad illa. Cum homo regeneratur, tunc Internus homo conjungendus est cum Externo, proinde bona & vera quæ sunt Interni hominis cum bonis & veris quæ sunt Externi, ex veris & bonis enim homo est homo; illa non conjungi possunt absque mediis; media sunt talia quæ aliquid trahunt ab una parte, & aliquid ab altera, & quæ faciunt ut quantum homo accedit ad unam, tantum subordinetur altera; hæc media sunt quæ significantur per ancillas, media a parte Interni hominis per ancillas Rachelis, & media a parte Externi hominis per ancillas Leæ. Quod media conjunctionis erunt, constare potest ex eo, quod Naturalis homo ex se prorsus non concordet cum Spirituali, sed quod in tantum discordet, ut prorsus ei oppositus sit; Naturalis enim homo spectat & amat se & mundum, Spiritualis autem non spectat se & mundum, nisi quantum conducit ad promovendos usus in spirituali mundo, ita servitium ejus spectat & id amat ex usu & fine: Naturalis homo tunc vitam habere sibi videtur, cum ad dignitates evehitur, ita ad supereminentiam super alios, at Spiritualis homo vitam habere sibi videtur in humiliatione & quod minimus sit; nec dignitates spernit, modo per illas ut per media inservire possit proximo, societati communi, & Ecclesiæ, & non reflectit super dignitates ad quas evehitur, propter se, sed propter illos usus qui ei

fines sunt: Naturalis homo in sua beatitudine est, cum præ aliis opulentus est, ac mundi opes possidet, at spiritualis homo in sua beatitudine est, cum in cognitionibus veri & boni, quæ sunt ei opulentia, & magis cum in exercitio boni secundum vera est, nec tamen spernit opulentiam, quia per illam in exercitio potest esse, & in mundo: ex his paucis constare potest, quod status Naturalis hominis & Spiritualis sint sibi oppositi per fines, sed quod usque conjungi possint, quod fit cum illa quæ sunt Externi hominis subordinata sunt & inserviunt finibus Interni; ideo ut homo fiat spiritualis, necessum est, ut illa quæ sunt Externi hominis ad obsequium, redigantur, ita exuendi sunt fines pro se & mundo, ac induiendi fines pro proximo & pro Regno Domini; illa exui & hæc indui nequaquam possunt, ita non conjungi, nisi per media; hæc media sunt quæ significantur per ancillas, & in specie per quatuor filios ab ancillis natos: Primum medium est affirmans seu affirmativum veri interni, nempe quod ita sit; cum affirmativum sit, tunc homo est in principio regenerationis, bonum ab interno operatur, & facit affirmationem; bonum illud non potest influere in negativum, ne quidem in dubitativum, antequam hoc affirmativum sit; id bonum dein se manifestat per affectionem, nempe per id quod homo afficiatur vero, seu incipiat delectari illo, primum quod sciat id, dein quod secundum id agat; ut pro exemplo, quod Dominus sit salus generi humano, nisi hoc fiat affirmativum ab homine, non possunt omnia illa, quæ de Domino ex Verbo aut in Ecclesia didicit, & in naturalis ejus memoria inter scientifica sunt, conjungi cum Interno ejus homine, hoc est, cum illis quæ ibi possunt esse fidei, ita nec potest affectio influere, ne quidem in communia illius rei quæ ad salutem hominis conducunt; at cum affirmativum sit, tunc innumerabilia accedunt, & implentur bono quod influit; nam bonum continue influit a Domino, sed ubi non est affirmativum, non recipitur: est itaque affirmativum primum medium, & quasi primum habitaculum boni influentis a Domino: similiter se habet cum omnibus reliquis quæ fidei vocantur.

3914. Quod veni ad illam, significet quod cum illo conjunctionis facultas, constat ex significatione venire ad aliquam seu intrare, cum matrimoniale intelligitur, quod sit conjunctio, hic conjunctionis facultas cum affirmativo, nam cum affirmativo primum conjunctionis erit, hoc est, quod ita sit.

3915. Et pariat super genua mea, quod significet agnitionem affectione interioris veri, ex qua conjunctio, constat ex significatione parere, quod sit agnoscere fide tum actu, de qua supra n: 3905; & ex significatione genuum seu femorum, quod sint illa quæ amoris conjugialis sunt, de qua n: 3021, ita quæ sunt conjunctionis veri quod fidei & boni quod amoris, nam hæc conjunctio est ipsum conjugiale in Regno Domini; ita parere super genua mea significat agnitionem veri interioris quod per Rachelem repræsentatur. Quod apud Antiquos agnoscerentur filii & filiæ pro legitimis, qui nascebantur ab ancillis ex consensu uxoris, utque agnoscerentur, parerent super genua illorum, derivatum fuit ab Antiqua Ecclesia, cujus cultus constabat in ritualibus, quæ repræsentativa & significativa cœlestium & spiritualium erant,

erant, in illa, nempe Ecclesia, quia parere significabat agnitionem veri, & genua amorem conjugialem, ita conjunctionem boni & veri ex affectione, tale rituale acceptum fuit, cum uxor sterilis esset, ne repræsentaret mortuos qui ad vitam non resurgunt; secundum illa quæ mox supra n: 3908, dicta sunt. Per illa verba in sensu interno significatur alter gradus affirmationis seu agnitionis, qui est ex affectione, affectio enim inerit agnitioni seu affirmationi, ut fiat conjunctio, omnis enim conjunctio fit per affectionem, nam absque affectione vera non vitam habent; sicut pro exemplo, scire hæc vera, quod proximus amandus, & quod in eo Charitas consistat, & in hac vita spiritualis, est nude scientia nisi affectio sit, hoc est, nisi hoc velit ex corde; absque affectione vera hæc non vivunt, sed utcunque illa scit, usque non amat proximum, sed se præ illo, ac in vita naturali est, non in spirituali; affectio naturalis est quæ dominatur super affectione spirituali, & quamdiu affectio naturalis dominatur, homo vocatur mortuus, nam vitam contrariam vitæ cœlesti habet, est vita cœlestis ipsissima vita.

3916. Et ædificabor etiam ego ex illa, quod significet quod sic vita ei, constat a significatione ædificari, quod sit non mori, de qua n: 3908, proinde resurgere seu vivere.

3917. Et dedit ei Bilham ancillam suam ad mulierem, quod significet medium affirmativum adjunctum, constat ex repræsentatione Bilhæ, & ex significatione ancillæ, quod sit medium affirmativum, de qua mox supra n: 3913; & ex significatione dare in mulierem, quod sit adjungere.

3918. Et venit ad illam Jacob, quod significet quod conjunctum, constat ex significatione venire seu intrare ad aliquem, cum de matrimoniali prædicatur, quod sit conjunctio, de qua mox supra n: 3914.

3919. Et concepit Bilha, & peperit Jacobo filium, quod significet receptionem & agnitionem, constat ex significatione concipere, quod sit receptio: & a significatione parere, quod sit agnitio, de quibus n: 3860. 3868. 3905. 3911; conceptiones enim & partus in spirituali sensu sunt receptiones veri ex bono, & inde agnitiones.

3920. Vers: 6. *Et dixit Rachel, judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam, & dedit mihi filium, & propterea vocavit nomen ejus Dan.* Dixit Rachel, judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam, significat in supremo sensu Justitiam & Misericordiam, in interno sanctum fidei, in externo bonum vitæ: & dedit mihi filium, significat hoc verum agnitum: propterea vocavit nomen ejus Dan, significat quale ejus.

3921. Dixit Rachel, judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam, quod significet in supremo sensu Justitiam & Misericordiam, in interno sanctum fidei, in externo bonum vitæ, constat ex significatione judicare me Deus, & ex significatione audire vocem meam; quod judicare me Deus sit Justitia Domini, constare potest absque explicatione, & quod audire vocem meam sit Misericordia, pariter; Dominus enim omnes judicat ex Justitia, & omnes audit ex Misericordia; judicat ex justitia quia ex Divino vero, & audit ex Misericordia quia ex Divino Bono, ex Justitia illos qui non reci-

piunt Divinum Bonum, & ex Misericordia illos qui recipiunt, at usque dum ex Justitia, etiam simul ex Misericordia, in omni enim Divina Justitia est Misericordia, sicut in Divino Vero est Divinum Bonum; sed hæc, quia arcaniora sunt ut paucis possint dici, alibi ex Divina Domini Misericordia, plenius exponentur: quod judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam in sensu interno sint sanctum fidei, est quia fides quæ prædicatur de vero, correspondet Justitiæ Divinæ, & sanctum quod est bonum correspondet Misericordiæ Divinæ Domini; & præterea judicare seu judicium prædicatur de vero quod fidei, n: 2235; & quia de Deo dicitur quod judicavit, est bonum seu sanctum; inde patet, quod secundum fidei sit, quod simul significatur per utrumque; quoniam per utrumque simul significatur unum illud, conjunguntur ambo per *& etiam*; quod in externo sensu sit bonum vitæ, est quoque ex correspondentia, nam sancto fidei correspondet bonum vitæ: quod absque sensu interno non sciri possit, quid significat judicavit me Deus & etiam audivit, patet ex eo, quod in sensu literæ non ita cohæreant, ut sistant unam intellectus ideam. Quod in hoc Versu & in sequentibus usque ad Josephum dicatur Deus, & in proxime præcedentibus Jehovah, est quia in his agitur de regeneratione Spiritualis hominis, & in præcedentibus de regeneratione Cœlestis hominis, Deus enim nominatur cum agitur de bono fidei, quod est Spiritualis hominis, at Jehovah cum de bono amoris, quod est cœlestis hominis, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822, per Jehudam enim, ad quem continuabatur in Capite præcedente, repræsentabatur Cœlestis homo, videatur n: 3881, per Josephum autem, ad quem continuatur in hoc Capite, repæsentatur Spiritualis homo, de quo in Versu seq: 23 & 24; quod Jehovah nominatus sit, cum continuabatur ad Jehudam, videatur Cap: præc: Vers: 32. 33. 35; quod Deus nominetur ubi continuatur ad Josephum, videatur in hoc Capite Vers: 6. 8. 17. 18. 20. 22. 23, & postea iterum Jehovah, quia procedit a spirituali homine ad cœlestem: hoc arcanum est, quod in his reconditum latet, quod nemo scire potest nisi ex sensu interno, tum quoque nisi sciat quid Cœlestis homo, & quid Spiritualis.

3922. Et dedit mihi filium, quod significet hoc verum agnitum, constat ex significatione filii quod sit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147; & ex significatione dare filium, quod sit dare hoc verum, quod idem est ac agnoscere, omne enim verum quod agnoscitur, hoc datum est a Domino; dare filium simile quoque involvit ac parere, quod parere sit agnoscere, videatur n: 3905. 3915. 3919.

3923. Propterea vocavit nomen ejus Dan, quod significet quale ejus, constat a significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3421; ipsum quale est in nomine Danis, dictus enim est a *Judicare*, sed nomen ei tametsi a judicare inditum est, usque involvit illa quæ significantur per omnia hæc Rachelis verba, "Judicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam," hoc est, bonum vitæ, & sanctum fidei, tum in supremo sensu Justitiam & Misericordiam Domini:

Domini: Commune illud Ecclesiæ est, quod significatur per Danem, & quod repræsentatur per Tribum a Dane nominatam: hoc commune est primum quod affirmandum seu agnoscendum est, antequam homo potest regenerari seu fieri Ecclesia; nisi illa affirmantur & agnoscuntur, reliqua quæ fidei & quæ vitæ sunt, nequaquam recipi possunt, proinde nec affirmari, minus agnosci; qui enim solum affirmat apud se fidem, & non sanctum fidei, hoc est, charitatem, nam hæc est sanctum fidei, & si non affirmat hoc per bonum vitæ, hoc est, per charitatis opera, is non potest sapere essentiam fidei amplius, nam rejicit illam: affirmatio tum agnitio est primum commune apud hominem qui regeneratur, sed est ultimum apud hominem qui regeneratus est, quare Dan est primum apud regenerandum, ac Joseph est ultimum, est enim Joseph ipse spiritualis homo, at Joseph est primum apud regeneratum, & Dan est ultimum, quia regenerandus inchoat ab affirmatione quod sit, nempe sanctum fidei & bonum vitæ, at regeneratus, qui est spiritualis, est in ipso bono spirituali, & inde spectat ut ultimum quod sit, nam confirmata apud illum sunt sancta fidei, & bona vitæ. Quod Dan sit affirmativum, quod primum erit cum regeneratur homo, constare quoque potest ab aliis locis in Verbo, ubi Dan nominatur; ut ex prophetia Jacobi tunc Israelis de filiis suis "*Dan* judicabit populum suum, sicut una Tribuum Israelis: erit *Dan* serpens super via, aspis super semita, mordens calcaneos equi, & cadit eques ejus retro; salutem tuam exspecto Jehovah!" Gen: XLIX: 16. 17. 18; Dan hic pro affirmativo veri, de quo nempe affirmativo dicitur, quod erit serpens super via, & aspis super semita, cum ratiocinatur de vero ex sensualibus; mordens calcaneos equi, cum infima intellectualia seu scientifica consulit, & ex illis concludit; & quod tunc abducatur a vero, significatur per quod cadat eques ejus retro, quare dicitur, salutem tuam exspecto Jehovah; quod serpens sit qui ratiocinatur ex sensualibus & scientificis de arcanis Divinis, videatur n: 195. 196. 197; quod via & semita sit verum, n: 627. 2333; quod calcanei equi sint infima intellectualia seu scientifica, n: 259; equus enim est intellectuale, n: 2761. 2762, cujus infimum est calcaneus. In prophetia Mosis de duodecim Tribubus "Ad *Dan* dixit, *Dan* catulus leonis, exsilit e Baschane" Deut: XXXIII: 22; leo in sensu interno Verbi significat verum Ecclesiæ, ex fortitudine, verum enim est quod pugnat & vincit, inde catulus leonis pro primo veri, quod est affirmatio & agnitio; ex Baschane dicitur, quia ex bono naturalis. Apud Jeremiam "Ablue a malitia cor tuum, Hierosolyma, propterea ut salveris, quamdiu facis commorari in medio tui cogitationes iniquitatis tuæ; quia vox indicantis *e Dane*, & audire facientis iniquitatem e monte Ephraim" IV: 14. 15; e Dane pro vero quod affirmandum, e monte Ephraim pro ex affectione ejus. Apud Eundem "Exspecta pacem, & non bonum, ad tempus sanationis, & ecce terror: *a Dane* auditus fremitus equorum ejus, a voce hinnituum fortium ejus, contremuit omnis terra, & venerunt & consumserunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in ea; quia ecce Ego mittens in vos serpentes

pentes regulos, quibus non incantatio, & mordebunt vos" VIII: 15. 16; a Dane auditus fremitus equorum, pro ratiocinatione de vero ex non affirmativo, terra quæ contremuit, & cujus plenitudinem consumserunt, pro Ecclesia & omnibus Ecclesiæ; qui enim de vero ex non affirmativo seu ex negativo ratiocinantur, illi destruunt omnia fidei; serpentes reguli pro ratiociniis, ut supra. Apud Ezechielem "*Dan* & Javan adveniens in nundinis tuis dederunt ferrum tersum, casia & calamus in negotiatione tua fuit" XXVII: 19; ubi de Tyro, per quam significantur cognitiones veri & boni, n: 1201; Dan pro veris primis quæ affirmantur, nundinæ & negotiationes pro acquisitionibus veri & boni, n: 2967; ferrum tersum pro vero naturali, quod primum est, n: 425. 426; casia & calamus pro simili, sed ex quo bonum. Apud Amos "In die illo deficient virgines pulchræ & juvenes in siti; jurantes in reatum Samariæ, & dixerunt, vivit Deus tuus *Dan*, & vivit via Beerschebæ, & cadent & non resurgent amplius" VIII: 14; vivit Deus Dan & vivit via Beerschebæ, pro quod in negativo omnium quæ fidei & ejus doctrinæ sunt; quod via sit verum n: 627. 2333; Beerschebah doctrina n: 2723. 2858. 2859. 3466; quod sit negativum omnium quæ fidei sunt, est quia Dan erat ultimus terminus terræ Canaanis, & Beerschebah primus, seu medium aut intimum terræ; per terram enim Canaanem repræsentatum est & significatum Regnum Domini, ita Ecclesia, n: 1607. 3038. 3481; proinde omnia amoris & fidei, nam hæc sunt Regni Domini & Ecclesiæ; inde omnia, quæ in terra Canaane, repræsentativa fuerunt secundum distantias, situs, terminos, n: 1585. 1866. 3686; primus terminus, seu medium aut intimum terræ fuerat Beerschebah, antequam Hierosolyma, quia Abraham ibi fuit, tum Jischak, at ultimus terminus seu extimum erat Dan, inde cum omnia in uno complexu significarentur, dicebatur a Dane usque ad Beerschebam; ut in Libro Secundo Samuelis "Ad transferendum Regnum a domo Schaulis, & ad erigendum solium Davidis super Israelem & super Jehudam, *a Dane & usque ad Beerschebam*" III: 10. In Eodem "Congregando congregabatur universus Israel *a Dane usque Beerschebam*" XVII: 11. In Eodem "Dixit David ad Joabum, pervagare omnes Tribus Israelis *a Dane usque Beerschebam*" XXIV: 2. 15. In Libro Primo Regum "Habitavit Jehudah & Israel in securitate, quisque sub vite sua, & sub ficu sua, *a Dane & usque Beerschebam*" V: 5; per quæ in sensu historico intelliguntur omnia terræ Canaanis, sed in sensu interno omnia Regni Domini, tum omnia Ecclesiæ; quod Dan sit Primus terminus, & quoque quod sit ultimus, ut supra dictum, est quia affirmativum veri & boni est omnium primum cum inchoat fides & charitas apud hominem, & ultimum cum homo in charitate & inde in fide est: inde etiam erat, quod sors ultima caderet pro Dane cum hæreditaretur terra Canaan, Jos: XIX: 40 seq: nam jacta fuit sors coram Jehovah, Jos: XVIII: 6; inde contigit secundum repræsentationem cujusvis Tribus; & quia Dani non cecidit sors inter hæreditates reliquarum Tribuum, sed ultra terminos illarum, Judic: XVIII: 1, etiam prætermissa est illa Tribus apud Johannem in Apoc: Cap: VII: 5 ad

ad 8, ubi agitur de duodecim millibus obſignatis; qui enim in ſolo affirmativo veri & quoque boni ſunt, nec ulterius vadunt, non ſunt in Regno Domini, hoc eſt, inter obſignatos; ſcire vera & bona, & quoque affirmare illa, poſſunt quoque peſſimi, ſed ex vita cognoſcitur, qualis affirmatio eſt. Memoratur etiam Dan, ut terminus, Gen: XIV: 14, ubi de Abrahamo, quod perſequutus hoſtes uſque illuc, & per Dan ibi ſimile ſignificatur; urbs Dan dicta, non quidem tunc exſtructa fuit a Danis poſteris, ſed poſtea, Joſ: XIX: 47. Jud: XVIII: 29; ſed ita etiam tunc temporis vocabatur primus terminus reſpective ad introitum in terram Canaanem, ſeu ultimus reſpective ad exitum, ac intimum ejus Hebron, & dein Beerſchebah, ubi Abraham & Jiſchak.

3924. Verſ: 7. 8. *Et concepit adhuc, & peperit Bilha ancilla Rachelis filium ſecundum Jacobo. Et dixit Rachel, luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea, etiam valui, & vocavit nomen ejus Naphtali.* Concepit adhuc & peperit Bilha ancilla Rachelis, ſignificat, hic ut prius, receptionem & agnitionem: filium ſecundum Jacobo, ſignificat alterum verum commune: & dixit Rachel, luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea, etiam valui, ſignificat in ſupremo ſenſu propriam Potentiam, in interno tentationem in qua vincit, in externo reſiſtentiam a naturali homine: & vocavit nomen ejus Naphtali, ſignificat quale ejus.

3925. Concepit adhuc & peperit Bilha ancilla Rachelis, quod ſignificet receptionem & agnitionem, conſtat a ſignificatione concipere, quod ſit receptio, & a ſignificatione parere, quod ſit agnitio, de quibus ſupra n: 3919; tum a ſignificatione ancillæ, quod ſit medium inſerviens, de qua etiam ſupra n: 3913. 3917, nam hic agitur de altero medio communi inſerviente conjunctioni Interni hominis cum Externo.

3926. Filium ſecundum Jacobo, quod ſignificet alterum verum commune, conſtat a ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147; hic quod ſit commune, conſtat ab illis quæ ſupra de duodecim filiis Jacobi, & de duodecim Tribubus ab illis nominatis, dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe ſint communia Eccleſiæ, proinde communia fidei & amoris, ſeu veri & boni, quæ per illos ſignificantur & repræſentantur; & quod etiam in oppoſito ſenſu ſint communia non fidei & amoris, ſeu omnia falſi & mali, patebit a ſequentibus.

3927. Et dixit Rachel, luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea, etiam valui, quod ſignificet in ſupremo ſenſu propriam Potentiam, in interno tentationem in qua vincit, in externo reſiſtentiam a naturali homine, conſtat a ſignificatione luctationum Dei, & luctari, quod ſint tentationes; tentationes enim non aliud ſunt, quam luctationes Interni hominis cum Externo, ſeu Spiritualis hominis cum Naturali, uterque enim dominari vult, & cum agitur de dominio, ſit pugna, quæ hic eſt luctatio; quod valere ſit vincere, conſtat abſque explicatione. Quod illa verba in ſenſu ſupremo ſignificent propriam Potentiam, eſt quia Dominus omnes tentationes, cum fuit in mundo & in humano ibi, omnes tentationes ex propria

potentia

potentia sustinuit, & ex propria potentia vicit, secus ac omnis homo, qui nusquam ex propria potentia aliquam tentationem spiritualem sustinet & in illa vincit, sed Dominus apud illum; at videantur quæ de his prius dicta & ostensa sunt, nempe quod Dominus præ aliis gravissimas tentationes sustinuerit, n: 1663. 1668. 1690. 1737. 1787. 1789. 1812. 1813. 1815. 1820. 2776. 2786. 2795. 2813. 2816. 3318; quod Dominus ex propria Potentia pugnaverit & vicerit, n: 1616. 1692. 1813. 3382; & quod Dominus solus apud hominem pugnet, n: 1692: quod in sensu interno luctationes Dei, & valere, sint tentationes in quibus homo vincit, constat ab illis quæ mox supra dicta sunt: quod autem in sensu externo sit resistentia a naturali homine, est quia omnis tentatio non aliud est; agitur enim in tentationibus spiritualibus, ut dictum, de dominio, quis nempe potestatem habebit, num homo Internus aut num Externus, seu quod idem, num Spiritualis aut num Naturalis, sunt enim inter se oppositi, n: 3913; cum enim homo in tentationibus est, tunc Internus seu Spiritualis ejus homo a Domino per Angelos regitur, sed Externus seu Naturalis per Spiritus infernales, pugna inter illos est quæ sicut tentatio percipitur apud hominem: cum homo talis est & fide & vita, ut regenerari possit, tunc in tentationibus vincet, at cum talis est ut non regenerari possit, tunc in tentationibus succumbit: quod resistentia a naturali homine sit, significatur per verba, quod luctata sit cum sorore sua, per Leam enim, quæ hic est soror, significatur affectio Externi hominis, per Rachelem autem affectio Interni, n: 3793. 3819.

3928. Et vocavit nomen ejus Naphtali, quod significet quale ejus, nempe quale tentationis in qua vincit, ut & quale resistentiæ a naturali homine, constat ex significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3421; ipsum quale est quod significatur per Naphtali, nam Naphtali a luctationibus nominatus est; inde etiam per Naphtali repræsentatur alterum hoc verum commune Ecclesiæ, est enim Tentatio Medium conjunctionis Interni hominis cum Externo, nam dissident inter se, sed ad concordantiam & correspondentiam rediguntur per tentationes; est quippe Externus homo talis, ut ex se non aliud concupiscat quam corporea & mundana, hæc illi sunt jucunda vitæ ejus, sed Internus homo, cum apertus est versus cœlum, & desiderat illa quæ cœli sunt, qualis est apud illos qui regenerari possunt, tunc cœlestia illi jucunda sunt, inter hæc bina jucunda est pugna, cum homo in tentationibus est; hoc homo tunc nescit, quia non scit quid jucundum cœleste, & quid jucundum infernale, minus quod in tantum opposita sint; sed angeli cœlestes nequaquam possunt esse apud hominem in jucundo ejus corporeo & mundano, antequam hoc redactum sit ad obsequium, nempe ut jucundum corporeum & mundanum non amplius sit pro fine, sed pro usu inserviendi jucundo cœlesti, ut supra n: 3913, ostensum est; hoc cum factum, tunc possunt angeli apud hominem esse in utroque, sed tunc jucundum apud illum fit beatum, & tandem felix in altera vita: qui credit, quod jucundum Naturalis hominis ante regenerationem non sit infernale, & quod non possideatur a diabolicis spi-

ritibus,

ritibus, multum fallitur, & is non scit quomodo se habet cum homine, quod nempe ante regenerationem possideatur quoad naturalem suum hominem a geniis & spiritibus infernalibus, utcunque ille apparet sibi quod sit sicut alius, tum quod in sancto cum reliquis possit esse, & de veris & bonis fidei ratiocinari, imo se confirmatum in illis credere; si non percipiat in se aliquid affectionis pro justo & æquo in functione sua, & pro vero & bono in cætu & in vita, sciat quod in jucundo tali sit, in quali infernales, nam in jucundo ejus non alius amor est, quam sui & mundi, qui cum faciunt jucundum, nulla inest charitas & nulla fides: hoc jucundum postquam prævaluit, non per aliud medium hebetatur & dissipatur, quam per affirmationem & agnitionem sancti fidei & boni vitæ, quod est primum medium significatum per Danem, ut supra ostensum; & dein per tentationem, quæ est alterum medium, & significatur per Naphtali, nam hoc medium sequitur alterum, qui enim non affirmant & agnoscunt bonum & verum, quæ fidei & charitatis, non in aliquam tentationis pugnam, venire possunt, quia nihil est intus quod repugnat malo & falso, ad quæ naturale jucundum suadet. In Verbo alibi, ubi Naphtali nominatur, per illum status hominis post tentationes significatur, ut in Prophetia Jacobi, tunc Israelis "*Naphtali* cerva dimissa, dans dicta elegantiæ" Gen: XLIX: 21; cerva dimissa pro affectione veri naturalis in statu libero, qui post tentationes existit; qui status etiam est quale quod est in tentationibus, quæ significantur per Naphtali, pugnatur enim in tentationibus de libertate: pariter in prophetia Mosis "Ad *Naphtali* dixit; *Naphtali* satur beneplacito, & plenus benedictione Jehovæ, occidentem & meridiem possidebit" Deut: XXXIII: 23; repræsentationes enim filiorum Jacobi, & Tribuum, se habent secundum ordinem, in quo recensentur, n: 3862: & in propheta Deboræ & Baraki "Sebulon populus qui devovit animam ad moriendum, & *Naphtali* super altitudinibus agri" Judic: V: 18. ubi in sensu interno de pugnis tentationum quoque agitur, & est inter illos qui nihil mali timent, quia in veris & bonis, quod est esse in altitudinibus agri.

3929. Vers: 9. 10. 11. *Et vidit Leah, quod substitisset a pariendo, & accepit Silpam ancillam suam, & dedit illam Jacobo ad mulierem. Et peperit Silpah ancilla Leæ Jacobo filium. Et dixit Leah, venit turma, & vocavit nomen ejus Gad.* Vidit Leah quod substitisset a pariendo, significat quod non alia vera externa agnita fuerint: & accepit Silpam ancillam suam, significat medium affirmativum conjungens: & dedit illam Jacobo ad mulierem, significat quod illud conjungeret: & peperit Silpah ancilla Leæ Jacobo filium, significat agnitionem: & dixit Leah, venit turma, significat in supremo sensu Omnipotentiam & Omniscientiam, in interno bonum fidei, in externo opera: & vocavit nomen ejus Gad, significat quale ejus.

3930. Videt Leah quod substitisset a pariendo, quod significat quod non alia vera externa agnita fuerint, constat a repræsentatione Leæ, quod sit verum externum, de qua n: 3793. 3819; a significatione parere, quod sit agnoscere fide & actu, de qua n: 3905. 3915. 3919; inde quod sub-

 stitisset

ftitiffet Leah a pariendo, eft in fenfu interno, quod non alia vera externa agnita fuerint.

3931. Et accepit Silpam ancillam fuam, quod fignificet medium affirmativum conjungens, conftat ex fignificatione ancillæ, quod fit medium affirmativum inferviens conjunctioni Externi hominis cum Interno, de qua n: 3913. 3917.

3932. Et dedit illam Jacobo ad mulierem, quod fignificet quod illud conjungeret, conftat a fignificatione dare in mulierem, quod fit conjungere, ut fupra n: 3915. 3917.

3933. Et peperit Silpah ancilla Leæ Jacobo filium, quod fignificet agnitionem, nempe veri externi, conftat a fignificatione parere, quod fit agnitio; a fignificatione ancillæ, quod fit medium affirmativum conjungens; & a fignificatione filii, quod fit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147.

3934. Et dixit Leah, venit turma, quod fignificet in fupremo fenfu Omnipotentiam & Omnifcientiam, in interno bonum fidei, in externo opera, conftat a fignificatione turmæ hic; quod turma in fupremo fenfu fit Omnipotentia & Omnifcientia, eft quia turma hic eft multitudo, & multitudo cum prædicatur de Divino Domini, eft multitudo infinita, quæ non aliud eft quam Omnipotentia & Omnifcientia; fed Omnipotentia prædicatur ex quantitate quæ eft magnitudinis, & Omnifcientia ex quantitate quæ eft multitudinis; tum Omnipotentia prædicatur ex infinito bono, feu quod idem, ex Divino amore, ita ex Divina voluntate, Omnifcientia autem ex infinito vero, feu quod idem, ex Divina intelligentia. Quod turma in fenfu interno fit bonum fidei, eft ex correfpondentia, Omnipotentiæ enim Divinæ Domini correfpondet bonum, quod eft charitatis, & Omnifcientiæ verum, quod eft fidei. Quod turma in fenfu externo fint opera, eft quia hæc correfpondent bono fidei; bonum fidei enim producit opera, nam dari bonum fidei non poteft abfque operibus, ficut bonum cogitare & bonum velle non abfque bonum facere, illud eft internum, hoc eft externum correfpondens: porro cum operibus ita fe habet, opera nifi correfpondent bono fidei, non funt opera charitatis, nec opera fidei, nam a fuo interno non veniunt, fed funt opera mortua, in quibus non bonum nec verum; at cum correfpondent, tunc funt opera vel charitatis vel fidei; opera charitatis funt quæ a charitate ut a fua anima fluunt, opera autem fidei funt quæ a fide; illa, nempe opera charitatis funt apud regeneratum, opera autem fidei funt apud illum qui nondum regeneratus eft, fed qui regeneratur; fe habent fimiliter ac fe habent affectiones, nempe affectio boni & affectio veri, regeneratus agit bonum ex affectione ejus, ita ex velle bonum, regenerandus autem agit bonum ex affectione veri, ita ex fcire bonum; quæ qualis differentia fit, fæpius prius oftenfum eft, inde patet quid opera: præterea fe habet bonum fidei ad opera, ficut comparative voluntas hominis & inde cogitatio ad faciem ejus, quæ, nempe facies, quod fit imago animi, hoc eft, voluntatis hominis & inde cogitationis, notum eft; fi non fiftitur voluntas & cogitatio in facie ut in fua imagine, tunc non eft voluntas & cogitatio, vel eft hypocrifis

hypocrifis aut dolus, quia aliam faciem fiftit quam vult & cogitat: fimiliter fe habet cum omni actu corporis refpective ad interiora quæ funt cogitationis & voluntatis, internum hominis vivit in externo ejus per actum feu per agere, fi actus feu agere non eft fecundum ejus internum, indicium eft, quod vel non internum fit quod producit actum, fed motus ex confuetudine & habitu recurrens, vel eft mentitum quid, quale eft in hypocrifi & in dolo; inde iterum patet, quid opera: inde fequitur, quod qui profitetur fidem, & magis qui bonum fidei, & negat opera, & magis fi rejicit illa, is fit abfque fide, & adhuc magis abfque charitate. Quia opera charitatis & fidei illa funt, & homo nufquam in charitate & fide eft, nifi fit in operibus, ideo in Verbo toties nominantur opera, ut conftare poteft a fequentibus his locis; apud Jeremiam "Oculi tui aperti funt fuper omnes vias filiorum hominis, ad dandum unicuique fecundum vias ejus, & *fecundum fructum operum ejus*" XXXII: 19. Apud Eundem "Convertimini unufquifque a via fua mala, & *bona facite opera veftra*" XXXV: 15. Apud Ezechielem "Reddam eis fecundum *opus eorum*, & fecundum *opus manuum eorum*" XXV: 14. Apud Hofeam "Vifitabo fuper eum vias ejus, & *opera ejus reddam ei*" IV: 9. Apud Micham "Erit terra in defolationem fuper habitatores ejus, *propter fructum operum illorum*" VII: 13. Apud Sachariam "Sic dixit Jehovah Zebaoth; convertimini a viis veftris malis, & *operibus veftris malis:* cogitavit Jehovah Zebaoth facere nobis fecundum vias noftras, & *fecundum opera noftra*, fic fecit nobis" I: 4. 6. Apud Johannem "Beati mortui qui in Domino moriuntur a nunc, imo dicit fpiritus, ut requiefcant ex laboribus, *opera illorum fequuntur illos*" Apoc: XIV: 11. Apud Eundem "Vidi mortuos parvos & magnos, ftantes coram Deo, & libri aperti funt: & liber alius apertus, qui eft vitæ, & *judicati funt mortui* juxta ea quæ fcripta in libris, *fecundum opera illorum.* Dedit mare eos, qui in illo, mortuos, & mors & infernus dedit eos, qui in illis, mortuos; *judicati itaque funt quilibet fecundum opera illorum*" Apoc: XX: 12. 13. Apud Eundem "Ecce venio cito, merces mea mecum, *ut dem unicuique fecundum opus ejus*" Apoc: XXII: 12. Apud Johannem Evangeliftam "Hoc eft judicium, quod Lux venit in mundum, fed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, *erant enim opera illorum mala*; omnis qui *mala facit*, odit lucem, & non venit ad lucem, ne coarguantur *opera ejus*; qui autem *facit veritatem*, venit ad lucem, ut *manifeftentur ejus opera*, quia in Deo facta funt" III: 19. 20. 21. Apud Eundem "Non poteft mundus odiffe vos, Me autem odit, quia Ego teftor de illo, *quod opera illorum mala fint*" VII: 7. Apud Eundem "Jefus ad Judæos, fi filii Abrahami effetis, *opera Abrahami faceretis*; vos *facitis opera patris veftri*" VIII: 39. 41. Apud Eundem "Si hæc fcitis, beati eftis *fi feceritis illa*" XIII: 17. Apud Matthæum "Luceto lux veftra coram hominibus, ut videant *veftra bona opera. Qui facit* & docet, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum" V: 16. 19. Apud Eundem "Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, fed *faciens voluntatem Patris mei* qui eft in cœlis: Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per

Nomen tuum prophetavinus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo virtutes multas fecimus, sed tunc confitebor illis, non novi vos. discedite a Me, *operarii iniquitatis*" VII: 22. 23. Apud Lucam "Paterfamilias respondens dicit eis, non novi vos unde sitis, tunc incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, in plateis nostris docuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes *operarii iniquitatis*" XIII: 25. 26. 27. Apud Matthæum "Omnis qui audit mea verba, *& facit illa*, comparabo viro prudenti; at omnis audiens verba mea, sed *non faciens illa*, comparabitur viro stulto" VII: 24. 26. Apud Eundem "*Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*" XVI: 27. Ex his patet, quod opera sint quæ salvant hominem, & quæ condemnant hominem, quod nempe bona opera salvent, & quod mala condemnent; in operibus enim est velle hominis, qui vult bonum, is facit bonum, qui autem non bonum facit, utcunque dixerit quod velit bonum, usque non vult illud cum non facit illud; est sicut dixerit, volo id sed non volo: & quia ipsa voluntas est in operibus, & voluntatis est charitas, & charitatis est fides, patet quid voluntatis, seu quid charitatis & fidei est apud hominem, cum non facit, & magis cum contraria facit, nempe mala opera: præterea sciendum, quod Regnum Domini apud hominem inchoetur a vita quæ est operum, tunc enim in principio regenerationis est, at cum Regnum Domini est apud hominem, terminatur illud in operibus, & tunc regeneratus est; Internus enim homo tunc correspondenter inest in Externo, & Externi hominis sunt opera, ac Interni est charitas & inde fides, quare opera tunc sunt charitas: quia in operibus Externi hominis existit ita vita Interni hominis, ideo Dominus ubi de Ultimo Judicio agit, apud Matthæum Cap: XXV: 32 ad 46, non nisi quam opera recenset, & quod intrabunt in vitam æternam qui bona opera fecerunt, & in damnationem qui mala opera. Ex illis quæ dicta sunt, etiam constare potest, quid significat quod de Johanne legitur, quod accubuerit ad pectus & in sinu Jesu, & quod illum præ reliquis amaverit, Joh: XIII: 23. 25. Cap: XXI: 20; repræsentabantur enim per Johannem bona opera, videatur Præfat: ad Cap: XVIII: & Præfat: ad Cap: XXII, Genes: Quid opera fidei, quæ etiam fructus ejus ex apparentia vocari possunt, & quid opera charitatis, ex Divina Domini Misericordia, alibi plenius dicetur.

3935. Et vocavit nomen ejus Gad, quod significet quale ejus, constat a significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua supra; ipsum quale significatur per Gad, nempe quale boni fidei & quale operum; per quale significatur omne id quod usquam inest, hic bono fidei & operibus, & sunt innumerabilia, nam apud unum quem vis est quale varium; & est quoque contrarium apud illos qui non in bono fidei sunt, ita non in bonis operibus, hoc quale etiam significatur per Gad, cum is in opposito sensu nominatur. Bonum fidei quod est Interni hominis, & bona opera quæ sunt Externi hominis, quæ correspondent, ut supra ostensum, est Tertium Medium commune,

mune, quod agnoſcendum fide & actu, antequam homo intrare poteſt in Regnum Domini, hoc eſt, per regenerationem fieri Eccleſia.

3936. Verſ: 12. 13. *Et peperit Silpah ancilla Leæ filium ſecundum Jacobo. Et dixit Leah, in beatitudine mea, quia beatificabunt me filiæ, & vocavit nomen ejus Aſcher.* Peperit Silpah ancilla Leæ filium ſecundum Jacobo, ſignificat agnitionem alterius: & dixit Leah, in beatitudine mea, quia beatificabunt me filiæ, ſignificat in ſupremo ſenſu æternitatem, in interno felicitatem vitæ æternæ, in externo jucundum affectionum: & vocavit nomen ejus Aſcher, ſignificat quale.

3937. Peperit Silpah ancilla Leæ filium ſecundum Jacobo, quod ſignificet agnitionem alterius, nempe veri communis, conſtat ex ſignificatione parere, quod ſit agnitio, de qua ſupra n: 3911. 3915. 3919; ex ſignificatione ancillæ, quod ſit medium affirmativum inſerviens conjunctioni Externi hominis cum Interno, de qua n: 3913. 3917; ex ſignificatione filii, quod ſit verum, hic verum commune, de qua ſupra n: 3926; & ex repræſentatione Jacobi, tum Leæ, ut & Silpæ, de quibus ſupra; ex his patet, quis horum verborum ſenſus internus eſt, quod nempe ſit agnitio alterius veri communis, quod pro medio inſervit conjungendi Externum hominem cum Interno.

3938. Et dixit Leah, in beatitudine mea, quia beatificabunt me filiæ, quod ſignificet in ſenſu ſupremo æternitatem, in interno felicitatem vitæ æternæ, in externo jucundum affectionum, conſtat ex ſignificatione beatitudinis, & ex ſignificatione beatificabunt me filiæ: Beatitudo quod in ſenſu ſupremo ſit Æternitas, non conſtare poteſt niſi ex correſpondentia cum illis quæ apud hominem ſunt; nam quæ Divina ſunt, ſeu quæ Infinita, non capiuntur aliunde quam a finitis, quorum ideam habere poteſt homo, abſque idea ex finitis, & principaliter abſque idea ex illis quæ ſunt ſpatii & temporis, homo nihil poteſt comprehendere de Divinis, minus de Infinito; ne quidem poteſt homo poteſt abſque idea ſpatii & temporis aliquid cogitare, n: 3404, nam quoad corpus eſt in tempore, ita quoad cogitationes quæ ex ſenſualibus externis; at Angeli, quia non in tempore & ſpatio ſunt, habent ideas ſtatus, inde eſt quod ſpatia & tempora in Verbo ſignificent ſtatus, videatur n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3827: ſed ſunt bini ſtatus, nempe ſtatus qui correſpondet ſpatio, & ſtatus qui correſpondet tempori; ſtatus qui correſpondet ſpatio, eſt ſtatus quoad Eſſe, & ſtatus qui correſpondet tempori, eſt ſtatus quoad Exiſtere, n: 2625: ſunt enim duo quæ faciunt hominem, nempe Eſſe & Exiſtere, Eſſe hominis non aliud eſt quam recipiens æterni quod procedit a Domino, ſunt enim homines, ſpiritus & angeli, non niſi quam recipientia ſeu formæ recipiente vitæ a Domino, receptio vitæ eſt de qua prædicatur Exiſtere: credit homo *quod ſit*, & quidem ex ſe, cum tamen non *Eſt* ex ſe, ſed Exiſtit ita ut dictum eſt: Esse ſolum eſt in Domino, & id vocatur Jehovah, ex Esse quod Jehovah, ſunt omnia quæ apparent *ſicut ſint*; ſed Eſſe Domini ſeu Jehovah nuſquam alicui communicari poteſt, ſolum Humano Domini, Hoc factum eſt Eſſe Divinum, hoc eſt, Jehovah; quod Dominus quoad utramque Eſſentiam ſit Jehovah, videatur n: 1736. 2004. 2005. 2018. 2025. 2156. 2329. 2921. 3023.

3023. 3035: Existere prædicatur etiam de Domino, sed modo cum fuit in mundo, ac induit ibi Divinum Esse; at cum factus Divinum Esse, tunc non amplius Existere de Ipso prædicari potest, aliter ac quoddam Procedens ab Ipso; quod procedit ab Ipso, est quod apparet sicut Existere in Ipso, at non est in Ipso, sed est ab Ipso, & facit ut homines, spiritus, & angeli, existant, hoc est, vivant: Existere apud hominem, spiritum & angelum, est vivere, & vivere ejus est felicitas æterna; felicitas vitæ æternæ est cui in supremo sensu correspondet Æternitas, quæ a Divino Esse Domini. Quod felicitas vitæ æternæ sit quæ in sensu interno significatur per beatitudinem, patet; tum quod jucundum affectionum in sensu externo, ita absque explicatione. Sed est jucundum affectionum veri & boni, quod correspondet felicitati vitæ æternæ, quod significatur: omnes affectiones habent sua jucunda, sed quales affectiones, talia sunt jucunda; affectiones mali & falsi etiam habent sua jucunda, & antequam homo regeneratur, & accipit a Domino affectiones veri & boni, apparent illa jucunda sicut unica, usque adeo, ut credant quod non alia jucunda dentur, consequenter si privarentur illis quod prorsus perient: at qui a Domino accipiunt jucunda affectionum veri & boni, per gradus vident & percipiunt qualia jucunda illius vitæ sunt quæ unica esse crediderunt, quod nempe vilia respective, imo spurca; & quo plus in jucunda affectionum veri & boni progressus fit, eo plus incipit homo vilipendere jucunda illa mali & falsi, & tandem aversari illa: loquutus quandoque sum cum illis in altera vita qui in jucundis mali & falsi fuerint, & illis dicere datum, quod non prius vitam habeant, quam cum privantur jucundis suis, sed dixerunt sicut tales in mundo, quod si illis privarentur, nihil vitæ amplius illis esset, sed respondere datum, quod tunc primum vita incipiat, & cum illa vita felicitas qualis in cœlo, quæ ineffabilis est respective; sed hoc non potuerunt capere, quia quod ignotum est, creditur nihil esse: similiter se habet cum omnibus illis in mundo, qui in amore sui & mundi sunt, & inde in nulla charitate, illi jucundum illorum amorum sciunt, sed non jucundum hujus, nempe charitatis, quare etiam prorsus nesciunt quid charitas, & adhuc magis quod aliquod jucundum sit in charitate, cum tamen jucundum charitatis est quod implet universum cœlum, & facit ibi beatitudinem & felicitatem, & si credere velis, etiam intelligentiam & sapientiam cum earum jucundis, nam in jucunda charitatis influit Dominus cum luce veri & flamma boni, inde cum intelligentia & sapientia; falsa autem & mala rejiciunt illa, suffocant & pervertunt, inde insipientia & insania: ex his constare potest, quid jucundum affectionum est, & quale est, quod correspondet felicitati vitæ æternæ. Homo hujus sæculi credit, si modo in ultima mortis hora confidentiam fidei habeat, in quacunque affectione per totum vitæ suæ cursum vixerit, possit venire in cœlum; cum illis qui ita vixerunt, & quoque ita crediderunt, etiam quandoque loquutus sum; illi cum in alteram vitam veniunt, primum nihil aliud cogitant, quam quod intrare possint in cœlum, non attendentes ad vitam suam anteactam, quod nempe per illam vitam

vitam induerint jucundum affectionis mali & falsi ex amoribus sui & mundi, qui illis pro finibus fuerant; illis dicere datum est, quod unusquisque admitti possit in cœlum, quia nulli a Domino cœlum negatur, sed num ibi vivere possint, scire poterunt si admittuntur; aliqui qui constanter id crediderunt, etiam admissi sunt; sed quia ibi est vita amoris in Dominum & amoris erga proximum, quæ omnem vitæ sphæram & felicitatem ibi facit, cum illuc venerunt, inceperunt angi, nam in tali Sphæra non respirare potuerint, & tunc sentire fæditatem suarum affectionum, ita cruciatum infernalem, quare inde se præcipitarunt, dicentes quod longe inde abesse velint, mirantes quod id sit cœlum, quod illis infernum; inde patet, quale jucundum unum est, & quale jucundum alterum, & quod illi qui in jucundo affectionum mali & falsi sunt, nequaquam interesse possint illis qui in jucundo affectionis boni & veri, quodque opposita sint, sicut cœlum & infernum; videantur n: 537. 538. 539. 541. 547. 1397. 1398. 2130. 2401. Porro, quod felicitatem vitæ æternæ attinet, homo qui in affectione boni & veri est, cum vivit in mundo, non potest illam percipere, sed loco ejus jucundum quoddam; causa est, quia in corpore est in curis mundanis, & inde in anxietatibus, hæc faciunt, ut felicitas vitæ æternæ quæ intus in illo est, non manifestari possit aliter tunc, nam cum illa ab interiori influit in curas & anxietates, quæ sunt exterius apud hominem, tunc inter curas ibi & anxietates illabitur, & fit quoddam jucundum obscurum at usque est jucundum in quo beatum est, & in hoc felix; contentum esse in Deo est tale; at cum homo exuitur corpore, & simul mundanis illis, tunc felicitas, quæ latuit ita in obscuro in interiore ejus homine, prodit & se revelat. Quia Affectio toties nominatur, dicendum est, quid per affectionem intelligitur; est Affectio nihil aliud quam amor, sed continuum ejus: homo enim afficitur vel malo & falso, vel bono & vero, ex amore; hic amor quia in omnibus & singulis ejus adest & inest, non percipitur ut amor, sed variatur secundum res, & secundum status & eorum mutationes, & hoc continue in singulis quæ homo vult, cogitat & agit; hoc continuum amoris est, quod vocatur affectio, estque id continuum quod regnat in hominis vita, & quod facit omne jucundum apud illum, & quia hoc, facit ipsam ejus vitam, nam vita hominis non est nisi quam jucundum quod est affectionis ejus, ita non nisi quam affectio quæ est amoris ejus; amor est velle hominis, & inde est ejus cogitare, & sic est ejus agere.

3939. Et vocavit nomen ejus Ascher, quod significet quale, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, ut supra; ipsum quale est, quod Ascher repræsentat: Ascher in Lingua originali significat beatitudinem, sed involvit omnia illa quæ significantur per verba matris ejus Leæ, *in beatitudine mea quia beatificabunt me filiæ*, nempe jucundum affectionum correspondens felicitati vitæ æternæ; est hoc quartum commune quod Externum hominem cum Interno conjungit; cum enim homo percipit in se jucundum illud correspondens, tunc incipit Externus ejus homo conjungi Interno; sunt jucunda quæ sunt affectionum veri & boni, quæ conjungunt,

nam absque jucundis affectionum nihil conjungitur, est enim in illis vita hominis; quod per affectiones omnis conjunctio, videatur n: 2024. 3066. 3336. 3849. 3909: per filias quæ beatificabunt significantur Ecclesiæ; quod filiæ in sensu interno Verbi sint Ecclesiæ, videatur n: 2362. Hoc nunc dictum est a Lea, quia per partus ancillarum significantur vera communia, quæ sunt media inservientia conjunctioni, ut existat apud hominem Ecclesia; cum enim homo id jucundum seu illam affectionem percipit, tunc incipit ille Ecclesia fieri, & quia ita, dicitur hoc de quarto seu ultimo filio ex ancillis. In Verbo passim nominatur Ascher, sed ibi significatur per illum, ut quoque per reliquos, quale, de quo ibi agitur, hoc est, quales sunt in illo statu, de quo res ibi est; & quoque se habet quale eorum secundum ordinem in quo nominantur, sicut aliter cum a Rubene seu fide principum ducitur, aliter cum a Jehuda seu amore cœlesti, & aliter cum a Josepho seu ab amore spirituali, nam essentia & qualitas principii derivatur & transit in sequentes; inde significationes eorum variæ in locis ubi nominantur: hic ubi de nativitate eorum agitur, per illos significantur communia Ecclesiæ, proinde omnia fidei & amoris quæ faciunt Ecclesiam; & hoc ex causa, quia in illis quæ præcedunt agitur de regeneratione hominis, seu de statibus hominis antequam fit Ecclesia, & in supremo sensu de Domino, quomodo Humanum suum Divinum fecit; ita de ascensu per scalam, quæ in Bethel visa est Jacobo, usque ad Jehovam.

3940. Vers: 14. 15. 16. *Et ivit Reuben in diebus messis triticorum, & invenit dudaim in agro, & adduxit illos ad Leam matrem suam, & dixit Rachel ad Leam, da quæso mihi de dudaim filii tui. Et dixit illi, an parum sumsisse te virum meum, & sumes etiam dudaim filii mei; & dixit Rachel, idcirco cubabit cum te nocte hac pro dudaim filii tui. Et venit Jacob de agro in vespera, & exivit Leah obviam ei, & dixit, ad me venies, quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei; & cubuit cum illa in nocte illa.* Ivit Ruben in diebus messis triticorum, significat fidem quoad statum ejus amoris & charitatis: & invenit dudaim in agro, significat illa quæ amoris conjugialis sunt in vero & bono charitatis & amoris: & adduxit illos ad Leam matrem suam, significat applicationem ad affectionem veri externi: Et dixit Rachel ad Leam, significat perceptionem affectionis, & desiderium veri interioris: da quæso mihi de dudaim filii tui, significat illorum quæ amoris conjugialis sunt, quibus mutuo & vicissim conjungeretur: Et dixit illi, an parum sumsisse te virum meum, significat quod conjugiale desiderium sit: & sumes etiam dudaim filii mei, significat quod sic conjugiale subtraheret boni naturalis cum vero externo: & dixit Rachel, significat consensum: idcirco cubabit cum te nocte hac pro dudaim filii tui, significat quod conjungeretur: Et venit Jacob de agro in vespera, significat veri bonum in statu boni, sed in obscuro, quale naturali: & exivit Leah obviam ei, significat desiderium a parte affectionis veri externi: & dixit, ad me venies, significat quod ei conjungeretur: quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei, significat

quod

quod ei conjungeretur: quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei, significat quod sic ex proviso constipulatum: & cubuit cum illa, significat conjunctionem.

3941. Ivit Reuben in Diebus messis, quod significet fidem quoad statum ejus amoris & charitatis, constat a repræsentatione Reubenis, quod sit fides quæ primum regenerationis est, de qua n: 3861. 3866; ex significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785; ex significatione triticorum, quod sint amor & charitas, de qua sequitur; inde messis triticorum est status procedens amoris & charitatis. Actum est per quatuor filios Jacobi ex ancillis, de mediis conjunctionis Externi hominis cum Interno; agitur nunc de conjunctione boni & veri per reliquos filios, quare primum de Dudaim, per quos significatur conjunctio hæc seu conjugiale. Quod messis triticorum sit status procedens amoris & charitatis, est quia Ager significat Ecclesiam, ita sunt Ecclesiæ, & semina quæ feruntur in agro significant illa quæ sunt boni & veri; & quæ enascuntur ex illis ut tritica, hordea, & plura, illa quæ sunt amoris & charitatis, ut & fidei; status Ecclesiæ quoad illa comparantur ideo sementi & messi, ut & vocantur sementis & messis, ut Genes: Cap: VIII: Vers: 22, n: 932. Quod Tritica sint illa quæ sunt amoris & charitatis, constare quoque potest a sequentibus locis; apud Mosen "Jehovah equitare facit eum super excelsis terræ, & cibat proventu agrorum, sugere facit mel e rupe, & oleum e saxo petræ, butyrum armenti & lac gregis, cum adipe agnorum & arietum, filiorum Baschanis, & hircorum, *cum adipe renum tritici*, & sanguinem uvæ bibis merum" Deut: XXII: 13. 14, ibi agitur in sensu interno de Ecclesia Antiqua, & ejus statu cum instaurata, omnia amoris & charitatis, & omnia fidei, quæ ibi, per significativa describuntur; adeps renum tritici est cœleste amoris & charitatis: & quia adeps seu pinguedo significat cæleste, n: 353, & triticum amorem, ideo passim in Verbo conjunguntur; ut quoque apud Davidem "Utinam populus meus obediens Mihi, Israel in viis meis ambularent, *cibaret eos adipe tritici*, & e petra melle satiabo eos" Psalm: LXXXI: 14. 17: & alibi apud Eundem "Jehovah, qui ponit terminum tuum pacem, *Adipe triticorum satiat te*" Psalm: CXLVII: 14. Quod Triticum sit amor & charitas, apud Jeremiam "Pastores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt portionem agri mei, redegerunt portionem agri mei ad desertum solitudinis: super omnes colles in deserto venerunt vastatores, quia gladius Jehovæ devorans a fine terræ usque ad finem terræ, nulla pax ulli carni, *severunt tritica*, & spinas messuerunt" XII: 10. 12. 13; Vinea & ager pro Ecclesia, desertum solitudinis pro vastatione ejus, gladius devorans pro vastatione veri, nulla pax pro nullo bono afficiente, serere tritica pro bonis quæ sunt amoris & charitatis, metere spinas pro mala & falsa quæ sunt amoris sui & mundi; quod vinea sit Ecclesia spiritualis n: 1069, ager quod Ecclesia quoad bonum, n: 2971; desertum quod vastatio, n: 1927. 2708; gladius devorans quod vastatio veri, n: 2799; pax quod bonum afficiens, n: 3780. Apud Joelem "Vastatus est ager, luxit humus, quia vastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum, pudefacti sunt agricolæ, ejularunt vinitores,

super triticum, & *super hordeum*, quia periit *messis agri:* cingimini & plangite sacerdotes, ejulate ministri altaris" I: 11. 13; quod hic status Ecclesiæ vastatæ sit qui describitur, cuivis patet; ita quod Ager & humus sit Ecclesia, frumentum ejus bonum, & mustum verum, n: 3580; triticum quod amor cœlestis hordeum amor spiritualis; & quia de statu Ecclesiæ agitur, dicitur cingimini & plangite sacerdotes, & ejulate ministri altaris. Apud Ezechielem "Spiritus Jehovæ ad prophetam; *sume tibi tritica*, & hordea, & fabam, & lentes, & milium, & zeas, & des illa in vas unum, & fac illa tibi ad panem, cum stercore fimi hominis facies placentam ad oculos eorum; sic commedent filii Israelis panem suum immundum," IV: 9. 12; ibi de prophanatione boni & veri; tritica, hordea, faba, lentes, milium, zeæ, pro generibus boni & inde veri; panis inde seu placenta cum stercore fimi humani, pro prophanatione eorum omnium. Apud Johannem "Vidi cum ecce equus niger, & sedens super illo habens libram in manu sua; audivi vocem e medio quatuor Animalium dicentium, *choenix tritici denario*, & tres chænices hordei denario; Oleo autem & vino damnum ne inferas" Apoc: VI: 6. ubi etiam de vastatione boni & veri; chænix tritici denario, pro quod amor ita rarus, tres chænices hordei denario, pro quod charitas. Apud Ezechielem "Jehudah & terra Israelis fuerunt mercatores tui, *in triticis minnith & pannay*, & melle & oleo, & balsamo dederunt negotiationes tuas" XXVII: 17, ubi de Tyro, per quam cognitiones boni & veri significantur, bona amoris & charitatis, & illorum felicia sunt tritica minnith & pannay, & mel, oleum, balsamum; Jehudah est cœlestis Ecclesia, terra Israelis est spiritualis, e quibus illa; negotiationes sunt acquisitiones. Apud Mosen "*Terra tritici & hordei*, & vitis & ficus, & malogranatæ, terra olivæ, olei & mellis, Deut: VIII: 8, descriptio terræ Canaanis, quæ in sensu interno est Regnum Domini, n: 1413. 1437. 1585. 1607. 3038. 3705; bona amoris & charitatis ibi sunt triticum & hordeum bona fidei sunt vitis & ficus. Apud Matthæum "Cujus ventilabrum in manu Ipsius, & perpurgabit aream suam, & *colliget triticum suum in horreum*, paleam autem comburet igne inexstinguibili" III: 12; Johannes Baptista ita de Domino; triticum pro bonis amoris & charitatis, palea in quibus nihil boni. Apud Eundem "Sinite una crescere utraque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite prius zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum ea, *Triticum vero congregate in horreum meum*" XIII: 30, zizania pro malis & falsis, triticum pro bonis; comparationes sunt, sed comparationes in Verbo omnes fiunt per significativa.

3942. Et invenit dudaim in agro, quod significet illa quæ amoris conjugialis sunt in vero & bono charitatis & amoris, constat ex significatione dudaim, quod sint illa quæ amoris conjugialis, de qua sequitur; & a significatione agri, quod sit Ecclesia, proinde verum fidei & bonum charitatis, quia hæc faciunt Ecclesiam de qua n: 368. 2971. 3196. 3310. 3500. 3508. 3766. Quid dudaim, interpretes non sciunt; quod fructus aut flores fuerint, opinantur, qui etiam secundum cujusvis opinionem nominantur; sed quodnam genus, non interest scire; quomodo quod apud Antiquos, qui ab Ecclesia fuerunt, omnes fructus & flores significativi fuerint;

rint; noverant enim quod universa natura esset theatrum repræsentativum Regni Domini, n: 3483, & quod omnia quæ in tribus ejus regnis repræsentaverint, & singula aliquod speciale in mundo spirituali, ita quoque singuli fructus & singuli flores: quod per dudaim significatum sit conjugiale boni & veri, ex serie rerum in sensu interno hic constare potest; tum quoque ex derivatione illius vocis in lingua originali, derivatur enim a voce *dudim*, quæ significat amores & per illos conjunctionem; quod inde dudaim, & quod conjugiale significet, patet ab his "Mane surgemus ad vineas, videbimus si effloruerit vitis, protruserit uvam, flores protulerint malogranatæ, ibi dabo amores meos (*dudim*) tibi; *dudaim dederunt odorem*". Cantic: VII: 13. 14; inde patet, quid dudaim: quod Librum, in quo illo qui Canticum vocatur, attinet, non est inter illos qui vocantur Moses & Prophetæ, quia non sensum internum habet, sed conscriptus est stylo antiquo, plenus significativis, ex libris Antiquæ Ecclesiæ, corrasis, & perplurimis quæ in Antiqua Ecclesia amorem cœlestem & spiritualem, imprimis conjugialem, significarunt; quod is talis liber sit, patet etiam ex eo, quod in sensu literæ, secus ac in libris, qui Moses & prophetæ dicuntur plura, quæ indecentia sunt, exstent; sed quia talia, quæ significativa amoris cœlestis & conjugialis sunt, ibi congesta sunt, inde apparet sicut mysticum quoddam inibi quoque foret. Ex significatione dudaim nunc constare potest quod per quod Reuben invenerit dudaim agro, significetur conjugiale quod in vero & bono amoris & charitatis, hoc est, quod conjungi potest; nam conjugiale non aliud est in sensu spirituali, quam id verum quod conjungi potest bono, & id bonum quod conjungi potest vero; inde etiam & omnis amor conjugialis, n: 2728. 2729. 3132; quapropter amor conjugialis genuinus non datur, nisi sint in bono & vero, ita simul in conjugio cœlesti.

3943. Et adduxit illos ad Leam matrem suam, quod significet applicationem ad affectionem veri externi constat a significatione adducere, quod hic sit applicatio; & ex repræsentatione Leæ, quod sit affectio veri externi, de qua n: 3793. 3819.

3944. Et dixit Rachel ad Leam, quod significet perceptionem affectionis, & desiderium veri interioris, constat a significatione dicere, quod sit percipere, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395; & ex repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; quod sit affectio & desiderium illius veri, etiam patet ab illis quæ mox sequuntur, dicit enim Rachel, da quæso mihi de dudaim filii tui.

3945. Da quæso mihi de dudaim filii tui, quod significet illorum, nempe affectionem & desiderium, quæ amoris conjugialis sunt, quibus mutuo & vicissim, conjugeretur, constat a significatione dudaim, quod sint illa quæ amoris conjugialis sunt, de qua supra n: 3942; quod sit affectio & desiderium constat, n: 3944; quod amor conjugialis sit conjunctio mutuo & vicissim, videatur n: 2731.

3946. Et dixit illi, an parum sumsisse te virum meum, quod significet quod conjugiale desiderium sit, constat ex significatione sumere virum qui

quoque alterius eſt, ut hic Jacobum, qui quoque eſt Leæ, quod involvat mutuum amorem inter illos inde eſt, quod per illa verba an parum ſumſiſſe te virum meum ſignificetur conjugiale deſiderium.

3947. Et ſumes etiam dudaim filii mei, quod ſignificet quod ſic conjugiale ſubtraheret boni naturalis cum vero externo, conſtat ex ſignificatione ſumere, quod hic ſit ſubtrahere; a ſignificatione dudaim, quod ſit conjugiale, de qua n: 3942; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147, hic verum externum, quia eſt Leah quæ dicit, quæ quod ſit verum externum, ſupra oſtenſum eſt.

3948. Et dixit Rachel, idcirco cubabit cum te nocte hac pro dudaim filii tui, quod ſignificet conſenſum, quod conjungeretur, conſtare poteſt abſque explicatione.

3949. Et venit Jacob de agro in veſpera, quod ſignificet veri bonum in ſtatu boni, ſed in obſcuro, quale naturali, conſtat a repræſentatione Jacobi, quod ſit veri bonum Naturalis, de qua n: 3669. 3677. 3775. 3829; ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia quoad bonum, de qua n: 2971, ita bonum; & ex ſignificatione veſperæ, quod ſit obſcurum, de qua n: 3056. 3833.

3950. Et exivit Leah obviam ei, & dixit, ad me venies, quod ſignificet deſiderium a parte affectionis veri externi, quod ei conjungeretur, conſtare poteſt ex repræſentatione Leæ, quod ſit affectio veri externi, de qua ſupra; quod ſit deſiderium ut conjungeretur, patet abſque explicatione.

3951. Quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei, quod ſignificet quod ſic ex proviſo conſtipulatum, conſtat ex ſignificatione conducendo conducere, quod ſit conſtipulatum, ut quoque ab illis quæ præcedunt, patet; quod ex proviſo, eſt quia omnis conjunctio veri cum bono, & boni cum vero apud hominem, fit ex proviſo, hoc eſt, ex Providentia Domini; agitur enim hic de conjunctione boni cum vero, & veri cum bono, ita de bono quod appropriatur homini; bonum enim non eſt bonum apud hominem, priuſquam id conjunctum eſt cum vero; & quia omne bonum venit a Domino, hoc eſt, omnis appropriatio boni per conjunctionem ejus cum vero, ideo dicitur hic ex proviſo; Providentia Domini imprimis verſatur circa conjunctionem illam; per illam homo fit homo, & diſtinguitur a brutis animalibus, & in tantum fit homo, in quantum recipit ex illa, hoc eſt, quantum ſinit ut Dominus id operetur; hoc itaque eſt bonum apud hominem, aliud bonum quod ſpirituale eſt, & manet in æternum, non datur: & quoque bona Externi hominis, quæ ſunt jucunda vitæ cum homo vivit in mundo, tantum bona ſunt, quantum ex illo bono in ſe habent; ſicut bonum divitiarum; quantum divitiæ in ſe habent bonum ſpirituale, hoc eſt, pro fine bonum proximi, bonum patriæ ſeu publicum, & bonum Eccleſiæ, tantum bona ſunt; at qui concludunt, quod bonum ſpirituale, de quo dictum non dari poſſit in opulentia mundana, & idcirco ſibi perſuadent, ut cœlo vacent, quod ſe abdicare illis debeant, multum falluntur; ſi enim illis ſe abdicant, aut ſe illis deprivant, dein nulli benefacere poſſunt, nec ipſi in mundo niſi in miſeria vivere, ita non amplius pro fine habere poſſunt bonum proximi, &

& bonum patriæ, ne quidem bonum Ecclesiæ, sed modo semet, ut salventur, ac aliis majores fiant in cœlis; præterea etiam cum se abdicant mundanis, se quoque contemtui exponunt, qui quoque illos viles in conspectu aliorum, proinde inutiles faciunt serviendi & officia præstandi; sed cum pro fine habent hæc, tunc pro fine etiam seu medio habent statum, ut in facultate sint faciendi finem; se habet hoc prorsus similiter ac cum nutritione hominis, nutritio pro fine habet, ut mens sana sit in corpore sano, si homo deprivat corpus sua nutritione, tunc se etiam deprivat statu finis; quare, qui spiritualis homo est, is nutritionem non contemnit, nec quoque voluptates ejus, sed non pro fine habet, sed pro medio inserviendi fini: ex hoc ut ab exemplo concludi potest ad reliqua.

3952. Et cubuit cum illa in nocte illa, quod significet conjunctionem, constare etiam potest absque explicatione. Quod præcedentia ad maximam partem solum quoad vocum significationes in sensu interno explicata sint, in causa est, quia talia sunt, ut non comprehendi possint nisi in una serie exponantur; agitur enim de conjunctione veri cum bono & boni cum vero, quæ conjunctio est conjugiale in spirituali sensu intellectum, hoc est, quæ facit apud hominem & in Ecclesia Conjugium cœleste: arcana conjugii hujus nempe cœlestis in illis descripta sunt, ac ibi revelata, quæ sunt hæc: Conjugium cœleste est, ut dictum, boni cum vero & veri cum bono, sed non inter bonum & verum unius ejusdemque gradus, sed inter bonum & verum inferioris gradus & superioris, hoc est, non inter bonum Externi hominis & verum ejusdem, sed inter bonum Externi hominis & verum Interni, seu quod idem, non inter bonum Naturalis hominis & ejus verum, sed inter bonum Naturalis hominis & verum Spiritualis; hæc conjunctio est quæ facit conjugium: similiter se habet in Interno seu Spirituali homine, ibi inter bonum & verum non est conjugium cœleste, sed inter bonum Spiritualis hominis & verum cœlestis hominis, cœlestis enim homo est in superiore gradu respective; nec conjugium cœleste est inter bonum & verum ibi, sed inter bonum cœlestis hominis, & Verum Divinum quod procedit a Domino: inde quoque patet, quod ipsum Conjugium Divinum Domini non sit inter Bonum Divinum & Verum Divinum in Domino Humano Ipsius, sed inter Bonum Divini Humani & Ipsum Divinum, hoc est, inter Filium & Patrem, nam Bonum Divini Humani Domini est quod in Verbo vocatur Filius Dei, & Ipsum Divinum Pater. Hæc arcana sunt, quæ continentur in sensu interno in illis quæ dicuntur de dudaim: quisque videre potest, quod inibi aliquod arcanum sit; nam memorare, quod Reuben in agro invenerit dudaim, & Rachel desideravit illos, & pro quod accepit illos spopsonderit quod vir eorum cubaret cum illa, & quod Leah obviam iverit Jacobo cum ex agro venit in vespera, & dixerit, quod conduxerit illum pro dudaim, hæc leviora forent, quam ut aliquod historicum Verbi facerent, nisi Divinum quoddam inibi reconditum esset; sed quodnam Divinum, nemo scire potest, nisi sciat quid per filios Jacobi, & per Tribus ab illis nominatas, significatur; tum nisi sciat seriem rei in sensu interno, & insuper nisi sciat quid conjugium cœleste est, nam de hoc agitur,

agitur, quod nempe sit conjunctio boni Externi hominis cum affectione veri Interni hominis; sed hoc arcanum, ut manifestius sciatur, licet adhuc illustrare: Externi hominis vera sunt scientifica & doctrinalia, quæ hausit primum per parentes, tum per magistros, dein per libros, & tandem proprio studio; bonum Externi hominis est volupe & jucundum quod percipit in illis; scientifica quæ sunt vera, & jucunda quæ sunt bonum, conjunguntur, sed non faciunt apud illum conjugium cœleste, nam apud illos qui in amore sui & mundi sunt, & inde in malo & falso, etiam scientifica, imo doctrinalia conjuncta jucundis sunt, sed sunt jucunda amorum illorum, cum quibus etiam vera conjungi possunt; sed usque sunt tales extra conjugium cœleste: at cum volupe aut jucundum, quod est bonum Externi seu Naturalis hominis, ex amore spirituali est, hoc est, ex amore erga proximum, erga patriam seu publicum, erga Ecclesiam, erga Regnum Domini, & magis, ex amore cœlesti qui est in Dominum, & hæc ab Interno seu spirituali homine influunt in jucundum Externi seu Naturalis hominis, & id faciunt, tunc conjunctio illa cum scientificis & doctrinalibus Externi seu Naturalis hominis, facit apud eum conjugium cœleste; hoc non dari potest apud malos, sed apud bonos, qui nempe pro fine habent illa; sed quomodo se habet cum influxu Interni seu Spiritualis hominis in Externum seu Naturalem, videantur quæ prius n. 3286. 3288. 3314. 3321, de illis dicta sunt: hæc cum prius cognita sunt, tunc sciri potest, quid per singula illa, quæ supra solum quoad sensum internum vocum explicata sunt, significatur; ut quod Reuben, qui est verum fidei quod primum regenerationis est, dudaim invenerit, quod ad matrem suam Leam, quæ est affectio veri externi, adduxerit, quod Rachel, quæ est affectio veri interioris, illos desideraverit, & quod etiam ei dati sint, quod Leah ideo cubuerit cum viro suo, Jacobo, qui est bonum veri in naturali homine; tum in consequentibus quod nati sint Jacobo filii ex Leah, Jisaschar & Sebulon, per quos significantur & repræsentantur illa quæ amoris conjugialis sunt, ita quæ Conjugii cœlestis & dein Josephus, per quem significatur & repræsentatur Regnum Spirituale Domini, quod est ipsum conjugium, de quo agitur.

3953. Vers: 17. 18. *Et audivit Deus ad Leam, & concepit & peperit Jacobo filium quintum. Et dixit Leah, dedit Deus mercedem meam, quod dedi ancillam meam viro meo, & vocavit nomen ejus Jisaschar.* Audivit Deus ad Leam, significat amorem Divinum: & concepit & peperit Jacobo filium quintum, significat receptionem & agnitionem: & dixit Leah, dedit Deus mercedem meam quod dedi ancillam meam viro meo, significat in supremo sensu Divinum Bonum Veri & Verum Boni, in interno amorem conjugialem cœlestem, in externo amorem mutuum: & vocavit nomen ejus Jisaschar, significat quale.

3954. Audivit Deus ad Leam, quod significet amorem Divinum, constat ex significatione audire ad aliquem, cum prædicatur de Deo seu Domino, quod sit amor Divinus; audire enim ad aliquem, est facere quod precatur & optat, hoc quia ex Divino Bono, & Divinum Bonum ex Divino amore venit,

venit, per audire ad aliquem in supremo sensu est amor Divinus qui significatur: ita enim se habet cum sensu interno Verbi, quod, cum sensus literæ ascendit versus cœlum, & ibi intrat in Sphæram, ubi ex Domino & de Domino deque illis quæ sunt Domini, cogitatur, demum percipiatur ab Angelis ita; nam sensus internus est Verbum Angelis, cui pro plano seu medio cogitandi inservit sensus literæ; sensus enim literæ non venire potest ad angelos, quia de mundanis, terrestribus & corporeis in plerisque locis agit, de quibus non cogitare possunt Angeli, quia in spiritualibus & cœlestibus sunt, & sic longe supra illa; ideo datum est Verbum quod potest homini inservire, & simul Angelis; in eo differt Verbum ab omni alio scripto.

3955. Et concepit & peperit Jacobo filium quintum, quod significet receptionem & agnitionem, constat ex significatione concipere, quod sit receptio, & parere quod sit agnitio, de quibus supra n: 3860. 3868. 3905. 3911. 3919.

3956. Et dixit Leah, dedit Deus mercedem meam quod dedi ancillam meam viro meo, quod significet in supremo sensu Divinum Bonum Veri, & Verum Boni, in interno amorem conjugialem cœlestem, in externo amorem mutuum, constare potest ex significatione mercedis; Merces in Verbo passim nominatur, sed pauci sciunt quid per mercedem ibi significatur: notum est in Ecclesiis, quod per bona, quæ facit homo, nihil mereri possit, nam bona quæ facit non sunt illius, sed Domini, & quod mereri seu meritum spectet hominem, ita quod conjungat cum amore se sui, & cum cogitatione præeminentiæ sui super alios, consequenter cum contemtu aliorum, quapropter opera quæ fiunt propter mercedem, non sunt bona in se, non enim scaturiunt a genuino fonte, nempe ex charitate erga proximum; charitas erga proximum in se habet, quod velit ei tam bene quam sibi, & apud angelos quod ei velint melius quam sibi; etiam affectio charitatis talis est; quare etiam affectio charitatis aversatur omne meritum, proinde omne benefactum spectans mercedem; merces illis qui in charitate sunt est quod possint benefacere, & quod liceat benefacere, & quod benefactum acceptetur; hoc est ipsum jucundum, imo beatum, quod est apud illos qui in affectione charitatis sunt; inde constare potest, quid merces quæ memoratur in Verbo, quod nempe sit jucundum & beatum affectionis charitatis, seu quod idem, jucundum & beatum amoris mutui, n: 3816, nam affectio charitatis & amor mutuus, idem est; videantur quæ de his prius n: 1110. 1111. 1774. 1835. 1877. 2027. 2273. 2340. 2373. 2400, dicta sunt; ex his patet quod per mercedem hic in sensu externo significetur amor mutuus. Quod per mercedem in sensu adhuc superiori, seu in interno, significetur amor conjugialis cœlestis, constare potest ex illis quæ prius n: 2618. 2739. 2741. 2803. 3024 f. 3132. 3953, de conjugio cœlesti dicta sunt, quod nempe sit conjunctio boni & veri, & quod amor mutuus sit ex conjunctione illa, seu ex conjugio illo, n: 2737. 2738; inde constare potest, quod merces in sensu interno sit amor conjugialis cœlestis. Quod merces in sensu supremo sit Divinum Bonum Veri & Verum Boni, patet ex eo, quod inde sit Conjugium cœleste; in Domino enim est illa unio, & ab Ipso procedit, quæ cum influat in cœlum facit conjugiale

boni

boni & veri, & per hoc amorem mutuum. Ex his quæ dicta sunt, & ex illis quæ præcedunt, patet quid hæc verba Leæ "Dedit Deus mercedem, meam, quod dedi ancillam meam viro meo" in sensu interno significatur; per ancillam enim significatum est medium affirmativum inserviens conjunctioni Externi & Interni hominis, n: 3913. 3917. 3931; ita antequam affirmata sunt & agnita, quæ per filios ancillarum significata sunt, non potest aliqua conjunctio boni & veri existere, ita nec amor mutuus; affirmationes enim illæ necessario præcedent: hæc sunt quæ intelliguntur per illa verba.

3957. Et vocavit nomen ejus Jisaschar, quod significet quale, constat ex significatione vocare nomen, quod sit quale, ut supra n: 3923. 3935; nominatus enim est Jisaschar a mercede, inde involvit illa quæ supra de Mercede dicta sunt, & simul illa quæ significantur per reliqua verba Leæ. Quia per Jisascharem significatur Merces, & Merces in sensu externo est Amor mutuus, ac in interno conjunctio boni & veri, licet referre, quod paucissimi hodie in Orbe Christiano sciant quod merces illud sit, & hoc ex causa, quia non sciunt, quid amor mutuus, & adhuc minus quod bonum conjungendum sit vero, ut homo possit esse in Conjugio cœlesti; cum perpluribus, qui ex Orbe Christiano fuerunt in altera vita, de illa re loqui datum est, & quoque cum doctioribus, at quod mirandum, vix aliquis eorum, cum quibus loqui datum, de illa re aliquid noverat; cum tamen plura de illis scire potuerunt ex seipsis, modo ratione sua uti voluerint; sed quia non solliciti fuerunt de vita post mortem, sed solum de vita in mundo, talia illis curæ non fuerunt: quæ scire ex seipsis potuerant, modo, ut dictum, ratione sua uti voluerint, sunt sequentia; *Primum*, quod dum exuitur homo corpore multo illustriore intellectu polleat, quam cum in corpore vivit, ex causa quia cum in corpore est, corporea & mundana cogitationes ejus occupant, quæ inducunt obscurum; at cum exutus est corpore, quod talia non interpolent, sed quod sit sicut illi, qui in interiore cogitatione sunt per abstractionem mentis suæ a sensualibus externis; inde potuerunt scire, quod status post mortem sit multo perspicuior & illustrior, quam status ante mortem, & cum moritur homo, quod transeat ab umbra in lucem respective, quia ab illis quæ sunt mundi ad illa quæ sunt cœli, & ab illis quæ sunt corporis ad illa quæ sunt spiritus; at, quod mirum, tametsi hæc intelligere possunt, usque contrarium cogitant, quod nempe status vitæ in corpore sit perspicuus respective & status vitæ post exuitionem corporis sit obscurus. *Alterum*, quod scire possunt, si modo ratione sua utantur, est, quod vita, quam sibi comparavit homo in mundo, illum sequatur, seu quod in tali sit post mortem; scire enim possunt, quod nemo exuere possit vitam ab infantia sibi comparatam, nisi prorsus moriatur, & quod illa vita momento non transmutari possit in aliam, minus in oppositam; ut pro exemplo, qui vitam doli sibi comparavit, & in eo vitæ suæ jucundum habuit quod vitam doli non exuere possit, sed quod in illa vita quoque sit post mortem; aut qui in amore sui, & inde in odiis & vindictis contra illos qui non inserviunt, aut in similibus aliis quod in illis post

vitam

vitam corporis maneant, sunt enim illa quæ amant, & quæ faciunt jucunda vitæ eorum, proinde ipsissimam vitam; & quod sic auferri illis talia nequeant, nisi simul exstinguatur omne vitæ eorum; similiter in reliquis. *Tertium*, quod homo scire potest ex se, est, quod cum in alteram vitam transit, relinquat plura, sicut curas pro victu, curas pro amictu, curas pro habitatione, & quoque curas pro conquirendis pecuniis & opibus, nam talia ibi non sunt, etiam curas ut evehatur in dignitates, de quibus homo tantum cogitat in vita corporis; & quod pro illis alia succedant, quæ non sunt Regni terrestris. Inde *Quartum* sciri potest, quod qui nihil aliud cogitavit in mundo quam talia, sic ut illa totum occupaverint, & in illis solis vitæ jucundum acquisiverit, non aptus sit esse inter illos, quibus jucundum est cœlestia, seu quæ sunt cœli, cogitare: inde quoque *Quintum*, quod si externa illa quæ sunt corporis & mundi, illis auferuntur, homo tunc sit qualis fuit intus, nempe quod sic cogitet & sic velit; si cogitationes intus tunc fuerant doli, machinationes, aspiratio ad dignitates, ad lucra, ad famam propter illa, si odia & vindictæ, & similia, quod tunc talia cogitet, ita quæ sunt inferni, utcunque propter fines illos coram hominibus celaverit cogitationes suas, & in externa forma apparuerit honestus, & induxerit fidem aliis, quod talia non volvat; quod externa illa, seu simulationes honesti, etiam auferantur in altera vita, etiam sciri potest, quia exuuntur externa cum corpore, & externa non magis usui sunt; inde qualis homo tunc apparíturus Angelis, quisque ex se concludere potest. *Sextum*, quod etiam sciri potest, est, quod Cœlum seu Dominus per cœlum continue operetur, & influat cum bono & vero, tunc si non apud illos in interiore eorum homine, qui post mortem Corporis vivit, sit aliquod recipiens boni & veri, sicut humus aut planum, quod bonum & verum influens non recipi possit, & quod ideo homo, cum vivit in mundo, sollicitus esse debeat, ut sibi interius tale planum comparet; hoc non comparari potest, quam per quod cogitet bonum erga proximum, quodque velit ei bonum, & inde faciat ei bonum, & sic acquirat sibi jucundum vitæ in talibus; hoc planum acquiritur per charitatem erga proximum, hoc est, per amorem mutuum, hoc planum est quod vocatur Conscientia; in hoc influere potest bonum & verum a Domino, & inibi recipi, non autem ubi nulla charitas, proinde nulla conscientia est, ibi influens bonum & verum transfluit, & vertitur in malum & in falsum. *Septimum* quod homo scire potest a se, est quod amor in Deum, & amor erga proximum, sint quæ faciant ut homo sit homo, distinctus a brutis animalibus, & quod illa constituant vitam cœlestem seu cœlum, & quod opposita constituant vitam infernalem seu infernum. Sed quod homo hæc non sciat, est quia non vult scire, vivit enim vitam oppositam, tum quia non credit vitam post mortem dari, tum quoque quia principia fidei captaverat, & nulla charitatis, & inde secundum plurium doctrinalia credit, quod, si vita post mortem detur, salvari possit ex fide, utcunque vixerit, & hoc si fidem acciperet in ultima hora cum moritur.

3958. Verf: 19. 20. *Et concepit adhuc Leah, & peperit filium fextum Jacobo. Et dixit Leah, dotavit me Deus me dote bona, vice hac cohabitabit mihi vir meus, quia peperi illi fex filios, & vocavit nomen ejus Sebulun.* Concepit adhuc Leah, & peperit filium fextum Jacobo, fignificat receptionem & agnitionem: & dixit Leah, dotavit me Deus me dote bona, vice hac cohabitabit mihi vir meus, quia peperi illi fex filios, fignificat in fenfu fupremo Ipfum Divinum Domini & Divinum Humanum Ipfius, in fenfu interno conjugium cœlefte, in externo amorem conjugialem: & vocavit nomen ejus Sebulun.

3959. Concepit adhuc Leah, & peperit filium fextum Jacobo, quod fignificet receptionem & agnitionem, nempe veri, conftat ex fignificatione concipere, quod fit recipere, & parere quod fit agnofcere, de quibus fupra n: 3955; & ex fignificatione filii, quod fit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373.

3960. Et dixit Leah, dotavit me Deus me dote bona, vice hac cohabitabit mihi vir meus, quia peperi illi fex filios, quod fignificet in fenfu fupremo Ipfum Divinum Domini & Divinum Humanum Ipfius, in fenfu interno conjugium cœlefte, in externo amorem conjugialem, conftat ex fignificatione cohabitare, & quoque ex reliquis verbis quæ Leah tunc loquuta: quod Cohabitare feu Cohabitatio fit in fupremo fenfu Ipfum Divinum Domini & Divinum Humanum Ipfius, eft quia Ipfum Divinum quod Pater vocatur eft in Divino Humano quod Filius Dei dicitur, mutuo & viciffim, fecundum Ipfius Domini verba apud Johannem "Jefus dixit, Philippe, qui vidit me, vidit Patrem, credite Mihi quod Ego in Patre & Pater in Me" XIV: 9. 10. 11. Cap. X: 38; quod hæc unio fit ipfum Conjugium Divinum, videatur n: 3211. 3952; eftque unio illa non cohabitatio, fed per cohabitationem in fenfu literæ exprimitur; quæ enim unum funt, ficut duo fiftuntur in fenfu literæ, prout etiam Pater & Filius, imo ut tres, ut Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & hoc ob plures caufas, de quibus, ex Divina Domini Mifericordia, alibi. Quod cohabitare feu cohabitatio in fenfu interno fit Conjugium cœlefte, inde eft, nam ex Conjugio Divino, quod eft unio Patris & Filii, feu Ipfius Divini Domini cum Divino Humano Ipfius, exiftit Conjugium cœlefte; Conjugium Cœlefte eft quod Regnum Domini vocatur, & quoque Cœlum, & hoc quia exiftit a Conjugio Divino, quod eft Dominus; hoc nunc eft, quod in fenfu interno fignificatur per cohabitationem, inde quoque Cœlum vocatur Habitaculum Dei, ut apud Efaiam "Profpice a cœlis, & vide ex *Habitaculo fanctitatis tuæ*, & *decoris tui*; ubi zelus tuus, & virtutes tuæ, commotio vifcerum tuorum, & miferationes tuæ ad me, fe continuerunt" LXIII: 15; habitaculum fanctitatis pro Regno Cœlefti & habitaculum decoris pro Regno fpirituali; habitaculum ibi eft ex eadem voce, ex qua hic cohabitare & Sebulun. Quod quo habitare feu cohabitatio in fenfu externo fit amor conjugialis, eft quia omnis genuinus amor conjugialis non aliunde exiftit quam ex conjugio cœlefti quod eft boni & veri, & hoc a Conjugio Divino, quod eft Dominus quoad Ipfum Divinum Ipfius & Divinum Humanum; videantur quæ de

de his prius dicta sunt, quod nempe Conjugium Cœleste sit ex Divino Bono quod in Domino, & a Divino Vero quod Ipso, n: 2508. 2618. 2803. 3132; quod inde amor conjugialis, n: 2728. 2729; quod qui in genuino amore conjugiali sunt, in intimis vitæ cohabitent, n: 2732, ita in amore boni & veri, nam hæc sunt intima vitæ: quod amor conjugialis sit fundamentalis omnium amorum, n: 2737. 2738. 2739; quod conjugium boni & veri sit in cœlo, in Ecclesia, apud unumquemvis ibi, in singulis naturæ, n: 718. 747. 917. 1432. 2173. 2516. 2712. 2758: quod in singulis Verbi, n: 683. 793. 801. 2516, 2712, ita in supremo sensu Ipse Dominus: quod per Jesum Christum significetur conjugium Divinum, n: 3004. Hæc sunt, quæ significantur non solum per cohabitare, seu per hæc verba "vice hac cohabitabit mihi vir meus," sed etiam per illa quæ præcedunt "dotavit me Deus me dote bona," sed per illa significatur verum boni, per hæc autem bonum veri, utrumque enim facit conjugium cœleste: & quia hoc est conclusio, dicitur quia peperi illi sex filios, sex enim hic significant simile ac duodecim, nempe omnia fidei & amoris, numerus dimidius & duplus ejusdem significationis est in Verbo, quando de simili re agitur.

3961. Et vocavit nomen ejus Sebulun, quod significet quale, constat a significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua supra; nominatus est Sebulun a cohabitare, inde involvit illa quæ mox supra n: 3960 de Cohabitatione dicta sunt, & simul illa quæ per reliqua verba Leæ significantur.

3962. Vers: 21. *Et postea peperit filiam, & vocavit nomen ejus Dinah.* Postea peperit filiam, significat affectionem omnium, tum Ecclesiam fidei in qua bonum: & vocavit nomen ejus Dinah, significat quale.

3963. Postea peperit filiam, quod significet affectionem omnium, tum Ecclesiam fidei in qua bonum, constat a significatione filiæ, quod sit affectio, tum Ecclesia, de qua n: 2362, sed cujus rei affectio, ac qualis Ecclesia, ex adjectis patet, sicut Ecclesia Cœlestis ex adjecta Zione, quæ filia Zionis vocatur, Ecclesia spiritualis ex adjecta Hierosolyma, quæ filia Hierosolymæ dicitur, & sic porro; hic ubi nihil adjectum est, significatur per filiam Ecclesia fidei in qua bonum; de communibus enim veris quæ sunt fidei in qua bonum, & de eorum receptione & agnitione huc usque actum est, illa nempe vera per decem filios Jacobi, de quibus supra, significata sunt, ut ostensum est; & quia immediate post illos memoratur filia quod nata, ex serie patet, quod sit Ecclesia, in qua illa omnia; sive dicas Ecclesiam fidei in qua bonum, sive Ecclesiam spiritualem, idem est, & quoque si dicas affectionem omnium, nempe communium verorum; nam ex affectione veri in quo bonum, & boni ex quo verum, est Ecclesia; non autem ex affectione veri in quo non bonum, nec ex affectione boni ex quo non verum; qui se dicunt ab Ecclesia esse, qui in affectione veri sunt & non in bono veri, hoc est, non vivunt secundum vera, multum falluntur, sunt extra Ecclesiam, tametsi intra cætum sunt, sunt enim in affectione mali, cum quo verum non conjungi potest, affectio veri eorum non est ex Domino, sed est ex se, nam semet spectant ut per cognitiones veri lucrentur famam, & inde honores & opes, non autem spectant Ec-

clesiam, nec Regnum Domini, minus Dominum: qui autem in affectione boni sunt ex quo non verum, nec illi ab Ecclesia sunt, tametsi intra cætum, nam in bono naturali sunt non in bono spirituali, ac in quodlibet malum & quoque falsum se duci patiuntur, modo inducatur malo species boni, & falso species veri, de quibus videatur n: 3470, 3471. 3518.

3964. Et vocavit nomen ejus Dinah, quod significet quale, constat ex significatione nominis & vocare nomen, quod sit quale, de qua supra; quale, quod Dinah repræsentat & significat, est omne quod est Ecclesiæ fidei in qua bonum, de qua mox supra; idem etiam a derivatione nominis ejus patet, in lingua enim originali significat Dinah Judicium; quod judicium in Verbo prædicetur de vero quod fidei, videatur n: 2235; & quod judicare in sensu interno sit sanctum fidei, & in externo bonum vitæ, n: 3921; hæc sunt Ecclesiæ.

3965. Vers: 22. 23. 24. *Et recordatus est Deus Rachelis, & audivit ad illam Deus, & aperuit uterum illius. Et concepit, & peperit filium, & dixit, collegit Deus ignominiam meam. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, addat Jehovah mihi filium alterum.* Recordatus est Deus Rachelis, & audivit ad illam Deus, significat prævidentiam & providentiam: & aperuit uterum illius, significat facultatem recipiendi & agnoscendi: & concepit & peperit filium, significat receptionem & agnitionem: & dixit, collegit Deus ignominiam meam; & vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, addat Jehovah mihi filium alterum, significat in sensu supremo Dominum quoad Divinum Spirituale, in sensu interno Regnum Spirituale seu bonum fidei, in externo salvationem, ac fructificationem & multiplicationem.

3966. Recordatus est Deus Rachelis, & audivit ad illam Deus, quod significet Prævidentiam & Providentiam, constat ex significatione recordari cum prædicatur de Deo, at hic, quod sit Prævidentia, recordari enim est videre ad aliquem, quod videre in supremo sensu sit Prævidentia, videatur n: 3863; & ex significatione audire ad aliquem, cum prædicatur de Deo, quod sit Providentia, de qua n: 3869.

3967. Et aperuit uterum illius, quod significet facultatem recipiendi & agnoscendi, constat ex significatione aperire uterum, quod sit dare facultatem concipiendi & pariendi, ita in sensu interno facultatem recipiendi & agnoscendi, nempe bona veri, & vera boni, quod concipere & parere sit receptio & agnitio, supra passim ostensum est.

3968. Et concepit & peperit filium, quod significet receptionem & agnitionem, ut supra n: 3919. 3925. 3955. 3959.

3969. Et dixit, collegit Deus ignominiam meam, & vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, addat Jehovah mihi filium alterum, quod significet in sensu supremo Dominum quoad Divinum Spirituale, in sensu interno Regnum Spirituale seu bonum fidei, in externo salvationem, ac fructificationem & multiplicationem, constat ex repræsentatione Josephi in Verbo, de qua sequitur, tum ex significatione collegit Deus ignominiam meam, ut & addat Jehovah mihi filium alterum, Josephus enim a colligere & addere nominatus est: collegit Deus ignominiam meam, significat quod Rachel nunc non amplius

plius sterilis, ita non mortua esset, ut de se dixit ad Jacobum Vers: 1. hujus Capitis n: 3908; per Rachelem enim repræsentatur affectio veri interiorus, seu interior homo quoad verum, n: 3758. 3782. 3793. 3819; interior homo quoad verum & bonum sicut mortuus est, si non exterior seu naturalis homo ei correspondeat quoad bona & vera, videatur n: 3493. 3620. 3623; illi utrinque conjuncti erunt, usque ut non duo sint, sed simul unus homo; hæc conjunctio non potest existere, priusquam naturalis seu externus homo præparatus est, hoc est, priusquam recepit & agnovit communia vera, quæ significata sunt per decem filios Jacobi ex Leah & ancillis, & priusquam bonum Naturalis hominis conjunctum est cum veris ibi, quæ conjunctio significata est per ultimum filium Jacobi ex Lea, nempe per Sebulonem, qui a cohabitatione dictus est, n: 3960. 3961; postquam hæc conjunctio facta est, tunc interior homo & exterior conjugium cœleste ineunt, de quo, n: 3952; causa quod non prius, est arcanissima, est enim bonum interioris hominis quod tunc se conjungit cum bono exterioris, & per hoc cum vero ibi, & quoque bonum interioris hominis per affectionem veri ibi cum bono exterioris hominis, & quoque cum vero ibi, ita immediate & mediate, de qua conjunctione immediata & mediata videatur n: 3314. 3573. 3616: quia tunc primum conjungitur Interior homo cum Exteriore, & priusquam hæc conjunctio facta est, Interior homo est quasi nullus, ita quasi mortuus, ut supra dictum, ideo dicitur, collegit Deus ignominiam meam; hoc nunc est, quod significatur per ignominiam, quam Deus collegisse, hoc est, abstulisse, seu a qua liberavisse, dicitur. Per verba autem quæ sequuntur, nempe per addit Jehovah mihi filium alterum, a quibus Josephus nominatus, significatur alterum arcanum, quod est hoc; per Josephum repræsentatur Regnum spirituale Domini, ita spiritualis homo, nam in unoquovis spirituali homine est Regnum illud; snnt duo quæ spiritualem hominem constituunt, nempe charitas & fides, seu quod idem, bonum & verum, charitas ex qua fides, seu bonum ex quo verum, est quod repræsentatur per Josephum; & fides in qua charitas, seu verum in quo bonum, est quod significatur per filium alterum, & repræsentatur per Benjaminem, de quo Gen: xxxv: 16. 17. 18; ita est Josephus cœlestis spiritualis homo, & Benjamin Spiritualis cœlestis; quæ differentia qualis sit, constare potest ab illis quæ prius de bono ex quo verum, & de vero in quo bonum, sæpius dicta sunt; hoc nunc est quod significatur per altera verbaRachelis " Addat Jehovah mihi filium alterum:" sed hæc arcana non videri possunt, nisi ab illis qui in charitate fidei sunt, nam illi quoad interiora in luce cœli sunt, in qua luce etiam est intelligentia; non autem ab illis qui solum in luce mundi sunt, nam in hac luce non est intelligentia, nisi quantum hæc in se lucem cœli habet; angelis qui in luce cœli sunt, hæc inter communissima sunt. Ex his nunc constare potest, quod per illa verba, nempe collegit Deus ignominiam meam, & addat Jehovah mihi filium alterum, in sensu supremo significetur Dominus quoad Divinum spirituale; & in sensu interno Regnum spirituale Domini, seu bonum fidei, nam hoc est spirituale quod in illo Regno; quod autem in sensu externo per

illa

illa verba ſignificetur ſalvatio, ac fructificatio & multiplicatio, eſt quia eſt conſequens n: 3971. Quid autem Regnum ſpirituale Domini, conſtare poteſt ab illis, quæ de illo Regno multoties prius dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe ſint illi qui in charitate & inde in fide ſunt; diſtinguitur hoc Regnum a Regno cœleſti Domini, in hoc enim ſunt illi qui in amore in Dominum ſunt, & inde charitate, hi conſtituunt cœlum tertium ſeu intimum, ſpirituales autem cœlum ſecundum ſeu interius. Quod primum dicatur Deus, nempe collegit DEUS ignominiam meam, & mox Jehovah, nempe addat JEHOVAH mihi filium alterum, eſt cauſa, quia prius ſpectat aſcenſum a vero ad bonum, at poſterius deſcenſum a bono ad verum; ſpiritualis homo eſt in bono fidei, hoc eſt in bono ex quo verum, at antequam ſit ſpiritualis eſt in vero fidei, hoc eſt, in vero in quo bonum; Deus enim dicitur cum agitur de vero; Jehovah autem cum de bono, n: 2586. 2807. 2822. 3921. Quod per Joſephum repræſentetur Regnum Spirituale Domini, ſeu homo ſpiritualis, ita bonum fidei, conſtare etiam poteſt, ex illis locis in Verbo, ubi nominatur, ut in Prophetia Jacobi tunc Iſraelis "Filius fæcundæ *Joſephus*, filius fæcundæ juxta fontem, filiæ, incedit ſuper muro, & exacerbabunt illum & jaculabuntur, & odio habebunt illum ſagittarii: & ſedebit in firmitudine arcus ſui, & roborabuntur brachia manuum illius, a manibus fortis Jacobi, inde Paſtor, Lapis Iſraelis: a Deo patris tui, & auxiliabitur tibi, & cum Schaddai, & benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis ſubtus, benedictionibus uberum & uteri: benedictiones patris tui prævalebunt ſuper benedictionibus genitorum meorum uſque ad deſiderium collium ſæculi, erunt capiti *Joſephi*, & vertici naziræi fratrum illius," Geneſ: XLIX: 22 ad 26; in verbis his propheticis continetur in ſupremo ſenſu deſcriptio Divini Spiritualis Domini, in ſenſu interno Regni ſpiritualis Ipſius, quid ſingula involvunt, in explicatione Capitis illius, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur. Similiter in Prophetia Moſis "*Joſepho* dixit, benedicta a Jehovah terra illius, de pretioſis cœli, de rore, de abyſſo etiam jacente ſubtus; & de pretioſis proventuum ſolis, & de pretioſis producti menſium; & de primitiis montium orientis, & de pretioſis collium ſæculi; & de pretioſis terræ & plenitudinis ejus; & beneplacitum habitantis in rubo; venient capiti Joſephi, & vertici naziræi fratrum illius," Deut: XXXIII: 13 ad 17. Quia per Iſraelem repræſentatur Eccleſia ſpiritualis Domini, n: 3305. 3654, idcirco Jacob tunc Iſrael ante mortem ſuam, dixit ad Joſephum "Duo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam ego veniens ad te in Egyptum, mei erunt *Ephraim* & *Menaſcheh*, ſicut Ruben & Schimeon: Angelus qui redemit me ex omni malo, benedicat pueris, ut vocetur in iis nomen meum, & nomen patrum meorum, Abrahami & Jiſchaki, & creſcant in multitudinem in medio terræ," Geneſ: XLVIII: 5. 16; ſunt enim duo quæ conſtituunt Eccleſiam ſpiritualem, Intellectuale & Voluntarium, Intellectuale eſt quod repræſentatur per Ephraim, & Voluntarium quod per Menaſche; inde patet, cur duo Joſephi filii a Jacobo tunc Iſraele adoptati ſunt & agniti pro ſuis; Ephraim etiam in Verbo imprimis Prophetico ſæpius nominatur

nominatur, & ibi per illum significatur Intellectuale veri & boni, quod est Ecclesiæ Spiritualis. Apud Ezechielem "Jehovah dixit, fili hominis, sume tibi lignum unum, & *scribe super illud Jehudæ* & filiis Israelis sociis ejus; & sume lignum unum, & *scribe super illud Josepho*, lignum Ephraim, & omnis domus Israelis sociorum ejus; & conjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, ut sint unum ambo in manu mea; sic dixit Dominus Jehovih, Ego, ecce Ego accipiens *lignum Josephi*, quod in manu Ephraimi & tribuum Israelis, sociorum ejus, & addam illos super *ligno Jehudæ*, & faciam eos in lignum unum, & erunt unum in manu mea; & faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israelis; & Rex unus erit omnibus illis in Regem, & non erunt amplius duæ gentes, & non dividentur amplius in duo regna iterum," XXXVII: 16. 17. 19. 22; agitur ibi de Regno Domini cœlesti & spirituali, Regnum cœleste est Jehudah, n: 3654. 3881. 3921, f: Regnum Spirituale est Josephus, & quod Regna illa non duo erunt, sed unum; facta etiam sunt in unum per adventum Domini in mundum; quod per adventum Domini salvati sint Spirituales, videatur n: 2661. 2716. 2833. 2834; illi sunt de quibus Dominus loquitur apud Johannem "Et alias oves habeo, quæ non sunt ex ovili hoc; etiam illas oportet me adducere, vocemque meam audient, & fiet unus grex & unus Pastor," X: 16, id est, quod significatur per duo ligna, nempe Jehudæ & Josephi, quæ conjungentur in unum, & erunt unum in manu Domini: Cœlestes enim constituunt Cœlum tertium, quod est intimum, Spirituales autem Cœlum secundum, quod est interius, ac ibi sunt unum, quia influit unum in alterum, nempe Cœleste in Spirituale, est Spirituale Regnum sicut planum Cœlesti, ita constabilita sunt; Divinum enim cœleste in tertio seu intimo cœlo est amor in Dominum, cœleste spirituale ibi est charitas; hæc, nempe charitas, est principale in secundo cœlo seu interiori, ubi spirituales sunt, inde patet, qualis influxus, & quoque qualis per influxum constabilitio; lignum significat bonum, tam bonum amoris in Dominum, quam bonum charitatis erga proximum, n: 2784. 2812. 3720, ideo mandatum ut scriberentur Jehudah & Josephus super lignis, quæ unum fierent. Apud Sachariam "Potentem faciam *domum Jehudæ*, & *domum Josephi* salvabo, & habitare faciam illos, quia misertus illorum, & erunt quemadmodum non reliquissem illos, quia Ego Jehovah Deus illorum, & respondebo illis," X: 6, ibi etiam de binis regnis, nempe Cœlesti & Spirituali, agitur, Cœleste Regnum est Jehudah, & Spirituale est Josephus; deque salvatione Spiritualium. Apud Amos "Sic dixit Jehovah domui Israelis, quærite Me & vivetis, quærite Jehovam, & vivetis, ne invadat sicut ignis *domum Josephi*, & comedat, & nemo extinguens; odio habete malum, & diligite bonum, & stabilite in porta judicium, forte miserebitur Jehovah Deus Zebaoth *reliquiarum Josephi*," V: 4. 6. 15; ibi etiam Spirituales per Josephum significantur; domus Israelis est Ecclesia spiritualis, n: 3305. 3654, Josephus est bonum illius Ecclesiæ, quare dicitur, dixit Jehovah domui Israelis, quærite Me & vivetis, ne invadat sicut ignis domum Josephi. Apud Davidem "Pastor Israelis, adverte aurem, *ducens sicut gregem Josephum*, in-

sidens

ſidens cherubis, effulge coram *Ephraim*, & *Benjamin*, & *Menaſche*, excita potentiam tuam, & ito in ſalvationem nobis" Pſalm: LXXX: 3. 4, ſimiliter, ibi etiam Joſephus eſt homo ſpiritualis, Ephraim, Benjamin & Menaſche, ſunt tria quæ illius Eccleſiæ ſunt. Apud Eundem "Extollite cantum, & date tympanum, citharam amænam cum nablio, clangite in menſe buccina, in feria ad diem feſti noſtri, quia ſtatutum Iſraëli hoc, judicium Deo Jacobi *teſtimonium Jehoſepho* poſuit illud, in exeundo illo contra terram Ægypti; labium non noveram audivi" Pſalm: LXXXI: 3. 4. 5. 6; quod Jehoſephus hic ſit ſpiritualis Eccleſia ſeu ſpiritualis homo, a ſingulis verbis & vocibus ibi patet, ſunt enim voces in Verbo quæ ſpiritualia exprimunt, & ſunt voces quæ cœleſtia, & hoc conſtanter ubivis, hic ſunt voces quæ ſpiritualia, ut cantus, tympanum, cithara cum nablio, clangere in menſe buccina, in feria ad diem feſti, inde quoque patet, quod de ſpirituali Eccleſia, quæ eſt Joſephus, agatur. Apud Ezechielem "Sic dixit Dominus Jehovih, hic terminus ad quem hæreditabitis terram, juxta duodecim Tribus Iſraelis, *Joſepho funes*," XLVIII: 13; ibi de Regno Spirituali Domini agitur, quare dicitur Joſepho funes. Divinum Spirituale Domini eſt quod etiam vocatur Regium Ipſius, nam Regium Domini eſt Divinum verum, at Sacerdotale Ipſius eſt Divinum Bonum, n: 2015. 3009. 3670; ipſum Regium Domini eſt quod repræſentatur per Joſephum, quod Rex factus in terra Egypti, de qua repræſentatione, ex Divina Domini Miſericordia, ibi. Quod Divinum Spirituale Domini, ſeu Divinum Verum, attinet, quod per Joſephum in ſupremo ſenſu repræſentatur, id non eſt in Domino, ſed a Domino, Dominus enim non eſt niſi Divinum Bonum, ſed a Divino Bono procedit Divinum Verum; ſe habet hoc comparative ſicut Sol & ejus lux, in Sole non eſt lux, ſed procedit a ſole, ſeu ſicut ignis, in igne non eſt lumen ſed lumen procedit ab igne; Ipſum Divinum Bonum etiam in Verbo comparatur ſoli, tum igni, & quoque vocatur ſol & ignis; Regnum cœleſte Domini vivit ex bono quod procedit a Domino, Regnum autem Spirituale a vero inde, quapropter Dominus in altera vita apparet Cœleſtibus ut Sol, at Spiritualibus ut Luna, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643; eſt enim calor & eſt lux quæ procedunt a Sole, calor comparative eſt bonum amoris, quod etiam calor cœleſtis & ſpiritualis vocatur, lux comparative eſt verum inde, quod quoque lux ſpiritualis dicitur, videatur n: 3636. 3643, ſed calore cœleſti & luci ſpirituali, quæ procedunt a Domino ut a ſole in altera vita, ineſt bonum amoris & verum fidei, ita ſapientia & intelligentia, n: 1521. 1522. 1523. 1542. 1619 ad 1632. 2776. 3138. 3190. 3195. 3222. 3223, 3339. 3485. 3636. 3643. 3862; quæ enim a Domino procedunt, ſunt viva; inde conſtare poteſt, quid Divinum Spirituale eſt, & unde Regnum Spirituale, & Regnum cœleſte, & quod Regnum Spirituale ſit bonum fidei, hoc eſt, charitas, quæ influit a Domino immediate, & quoque mediate per Regnum cœleſte. Divinum Spirituale, quod a Domino procedit, in Verbo vocatur Spiritus veritatis, eſtque Sanctum Verum, & non eſt alicujus ſpiritus, ſed eſt Domini per ſpiritum a Domino miſſum, ut conſtare poteſt ab Ipſius Domini verbis, apud Johannem "Quando venerit ille, ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem, non enim loquetur a

Se Ipso sed quæ cunque audiverit, loquetur, ille etiam futura anuntiabit vobis: Ille Me glorificabit, quia ex Meo accipiet, & annuntiabit vobis," xvi: 13. 14.

* * * *

3970. Vers: 25. 26. *Et factum, cum peperisset Rachel Josephum, & dixit Jacob ad Laban, mitte me, & eam ad locum meum, & ad terram meam. Da fœminas meas, & natos meos, quod servivi tibi pro illis, & eam, quia tu nosti servitium meum, quo servivi tibi.* Factum cum peperisset Rachel Josephum, significat agnitionem Spiritualis per Josephum repræsentati: & dixit Jacob ad Laban, significat veri naturalis bonum ad bonum collaterale ab origine Divina, per quod conjunctio interiorum: mitte me, & eam ad locum meum & ad terram meam, significat quod tunc desiderium Naturalis per Jacobum repræsentati ad statum conjunctionis cum Divino Rationalis: da fœminas meas, significat quod affectiones veri ejus essent: & natos meos, significat etiam vera inde: quod servivi tibi pro illis, significat ex propria potentia: & eam, significat conjunctionem cum Divino Rationali: quia tu nosti servitium meum, quo servivi tibi, significat laborem & studium ex potentia propria.

3971. Factum cum peperisset Rachel Josephum, quod significet agnitionem Spiritualis per Josephum repræsentati, constat a significatione parere, quod sit agnoscere, de qua n: 3905. 3911. 3915. 3919; ex repræsentatione Rachelis, quod sit affectio veri interioris, de qua n: 3758. 3782. 3793. 3819; & ex repræsentatione Josephi, quod sit Regnum spirituale, ita homo spiritualis, de qua n: 3969, proinde Spirituale; nam Spirituale, quia a Domino, est quod facit hominem spiritualem, tum Regnum spirituale. In illis quæ præcedunt, per filios Jacobi ex ancillis & Leah, actum est de receptione & agnitione verorum communium, & denique de conjunctione illorum cum interiori homine, ita de regeneratione hominis usque dum fit spiritualis, Josephus est spiritualis ille homo; in his quæ nunc immediate sequuntur, agitur de fructificatione & multiplicatione veri & boni, quæ significantur per gregem, quem sibi Jacob per gregem Labanis comparavit; postquam enim conjunctio facta Interioris hominis cum Externo, seu Spiritualis cum Naturali, fit fructificatio boni & multiplicatio veri est enim conjunctio illa conjugium cœleste apud hominem, ab hoc conjugio illa nascuntur; inde quoque est, quod per Josephum in sensu externo significetur fructificatio & multiplicatio, n: 3965. 3969: fructificatio dicitur de bono, & multiplicatio de vero, n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847.

3972. Et dixit Jacob ad Laban, quod significet veri naturalis bonum ad bonum collaterale ab origine Divina, per quod conjunctio interiorum, constat ex repræsentione Jacobi, quod sit veri Naturalis bonum, de qua n: 3659. 3669. 3677. 3775. 3829; & ex repræsentatione Labanis, quod sit bonum collaterale ab origine Divina, de qua n: 3612. 3665. 3778; quod conjunctio interiorum fiat per illud bonum, prius aliquoties explicatum est,

Hhhh videatur

videatur n: 3665. 3690, & alibi: hoc bonum etiam est, quod significatur per gregem Labanis, per quem Jacob sibi suum gregem comparavit, de quibus in sequentibus.

3973. Mitte me & eam ad locum meum, & ad terram meam, quod significet quod tunc desiderium Naturalis per Jacobum repræsentati ad statum conjunctionis cum Divino Rationalis, constat a repræsentatione Jacobi, qui hæc loquitur, quod sit veri naturalis bonum, de qua mox supra n: 3972; ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387; & ex significatione terræ hic, quod sit Divinum Rationalis, nam per terram meam intelliguntur Jischakus pater ejus, & Rebecca mater ejus, ad illos enim voluit mitti & ire; quod Jischakus sit Divinum Rationale quoad Bonum, videatur n. 2083. 2630. 3012. 3194. 3210, & quod Rebecca sit Verum Divinum conjunctum Bono Divino Rationalis, n: 3012. 3013. 3077: quod desiderium conjunctionis sit, patet ab affectione quæ in verbis.

3974. Da fæminas meas, quod significet quod affectiones veri ejus essent; & natos meos, quod significet etiam vera inde, constat a significatione fæminarum seu mulierum, quod sint affectionis veri, mulier ejus Leah, affectio veri externi, & Rachel affectio veri interioris, de quibus sæpius supra; & a significatione natorum, quod sint vera inde; per filios enim significantur vera n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373, per natos nempe ex fæminis, vera inde. Apud Antiquos statutum fuit, quod fæminæ quæ darentur servis, essent domini apud quem servirent, & quoque nati ex illis, ut constare potest apud Mosen "Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet, & in septimo exibit liber gratis: Si dominus ejus dederit ei mulierem, & peperit ei filios aut filias, mulier & nati ejus erunt domini illius, & ille exibit cum corpore suo," Exod: xxi: 2. 4; hoc quia statutum fuit etiam in antiqua Ecclesia, & inde notum Labani, ideo vindicabat sibi & fæminas & natos Jacobi, ut patet in Capite seq: xxxi "Laban dixit ad Jacobum, filiæ filiæ meæ, & filii filii mei, & grex grex meus, & omne quod tu videns, mihi hoc illud," Vers: 43; hoc quia novit Jacob, dicit ad Labanem, da fæminas meas & natos meos: sed per statutum illud, de quo apud Mosen in loco citato, repræsentabatur jus Interni seu Rationalis hominis in bona & vera Externi seu Naturalis, quæ sibi comparavit; per servum enim repræsentabatur verum Naturalis, quale est in principio, antequam vera genuina insinuantur; verum quod in principio, non est verum, sed apparet ut verum, at usque inservit pro medio introducendi genuina vera & bona, ut prius ostensum; quapropter cum bona & vera per illud seu ejus servitium insinuata sunt, tunc illud dimittitur, & retinentur genuina sic comparata; repræsentationis hujus causa illa lex de servis lata est: At quod Jacobum attinet, non erat servus emtus, sed ex familia illustriore quam Laban; ipse, nempe Jacob, emit sibi filias Labanis, ita quoque natos ex illis, per servitium suum, erant enim illi pro mercede; quapropter Laban non congrue de his sentivit; & præterea per servum Hebræum significabatur verum, quod inservit introducendis bonis & veris genuinis, & per mulierem ejus affectio boni naturalis; aliter per Jacobum

bum, per illum repræſentatur bonum veri naturalis, & per fæminas ejus affectiones veri, per Labanem nec repræſentatur id quod per dominum in lege citata de ſervo Hebræo, nempe rationale, ſed bonum collaterale, n: 3612. 3665. 3778, quod tale eſt, ut non ſit bonum genuinum, ſed apparens ut genuinum, & inſervit pro introducendis veris, n: 3665. 3690; quæ ſic Jacobi fuerunt. Hæc, quæ nunc allata ſunt, quidem talia ſunt, ut non in captum niſi pauciſſimorum cadunt, quia plerique non ſciunt, quid verum & bonum Naturalis, & quod hæc diſtincta ſint a vero & bono Rationalis; & minus, quod bona & vera non genuina, & uſque apparentia ut genuina, inſerviant introducendis veris & bonis genuinis, cumprimis in principio regenerationis; ſed uſque quia hæc ſunt quæ continentur in ſenſu interno horum verborum, & quoque in ſenſu interno ſequentium de grege Labanis, ex quo Jacob ſibi comparavit gregem, non reticenda ſunt; forte erunt, qui capiunt; qui in deſiderio talia ſciendi ſunt, hoc eſt, qui in affectione boni & veri ſpiritualis, illi in talibus illuſtrantur.

3975. Quod ſervivi tibi pro illis, quod ſignificet ex propria potentia, conſtat ex ſignificatione ſervire, quod ſit labor & ſtudium, de qua n: 3824. 3846; quæ cum prædicantur de Domino, eſt propria potentia, nam Dominus ex propria potentia Divina Bona & Divina Vera ſibi comparavit, & Humanum ſuum Divinum fecit, videatur n: 1616. 1749. 1755. 1921. 2025. 2026. 2083. 2500. 2523. 2632. 2816. 3382.

3976. Et eam, quod ſignificet conjunctionem cum Divino Rationali, conſtat ex ſignificatione ire, nempe ad locum ſuum & ad terram ſuam, ut ſupra n: 3973, per quæ ſignificatur deſiderium conjunctionis cum Divino Rationalis.

3977. Quia tu noſti ſervitium meum, quo ſervivi tibi, quod ſignificet laborem & ſtudium ex potentia propria, conſtare poteſt ex illis quæ mox ſupra n: 3975, dicta & allata ſunt, ita abſque ulteriore explicatione. Quid porro hæc involvunt, patet ab illis, quæ ſupra n: 3974, dicta ſunt, tum a ſequentibus.

3978. Verſ: 27. 28. 29. 30. *Et dixit ad eum Laban, ſi quæſo inveni gratiam in oculis tuis, expertus ſum, & benedixit mihi Jehovah propter te. Et dixit, deſigna mercedem tuam ſuper me, & dabo illam. Et dixit ad eum, tu noſti qualiter ſervivi tibi, & qualiter fuit acquiſitio tua mecum. Quia parum quod fuit tibi ante me, & erupit ad multitudinem, & benedixit tibimet Jehovah ad pedem meum, & nunc quando faciam etiam ego domui meæ.* Dixit ad eum Laban, ſignificat perceptionem ex illo bono, quod ſignificatur per Laban: ſi quæſo inveni gratiam in oculis tuis, ſignificat propenſionem: expertus ſum, & benedixit mihi Jehovah propter te, ſignificat ex Divino, propter bonum naturalis cui inſerviturum: & dixit, deſigna mercedem tuam ſuper me, & dabo illam, ſignificat quod ex ſe daret quod vellet: & dixit ad eum, tu noſti qualiter ſervivi tibi, ſignificat quod noverit ejus animum & potentiam: &

qualis fuit acquisitio tua mecum, significat etiam quod ex Divino: quia parum quod fuit tibi ante me, significat quod sterile ejus bonum, antequam conjungatur: & erupit ad multitudinem, significat fæcunditatem dein: & benedixit Jehovah tibimet ad pedem meum, significat quod a Divino quod Naturali: & nunc quando faciam etiam ego domui meæ, significat quod nunc fructificabitur inde bonum suum.

3979. Dixit ad eum Laban, quod significet perceptionem ex illo bono quod significatur per Laban, constat a significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 3395; & ex repræsentatione Labanis, quod sit bonum collaterale ex Divino, de qua n: 3612. 3665. 3778: quod sit perceptio ex illo bono, quæ significatur per dixit ad eum Laban, est quia personæ in Verbo non aliud significant quam res, in supremo sensu Divinas apud Dominum, in sensu interno quales apud hominem de quibus agitur; ita per binas personas, binas res apud eundem.

3980. Si quæso inveni gratiam in oculis tuis, quod significet propensionem, constat ex significatione invenire gratiam in oculis alicujus, quod sit propensio: de bono, quod significatur per Laban, prædicatur propensio, cum adesse vult: qui reflectit seu reflectere potest super affectiones boni & veri, quæ apud se, & quoque super jucundum & volupe, animadvertet propensionem unius præ altero; sed absque reflexione hæc & similia non apparent.

3981. Expertus sum, & benedixit mihi Jehovah propter te, quod significet quod ex Divino, propter bonum naturalis cui inserviturum, constat ex significatione experiri quod benedixerit Jehovah, quod sit pro certo nosse quod ex Divino; quod propter bonum Naturalis cui inserviturum, significatur per propter te; Jacobus enim est bonum veri naturalis, n: 3659. 3669. 3677. 3775. 3829, & Laban est bonum collaterale quod inservit, ut supra passim ostensum, videatur etiam infra n: 3982. 3986.

3982. Et dixit, designa mercedem super me, & dabo illam, quod significet quod ex se daret quod vellet, constare potest absque explicatione. Quæ hactenus dicta sunt, talia sunt, quæ ad intellectum clare explicari nequeunt, tam quia mens ab historicis de Labane & Jacobo non deflecti potest momento ad spiritualia, de quibus in sensu interno agitur, historicum enim semper adhæret, & implet ideam, quod tamen quasi nullum erit, ut comprehendantur in serie quæ non historica sunt, quam quia notio clara habenda erit de bonis illis quæ per utrumque, nempe Labanem & Jacobum repræsentantur, & quod bonum quod repræsentatur per Labanem sit tale, quod modo bonum utile sit, nempe ad introducendum vera & bona genuina, & cum utilitatem illam præstiterit, dein relinquatur: de illo bono, quale sit, prius actum est; se habet sicut immaturum quid in primis fructibus, per

per quod ſuccus introducitur, quod cum inſerviverit, poſtea marceſcit, & fructus matureſcunt per alias fibras, & tandem per fibras ſucci genuini; notum eſt, quod homo in infantia & pueritia plura diſcat, ob illum ſolum uſum, ut per illa ut per media diſcat utiliora, & ſucceſſive per hæc adhuc utiliora, uſque demum illa quæ ſunt vitæ æternæ, & cum hæc diſcit, quod priora pæne obliterentur: ſimiliter ducitur homo cum e novo naſcitur a Domino, per affectiones boni & veri plures, quæ non ſunt affectiones boni & veri genuini, ſed modo utiles ad capienda illa, dein ad imbuenda illa, quibus cum homo imbutus eſt, tunc oblivioni dantur priora & relinquuntur, quia ſolum pro mediis inſerviverant: ita quoque ſe habet cum bono collaterali, quod ſignificatur per Labanem, reſpective ad bonum veri quod ſignificatur per Jacobum, ut & per gregem utriuſque, de quibus in ſequentibus. Hæc arcana ſunt, quæ continentur in his & in ſequentibus ſed hiſtorice tradita ſunt, ut Verbum cum delectatione legatur, etiam a pueris & ſimplicibus, ob finem, ut cum illi in ſancto jucundo ex ſenſu hiſtorico ſunt, Angeli apud illos in ſanctitate ſenſus interni ſint, qui, nempe ſenſus internus, adæquatus eſt intelligentiæ angelicæ, cum ſenſus externus adæquatus intelligentiæ humanæ, inde conſociatio hominis cum Angelis, quod homo prorſus neſcit, ſed modo percipit inde quodnam jucundum, in quo ſanctum.

3983. Et dixit ad eum, tu noſti qualiter ſervivi tibi, quod ſignificet quod noverit ejus animum & potentiam, conſtare poteſt ex ſerie rerum in ſenſu interno; quod noſſe qualis ſit, ſit noſſe animum, patet; & qualis ſit in ſervitio, ſeu qualiter ſervivi, quod ſit noſſe potentiam, conſtare poteſt a ſignificatione ſervire hic, quod ſit propria potentia, de qua n: 3975. 3977; nam per Jacobum repræſentatur Divinum Naturalis Domini quoad bonum veri, cui potentia: inde ſequitur, quod qualis fuit acquiſitio mecum, ſignificet etiam ex Divino.

3984. Quia parum quod fuit tibi ante me, quod ſignificet quod ſterile ejus bonum niſi conjungatur, etiam conſtare poteſt a ſerie in ſenſu interno; agitur enim de qualitate boni per Labanem repræſentati, antequam conjunctum fuit cum bono veri, quod eſt Jacob, quod fuerit parum utile, hoc eſt, ſterile: ſed quomodo cum his ſe habet, a nunc ſequentibus patebit.

3985. Et erupit ad multitudinem, quod ſignificet fæcunditatem dein, conſtat a ſignificatione erumpere ad multitudinem, quod ſit fæcunditas, nempe poſtquam conjunctum fuit.

3986. Et benedixit tibi Jehovah ad pedem meum, quod ſignificet a Divino quod naturali, conſtat a ſignificatione benedicere Jehovah, quod ſit donari bono, de qua n: 3406, & quod ſit conjunctio, n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584, ita benedicere Jehovah, eſt donari bono Divino per conjunctionem

nem, hic cum bono Naturalis quod per Jacobum repræſentatur; Naturale eſt, quod per pedem ſignificatur, quod pes ſit Naturale, videatur n: 2162. 3147. 3761, & porro conſtabit a Correſpondentia Maximi hominis cum ſingulis apud hominem ad finem Capitum; inde patet, quod per benedixit tibi Jehovah ad pedem meum, ſignificetur a Divino quod Naturali. Arcanum quod in his & in illis quæ mox præcedunt, latet reconditum, paucis ſi ulli notum eſt, quapropter revelandum; Bona quæ apud homines tam intra Eccleſiam, quam extra Eccleſiam ſunt prorſus varia, & tum varia, ut bonum unius hominis non ſit prorſus ſimile bono alterius; Varietates exiſtunt a veris, cum quibus bona conjunguntur, omne enim bonum habet ſuum quale a veris, & vera habent ſuum eſſentiale a bonis; varietates etiam exiſtunt ab affectionibus quæ ſunt amoris cujuſvis, quæ radicantur & appropriantur homini per vitam ejus; ſunt apud hominem, etiam intra Eccleſiam, pauca vera genuina, & adhuc pauciora apud hominem extra Eccleſiam, inde raro ſunt affectiones veri genuini; ſed uſque illi qui in bono vitæ ſunt, ſeu qui in amore in Deum & in charitate erga proximum vivunt, ſalvantur; quod ſalvari poſſint, eſt inde, quia Divinum Domini ineſt bono amoris in Deum & bono charitatis erga proximum, & ubi Divinum ineſt, ibi diſponuntur omnia in ordinem, ut conjungi poſſint cum genuinis bonis & genuinis veris, quæ in cœlis; quod ita ſit, conſtare poteſt a ſocietatibus quæ Cœlum conſtituunt, quæ innumerabiles ſunt, & quarum omnes & ſingulæ quoad bonum & verum variæ ſunt, at uſque ſimul ſumtæ Unum Cœlum conformant; ſe habent illæ ſicut membra & organa corporis humani, quæ tametſi ubivis varia, uſque tamen unum hominem conſtituunt; unum enim nuſquam conſtituitur, cum pluribus, ab unis iiſdem, ſeu prorſus ſimilibus, ſed a variis harmonice conjunctis, varia harmonice conjuncta ſiſtunt omne unum; ſimiliter ſe habet cum bonis & veris in mundo ſpirituali, quæ tametſi varia ſunt, adeo ut non prorſus ſimilia apud unum ſicut apud alterum, uſque unum faciunt a Divino per amorem & charitatem, amor enim & charitas eſt conjunctio ſpiritualis, varietas eorum eſt cœleſtis harmonia, quæ facit tale concors, ut unum ſint in Divino, hoc eſt, in Domino: præterea bonum amoris in Deum, & bonum charitatis erga proximum, utcunque vera varia ſunt, & veri affectiones variæ, uſque ſunt receptibilia veri & boni genuini ſunt enim, ut ita dicatur, non dura & reſiſtibilia, ſed quaſi mollia & cedentia, patiuntur enim ſe duci a Domino, & ſic flecti ad bonum, & per bonum ad Ipſum; aliter qui in amore ſui & mundi ſunt, illi non patiuntur ſe duci & flecti a Domino, & ad Dominum, ſed duriter reſiſtunt, nam ſemet ducere volunt, & magis adhuc cum iidem in principiis falſi confirmatis ſunt; quamdiu tales ſunt, non admittunt Divinum. Ex his nunc conſtare poteſt, quid in ſenſu interno ſignificatur per illa verba, quæ Jacobus ad Labanem loquutus eſt; per Labanem enim ſignificatur tale bonum, quod non genuinum eſt, quia non ei genuina vera implantata ſunt, ſed uſque tale, ut ei conjungi poſſint, & in quo Divinum poſſit

eſſe

esse; quale bonum solet esse apud infantes pueros, antequam receperint genuina vera; & quale bonum etiam apud simplices intra Ecclesiam qui pauca vera fidei sciunt, sed usque in charitate vivunt; & quale etiam apud Gentes probas, quæ in sancto cultu suorum deorum sunt; per tale bonum introduci possunt vera & bona genuini, ut constate potest ab illis quæ de infantibus & simplicibus intra Ecclesiam n: 3690, dicta sunt; & quæ de gentibus probis extra Ecclesiam n: 2598. 2599. 2600. 2601. 2602. 2603.

3987. Et nunc quando faciam etiam ego domui meæ, quod significet quod nunc fructificabitur inde bonum suum, constat ex significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 2233. 2234. 3128. 3652, hic domus mea, quod sit bonum quod per Jacobum significatur; huic domui facere, quod sit fructificari inde bonum, patet ex eo, quod nunc de fructificatione boni & multiplicatione veri agatur; per Josephum enim ultimo natum fructificatio illa significatur n: 3965. 3969. 3971, & per gregem quem sibi Jacobus per gregem Labanis comparavit, de quo sequitur, significatio illa describitur. Quod bonum fructificetur, nec verum multiplicetur, priusquam conjunctio facta est Externi hominis cum Interno, constare potest ex eo, quod Interioris hominis sit velle bonum alteri, & inde cogitare bonum, & Externi hominis sit facere bonum, & inde docere bonum; nisi facere bonum, conjunctum sit cum velle bonum, ac docere bonum cum cogitare bonum, non est bonum ei, mali enim possunt velle malum & facere bonum, tum cogitare malum & docere bonum, sicut notum potest esse unicuique; hypocritæ & prophani in illo studio & in illa arte sunt præ aliis imo adeo, ut mentiri possint lucis angelos, cum tamen intus sunt diaboli; inde constare potest, quod bonum apud neminem fructificari possit, nisi facere bonum sit conjunctum cum velle bonum, & docere bonum sit conjunctum cum cogitare bonum, hoc est, nisi Externus homo conjunctus sit cum Interno.

3988. Vers: 31. 32. 33. *Et dixit, quid dabo tibi, & dixit Jacob, non dabis mihi quicquam, si facis mihi verbum hoc, revertar, pascam, gregem tuum custodiam. Transibo per omnem gregem tuum hodie, removendo abinde omne pecus punctatum & maculosum, & omne pecus nigrum in agnis, & maculosum & punctatum in capris, & erit merces mea. Et respondebit mihi justitia mea in die crastino, quia venis super mercedem meam coram te, omne quod non est illud punctatum & maculosum in capris, & nigrum in agnis, furatum illud cum me.* Dixit quid dabo tibi, significat cognitionem: & dixit Jacob, significat responsum: non dabis mihi quicquam, si facias mihi verbum hoc significat quod ex parte boni quod ex vero adducetur: revertar, pascam, gregem tuum custodiam, significat quod bonum per Labanem significatum adhibendum usui: transibo per omnem gregem tuum hodie significat quod percipit omne bonum quale est: removendo ab inde Omne pecus punctatum & maculosum, significat quod

quod ſeparabitur omne bonum quod ejus, cum quo mixtum malum quod eſt punctatum, & cum quo mixtum falſum quod eſt maculoſum: & omne pecus nigrum in agnis, ſignificat proprium innocentiæ, quod eſt boni per Labanem ſignificati: & maculoſum & punctatum in capris, ſignificat quod dein ſuum erit omne bonum veri, in quo mixtum falſum & malum: & erit merces mea, ſignificat quod a ſemet: & reſpondebit mihi juſtitia mea, ſignificat ſanctitatem Divinam quæ ipſi: in die craſtino, ſignificat in æternum: quia venis ſuper mercedem meam coram te, ſignificat proprium ipſius: omne quod non eſt illud punctatum & maculoſum in capris, ſignificat quod non ex bono per Labanem intellecto ex mixtum malo & falſo in veri bonis: & nigrum in agnis, ſignificat ſtatum innocentiæ primum: furatum illud a me, ſignificat quod ipſius non eſſet.

3989. Dixit quid dabo tibi, quod ſignificet cognitionem, conſtare poteſt, quia eſt ſollicitatio & interrogatio ad cognoſcendum quid & quantum mercedis habere vellet. Et dixit Jacobo, quod ſignificet reſponſum, conſtat abſque explicatione.

3990. Non dabis mihi quicquam ſi facias mihi verbum hoc, quod ſignificet quod ex parte boni quod ex vero adducetur, conſtat ex ſignificatione non dare quicquam quod ſit non adduci a bono quod per Labanem repræſentatur, ſed a bono quod per Jacobum, quod eſt bonum veri, n: 3669. 3677. 3829; quid autem adducendum, deſcribitur in ſequentibus.

3991. Revertar, paſcam, gregem tuum cuſtodiam, quod ſignificet quod bonum per Labanem repræſentatum adhibendum uſui, nempe introducendi bona & vera genuina, ut ſupra oſtenſum, conſtat a ſignificatione gregis, hic Labanis, quod ſit bonum per illum repræſentatum; reverti, paſcere, & gregem ejus cuſtodire, eſt adhibere uſui, ut quoque a ſequentibus patet, nam Jacob per illum gregem ſibi comparavit ſuum, inſerviebat enim ſibi pro medio, ita pro uſu.

3992. Tranſibo per omnem gregem tuum hodie, quod ſignificet quod percipit omne bonum quale eſt, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum, de qua n: 343. 3518; & a ſignificatione tranſire per omnem illum, quod ſit ſcire & percipere quale eſt.

3993. Removendo abinde omne pecus punctatum & maculoſum, quod ſignificet quod ſeparabitur omne bonum & verum quod ejus cum quo mixtum malum quod eſt punctatum, & cum quo mixtum falſum quod eſt maculoſum, conſtat ex ſignificatione removere, quod ſit ſeparare; & ex ſignificatione pecudis, quæ hic ſunt capræ & agni, quod ſint bona & vera, de qua n: 1824. 3519. Quod his & ſequentibus hujus Capitis arcana inſint, inde videri poteſt, quod perplura ſint, quæ in Verbo Divino non memoratu digna forent, niſi in illis arcaniora ſint, quam qualia apparent in litera, ſicut quod Jacob pro mercede petierit pecus

pecus punctatum & maculosum in capris, & nigrum in agnis; quod dein in canaliculis posuerit baculos ex corylo & plantano decorticatos ad album ante greges Labanis cum incalescerent, & quoad agnos quod dederit facies gregis ad variegatum & nigrum in grege Labanis; & quod sic non bona sed mala arte dives factus; in his non aliquid Divinum apparet, cum tamen Verbum in omnibus & singulis, & quoad minimam jotham Divinum est; & præterea hoc scire nihil prodest, ne quidem minimum ad salutem, cum tamen Verbum, quia Divinum, non nisi quam talia quæ conducunt ad salutem & ad vitam æternam, in se continet; ex illis & ex similibus alibi, quisque concludere potest, quod Arcanum inibi sit, & quod singula, tametsi talia sunt in sensu literæ, diviniora ferant intus: quid autem intus ferunt, nusquam alicui constare potest, nisi ex sensu interno, hoc est, nisi sciat, quomodo hæc percipiuntur ab Angelis, ii enim in sensu spirituali sunt, cum homo in historico naturali, qui bini sensus, quam remoti appareant a se invicem, tametsi conjunctissimi sunt, ab his & reliquis luculenter patere potest. Ipsum arcanum, quod in his & sequentibus hujus Capitis inest, quidem aliquatenus sciri potest, ab illis quæ prius de Labane & de Jacobo dicta sunt, quod nempe Laban, sit tale bonum, per quod bona & vera genuina introduci possint, & quod Jacob sit bonum veri; sed quia pauci sciunt, quid sit naturale correspondens bono spirituali, & pauciores quid bonum spirituale, & quod correspondentia esse debeat, & adhuc pauciores quod bonum quoddam apparens ut bonum sit medium introducendi bona & vera gunuina, ideo arcana quæ de illis agunt, non facile ad captum possunt exponi, nam in umbram intellectus cadunt, & est sicut quis aliena lingua loquitur, & in ea utcunque clare exponit rem, usque audiens non intelligit; sed tametsi ita est, usque dicendum, quia quid Verbum in sensu interno recondit, aperiendum est: Agitur hic in sensu supremo de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit; & in sensu repræsentativo de Naturali apud hominem, quomodo Dominus id regenerat, & redigit ad correspondentiam cum Interioris ejus homine, hoc est, cum illo qui victurus post obitum corporis, & tunc Spiritus hominis vocatur, qui cum solutus est a corpore, secum habet omnia quæ Externi hominis sunt, præter Ossa & carnem; nisi correspondentia Interni hominis cum Externo facta fuerit in tempore seu in vita corporis, postmodum non fit; de conjunctione utriusque per regenerationem a Domino in sensu interno hic agitur. Actum est de communibus veris, quæ homo recipere & agnoscere debet, antequam regenerari potest; per decem filios Jacobi ex Lea & ancillis, illa significata sunt; & postquam illa receperit & agnoverit, de conjunctione Externi hominis cum Interiori, seu Naturalis cum Spirituali, quod significatum est per Josephum, nunc secundum ordinem agitur de fructificatione bona & multiplicatione veri, quo tunc primum existit, quando conjunctio facta est, & tantum existit, quantum conjunctio fit; hæc sunt quæ significantur per gre-

gem quem ſibi Jacobus comparavit per gregem Labanis; grex ibi ſignificat bonum & verum, ut alibi multoties in Verbo, grex Labanis bonum quod per Labanem repræſentatur, quod quale ſit ſupra dictum eſt, grex Jacobi ſignificat bonum & verum genuinum, quod comparatur per illud; ſed quomodo bona & vera genuina comparantur, hic deſcribitur; ſed hoc nullatenus comprehendi poteſt, niſi ſciatur, quid per punctatum, quid per maculoſum, quid per nigrum, & quid per album, in ſenſu interno ſignificatur, quapropter hic primum de illis agendum; punctatum & maculoſum eſt quod ex nigro & albo; nigrum ſignificat in genere malum, in ſpecie proprium hominis, quia hoc non niſi quam malum eſt; tenebricoſum autem ſignificat falſum, & in ſpecie principia falſi; Album in ſenſu interno ſignificat verum, proprie Juſtitiam & Meritum Domini, & inde Juſtitiam & Meritum Domini apud hominem, hoc album vocatur candidum, ſplendet enim a luce quæ a Domino; Album autem in oppoſito ſenſu ſignificat juſtitiam propriam, ſeu meritum proprium; verum enim abſque bono ſecum habet tale meritum, nam cum quis facit bonum, non ex bono veri, tunc ſemper vult retribui, nam propter ſe facit, at cum verum facit ex bono, tunc illuſtratur illud ex luce quæ a Domino; inde patet quid maculoſum, quod nempe ſit verum cum quo mixtum falſum; & quid punctatum, quod nempe ſit bonum cum quo mixtum malum: Apparent actualiter colores in altera vita, tam pulchri & ſplendidi, ut non deſcribi queant, n. 1053. 1624, ſunt illi ex variegatione lucis & umbræ in albo & nigro, ſed lux ibi, tametſi ut lux coram oculis apparet, non tamen eſt ſicut lux in mundo, lux in cœlo in ſe habet intelligentiam & ſapientiam, nam Divina Intelligentia & Sapientia a Domino ut lux ibi ſiſtitur, & quoque illuminat univerſum cœlum, n: 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3225. 3339. 3340. 3341. 3485. 3636. 3643. 3862; umbra etiam in altera vita, tametſi ut umbra apparet, non tamen eſt ſicut umbra in mundo, umbra enim ibi eſt abſentia lucis, proinde carentia intelligentiæ & ſapientiæ; inde nunc album & nigrum, quæ quia ex luce ibi in qua eſt intelligentia & ſapientia, & ex umbra quæ eſt carentia, earum, exiſtunt, patet quod per illa, nempe per album & nigrum, ſignificentur talia quæ ſupra dicta ſunt; inde nunc colores, qui ſunt modificationes lucis & umbræ in albis & nigris, ut in planis, variegationes, inde ſunt quæ vocantur colores, n: 1042. 1043. 1053, ex his nunc conſtare poteſt, quid punctatum, ſeu ſignatum & diſcretum punctis, nempe nigris & albis, quod ſit bonum cum quo mixtum malum, tum quid maculoſum quod ſit verum cum pro mixtum falſum: hæc ſunt quæ ex bono Labanis deſumpta ſunt, inſervitura introducendis bonis & veris genuinis; ſed quomodo hæc inſervire poſſint, eſt arcanum, quod quidem clare ſiſti poteſt coram illis qui in luce cœli ſunt, quia in hac, ut dictum, eſt intelligentia, ſed non clare coram illis qui in luce mundi ſunt, niſi lux mundi illorum illuſtrata ſit a luce cœli, ut apud illos qui regenerati ſunt; quiſque enim regeneratus videt bona & vera in naturali ſuo lumine ex luce cœli, nam lux cœli facit viſum ejus intellectualem,

lectualem, & lumen mundi visum naturalem: at quomodo se habent, paucis usque dicendum est; apud hominem non datur bonum purum, seu bonum cum quo non mixtum est malum, nec verum purum, seu verum cum quo non mixtum & falsum; voluntarium enim hominis non est nisi quam malum, e quo continue in intellectuale ejus influit falsum, nam sicut notum est, homo hæreditario secum trahit malum successive a parentibus cumulatum ex hoc ipse actualiter producit malum & facit suum, & adhuc malum a se superaddit; sed mala apud hominem sunt varii generis, sunt mala cum quibus bona non misceri possunt, & sunt mala cum quibus possunt; similiter falsa; nisi hoc foret, nusquam aliquis homo potuisset regenerari; mala & falsa, cum quibus non misceri possunt bona & vera, sunt quæ contraria sunt amori in Deum, & amori erga proximum, sicut sunt odia, vindictæ, crudelitates, & inde contemtus aliorum præ se; tum quoque inde persuasiones falsi; at mala & falsa cum quibus misceri possunt bona & vera, sunt quæ non contraria sunt amori in Deum & amori erga proximum: ut pro exemplo, si quis amat se præ aliis, & ex illo amore studet excellere aliis in vita morali & civili, in scientificis & doctrinalibus, & ad dignitates evehi, & quoque ad opes præ aliis, & tamen agnoscit & adorat Deum, Officia ex corde præstat proximo, ac justum & æquum ex conscientia agit, malum illius amoris sui est cum quo bonum & verum misceri possunt; est enim malum quod proprium est hominis, & quod hæreditario nascitur, quod si ei cito auferretur, foret ignem vitæ ejus primæ exstinguere; at qui amat se præ aliis, & ex illo amore contemnit alios præ se, odio habet qui non honorant, & quasi adorant, & jucundum odii in vindicta & crudelitate propterea sentit, talis amoris malum est cum quo bonum & verum misceri non possunt, nam sunt contraria: sit quoque pro exemplo, si quis credit se purum esse a peccatis, & ita absterfum, sicut qui per aquas abluitur a sordibus, cum semel pænitentiam egit, & pænitentiali imposita absolvit, aut post confessionem enuntiatum tale a confessore audivit, aut postquam sacram cænam frequentavit, is si novam vitam vivit, in affectione boni & veri, illud falsum & cum quo bonum mixtum esse potest; at si vivit vitam carnis & mundi, ut prius, tunc est falsum cum quo bonum misceri nequit. Porro, qui credit salvari hominem ex bene credere, & non ex bene velle, & tamen bene vult & inde bene facit, id falsum est, cui adjungi potest bonum & verum non autem si non bene vult, & inde bene facit: Tum, si quis ignorat, quod resurgit homo post mortem, & inde non credit resurrectionem, ut & qui novit, sed usque dubitat, & pæne negat, & tamen in vero & bono vivit, cum illo falso etiam misceri potest bonum & verum; at qui in falso & malo vivit, tunc cum falso illo non misceri potest, quia contraria sunt, & falsum destruit verum, & malum destruit bonum: Adhuc, simulatio & astutia, quæ pro fine habet bonum, sive proximi, sive patriæ, sive Ecclesiæ, est prudentia mala quæ ei admixta sunt, misceri possunt cum bono, ex fine & propter finem: at simulatio & astutia, quæ pro fine habet malum, non est prudentia, sed est astus & dolus, cum hoc bonum nullatenus potest conjungi, nam

dolus, qui eſt finis mali, inducit infernale omnibus & ſingulis quæ apud hominem, ac in medio ponit malum, & ad peripherias rejicit bonum, qui ordo eſt ipſe ordo infernalis: ita in innumerabilibus aliis. Quod ſint mala & falſa, quibus adjungi queunt bona & vera, ſolum conſtare poteſt ex eo, quod tot diverſa dogmata & doctrinalia ſint, quorum plura ſunt prorſus hæretica, & tamen in unoquovis ſunt qui ſalvantur: tum quod inter gentes, quæ extra Eccleſiam ſunt, etiam ſit Eccleſia Domini, & tametſi in falſis ſunt, uſque illi, qui vitam charitatis vivunt, ſalventur n: 2589 ad 2604, quod fieri nequicqam potuiſſet, niſi mala ſint cum quibus miſceri poſſunt bona, & falſa cum quibus vera: mala enim cum quibus miſcentur bona, & falſa cum quibus vera, mirabiliter in ordinem diſponuntur a Domino, non enim conjunguntur, minus uniuntur, ſed adjunguntur & applicantur, & quidem ita, ut in medio quaſi in centro ſint bona cum veris, & per gradus ad circuitus ſeu peripherias, talia mala & falſa, inde eſt, quod hæc illuſtrentur ab illis, & variegentur ſicut alba & nigra a luce e medio aut e centro; hic eſt ordo cœleſtis. Hæc ſunt, quæ per punctata & maculoſa in ſenſu interno ſignificantur.

3994. Et omne pecus nigrum in agnis, quod ſignificet proprium innocentiæ, quod eſt boni per Labanem ſignificati, conſtat a ſignificatione nigri, quod ſit proprium, de qua mox ſupra n: 3993; & a ſignificatione agni, quod ſit innocentia, de qua ſequitur. Cum proprio innocentiæ, quod ſignificatur per nigrum in agnis, ita ſe habet; in omni bono erit innocentia, ut ſit bonum charitas abſque innocentia non eſt charitas, minus adhuc amor in Dominum, quapropter innocentia eſt ipſum eſſentiale amoris & charitatis, proinde boni: proprium innocentiæ eſt, quod ſciatur, agnoſcatur & credatur, non ore ſed corde, quod nihil niſi malum ſit a ſe, & omne bonum a Domino; proinde quod proprium ejus non niſi quam nigrum ſit, nempe tam proprium voluntarium quod eſt malum, quam proprium intellectuale quod eſt falſum; cum homo in hac confeſſione & fide ex corde eſt, tunc influit Dominus cum bono & vero, & inſinuat ei proprium cœleſte, quod eſt candidum & ſplendens; nuſquam aliquis in vera humiliatione poteſt eſſe, niſi ſit in illa agnitione & fide ex corde, nam tunc in ſui annihilatione eſt, imo in ſui averſatione, & ſic in abſentia a ſe, ita tunc eſt in ſtatu recipiendi Divinum Domini; inde eſt, quod Dominus cum bono influat in cor humile & contritum: tale eſt proprium innocentiæ, quod hic ſignificatur per nigrum in agnis, quod Jacobus ſibi elegit, at album in agnis eſt meritum quod ponitur in bonis, quod album ſit meritum, ſupra n: 3993, dictum eſt; hoc non eligit Jacobus, quia innocentiæ contrariatur, qui enim meritum ponit in bonis, is agnoſcit & credit, quod omne bonum ſit a ſemet, nam in bonis, quæ facit, ſe ſpectat non Dominum, inde retributionem poſtulat ex merito; quare etiam talis contemnit alios præ ſe, imo etiam condemnat, proinde tantum recedit ab ordine cœleſti, hoc eſt, a bono & vero: exinde conſtare poteſt, quod charitas erga proximum, & amor in Dominum, nuſquam dabiles ſint, niſi eis inſit innocentia, conſequenter quod nemo,

nemo, nisi ei aliquid innocentiæ sit, venire possit in cœlum, secundum Domini verba "Amen dico vobis, quisquis non receperit Regnum Dei ut infans, non ingredietur in illud," Marc: x: 15. Luc: xviii: 17; per infantem hic & alibi in Verbo significatur innocentia; videantur quæ prius de his dicta sunt, nempe quod infantia non sit innocentia, sed quod innocentia habitet in sapientia, n: 2305. 3495: qualis innocentia infantiæ, & qualis innocentia sapientiæ, n: 2306. 3183: tum quale proprium innocentia & charitate a Domino vivificatum, n: 154: quod innocentia faciat ut bonum sit bonum, n: 2526. 2780. Quod agni significent innocentiam, constare potest a pluribus locis in Verbo, quorum hæc in fidem licet afferre; apud Esajam "Commorabitur *lupus cum agno*, & pardus cum hædo cubabit, & vitulus & leo juvenis, & bos una, & puer parvus ducet eos," xi: 6; ibi de Regno Domini, ac de statu pacis & innocentiæ ibi; lupus pro illis qui contra innocentiam sunt, agnus pro illis qui innocentia: similiter alibi apud Eundem "*Lupus & agnus pascent simul*, & leo sicut bos comedet paleam, & serpenti pulvis panis ejus; non malefacient, & non perdent in toto monte sanctitatis meæ," lxv: 25; lupus ut supra, pro illis qui contra innocentiam, & agnus pro illis qui in innocentia: quia lupus & agnus opposita sunt, etiam Dominus ad septuaginta, quos emisit, dixit, apud Lucam "Ecce Ego mitto vos sicut *agnos in medium luporum*," x: 3. Apud Mosen "Sugere facit illum mel e rupe, & oleum e saxo petræ, butyrum armenti, & lac gregis, *cum adipe agnorum* & arietum, filiorum Baschanis," Deut: xxxii: 13. 14; ibi in sensu interno de cœlestibus Ecclesiæ antiquæ, adeps agnorum pro charitate innocentiæ. Agni in Lingua originali per varia nomina exprimuntur, & per illa diversi gradus innocentiæ significantur, nam, ut dictum, in omni bono erit innocentia ut sit bonum, & inde quoque in vero, hic agni exprimuntur per vocem, per quam etiam oves, sicut Levit: i: 10. Cap: iii: 7. Cap: v: 6. Cap: xvii: 3. Cap: xxii: 19. Num: xviii: 17, & est innocentia fidei quæ est charitatis, quæ significatur: per alias voces alibi, ut apud Esaiam "Mittite *agnum* dominatoris terræ de petra versus desertum ad montem filiæ Zionis," xvi: 1; adhuc per aliam vocem apud Eundem "Dominus Jehovih in robusto venit, & brachium Ipsius dominabitur Ipsi; sicut pastor gregem suum pascet, in *brachium suum colliget Agnos*, & in sinu suo portabit, lactentes ducet," xl: 9. 10; in brachium colligere agnos, & in sinu portare, pro illos qui sunt in charitate in qua innocentia. Apud Johannem "Jesus manifestatus Petro dixit, Simon Jona amasne Me plus quam hos, dicit Ipsi, imo Domine, tu scis quod amem Te; dicit illi *pasce agnos meos:* dicit illi iterum, Simon Jona, amasne Me, dicit Ipsi, imo Domine, tu scis quod amem Te, dicit illi *pasce oves meas*," xxi: 15. 16; per Petrum, hic ut alibi, significatur fides, videatur Præfatio ad Cap: xviii, & Præfat: ad Cap: xxii Genes: & n: 3750, & quia fides non est fides nisi sit ex charitate erga proximum, & sic ex amore in Dominum, nec charitas & amor nisi sit ex innocentia, inde est quod Dominus primum interroget num

amet

amet se, hoc est, num amor sit in fide, & dein dicit, pasce agnos meos, hoc est, illos qui in innocentia sunt; & dein post eandem interrogationem dicit, pasce oves meas, hoc est, illos qui in charitate. Quia Dominus est ipsa Innocentia, quæ est in Regno Ipsius, nam ab Ipso omne innocentiæ est, inde vocatur Dominus Agnus, ut apud Johannem "Postridie vidit Johannes Baptista Jesum venientem ad illum, & dixit, ecce *Agnus Dei*, qui tollit peccatum mundi," I: 29. 36. Et in Apocalypsi "*Cum Agno* pugnabunt, sed *Agnus vincet illos*, quia Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum Ipso vocati & electi," XVII: 14: & præterea alibi in Apocalypsi, ut Cap: V: 6. Cap: VI: 1. 16. Cap: VII: 9. 14. 17. Cap: XII: 11. Cap: XIII: 8. Cap: XIV: 1. 4. Cap: XIX: 7. 9. Cap: XXI: 22. 23. 26. Cap: XXIII: 1. 3. Quod Agnus Paschalis sit Dominus in supremo sensu, notum est, Pascha enim significabat glorificationem Domini, hoc est, induitionem Divini quoad Humanum, & in sensu repræsentativo significat Regenerationem hominis; & Agnus paschalis id quod essentiale regenerationis est, nempe innocentiam; nemo enim regenerari potest nisi per charitatem in qua innocentia. Quia Innocentia est primarium in Regno Domini, & est ipsum cœleste ibi, & sacrificia & holocausta repræsentabant spiritualia & cœlestia Regni Domini, ideo ipsum essentiale Regni Ipsius, quod est innocentia, repræsentabatur per Agnos; quare holocaustum juge seu quotidianum fiebat ex agnis, uno in mane, & altero inter vesperas, Exod: XXIX: 37. 38. 39. Num: XXVIII: 3. 4, & duplum diebus sabbathi, Num: XXVIII: 9. 10; & per adhuc plures agnos in statis festis, Levit: XXIII: 12. Num: XXVIII: 11. 17. 19. 27. Cap: XXIX: 1 ad fin: Quod puerpera post exactos dies munditiæ, in holocaustum offerret Agnum, & pullum columbæ aut turturem, Levit: XII: 6, erat ut significaretur effectus amoris conjugialis, qui, nempe amor conjugialis, quod sit innocentia, videatur n: 2736; & quia per infantes innocentia significatur.

3995. Et maculosum & punctatum in capris, quod significet quod dein suum erit omne bonum veri in quo mixtum falsum & malum, constat ex significatione maculosi, quod sit falsum, & a significatione punctati, quod sit malum, de quibus mox supra n: 3993; & a significatione caprarum, quod sit bonum veri, seu charitas fidei, de qua n: 3519; quod omne id suum erit, significatur etiam per id quod sequitur "Et erit merces mea." Quid bonum veri, seu charitas fidei, paucis dicendum; cum regeneratur homo, tunc apparenter præcedit verum quod fidei, & apparenter sequitur bonum quod charitatis; at cum homo regeneratus est, tunc manifeste præcedit bonum quod charitatis, & manifeste sequitur verum quod fidei; sed quod prius sit apparentia, hoc autem essentialiter ita, videatur n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3616. 3603. 3701; cum enim homo regeneratur, facit ille bonum ex vero quod didicit, nam ex vero discit quid bonum, sed usque est intus bonum quod hoc operatur; influit enim bonum a Domino per viam internam seu per viam animæ, & influit verum per viam externam, seu per viam

viam sensualem, quæ corporis; verum quod per hanc viam intrat, adoptatur a bono quod intus, & ei conjungitur, & hoc eousque, dum homo regeneratus est; tunc versura fit, & a bono agitur verum; inde patet, quid bonum veri, & quid boni verum: inde est, quod tam multi hodie dicant, quod bona charitatis sint fructus fidei, apparet enim ita in principio regenerationis, ex apparentia id concludunt, nec sciunt aliter, quia pauci sunt qui regenerantur, & nemo id scire potest quam qui regeneratus est, hoc est, qui in affectione boni est seu in charitate; ex affectione boni seu charitate hoc videri potest clare, & quoque percipi; qui autem non regenerati sunt, ne quidem sciunt, quid affectio boni seu quid charitas, sed ratiocinantur de illa sicut de re aliena, seu de re extra illos; quapropter Charitatem vocant fructum fidei, cum tamen fides est ex charitate: sed usque non tanti interest; ut simplices sciant, quid prius & quid posterius, modo in charitate vivant, nam charitas est vita fidei. Per pecus hic significantur tam agni, quam oves, hædi, capræ, arietes, hirci, sed nominantur solum agni & capræ, & hoc est causa quia per Agnos significatur innocentia, & per capras charitas fidei, de his enim in sensu interno hic agitur: inde quoque est, quod maculosum in Lingua originali exprimatur per vocem, quæ quoque significat agnos, ut apud Esaiam Cap: XL: 10; & punctatum per vocem, quæ quoque significat pecuarium, ut II Reg: III: 4. Amos I: I.

3996. Et erit merces mea, quod significet quod a semet, constat a significatione mercedis, quod sit illius, nempe Jacobi, propter servitium, quæ quod significent ex propria potentia, seu quod idem, a semet, videatur supra n: 3975. 3977. 3982.

3997. Et respondebit mihi justitia mea, quod significet sanctitatem Divinam quæ Ipsi, constat ex significatione Justitiæ, quod prædicetur de bono, de qua n: 612. 2235; cum autem dicitur de Domino, ut hic, est sanctitas Divina, nam omne bonum spirituale & cœleste procedit a Divino Sancto Domini.

3998. In die crastino, quod significet in æternum, constat a significatione diei crastini: in Verbo cum nominatur heri, hodie, aut cras, tunc in supremo sensu significatur æternum, heri ab æterno, hodie æternum, & cras in æternum, quod hodie sit æternum, videatur n: 2838; tempora enim in Verbo significant status, sicut sæcula, anni, menses, septimanæ, dies, horæ, quod sæpius ostensum; at apud Dominum non sunt status, sed omne ibi est æternum & infinitum; inde patet, quod per diem crastinum, significetur in æternum.

3999. Quia venis super mercedem meam coram te, quod significet proprium Ipsius, constat ex significatione mercedis, cum prædicatur de Domino, quod sit proprium, quod nempe ex propria potentia acquisitum, de qua supra n: 3975. 3977. 3982. 3996.

4000. Omne quod non est illud punctatum & maculosum in capris, quod significet quod non ex bono per Labanem intellecto est mixtum malo & falso in

in veri bonis, constat ex illis quæ supra n: 3993. 3995, dicta sunt, ubi similia.

4001. Et nigrum in agnis, quod significet statum innocentiæ primum, constat a significatione nigri, quod sit proprium, & a significatione agni, quod sit innocentia, de quibus mox supra n: 3994: quod nigrum in agnis hic sit status innocentiæ primus, est quia proprium hominis, qui regeneratur, primum regnat, nam ex proprio putat bonum facere, & quoque sicut ex proprio faciet, ut donari possit proprio cœlesti, videatur n: 1712. 1937. 1947. 2882. 2883. 2891; inde est, quod per proprium in agnis hic significetur status innocentiæ primus.

4002. Furatum illud a me, quod significet quod illius non esset, constare potest absque explicatione: durius quidem hoc sonat in sensu literæ, sed cum expressio illa versus cœlum transit, durum illud abstergitur, & fit lene & mite; sicut etiam apud Matthæum "Vigilate, quia non scitis, qua hora Dominus vester venturus est; illud cognoscite, si sciret paterfamilias *qua hora fur venturus esset*, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam," XXIV: 42. 43: apud Johannem "Nisi evigilaveris, *veniam super te sicut fur*, & non cognosces, qua hora venturus sim super te," Apoc: III: 3: apud Eundem "Ecce *venio sicut fur*, beatus qui vigilat, & servat vestimenta sua," Apoc: XVI: 15, de Domino, ubi sicut fur non aliud significat quam inopinato & inexpectato. Furari in sensu interno est vindicare sibi id quod Domini est, nempe bonum & verum, & quia in principio regenerationis id omnes faciunt, & id primus innocentiæ status est, videatur mox supra n: 4001, ideo mitior vox est, quam sonat in litera; proinde quod furatum a me, significet quod illius non esset.

4003. Vers: 34. 35. 36. *Et dixit Laban, ecce utique sit secundum verbum tuum. Et removit in die isto capros variegatos & maculosos, & omnes capras punctatas & maculosas, omne in quo album, & omne nigrum in agnis, & dedit in manum filiorum ejus. Et posuit viam trium dierum inter se & inter Jacobum; & Jacob pascens greges Labanis reliquos.* Dixit Laban, ecce utique sit secundum verbum tuum, significat consensum; & removit in die isto capros variegatos & maculosos, significat quod separarentur vera boni quæ sparsa & mixta malis & falsis, quæ propria bono per Labanem significato: & omnes capras punctatas & maculosas, significat illorum bona in quibus mixta mala & falsa: omne in quo album, significat verum: & omne nigrum in agnis, significat proprium innocentiæ: & dedit in manum filiorum ejus, significat quod darentur illa veris: & posuit viam trium dierum inter se & inter Jacobum, significat statum illorum prorsus separatum; & Jacob pascens greges Labanis reliquos, significat quod ex relictis desumeret illa bona & vera quæ conjungerentur.

4004. Dixit Laban, ecce utique sit secundum verbum tuum, quod significet consensum, constat absque explicatione.

4005. Et removit in die isto capros variegatos & maculosos, quod significet,

ficet, quod feparentur vera boni quæ fparfa & mixta malis & falfis, quæ propria bono per Labanem fignificato, conftat ex fignificatione removere, quod fit feparare ; ex fignificatione caprorum, quod fint vera boni, de qua fequitur ; ex fignificatione variegatorum, quod fint quæ fparfa & mixta malis, de qua etiam fequitur ; & ex fignificatione maculoforum, quod fint quæ fparfa & mixta falfis, de qua fupra. Hic nominantur capri & dein capræ, ex caufa, quia capri fignificant vera boni, & capræ bona veri, inter quæ qualis differentia fit, videatur fupra n: 3995: in Verbo accurata diftinctio fit inter mafculos & fæmellas, ut patet a facrificiis & holocauftis, in quibus fpecifice mandatum, quod offerretur five Agnus vel Agna, five capra vel caper, five ovis vel aries, & fic porro ; ex quibus conftare poteft, quod aliud fignificatum fuerit per mafculum, & aliud per fæmellam ; per mafculum in genere fignificatur verum, & per fæmellam bonum ; hic itaque per capros vera boni, & per capras, quæ mox nominantur ; bona quæ illis adjuncta ; & quia talis differentia eft, etiam dicitur, quod removerit capros variegatos, non autem punctatos prout de capris ; variegatum enim fignificat verum fparfum & mixtum malis, at punctatum fignificat bonum fparfum & mixtum malis, de quo fupra n: 3993 ; verum mixtum malis, eft proprie intellectus, fed bonum mixtum malis eft proprie voluntatis ; hæc differentia eft. Quod hæc a bono per Labanem fignificato fint, patet, quia a grege Labanis ; per gregem enim in Verbo fignificatur bonum & verum, feu quod idem, illi qui in bono & vero funt, ita qui ab Ecclefia Domini. Arcanum hoc ulterius exponi nequit, quia non patere poteft, nifi ad captum inftructum de veris & bonis, & fimul illuftratum ; fciendum enim eft, quid vera boni, & quid bona inde, tum quod ex uno bono, quod hic per Labanem repræfentatur, tot varia poffint feparari ; qui non in cognitione de his funt, nec fciunt, quod in unoquovis bono fint innumerabilia, & quidem tot, ut vix poffint a fcientiffimo in communia genera difpefci ; funt enim bona comparata per vera, funt vera inde nata, & per hæc iterum bona comparata ; funt vera nata ex bonis, & hoc quoque in ferie ; funt bona mixta malis, & vera mixta falfis, de quibus fupra n: 3993 ; & horum mixtiones & temperaturæ tam variæ & multiplices, ut myriadum myriades excedant, & quoque variantur fecundum omnes vitæ ftatus, & vitæ ftatus in genere fecundum ætates, & in fpecie fecundum affectiones quafcunque: inde aliquantum capi poteft, quod a Labanis bono feparari potuerint tot varia ; quorum quædam adjuncta funt veris per filios Jacobi fignificatis, quædam relicta, & ex his alia derivata : fed hæc talia funt, ut dictum, quæ non cadunt in intellectum nifi inftructum, & fimul illuftratum.

4006. Et omnes capras punctatas & maculofas, quod fignificet illorum bona, in quibus mixta mala & falfa, conftat ex fignificatione caprarum, quod fint veri bona, de qua n: 3995, hic bona quæ veris, de quibus mox fupra n: 4005, adjuncta funt ; ex fignificatione punctatorum, quod fint bona cum quibus mixta mala, & ex fignificatione maculoforum, quod fint vera cum quibus mixta falfa, de quibus n: 3993. 3995.

4007. Omne in quo album, quod significet in quo verum, constat ex significatione albi, quod sit verum, proprie autem Justitia & Meritum Domini, & inde justitia & meritum Domini apud hominem, de qua n: 3301. 3993; quod album sit illud, est quia Lux Cœli quæ a Domino, ex qua luce splendor & candor, significat verum, quod itaque illustratur a luce illa, & fit splendidum & candidum, est id quod vocatur justitia & meritum Domini apud hominem; qui illam, nempe Justitiam Domino, agnoscunt & ex bono recipiunt, ac justitiam propriam rejiciunt, sunt qui in specie significantur per justos, de quibus Dominus apud Matthæum "Justi fulgebunt ut sol in Regno Patris," XIII: 43: quod Album splendens seu candidum sit illud, patet etiam ex aliis locis in Verbo, ut apud Mosen "Ruber oculis præ vino, & *Albus* dentibus præ lacte," Genes: XLIX: 12; ibi de Jehudah, per quem quod repræsentetur Dominus quoad Divinum amoris Ipsius, & in sensu interno Regnum cœleste, ita homo cœlestis, videatur n: 3881; ruber oculis præ vino, significat Divinam Sapientiam, Albus dentibus præ lacte, significat Justitiam. Apud Davidem "Purificabis me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & *præ nive albus fiam*," Psalm: LI: 9; lavare & præ nive albus fieri pro purificari a peccatis, per receptionem & induitionem justitiæ Domini. Apud Johannem "In medio septem candelabrorum similis Filio hominis, Caput Ipsius & *capilli albi*, sicut *lana alba*, *sicut nix*, & oculi Ipsius sicut flamma ignis," Apoc: I: 13. 14. Apud Eundem "Habes pauca nomina in Sardis, qui non polluerunt vestimenta sua, & *ambulabunt Mecum in Albis*, quia digni sunt: qui vicerit, hic *induetur vestimentis albis*," Apoc: III: 4. 5. Apud Eundem "Consulo tibi, ut emas a Me aurum igne purificatum, ut ditescas, & *vestimenta alba ut induaris*," Apoc: III: 18. Apud Eundem "Datæ sunt unicuique Animæ sub altari *stolæ albæ*," Apoc: VI: 9. 10. Apud Eundem "Vidi stantes coram throno, & coram Agno, *indutos stolis albis*: unus seniorum dixit mihi, hi *induti stolis albis* quinam sunt, & unde venerunt, cui dixi, Domine, tu scis; dixit mihi, hi sunt qui veniunt ex afflictione magna, & lavarunt stolas suas, & *dealbarunt stolas suas in sanguine Agni*," Apoc: VII: 9. 13. 14. Apud Eundem "Angeli *induti linteo albo & splendido*, & circumcincti circum pectora cingulis aureis," Apoc: XV: 6. Apud Eundem "Vidi, cum ecce *Equus Albus*, & sedens super illo habens arcum, cui data est corona," Apoc: VI: 2; & alibi "Postea vidi Cœlum apertum, cum ecce *Equus Albus*; exercitus Ipsius in cœlo sequebantur Ipsum super *equis albis, induti byssinum album* & mundum," Apoc: XIX: 11. 14; in omnibus his locis per Album significatur verum fidei, vestimenta alba & stolæ albæ non aliud sunt; sed verum fidei non illis est, qui credunt habere fidem ex semet, ita sapere ex semet, sed illis qui credunt a Domino, nam illis fides & sapientia datur, hi enim sibi nihil veri & boni tribuunt, minus per vera & bona apud se mereri credunt, & adhuc minus per illa justificari, sed solum tribuendo illa Domino, ita omnia gratiæ & Misericordiæ; hoc est induere vestimenta alba, & quoque dealbari in sanguine Agni: sunt duo, quæ

quæ exuunt omnes illi qui intrant in cœlum, nempe proprium & inde confidentiam, atque Meritum sui seu justitiæ propriæ, ac induunt proprium cœleste, quod est a Domino, ac Meritum seu Justitiam Domini, & quantum hæc, tantum interius in Cœlum veniunt: hæc in specie significantur per rubrum & per album, per rubrum bonum amoris, quod illis tunc, & per album verum fidei.

4008. Et omne nigrum in Agnis, quod significet proprium innocentiæ, constat ex illis quæ supra n: 3994, dicta sunt, ubi eadem verba.

4009. Et dedit in manum filiorum ejus, quod significet quod darentur illa veris, constat a significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 2623. 3373; dare in manum illorum, est juri & arbitrio eorum, per manum enim significatur potentia, n: 878. 3387: vera, quæ per filios hic significantur, sunt quæ vocantur sensualia, sunt enim sensualium, & sunt extima mentis naturalis; Naturale enim hominis ab una parte communicat cum sensualibus quæ sunt corporis, & ab altera parte cum rationalibus, quæ sunt mentis rationalis, per intermedia illa fit quasi ascensus a sensualibus quæ sunt corporis & aperta sunt versus mundum, ad rationalia quæ sunt mentis rationalis, & aperta sunt versus cœlum, ita quoque descensus ab illis, nempe a cœlo ad mundum; hoc fit in solo homine: hic ascensus & descensus est, de quo agitur in sensu interno horum Capitum; ac ut repræsentative sistantur omnia & singula, repræsentatur Rationale per Jischakum & Rebeccam, Naturale per Jacobum & binas ejus mulieres, & Sensuale per horum filios; at quia in Sensuali ut in ultimo ordinis, priora simul sunt, unusquisque filius aliquod commune repræsentat, in quo illa, ut supra ostensum est.

4010. Et posuit viam trium dierum inter se & inter Jacobum, quod significet statum illorum prorsus separatum, constat ex significatione ponere viam, quod sit separari; a significatione trium qod sit ultimum, completum, seu finis, de qua n: 1825. 2788, ita prorsus separatum; & a significatione dierum quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788 3462.

4011. Et Jacob pascens greges Labanis reliquos, quod significet quod ex relictis desumeret illa bona & vera, quæ conjungerentur, constat ex significatione gregum, quod sint bona & vera, de qua n: 343. 2566. 3767. 3768. 3772. 3783; pascere greges reliquos, quod sit ex relictis desumere illa, nempe bona & vera, quæ conjungerentur, a sequentibus patet, ibi enim de illa re agitur.

4012. Vers: 37. 38. 39. 40. *Et accepit sibi Jacob baculum populi recentem, & corylum & platanum, & decorticavit, in illis decorticationes albas, denudationem albi, quod super baculis, Et constituit baculos, quos decorticavit, in canalibus, in potatoriis aquæ, quo veniebant greges ad bibendum, e regione gregum, & incalescebant in veniendo illos ad bibendum. Et incalescebant greges ad baculos, & pariebant greges variegatos, punctatos, & maculosos. Et agnos separavit Jacob, & dedit facies gregis ad variegatum, & omne nigrum in grege Labanis, & posuit sibi catervas soli sibi, & non posuit eas ad gregem Labanis.* Accepit sibi Jacob baculum populi recentem, significat propriam potentiam Naturalis boni: & corylum & platanum, significat potentiam inde naturalium veritatum:

ritatum: & decorticavit in illis decorticationes albas, denudationem albi quod super baculis, significat dispositionem veri interioris potentiæ: & constituit baculos quos decorticavit in canalibus, significat præparationem ulteriorem: in potatoriis aquæ quo veniebant greges ad bibendum, significat veri affectiones: e regione gregum, & incalescebant in veniendo illos ad bibendum, significat usque ad affectionis ardorem, ut conjungerentur: & incalescebant greges ad baculos, significat effectum ex propria potentia: & pariebant greges variegatos, punctatos & maculosos, significat quod inde ipsi naturali bono, ex bono medio significato per Labanem, talia: & agnos separavit Jacob, significat quoad innocentiam: & dedit facies gregis ad variegatum, significat ad vera sparsa malis & falsis: & omne nigrum, significat ad statum talem: in grege Labanis, significat in bono per Labanem significato: & posuit sibi catervas soli sibi, significat separationem bonorum & verorum ex propria potentia: & non posuit eos ad gregem Labanis, significat separationem absolutam a bono per Labanem significato.

4013. Accepit sibi Jacob baculum populi recentem, quod significet propriam potentiam naturalis boni, constat a significatione baculi, quod sit potentia; & a significatione populi, quod sit bonum naturalis, de qua sequitur: Baculus passim nominatur in Verbo, & ubivis significat potentiam, tam ex eo, quod pastores illo usi sint, potentiæ exercendæ causa super greges, quam quoque quia inserviebat sustentationi corporis, & quasi pro manu dextra, per manum enim significatur potentia, n: 878. 3387; & quia illa significatio baculi fuit, etiam Reges antiquitus illo usi sunt, inde insigne Regium curtus baculus, & quoque sceptrum; nec solum Reges illo usi sunt, sed etiam Sacerdotes & Prophetæ, ut quoque illi per baculum significarent potentiam quæ illis, sicut Aharon & Moses, quare Mosi toties mandatum est, ut extenderet baculum suum, & alibi ut manum, cum miracula fiebant, & hoc quia per baculum & per manum Divina Potentia significabatur; ex significatione baculi quod sit potentia, etiam magi Ægyptii illo usi sunt, cum magica miracula facerent; inde hodie Magi repræsentantur per baculos in manu: ex his constare potest, quod per baculos significetur potentia: sed in Lingua originali, baculi qui pastoribus, & qui regibus, tum qui sacerdotibus & prophetis, alia voce exprimuntur, hic voce qua exprimitur baculus viatorum, tum quoque pastorum, ut constare potest ex locis alibi, ut Genes: XXXII: 11. Exod: XII: 11. 1 Sam: XVII: 40. 43. Sachar: XI: 7. 10; hic quidem baculus non nominatur sicut sustentans manum, sed sicut virga excisa ab arbore nempe a populo, corylo, & platano, ad ponendum in potatoriis ante facies gregis, sed usque ejusdem significationis est; per illum enim in sensu interno potentia naturalis boni, & inde naturalium veritatum, describitur. Quod populum attinet, ex qua baculos factus, sciendum, quod Arbores in genere significent perceptiones & cognitiones, perceptiones cum prædicantur de cœlesti homine, at cognitiones cum de spirituali, videatur n: 103. 2163. 2682. 2722. 2972; inde arbores in specie significant bona & vera, nam hæc sunt perceptionum & cognitionum; quædam species arborum bona & vera interiora

interiora, quæ sunt spiritualis hominis, ut olivæ & vites, quædam species bona & vera exteriora, quæ sunt naturalis hominis, ut populus, corylus, platanus; & quia antiquitus unaquævis arbor aliquam speciem boni & veri significabat, inde in lucis cultus fuit secundum arborum species, n: 2722: populus, quæ hic nominatur, est populus alba, ita dicta ab albedine, e qua derivatio; inde erat, quod per populum significatum fuerit bonum quod ex vero, seu quod idem, bonum veri, ut quoque apud Hoscheam Cap: IV: Vers: 13, sed hic falsificatum.

4014. Et corylum & platanum, quod significet potentiam inde naturalium veritatum, constat ex significatione coryli & platani, quod sint Naturales veritates: quod hæc significatio istarum arborum sit, non ita constare potest ex aliis locis in Verbo, quia alibi non nominantur, præter platanum apud Ezechielem "Cedri non occultarunt illam in horto Dei, abietes non pares fuerunt ramis ejus, & *platani* non fuerunt sicut rami ejus, omnis arbor non par fuit illi in pulchritudine ejus," XXXI: 8; ibi de scientificis & rationalibus apud hominem Spiritualis Ecclesiæ agitur; hortus Dei est Ecclesia spiritualis, cedri sunt rationalia, abietes & platani sunt naturalia, abietes naturalia quoad bonum, platani quoad verum.

4015. Et decorticavit in illis decorticationes albas, denudationem albi, quod super baculis, quod significet dispositionem veri interioris potentiæ, constat ex significatione decorticare & decorticationum, quod sint detractiones exteriorum, ut pateant interiora, ita denudationes; a significatione albi, quod sit verum, de qua supra n: 3993. 4007; & a significatione baculi, quod sit potentia, de qua mox supra n: 4013, hic potentia interior, quia super baculis sub cortice: dispositio veri interioris potentiæ, est potentia interioris hominis in exteriorem, seu spiritualis hominis in naturalem; omnis enim dispositio boni & veri in naturali homine venit a spirituali homine, hoc est, per spiritualem hominem a Domino, & quidem per verum ibi, influit enim Dominus in spiritualis seu interioris hominis bonum, & per verum ibi in naturalem, non autem per bonum immediate, priusquam homo regeneratus est; quare omnis dispositio in naturali homine fit ab interiori; Naturale seu naturalis homo nusquam aliter disponi potest, hoc est, regenerari; quod ab interiori, patet ex agnitione veri, quæ nisi fit ab interiori, non est agnitio, tum quoque a conscientia, quæ est agnitio veri ab interiori, & quoque a perceptione: quia dispositio ab interiori fit per verum, ideo de vero prædicatur potentia, tum quoque baculus per quem potentia significatur, ut & manus, per quam etiam significatur potentia, n: 3091, ut a perpluribus locis in Verbo, confirmari potest; non quod vero insit potentia a se sed bono, & sic vero ex bono, hoc est, vero per bonum a Domino; inde aliquantum constare potest, quid sit dispositio veri interioris potentiæ. In supremo sensu, in quo agitur de Domino, significatur potentia propria, nam Divino est potentia propria, quia non ab alio.

4016. Et constituit baculos quos decorticavit in canalibus, quod significet præparationem

præparationem ulteriorem, constat ex illis quæ sequuntur, nam ibi agitur de effectu interioris potentiæ veri in Naturali, per baculos enim significatur potentia, n: 4013. 4015, per decorticare dispositio ab interiori, n: 4015, & per canales veri bonum in naturali, n: 3095.

4017. In potatoriis aquæ, quo veniebant greges ad bibendum, quod significet veri affectiones, constat a significatione aquæ, quod sint cognitiones & scientifica, quæ sunt vera naturalis, de qua n: 28. 2702. 3058; ex significatione potatoriorum seu aqualium, qui quia sunt continentes aquæ, in sensu interno sunt bona veri, bona enim sunt continentia veri, de qua n: 3095; ex significatione venire ad bibendum, quod sit affectio veri; quod venire ad bibendum sit affectio veri, est quia involvit sitim, sitis enim in Verbo significat appetitionem & desiderium, ita affectionem sciendi & hauriendi verum, & hoc quia aqua significat verum in genere; fames autem appetitionem, desiderium, ita affectionem imbuendi bonum, & hoc quia panis, qui pro cibo in genere sumitur n: 2165, significat bonum; inde patet, quod per illa verba significentur veri affectiones.

4018. E regione gregum, & incalescebant in veniendo illos ad bibendum, quod significet usque ad affectionis ardorem ut conjungerentur, constat ex significatione incalescere in veniendo, ad bibendum, quod sit affectionis ardor, quod incalescere sit ardor, patet, & quod venire ad bibendum sit affectio veri, videatur mox supra n: 4017; e regione gregum, quod sit ut conjungerentur, nempe vera & bona Naturali, est quia involvit intuitionem, & inde excitatam affectionem, spiritualia enim ita conjunguntur; & præterea omnis implantatio veri & boni, tum omnis conjunctio fit per affectionem; vera & bona, quæ discuntur, quibus homo non afficitur, in memoriam quidem intrant, sed tam leviter ibi hærent, sicut pluma parieti, quæ dissipatur levissimo aspirante vento; cum rebus quæ in memoriam intrant, ita se habet, quæ absque affectione intrant, cadunt in umbram ejus, at quæ cum affectione, veniunt in lucem ibi, quæ ibi in luce sunt, videntur & apparent clare & vive ad similis rei excitationem quamcunque, non autem ita quæ circum latent in umbra; affectio quæ est amoris hoc secum habet: inde constare potest, quod omnis implantatio veri, & ejus conjunctio cum bono fiat per affectionem, & quo major affectio, eo fortior conjunctio; affectionis ardor est hic intima affectio; sed vera implantari & bono conjungi nequeunt, nisi per affectiones veri & boni, quæ affectiones scaturiunt ut ex suis fontibus a charitate erga proximum, & ab amore in Dominum; at mala & falsa per affectiones mali & falsi, quæ affectiones scaturiunt ut ex suis fontibus ab amore sui & mundi: quia res ita se habet, & hic de conjunctione boni & veri in Naturali homine in sensu interno agitur, ideo hic & in sequentibus memoratur de incalescentia gregis, cum venirent ad bibendum; per quæ talia significantur.

4019. Et incalescebant greges ad baculos, quod significet effectum ex propria potentia, constat ex significatione incalescere hic, quod sit affectus,

affectus, nempe affectionis, n: 4018; & ex significatione baculorum, quod sit propria potentia, de qua supra n: 4013. 4015.

4020. Et pariebant greges variegatos, punctatos & maculosos, quod significet quod inde naturali bono, ex bono medio significato per Labanem, talia, constat ex significatione parere, quod sit agnitio & conjunctio de qua n: 3611. 3915; ex significatione variegatorum, quod sint vera cum quibus mixta mala, n, 4005; ex significatione punctatorum, quod sint bona cum quibus mixta mala; & ex significatione maculosorum, quod sint vera cum quibus mixta falsa, de quibus n: 3993, 3995. 4005; talia sunt, quæ hic significantur, & quæ ex bono per Labanem significato cesserunt bono veri naturalis, quod per Jacobum repræsentatur.

4021. Et agnos separavit Jacob, quod significet quoad innocentiam, constat ex significatione Agnorum, quod sit innocentia, de qua supra n: 3994: quoad innocentiam dicitur, quia in illis quæ nunc sequuntur agitur de dispositione boni & veri naturalis ad innocentiam recipiendam & inaptandam.

4022. Et dedit facies gregis ad variegatum, quod significet ad vera sparsa malis & falsis, constat ex significatione variegati, quod sit verum sparsum & mixtum malis, de qua n: 4005, 4020.

4023. Et omne nigrum, quod significet ad statum talem, nempe qui significatur per nigrum in agnis, de quo statu videatur n: 3994. 4001.

4024. In grege Labanis, quod significet in bono per Labanem significato, constat a significatione gregis, & a repræsentatione Labanis, quod sit bonum, nempe medium, per quod bona & vera naturali, de quibus supra.

4025. Et posuit sibi catervas soli sibi, quod significet separationem bonorum & verorum ex propria potentia, constat a significatione catervarum nempe gregis, quod sint bona & vera; & ex significatione sibi soli sibi, quod sit separare illa, quæ ex propria potentia comparata sunt: in sensu supremo hic agitur de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit, & hoc ex propria potentia, sed usque per media secundum ordinem; illa bona & vera, quæ Divina in Se fecit, sunt hic catervæ, quæ Sibi soli Sibi.

4026. Et non posuit eas ad gregem Labanis, quod significet separationem absolutam a bono per Labanem significato constat ex illis quæ nunc dicta sunt, ita absque ulteriore explicatione: bona enim & vera Divina prorsus separata sunt ab illis bonis & veris, quæ aliquid trahunt ab humano, nam transcendunt, & fiunt infinita.

4027. Hæc quæ hactenus quoad sensum internum vocum explicata sunt, interiora sunt, & inde arcaniora, quam ut possint ad intellectum clare exponi; agitur enim in sensu supremo de Domino, quomodo Ipse Naturale suum Divinum fecit; & in sensu repræsentativo, quomodo Dominus naturale hominis novum facit, cum illum regenerat; omnia illa sistuntur hic plene in sensu interno: quæ ibi continentur in sensu supremo de Domino, quomodo Ipse Naturale apud Se ex propria potentia Divinum fecit, sunt talia, quæ intellectum etiam Angelicum excedunt; aliquid de illis in Regeneratione

generatione hominis videri poteſt, quia regeneratio hominis eſt imago Glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490: de hac aliquam ideam habere poteſt homo, at non alius quam qui regeneratus eſt, ſed tamen obſcuram quamdiu in corpore vivit, corporea enim & mundana, in quibus etiam eſt, jugiter affundunt umbras, ac detinent mentem in inferioribus; ſed illi qui non regenerati ſunt, nihil prorſus de illa re capere poſſunt, extra cognitiones ſunt quia extra perceptiones; imo neſciunt prorſus quid regeneratio, nec credunt dari poſſe, ne quidem ſciunt quid affectio charitatis per quam regeneratio, inde nec quid Conſcientia, minus adhuc quid Internus homo; & adhuc minus quid correſpondentia Interni hominis cum Externo; verba quidem ſcire poſſunt, & plures ſciunt, ſed rem ignorant; quapropter cum notio harum rerum deeſt, utcunque clare exponerentur arcana, quæ in ſenſu interno hic continentur, uſque foret ſicut aliquid ad viſum ſiſtere in tenebris, aut aliquid loqui ad ſurdos, & præterea affectiones amoris ſui & mundi, quæ apud illos regnant, tali nec ſcire, ne quidem audire ſinunt, rejiciunt enim illico, imo reſpuunt: aliter qui in affectione charitatis ſunt, ii delectantur talibus, nam Angeli apud illos in ſuo felici ſunt, cum homo in talibus eſt, ex cauſa quia tunc in illis ſunt quæ agunt de Domino, in quo ſunt, & in illis quæ agunt de proximo & de ejus regeneratione; ex Angelis, hoc eſt, per Angelos a Domino, influit jucundum & beatum apud hominem, qui in affectione charitatis eſt, cum illa legit, & magis cum ſanctum illis ineſſe credit, & adhuc magis cum aliquid capit quod in ſenſu interno continetur. Agitur ibi de influxu Domini in bonum Interni hominis, & quidem per bonum in verum ibi; agitur etiam de influxu inde in Externum ſeu naturalem hominem; & de affectione boni & veri, in quam fit influxus, & quoque de receptione veri, & de ejus conjunctione cum bono ibi, præter de bono quod pro medio inſervit, & hic per Labanem & ejus gregem ſignificatur. De his Angeli, qui in ſenſu interno Verbi ſunt, ſeu quibus ſenſus internus eſt Verbum, innumerabilia vident & percipiunt, quorum vix aliquid ad intellectum hominis venire poteſt, & quod venit, in obſcurum ejus cadit, quæ cauſa eſt, quod hæc non ſingularius explicentur.

4028. Verſ: 41. 42. *Et fuit in omni incaleſcere gregis primum coeuntium, & poſuit Jacob baculos ad oculos gregis in canaliculis, ad incaleſcendum illum ad baculos. Et ad dein coire gregem, non poſuit, & erat dein coeuntium Labani, & primum coeuntium Jacobo.* Fuit in omni incaleſcere gregis primum coeuntium, ſignificat illa quæ ſpontanea eſſent: & poſuit Jacob baculos ad oculos gregis in canaliculis, ad incaleſcendum illum ad baculos, ſignificat ex propria potentia evocata & conjuncta: & ad dein coire gregem non poſuit, ſignificat coacta: & erat dein coeuntium Labani, ſignificat quod illa relinquerentur: & primum coeuntium Jacobo, ſignificat quod ſpontanea, ſeu quæ ex libero ſuo conjungerentur.

4029. Fuit in omni incaleſcere gregis primum coeuntium, quod ſignificet illa quæ ſpontanea eſſent, conſtat a ſignificatione incaleſcere, quod ſit affectionis

affectionis ardor & effectus, de qua supra n: 4018. 4019; a significatione gregis, quod sit verum & bonum, de qua etiam supra; & ex significatione primum coeuntium, quod sint spontanea: quod primum coeuntes sint spontanea, ex nexu rerum in sensu interno patet, tum ex eo quod quicquid est ex affectione, est spontaneum, & maxime quod ex affectionis ardore, qui per incalescere significatur, quare in hoc Versu incalescere bis dicitur; ut & ex derivatione vocis illius in Lingua originali, quod sit conjunctio, per intimum amoris, & de conjunctione veri & boni in Naturali hic agitur, quæ non nisi quam per spontaneum, hoc ut in libero fit; inde constare potest, quod in omni incalescere gregis primum coeuntium, seu in omni incalescentia primum coeuntium ex grege, significet vera & bona, quæ spontanea seu ex libero sunt, seu quod idem, quæ ex summa affectione; quod omne id quod est amoris seu affectionis, sit liberum, videatur n: 2870: quod omnis conjunctio veri & boni fiat in libero, & quod nulla conjunctio in coacto, n: 2875. 3145. 3146. 3158; inde quod omnis reformatio & regeneratio fiat per liberum, n: 1937. 1947. 2876. 2881. 2877. 2878. 2879. 2880; si per coactum fieri posset, quod omnes salvarentur, n: 2881.

4030. Et posuit Jacob baculos ad oculos gregis in canaliculis ad incalesendum illum ad baculos, quod significet ex propria potentia evocata & conjuncta, constat ex significatione baculorum, quod sit potentia, & cum prædicatur de Domino quod sit propria potentia, de qua n: 4013. 4015; & ex significatione ponere ad oculos in canaliculis ad incalescendum, quod sit evocare ut conjungerentur, ut patet ab illis quæ supra n: 4018 & alibi de significatione earum vocum dicta sunt.

4031. Et ad dein coire gregem non posuit, quod significet coacta, constat ex significatione dein coire; quod primum coire sit spontaneum, seu liberum, supra n: 4029, ostensum est; quod dein coire sit coactum seu non liberum, inde, & quoque a nexu rerum in sensu interno patet: ut & ex eo, quod hic non incalescere, ut de primum coeuntibus, dicatur, per incalescere enim significatur affectio, & ibi affectionis ardor quodcunque non est ex affectione, est ex non spontaneo seu non libero, nam omne spontaneum seu liberum est affectionis seu amoris, n: 2870; patet quoque ex derivatione vocis hujus in Lingua originali, quod sit deficientia, cum enim deficit affectionis ardor, tunc cessat liberum, & quod tunc fit, dicitur non liberum, & tandem coactum. Quod omnis conjunctio veri & boni fiat in Libero seu ex Spontaneo, proinde omnis reformatio & regeneratio, ex locis supra n: 4029 citatis, constare potest, consequenter quod in non libero, seu per coactum, nulla conjunctio ita nulla regeneratio fieri possit, quid liberum, & unde liberum, videatur n: 2870 ad 2893, ubi de Libero hominis actum est: qui non novit, quod nulla conjunctio veri & boni, hoc est, appropriatio, ita quod nulla regeneratio fieri possit nisi in libero hominis is dum ratiocinatur de Providentia Domini, de salvatione hominis, & de plurium damnatione, in meras umbras, & inde in graves errores se conjicit; putat enim, quod, si Dominus

 velit,

velit, salvare possit unumquemvis, & hoc per innumerabilia media, sicut per miracula, per mortuos qui resurgent, per revelationes immediatas, per Angelos qui a malis detinebunt, & ad bonum vi forti manifesta impellent, perque status plures, in quos cum inducitur homo, pænitentiam agat, & perplura alia; sed non novit, quod omnia hæc media coacta sint, & quod per illa homo reformari nequeat, nam quicquid cogit hominem, hoc non indit ei aliquam affectionem, & si tale sit ut indat, alligat se affectioni mali; apparet enim sicut aliquod sanctum infundat, etiam infundit, sed usque cum status mutatur, ad affectiones suas priores, nempe mala & falsa, redit, & tunc sanctum illud se conjungit cum malis & falsis, & fit prophanum, quod tale est, ut inducat in infernum omnium gravissimum; agnoscit enim primum & credit, & quoque sancto afficitur, & dein negat, imo aversatur; quod qui simul agnoscunt corde, & dein negant, sint qui prophanant, non autem qui non agnoverunt corde, videatur n: 301. 302. 303. 571. 582. 593. 1001. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398. 3399. 3402. 3898; inde hodie manifesta miracula non fiunt, sed miracula non manifesta, seu inconspicua, quæ talia sunt ut sanctum non infundant, nec demunt homini liberum; & inde mortui non resurgunt, & per revelationes immediatas, & per Angelos homo a malis detinetur, & ad bonum vi forti manifesta fertur; est liberum hominis, in quod Dominus operatur, & per quod illum flectit; omne enim liberum est amoris seu affectionis ejus, proinde voluntatis ejus, n: 3158; si non recipit bonum & verum in libero, non potest appropriari ei, seu fieri ejus; id enim ad quod cogitur, non est ejus, sed est illius qui cogit, nam non facit ex se, tametsi fit per se; apparet quandoque, quasi homo ad bonum cogatur, sicut in tentationibus & pugnis spiritualibus, sed quod tunc ei fortius liberum sit, quam extra illas, videatur n: 1937. 1947. 2881; apparet etiam quasi homo ad bonum cogatur, cum semet ad illud cogit, sed aliud est semet cogere, & aliud est cogi, qui semet cogit, est ex libero quod est intus, at cogi est ex non libero: quia ita est, constare potest, in quas umbras, & inde in quos errores se conjicere possunt, qui ratiocinantur de Providentia Domini, deque salvatione hominis, ac de plurium damnatione, & non norunt, quod liberum sit, per quod Dominus operatur, & nullatenus per coactum; quia coactum in rebus sancti, nisi recipitur a libero, periculosum est.

4033. Et erat dein coeuntium Labani, quod significet quod illa relinquerentur, nempe coacta; & primum coeuntium Jacobo, quod significet quod spontanea, seu quæ ex libero suo, conjungerentur, constat ab illis quæ mox supra n: 4029. 4032, dicta sunt: per coacta hic significantur quæ non conjuncta fuerunt, nec conjungi potuerunt; & per spontanea illa quæ conjuncta fuerunt, ut & talia quæ conjungi potuerunt; quod etiam hæc, est quia spontanea se habent secundum affectiones & earum quale. Postquam bonum, quod per Labanem & ejus gregem significatur, illis usibus, de quibus supra, inserviverat, tunc separatur; de separatione agitur in Capite sequente.

4034.

4034. Verf: 43. *Et diffudit fe vir valde valde, & erat ei greges multi, & ancillæ, & fervi, & cameli, & afini.* Diffudit fe vir valde valde, fignificat multiplicationem: & erat ei greges multi, fignificat bona & vera interiora inde: & ancillæ & fervi, fignificat bona & vera media: & cameli & afini, fignificat vera boni exteriora & externa.

4035. Et diffudit fe vir valde valde, quod fignificet multiplicationem, nempe boni & veri, conftat a fignificatione diffundere fe, quod fit multiplicari, quod in immenfum, fignificatur per valde valde.

4036. Et erat ei greges multi, quod fignificet bona & vera interiora inde, conftat a fignificatione gregum, quod fint bona & vera, de qua n: 343; & quod interiora, n: 2566. 3783.

4037. Et ancillæ & fervi, quod fignificet bona & vera media, hoc eft, ipfa naturalia, conftat ex fignificatione ancillarum, quod fint affectiones naturalis, proinde bona ibi, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849; & ex fignificatione fervorum, quod fint fcientifica, quæ funt vera naturalis hominis, de qua n: 2567. 3019. 3020. 3409.

4038. Et cameli & afini, quod fignificet vera boni exteriora & externa, conftat ex fignificatione camelorum, quod fint fcientifica communia naturalis hominis, de qua n: 3048. 3071. 3143. 3145, fcientifica communia funt vera, boni inferiora feu exteriora; & ex fignificatione afinorum, quod fint vera boni naturalis adhuc inferiora feu externa, de qua n: 2781. Quid bona & vera interiora, tum media, ut & exteriora & externa, conftare poteft ab illis quæ n: 4009, dicta funt. Apud hominem funt Tria in communi, nempe Corporeum, Naturale, & Rationale; Corporeum eft extimum, Naturale eft medium, Rationale eft interius; quantum apud hominem regnat unum præ altero, tantum dicitur vel corporeus, vel naturalis, vel rationalis; hæ tres partes hominis mirabiliter communicant, nempe corporeum cum naturali, & naturale cum rationali; homo cum primum nafcitur, eft mere corporeus fed facultas ineft ut perfici poffit, poftea fit naturalis, tandem rationalis, inde quod communicatio unius cum altero fit, conftare poteft; corporeum cum naturali communicat per fenfualia, & hoc diftincte per illa quæ pertinent ad intellectum, & quæ pertinent ad voluntatem, nam utrumque perficiendum eft apud hominem, ut fiat & fit homo; fenfualia vifus & auditus imprimis funt quæ perficiunt facultatem ejus intellectualem, tria reliqua fenfualia fpectant imprimis voluntatem: corporeum hominis per fenfualia illa communicat cum naturali ejus, quod eft pars media, ut dictum; quæ enim intrant per fenfualia, fe reponunt in naturali ficut in quodam receptaculo, hoc receptaculum eft Memoria; jucundum ibi, volupe, & cupidum, pertinent ad voluntatem, & vocantur bona naturalia, at fcientifica ibi ad intellectum, & vocantur vera naturalia: Naturale hominis per hæc, quæ nunc dicta funt, communicat cum Rationali ejus, quod eft pars interior, ut dictum; quæ fe elevant inde verfus rationale, ea fe reponunt in rationali etiam ficut in quodam receptaculo, hoc receptaculum eft Memoria interior, de qua n: 2469. 2470. 2471. 2472.

2473 ad 2480; beatum ibi & felix pertinent ad voluntatem, & sunt boni rationalis, ac intuitiones interiores rerum & perceptiones pertinent ad intellectum, & quæ illorum sunt, vocantur vera rationalia: hæc tria sunt, quæ constituunt hominem; inter illa tria dantur communicationes, sensualia externa sunt, per quæ corporeum hominis communicat cum naturali ejus, & sensualia interiora sunt, per quæ Naturale hominis communicat cum rationali ejus; quæ itaque in Naturali hominis trahunt ex sensualibus externis, quæ sunt propria corporis, sunt quæ vocantur vera boni exteriora & externa; quæ autem ex sensualibus internis, quæ sunt propria ejus spiritus, & communicant cum rationali, sunt quæ vocantur bona & vera interiora; quæ inter illa sunt, & participant de utroque, sunt quæ vocantur bona & vera media: hæc tria sunt in ordine ab interioribus, quæ significantur in sensu interno per Greges, per Ancillas & servos, & per Camelos & Asinos.



Continuatio de Maximo Homine, & de Correspondentia, hic de Correspondentia cum Cerebro & Cerebello.

4039. *De Correspondentia Cordis & Pulmonum cum Maximo Homine, seu cum Cœlo, ad finem Capitis præcedentis actum est, hic de Correspondentia Cerebri & Cerebelli, & Medullarum quæ illis annexæ sunt, agendum est. Sed antequam de Correspondentia agitur, aliqua præmittenda sunt de forma Cerebri in communi, unde illa, & quid repræsentat.*

4040. *Apparent in Cerebro, cum denudatur a Cranio & a Tegumentis quæ circum circa sunt, circumvolutiones & gyri mirabiles, in quibus positæ sunt substantiæ quæ corticales vocantur, ex his fibræ excurrunt, quæ Medullam Cerebri constituunt, hæ fibræ procedunt inde per nervos in corpus, & ibi functiones agunt secundum Cerebri nutus & arbitria: hæc omnia sunt prorsus secundum formam cœlestem; talis enim forma est Cœlis impressa a Domino, & talis inde illis quæ in homine, ac imprimis ejus Cerebro & Cerebello.*

4041. *Forma cœlestis est stupenda, & prorsus excedit omnem intelligentiam humanam, est enim longe supra ideas formarum, quas homo ex mundanis etiam per analytica usquam capere potest; secundum illam formam sunt omnes societates cœlestes ordinatæ, & quod mirum, est gyratio secundum formas, quam nempe gyrationem, Angeli & Spiritus*

ritus non sentiunt; se habet hoc sicut fluxus telluris circum axem quotidie, & circum solem quotannis, quem incolæ non appercipiunt: mihi ostensum est, qualis forma cœlestis est in Sphæra infima; erat qualis forma circumvolutionum, quæ apparent in Cerebris humanis, fluxum illum seu gyrationes illas perceptibiliter mihi videre dabatur; hoc perstabat per aliquot dies: inde constare mihi potuit, quod Cerebrum formatum sit secundum formam fluxionis cœli; sed quæ interiora ibi sunt, & quæ non apparent ad oculum, sunt secundum formas interiores cœli, quæ prorsus incomprehensibiles sunt; & dictum ab Angelis, quod inde videri possit, quod homo secundum formas trium cœlorum creatus sit, & quod sic ei impressa sit imago cœli, adeo ut homo sit in minima forma parvulum cœlum, & quod inde correspondentia ejus cum cœlis.

4042. *Inde nunc est, quod per hominem solum datur descensus e cœlis in mundum, & ascensus e mundo in cœlos; Cerebrum est, & ejus interiora, per quæ descensus & ascensus fit, ibi enim sunt ipsa principia, seu fines primi & ultimi, a quibus effluunt & derivantur omnia & singula quæ in corpore; ibi etiam est, unde Cogitationes quæ intellectus, & unde affectiones quæ voluntatis.*

4043. *Quod formæ adhuc interiores, quæ etiam universaliores sunt, non comprehensibiles sint, ut dictum, est causa, quia formæ cum nominantur, secum ferunt ideam spatii & quoque temporis, cum tamen in interioribus, ubi est cœlum, non percipitur aliquid per spatia & per tempora, quia hæc propria sunt naturæ, sed per status & eorum variationes & mutationes; at quia variationes & mutationes nec concipi possunt ab homine absque talibus quæ sunt formæ, ut dictum, absque talibus quæ sunt spatii & temporis, cum tamen talia non sunt in cœlis, inde constare potest, quam incomprehensibilia sunt illa, & quoque quam ineffabilia; omnes quoque voces humanæ, quibus illa effanda & comprehendenda sunt, quia naturalia involvunt, nec adæquatæ sunt exprimendis illis; in cœlis talia sistuntur per variationes lucis cœlestis, & flamma cœlestis, quæ a Domino, & hoc in tali & tanta plenitudine, ut millia & millia perceptionum vix cadere possent in aliquid perceptibile apud hominem: sed usque illa quæ in cœlis fiunt, repræsentatur in mundo Spirituum per formas, ad quas similitudine accedunt formæ quæ in mundo apparent.*

4044. *Repræsentationes non aliud sunt, quam imagines spiritualium in naturalibus, & cum illa rite repræsentantur in his, tunc correspondent: at qui non novit quid Spirituale est, sed solum quid naturale, is putare potest, quod tales repræsentationes & inde correspondentiæ non dari possent, diceret enim apud se, quomodo potest spirituale agere in materiale;*

materiale; sed si velit reflectere super illa, quæ in se quolibet momento fiunt, aliquam ideam illorum sibi poterit comparare, nempe quomodo voluntas potest agere in musculos corporis, & sistere reales actiones, & quoque quomodo cogitatio potest agere in organa loquelæ, movendo pulmones, tracheam, guttur, linguam, labia, & sistere loquelam, tum quomodo affectiones agere possint in faciem, & ibi sistere sui imagines, adeo ut inde sciat sæpe alter quid cogitet & velit; hæc possunt dare aliquam ideam repræsentationum & correspondentiarum: quia nunc talia sistuntur in homine, & quia non datur aliquid quod subsistere potest a se, sed ab alio, & hoc rursus ab alio, & demum a Primo, & id per nexum correspondentiarum, inde possunt illi, qui aliqua judicii extensione gaudent, concludere, quod inter hominem & cœlum correspondentia sit, & porro quod inter Cœlum & Dominum, Qui Primus.

4045. *Quia correspondentia talis datur, & Cœlum distinctum est in plures minores cœlos, & hi in adhuc minores, & ubique in societates; sunt ibi cœli qui referunt Cerebrum & Cerebellum in communi, ac in cœlis illis qui referunt partes seu membra quæ in Cerebris, sicut qui referunt duram matrem, qui tenuem seu piam matrem, qui sinus, tum qui corpora & cava ibi, ut qui corpus callosum, Corpora striata, glandulas minores, ventriculos, infundibulum, & sic porro: quales itaque sunt, qui unum ac alterum referunt, mihi detectum est, ut constare potest a sequentibus.*

4046. *Apparebant plures Spiritus ad mediam distantiam supra caput, qui agebant in communi per modum pulsus cordis, sed erat quasi reciproca undulatio deorsum & sursum, cum aspiratione quadam frigida in frontem meam; exinde concludere potui, quod mediæ sortis essent, nempe quod tam ad Cordis quam ad Pulmonum provinciam pertinerent, & quoque quod non essent spiritus interiores; postea iidem sistebant lumen flammeum, crassum sed usque luminosum, quod primum apparuit sub sinistra parte menti, postea sub oculo sinistro, dein supra oculum, sed erat obscurum, at usque flammeum, non candidum, ex quibus scire potui quales essent, nam lumina indicant affectiones, tum quoque gradus intelligentiæ: postea cum adhiberem manum ad sinistram cranii seu Capitis partem, sensi pulsum sub palma, undulantem similiter deorsum & sursum, ex quo indicio sciebam, quod ad Cerebrum pertinerent: Cum quæsivi, quinam essent, non loqui volebant, dicebatur ab aliis quod non libenter loquantur; tandem adacti ad loquendum, dicebant quod sic detegerentur, quales essent; percepi, quod inter illos essent, qui constituunt provinciam Duræ Matris, quæ est integumentum commune*

Cerebri

Cerebri seu Cerebelli; detectum dein, quales illi essent, nam ex loquela cum illis hoc scire dabatur; erant, sicut cum vixerunt homines, qui nihil cogitarunt de spiritualibus & cœlestibus, nec de illis loquuti, quia tales, quod nihil aliud crediderint esse quam naturale, & hoc quia non penetrare potuerunt ultra, sed tamen id non confessi; usque tamen sicut alii coluerunt Divinum, precibus vacarunt, & boni cives fuerunt. Erant postea alii, qui quoque in pulsum influebant, sed non per undulationem deorsum & sursum, verum transversim; alii iterum, qui non reciproce, sed magis continue; & quoque alii, a quibus pulsus actus subsaliebat ab uno loco in alterum; dicebant, quod illi referrent lamellam duræ matris exteriorem; & quod inter tales essent, qui cogitarunt de spiritualibus & cœlestibus modo ex talibus quæ sunt objecta sensuum externorum, quæ interiora erant non aliter capientes, mihi auditi sicut ex sexu fæminino; qui ratiocinantur ex sensualibus externis, proinde ex mundanis & terrestribus, de illis quæ sunt cœli seu de spiritualibus fidei & amoris, quo magis illa unum faciunt & confundunt, eo exterius vadunt, usque ad cutem Capitis externam, quam repræsentant; at usque sunt intra Maximum Hominem, tametsi in extremis ejus, si vitam boni egerunt; unusquisque enim qui in vita boni ex affectione charitatis est, salvatur.

4047. *Apparebant quoque alii supra caput, quorum actio communis influens supra caput erat fluida transversim ab anteriori retrorsum: & apparebant quoque alii, quarum actio influens erat a tempore utroque versus meditullium Cerebri; perceptum, quod illi essent qui pertinerent ad provinciam Piæ Matris, quæ est integumentum alterum, & proprius investit Cerebrum & Cerebellum, & per fila emissa cum illis communicat: quales essent, scire dabatur ex loquela eorum, nam mecum loquuti sunt; fuerunt, sicut in mundo, quod non multum suæ cogitationi fiderent, & sic se determinarent ad aliquid certum cogitare de rebus sanctis, sed quod penderent ab aliorum fide, non ventilantes num verum esset; quod tales essent, etiam ostensum mihi per influxum perceptionis illorum in Orationem Domini cum illam legerem, nam omnes quotcunque sunt Spiritus & Angeli, ex Oratione Domini sciri potuerunt quales essent, & hoc per influxum idearum cogitationis & affectionum illorum in contenta orationis; inde etiam perceptum quod tales essent; & insuper quod inservire possent Angelis pro mediis; sunt enim spiritus medii inter cœlos, per quos communicatio, ideæ enim illorum non erant clausæ, sed apertiles, ita illi patientes se agi, & facile*

cile admittentes & excipientes influxum; præterea erant modesti & pacifici; ac dicebant se esse in cœlo.

4048. *Erat quidam prope ad caput meum, qui mecum loquutus, ex sono percepi, quod in statu tranquillitatis, sicut cujusdam pacifici somni esset; interrogavit hoc & illud, sed cum tali prudentia, ut vigil non prudentius, perceptum quod Angeli interiores per illum loquuti sint, & is in statu esset, ut perciperet & produceret; quæsivi de statu illo, & ei dixi quod ei talis status, respondit, quod non loquatur aliud quam bonum & verum, & quod appercipiat num aliud, & si aliud influeret, quod non admittat seu eloquatur; de statu suo dicebat, quod pacificus esset, & illum quoque per communicationem percipere dabatur: dictum, quod tales sint, qui Sinus seu Vasa majora sanguinea in Cerebro referunt; & qui similes illi, Sinum Longitudinalem, qui est inter bina cerebri hæmisphæria, ac ibi in statu quieto, utcunque Cerebrum utrinque tumultuatur.*

4049. *Erant quidam supra caput paulo antrorsum, qui mecum loquuti, loquebantur amœne, & influebant satis leniter, distinguebantur ab aliis per id, quod illis cupido & desiderium jugiter esset venire in cœlum; dicebatur quod tales sint, qui Ventriculos seu Cava majora Cerebri referunt, & ad provinciam illam pertinent; causa quoque addita, quod melior species lymphæ, quæ inibi, talis sit, quod nempe redeat in cerebrum, cui inde ei talis conatus: Cerebrum est Cœlum, & conatus est cupido & desiderium; correspondentiæ sunt tales.*

4050. *Facies quædam supra fenestram cæruleam mihi primum apparuit, quæ facies se mox recepit intus, tunc mihi visa stellula circa regionem Oculi sinistri, dein stellulæ plures rutilæ, quæ coruscabant albe; postea visi mihi sunt parietes, sed non tectum, parietes modo a sinistro latere demum quasi cœlum stelliferum; & quia hæc visa in loco ubi mali, putabam aliquid tetrum esse, quod mihi objiceretur videndum; sed mox disparabatur paries & cœlum, & apparuit puteus e quo sicut candidus nimbus aut vapor prodiit, videbatur etiam tanquam aliquid exantlaretur ex puteo: quærebam quid illa significarent & repræsentarent, dicebatur quod repræsentatio esset Infundibuli in Cerebro, supra quod esset Cerebrum quod significatur per cœlum, & quod dein videbatur, esset illud vas quod significatur per puteum, & vocatur infundibulum, & quod nimbus seu vapor qui inde, esset lympha quæ pertransit, & inde exantlatur; & quod lympha illa duplicis generis esset, nempe quæ mixta cum spiritibus animalibus, quæ inter lymphas utiles, & quæ mixta cum serositatibus quæ inter lymphas*

lymphas excrementitias: ostensum mihi dein, quales illi, qui ad hanc provinciam pertinent, sed modo qui vilioris sortis essent; etiam quoque visi, discurrunt huc & illuc, applicant se illis quos vident, attendunt ad singula, ac quæ audiunt nuntiant aliis, ad suspiciones proclives, impatientes, irrequieti, ad imitationem illius lymphæ quæ inibi & fertur cis & retro, ratiocinia eorum sunt fluida ibi quæ repræsentant; sed hi sunt mediæ sortis: at qui excrementitias lymphas ibi referunt, sunt qui spirituales veritates deducunt ad terrestria, & ibi conspurcant illas, sicut pro exemplo, qui cum audiunt aliquid de amore conjugiali, ad scortationes & adulteria applicant, & sic quæ amoris conjugialis sunt, ad hæc deducunt; ita in cæteris; hi antrorsum ad aliquam distantiam ad dextrum apparuerunt. Qui autem bonæ sortis sunt, similes sunt illis, de quibus mox supra n: 4049.

4051. *Sunt Societates quæ referunt regionem illam, quæ in Cerebro vocatur Isthmus, & quoque qui referunt nodulos fibrarum in Cerebro, qui apparent sicut glandulares, e quibus fibræ effluunt ad varias functiones, quæ nempe fibræ, unum agunt in principiis illis seu glandulis, sed diversimodo in extremis: una societas spirituum quibus talia correspondent, mihi oblata est, de qua hæc; venerunt Spiritus antrorsum, alloquebantur me, dicentes, quod homines sint, sed his respondere datum, quod non homines sint corpore præditi, sed spiritus, & sic quoque homines, quia omne spiritus conspirat ad id quod hominis est, etiam ad formam homini corpore prædito similem, spiritus enim est internus homo, tum quia homines sunt ex intelligentia & sapientia, & non ex forma, inde quod spiritus boni, & magis Angeli sint homines præ illis qui in corpore, quia magis in luce sapientiæ: post hoc responsum dicebant, quod plures sint in societate, in qua unus alteri non similis, sed quia mihi impossibile visum, quod societas dissimilium in altera vita dari queat, loquutus sum de illa re cum illis, & tandem instructus, quod tametsi dissimiles, usque consocientur quoad finem, qui illis unus; dixerunt porro, quod tales sint, ut quisque dissimiliter agat, & quoque dissimiliter loquatur, quam alter, & tamen simile volunt & cogitant; hoc quoque illustrabant exemplo, cum unus in societate dicit de Angelo, quod minimus sit in cœlo, alter dicit quod maximus, & tertius quod nec minimus nec maximus, & sic cum pluri varietate, quod cogitationes usque unum agunt, quod nempe qui minimus vult esse, sit maximus, & quod maximus sit inde respective, & quod nec minimus nec maxi-*

maximus, quia non cogitant de supereminentia; similiter in reliquis; ita consociantur in principiis, sed diversimode agunt in extremis: applicabant se auri meæ, & dicebant, quod boni spiritus sint, & quod mos eorum loquendi sit talis: dicebatur de illis, quod non sciatur unde veniunt, & quod inter societates vagabundas sint.

4052. *Præterea talis est correspondentia Cerebri cum Maximo Homine, quod qui in principiis boni sunt, referant illa in Cerebro, quæ principia ibi sunt, & vocantur glandulæ seu substantiæ corticales; at qui in principiis veri sunt, referant illa in cerebris quæ a principiis illis effluunt, & vocantur fibræ; at usque cum hoc discrimine, quod qui correspondent dextræ parti Cerebri, sint qui in voluntate boni sunt, & inde in voluntate veri; at qui correspondent sinistræ parti Cerebri, sint qui in intellectu boni & veri & inde in affectione eorum; hoc inde est, quia illi qui in cœlo sunt ad dextrum Domini, sunt qui in bono ex voluntate, at qui ad sinistrum Domini, sunt qui in bono ex intellectu; illi sunt qui cœlestes vocantur, hi autem qui spirituales.*

4053. *Quod tales correspondentiæ sint, nemo hactenus novit, & scio quod miraturi cum audiunt, & hoc ex causa, quia non sciunt quid Internus homo & quid Externus, & quod Internus homo sit in spirituali mundo, & Externus in naturali; & quod Internus homo sit qui vivit in Externo, & qui influit in hunc; & regit hunc: inde, tum ex illis, quæ supra n:* 4044 *allata sunt, usque scire potest, quod influxus sit, & quod correspondentia: quod ita sit, notissimum est in altera vita; tum quod Naturale non aliud sit, quam repræsentatio Spiritualium, a quibus existit & subsistit; & quod Naturale taliter repræsentet, qualiter correspondet.*

4054. *Cerebrum sicut cœlum est in sphæra finium, qui sunt usus, quicquid enim influit a Domino, est finis spectans Generis humani salvationem, hic finis est qui regnat in Cœlo, & quoque qui inde regnat in Cerebro, Cerebrum enim, ubi mens hominis, spectat fines in corpore, ut nempe corpus inserviat animæ, ut anima sit felix in æternum. At dantur Societates, quæ nullum finem usus habent, solum ut inter amicos & amicas sint, & ibi in voluptatibus, ita qui solis sibi indulgent, & solam peliculam curant, si forte domestica, aut si publica sunt pro eodem fine; talium spirituum societates hodie plures sunt, quam usquam credi potest; illi ut primum alluunt, sphæra eorum operatur, & apud alios exstinguit affectiones veri & boni, quæ cum extinctæ sunt, tunc illi in suæ amicitiæ voluptate sunt: illi sunt obstipa-*

obstipationes Cerebri, & stupiditates ei inducunt: talium societates plures apud me fuerunt & perceptum ab hebitudine, lentore, & privatione affectionis, quod adessent; & aliquoties etiam cum illis loquutus sum: sunt pestes & pernices, tametsi in vita civili, cum fuerunt in mundo, apparuerint sicut boni, jucundi, faceti, & quoque ingeniosi, nam decora sciunt ac insinuationes per illa, imprimis in amicitias; quid amicus esse bono, seu amicitia boni, non sciunt, nec scire volunt: sors illos tristis manet, vivunt demum in squallore, & in tali stupiditate, ut vix aliquid humani, quoad captum, illis residuum sit: finis enim facit hominem, & qualis finis talis homo, proinde tale humanum ei post mortem.

4055. *Continuatio de Maximo Homine, & de Correspondentia, ad finem Capitis sequentis.*

F I N I S

PARTIS TERTIÆ.

